


Impertior in actu Visitationis Licentiam R. P. Constantinus Erem. Camald. MS. penes se retinendi et secum ad alias Eremos devehendi hunc Librum.
Datum in Eremo Varsaviensi d. 27 Octobris 1792.

D. Carolus Erem. Vis.



IDEÆ[(a)]

(a) Objectivæ, nempè rationes intelligibiles. D.R. quodl. a.q.1.§.3.

THEOLOGIÆ MORALIS,

Multa paucis, difficilia clarissimè

EXPRIMENTES

De

SACRAMENTIS in genere & in ſpecie, atq; de CENSURIS.

In fundamentis JOANNIS de BACCONE, Cognomento DOCTORIS RESOLUTI

STABILITÆ;

Menti Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum Decretis, Conciliorum Deciſionibus, & Sacrarum Congregationum Declarationibus

CONFORMES;

Per A. R. P. ELIAM *à* S. FRANCISCO *Ordinis Fratrum B. V. MARIÆ de Monte Carmelo Strictioris Obſervantiæ Ex-*VIC. PROVINCIALEM, *Sacræ Theologiæ Lectorem Emeritum, in Carmelo Varſavienſi in Leſno*

EFFORMATÆ.

ANNO

Quo DEUS in Carne IDEA Virtutum factus eſt M.DCC.XXVI.



VARSAVIÆ Typis S. R. M. Scholarum Piarum.


S. Donnet. sculp: Dantzig.

IDEÆ
THEOLOGIÆ
MORALIS
In duas partes
DIVISÆ.



ILLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO
&
REVERENDISSIMO Domino,
D. THOMÆ FRANCISCO
CZAPSKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPO DIANENSI,
Coadjutori Episcopatûs Culmensis,
nec non
ABBATI Peplinensi S.O.
Cisterciensis,
Domino & Mecœnati Faventissimo.

*Nter Cimmerios Labyrinthi sinus operaturo Terricolæ, ad cõdignè rectèmeritis exæquādā increatæ Libram Themidis, Resolutam lucem ministraturus Theologus, in augmentum claritatis, geminum Tuum exoro sidus.* Illustrissime, Ex-

Excellentissime ac Reverendissime Domine, *Caliginosus laboranti occurrerem praeductor, si absq; Illustrissimae Tribus Tuae gemino sidere, manuductricem scientiam, ad quadrangularis obtinendum indigenatum Vrbis, umbrosis noctis Sipariis involuto incolae, porrigerem. Partu meo accensa Pharos, undequaq; comitantibus facilè extingueretur atrosis, antrosisvè perplexitatibus; si in Serenissimo CZAPSCIANAE Lunae caelo non locaretur. Polus etenim Vestrae Cynthiae, non Borussiae tantùm in Illustrissimis Ephoris: etiam Aquilonari Sauromatum hemisphaerio, tot saeculorum praeterlapsis Olympiadibus, Serenissimam gloriae, honoris, virtutis, diem reaccendit. Documentum veritatis hujus praeclarissimum, comite Stella, duce Phoebeum ingrediente Orbem Aboriginum Tuorum, praesefert impressa expressavè cuncti rectèacti species; Ilias probitatum. Sive enim Themis CZAPSCIANIS Libram tradiderit dextris, sive Mars in desolantis praedia, mortificantis Cives, opprimentis subditos, mancipantis libertatem, hostis interitum, ensem porrexit Macedonicum; sive à Vestrae Consus Minervae ad tuendos, augendosvè ultra Herculis Lechici columnas, Regni limites, ordinatè regendum Populum, Delphica expetierit oracula; sive Caelicolarum Arae aut Tiarae, successiva temporis edacitate consum-*

Poloniae nomen.

sum-

ſumptæ, Veſtram exoraverint cpem, æquilibros A-ſtræa Ariſtides, Gradivos Bellona, Catones Reſpublica, piiſſimæ Cœlitum exuviæ, diviniorem ſemper Numam invenêre. Emeritiſſima ſiquidem omni Lechici Poli ævo CZAPSCIORVM Phœbe, quæ poſt ſui novilunium, Nativis ſuis plenilunaribus Polono Orbi claret ſplendoribus, Parnaſſianæ oraculum Muſæ continuo meritorum proſequens curſu, Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat: *Toties impalluit, combuſtas igne Martio, aut Olympiarum edacitate Divorum reſuſcitando aras, aureo beneficentiæ Pactolo; Pallida inter hoſtiles calamitates, multoties Regno illatas, filialiter impalleſcens; Rubicunda ſub Iove frigido, Gradivi flammis purpurata, numeroſiorem exercitum, trecentis Fabiis, ævorum Olympiadibus, intrà Martis corruſcantia eduxit fulmina: ne Lechco à CZAPSCIANA præſignata Phœbe, deeſſet Orbi quandoq; ſerenitas, quæ pulcherrimè cum pallore Zeloſitatis fidei ruborem, militaris ſtrenuitatis, fidelitatis intaminatæ candorem conjunxerat. Prædicti tres colores, Veſtræ Cynthiæ nunquam non concolores, Triadi Sarmaticæ, coronato inquam throno, Purpuratis Patribus, ac liberrimæ Reipublicæ ſemper in fœderis arcum, ſerenitatis prodromum, coaluêre. Concordi hac diſſonantia, virtutum influentia, ita illuminavit*

navit Polum Patriæ, Vestrum luminare, Soli æmulum, ut in bellorum fatorumvè Cimmeriis, exoptatissimavè pace, diem gloriæ accendisset. Necdum Cruciferorum, domesticorum Patriæ hostium, tot Gentium Domitrix Sarmatia, victricibus Aquilis colla subjugaverat; jam CZAPSCIANA Luna noctuam Aquilonarem, Czerwonkam, Crucigerorum Ducem, irrefractis Martialibus radiis sui Concavi excæcaverat; Nominis, virium vitæq; claritatem vix scintillantem posteritati reservando. Hinc Cruciferorum bellici splendores in Polo Martis, CZAPSCIANI sideris coronato,

In prælio certans, Cruciferorum Ducem captivavit dictum cognomine Czerwonkam.

quia victorioso semper Orbe ecclypsati; semel tamen intrà hostium vix scintillantia Astra, purpurato ad occasum colore Vestrum declinaverat sidus: si occasus dicendus, Martius CZAPSCIORVM casus; è quo ùt è favillis Phœnix, è scintilla ignis, de radice sidera vertice attingens cedrus, è densissimarum collisione nubium serenior prodit Titan, ita intrà Mavortis flammas occumbens CZAPSCIVS, Planeta serenior exoriens enituit, in tot multiplicatus Orbes, quot personalia Prosapiæ Vestræ numerantur, numeranturvè omni ævo sidera. Agnovit quidem doloriferè in fatali decursu hujus Hectorei Luminaris, se passum occasum, Clima Sarmaticum; nec immeritò: extincto enim hoc Phocione Polono, Atticam noctem

ctem

ctem in Consi Themidisvè congressu inductam, sibi est ominatum. Verum novilunium, verius virtutum plenilunium, fortissimus, quia ANDREAS. Luminare præclarissimum renovavit: Successit Alcides Atlanti, Sub-Aristides Dobrynensis protunc Districtûs, quem serenioribus illustravit splendoribûs, dum in concursu generali Comitiis, Comitiolisvè, purpuratorum Poli Sarmatici siderum, ad participandum coronati Phœbi splendorem, delegatus toties Planeta, qui clarioribus Delphicis oraculis, placidissimè in Solis circulum, Regiæ Majestatis cor, primæ Magnitudinis sidera, nec non Reipublicæ innumerata Astra, influxerat, coronato ubiq; Dobrinensi Capiti Majestuosum erigendo Capitolium. Post serenè, Lecheo in firmamento Lacteam emēsam, pari novo sideri Ariadnæ corona adunatus, inde Polonæ procreatur inopiæ inappretiabilis Thesaurus. Pactolū in Vādalū crediderim influxisse, postquā inappretiabiles SKARBKORUM Ceræ in fōtē CZAPSCIANI influxêre Luminaris; Influxus hos siderum in SKARBKORUM Gazas quàm prædivites, quibus fidissimus Achates Patriæ, adamantina procreatus cum fortitudine, Andreas CZAPSKI, Sacræ Regiæ Majestatis Rothmagister, qui olim Transsylvano Principi, pòst Coronatori nomine & trophæis Sarmatico, Moschorum, Rebelli-

umvè

Ethymon nominis.

Andreas Czapski Subjudex Terræ Dobrynen. Cōsiliarius utilissimus ad Comitia Generalia Delegatus. Stemma Terræ Dobrynensis.

Hic familiā suam nectit cū Skarbsciis.

Hujus Filius de Skarbkowna progenitus.

Andreas Czapski Rothmagister Stephani Bathorei, cum Moschis fortissimè pugnans.

umvè Domitori Orthodoxo semper sceptrigero, Stephano Bathoreo, non disparibus Æneadæ actis, Herculeis certaminibus, Cynegirus amabilior. Et facilè tanti splendoris agnoscitur Planeta, utpote coronatus à primo sidere communicatis radiis, eosdem virtute Herculea in castra repercussit hostilia. A Scipione Moschovitico, strenuissimo Andrea CZAPSCIO, prætermissis inenumerabilibus Gestis Tuæ, Illustrissime, Excellentissime & Reverendissime Domine, Camillis, Catonibus, Ephoris, inemensæ virtutis recteactis clarescentibus Luminaribus: quorum quilibet ùt Luna perfecta in æternum fulgebit; ad Tuos Genitores liceat demissa gradatione descendere. Elapsa temporis æviternitate, unquam tamen haud decurrente Olympiade, lugubri palpebra Principem Nobilitatis Palatinatûs Magdeburgensis, Luminare majus, Tui Genitorem, FRANCISCVM CZAPSKI, Orphanorum Patrem, delicium Populi, quia Manna DEI, in benefico in Christicolas influxu, Lechia intuita. Nec immeritò: hoc siquidem beneficum Luminare, fœderata Fratrum claritate, in nocturnis disconvenientium Patriæ Civium tempestatibus, Prædatorem Provinciarum, Vastorem Vrbium, furibundum stratorem subditorum, Gothicum Leonem, exterruit, Herculeavè prostravit fortitudine. Ingemuit multoties lacertis depressus

Pietas in Ecclesias & Ethymon nominis

Stemma Sueticũ cum quibus pugnavit Franciscus Czapski, in quo bello occubuit.

pressus

pressus Herculeis Leo; sed quia hostilis Patriæ Hydræ multiplicata capita, etiam Herculeum robur erat victimandum: Vno tunc prostrato Czapscio, *integram cecidisse Lechiam Gothus arbitratus. Lethæam præclarissimæ hujus Phœbæ ecclypsim, mœstissimo aspexerat oculô Cynthius Sarmaticus; Fataliter laboranti Lunæ, congregata Heroicæ virtutis Astra optaverant, at nequiverant succurrere, præter par Nobile Fratrum: quorum sereno in occasu sideri* Francisco, *germana rectè-actorum adunata claritas, plenilunium æternitatis augmentaverat. Castorem, Pollucemvè, veriorem Fraternam dicerem virtutem, quæ Prædatorem æquoreum ad pacificam redire cògit possessionem, propriamvè in æviternitatis operum lucem arenæ Martis insepulto Fratri diviserat, ùti perennitate victuro, alternatim. Fraterno honori, & virtuti, successit* Alexander CZAPSKI, *Macedonica arenâ Gothicum ecclypsans Planetam; quem ut intensiori obumbraret claritate, DZIAŁYNIORVM Sagittarium, ac semisphæricum annulum, geminavè KONARSCIORVM, TVCHOŁKORVM sidera Hymenæo nexu, indissolubiliori Gordio adunavit; è quorum unione, in Te Vnione inappretiabili, Infulatorum Gemma, nunc clariùs æthere Cynthia lucet, & in Płochocinensi instaurata Æde DEI, intensiores à Divorum*

Alexander Czapski, pugnat cum Suecis.

Idẽ cum Dzíałyniis, Konarsciis, Tuchołciis nectitur.

vorum claritate ſplendores communicat. Ad renovandam poſt expulſam Gothicam belluam, in Sarmatia ſerenitatem, intrà primæ Magnitudinis Regni ſidera, clariſſimè fulſit Illuſtriſſimus SEBASTIANVS CZAPSKI, Caſtellanus Culmenſis, *Tuus* Illuſtriſſime, Reverendiſſime, *Patruus, Civium Pater, & Amor; nec alterius protunc maximè Boruſſia indiguit ſideris influxu: quàm, quòd & præluceret ſupra montem ſtanti popularitati, & firmiſſima foret conſiliorum baſis*(SEBASTIANUS eſt una baſis,) *ſolidiſſimum vaſtatæ Provinciæ fundamentum. Huic Atlanti ſucceſſit in agendis, Illuſtriſſimus IOANNES CZAPSKI, felici Lucina ſenior Frater Tuus, inemenſum Cynthiæ Veſtræ Iubar, gratioſiſſimū Patriæ ſidus,* Chryſoſtomus ; *quia ad Generalia Comitia delegatus multoties, aurei oris ſplēdore, in cōgregata Regni Aſtra coronativè Solis præcordia exoptatiſſimè influxerat; In Radomiēſi Themide veridicus Phocion, Phœbi Poloni gratioſiſſimè lucentis Libitinæ oppoſitione ecclypſati,* Joannis *III. gratioſa ſecundi Ioannis Phœbe, majeſtuosè Areopagitico circumfulta, an coronata Scipione, viciſſitudinarios adimplevit influxus, gratioſam executa criminum ponderationem. Nec illud ſidus Libram Petricovienſem inhabitare protunc valuit, quàm quod gratioſo influxu defectuoſam in occaſu Solis* ſup-

Sebaſtianus Czapski, Caſtellanus Culmenſis.

Joan. Chryſoſtomus Czapski ſub tēpus interregni mortuo Ioāne III. Rege Poloniarū Mareſchalcꝰ Tribunalitius, multoties Cōmiſſarius Radomien. tandem Caſtellanus Kruſvicen. mox Elbingenſis.

ſuppleverit claritatem. Tam præclariſſimæ æquitatis Luminaris, primùm Kruſvicenſis, coronata olim Regum Sedes, demùm Elbingenſe fortunatum Emporium, deſideratiſſimè expetierat influentiam: quo ſuſcepto ſidere à Lunatico hoſtili Marte defenſum, radiorum præ lateribus coronâ cinctum, ſerena pacis die recreatum; Verùm brevì firmamenti Zodiacus hanc è terris Libram intrà Aſtra tranſtulerat, ut non telluris tantùm, etiam inemetiendi ſplendoris Divini, æquum fieret libramentum. Illuſtriſſimus PETRVS CZAPSKI, Caſtellanus Culmenſis, æmula virtutum copiâ Frater Tuus, firmiſſima Palatinatûs ſui Petra, Annibalis inemolienda induſtriâ, hucusq; Lechæo Orbi rectè agendorum concolori ſplendore Lydius hic immotus præluceret; ſed quia ad quadrangularis continuandam Vrbis ſymmetriam, increatus Orbis Conditor aptiſſimam agnoverat, de imis intrà ſidera tranſtulerat: Sic bina Polono Polo Czapſciana erepta ſidera, ſublimioribus illata Curulibus, ut Veſtra Phœbe totum adimpleret Orbem. Hac tamen tranſlatione, necdum Lechicum privavit Olympum ſuis ſplendoribus: adhuc etenim in incremento plenilunaris Lucinæ, præclariſſimis in tot Pareolis, Genitis ſuis prælucet. Primum Pareolum, veriùs noviter creatum ſidus, Periluſtrem ADAMVM CZAPSKI, Canonicum Cuja-

Petrus Czapſki Caſtel. Culm.

Adamus Czapſki, Canonicus Cujavienſis.

Cujavienſem, Præpoſitum Lubienſem, Sacris Adoreis natum, in accrementum lucis honorariæ, Sacer Ino-Vladiſlavienſis attraxit Senatus, ut reſtemeritorum influxu Czapſcianæ *Cynthiæ beatur.* *Illuſtriſſimus FRANCISCVS CZAPSKI, primò æquiliber Petricovienſis, ac Radomienſis Themidis Tribunus, ut in perſpicua Polonæ Reipublicæ facie, Genitorios in ſe reviviſcentes ſplendores reimprimeret: Pòſt ſecundiſſimo influxu, Culmenſis Palatinatûs Quiritum Princeps, Majeſtate luminis ſui, & corda Nobilitatis & montes Culmenſes gratioſis replevit ſplendoribus. At, ultra montana Culmenſia, tandem Gedanenſi Promontorio Bonæ ſpei, in ſuo Caſtellanatu diem ſerenat gloriæ, ut novam Dantiſcanis Crucibus, in ſuis honorum influentiis, addat benedictionem, adaugeat prædivitem claritatem. Perilluſtrem IOSEPHVM CZAPSKI, quæ purpuræ deſiderant? Accreſcentis enim eſt, poſt illuſtratã Palladis, illuminandamvè Martis arenam, terminus, gloriæ plenilunium. Gradivi Scipionis ſplendores, in teneriorem hunc Planetam, pridem influxêre ad meridionalem Lechiæ procreandam ſerenitatem. Nec abſq; brevi veritatis documento: ſiquidem poſt Gradivi fulgores, Illuſtriſſimam Tribum* Raczyńſciorum *in Conſorte ſua Pulcheria, Illuſtriſſimi* Michàėlis Raczyńſki, *Caſtel-*

Francif. Czapski, primùm Enſifer Terrarum Pruſſiæ, Deputatus Radomienſis, pòſt Petricoviẽſis, inde à Tribunali Legatus ad Generalia Comitia Varſaviam, pòſt Subcamerariꝰ Culmenſis, tãdem nunc Gedanenſis Caſtellanus.

Ioſephꝰ Czapſki nectitur cum Raczynſciis, Kraſicciis &c.

stellani Calissiensis, *Nativa eorundem Fasciâ*, *indissolubili Gordiô*, *suo domestico sideri alligavit; necnon Illustrissimæ* Krasicciorum *Rogalæ in Cornucopiam*, *an veriùs armatum Diadema in* Theresia *de* Krasicciis Raczyńska, *Illustrissimi prænominati* Raczyńſki, *Castellani Calissiensis Consorte*, *Matre præsentis Consortis*, *Perillustris IOSEPHI CZAPSKI connexè Nativa* Czapsciorum *sidera circumplectuntur; simulq; quotquot* Raczyńsciorum *Fasciis*, *Rogalorum Adoreâ obligantur sanguine naturali*, *aut affini*, *Tribus: cum suis splendoribus recollectorum*, *honorum*, Czapsciorum *Polo invehuntur. Perillustris Reverendissimus FRANCISCVS CZAPSKI*, *Scholasticus Culmensis*, *Præpositus Brodnicensis*, *Illustrissimi olim sideris Poloni*, Sebastiani *CZAPSKI*, *Castellani Culmensis*, *naturalis descensu filiali Hæres*, *&* *augmentator Genitoriæ lucis*, *cujus demiratum æstimatumvè pietatis*, *Sapientiæ odorem in Orbe Liliorum procreatum*, *Sacra Culmensis constellatio attraxit*, *prima Poloniæ Astræa biennio communicans recreata. Eiusdem germana lux*, *Illustrissimus PETRVS CZAPSKI*, *primùm Castellanus Culmensis*, *Capitaneus Knytensis*, *tandem Palatinus Pomeraniæ*, *Capitaneus Szkarszevviensis*, *Paternum*, *Fraternumvè Astrum ad plenilunium promovit meritorum.* *Hinc*

Franciscus Czapski Scholasticus Culmensis, Exteris charus, Suis amabilis. Galliæ Stēma quò peregrinabatur Idem.

Petrus Czapski modernus Palatinus Pomeraniæ.

Hinc gemino jam Czapſciorum *ſidere, Balticus Oceanus, in ſuis recreativè illuſtratur littoribus, neſciens metam ponere honori* Czapſciano, *extra limites Sarmatiæ ad transæquorea Imperia* Czapſciorum *rectè acta, pacaciſſimis fluctibus ſuis provehit. Nullæ Charibdes, nullæ Scyllæ, Nomini, Honoribus, Virtutibus* Czapſcianis *obſtare poſſunt: dum irrefractæ* Czapſcii *ſui Petræ ſubjiciuntur. Illuſtriſſima Draconum, ac Trachorum Gninſciorum ſidera, in amicabiliſſima Conſorte* Czapſcianæ *Cynthiæ incorporavit: Lechici olim Aſtri,* Joannis Gniński, *innumerorumvè Infulatorum, Ducum, Senatorum, tum in Regno Poloniæ, tum in Sileſia, ac Imperio olim Romano ſub Nerone propagato, præclariſſimos, etſi cineri fatali inſepultos, reſuſcitando influxus. Cum quibus indiſtincto nexu,prætereundo extranea, quàm plurima Lechicarum Gentium Illuſtriſſima, nempe* Zborowſciorum *in Caſtellano Oſvecimenſi,* Piekarſciorum *ex ſidere Leſczyc,* Wozniccioru̇m *ex aſtro Rawicz,* Kręſciorum, Dźiębowſciorum *ex aſtro Pomian,* Buſzkowſciorum *armorum Bogoria,* Grzymaťorum, Sobańſciorum *ſidera colligata: Hinc cœlum ſine numero aſtris diſtinctum, in uno Illuſtriſſimo PETRI CZAPSCII ſidere contemplandum, agnoſcendum, Perilluſtris Reverendiſſimus VALENTINUS CZAPSKI, Scho-*

Idē cum Gninſciis nectitur.

laſticus

lasticus Posnaniensis, Præpositus Sviecensis, nuper Areopagi Poloni Ephorus, novit æquitatis bilance cuiq; justa ponderare. Perillustris Christophorus CZAPSKI, *Pomeraniæ Camerarius, verior Neptunus tridente, Principatu Nobilitatis, æquoream tuens periodum.* Joannes CZAPSKI, *Capitaneus Kłecensis, accensa eruditionis igne Cleantis lucernâ,* Joannis Zamoyscii *Milciadis Sarmatici armatus Hastis, oculi Lechici tuetur pupillam, ipse virtutum, meritorum pupilla. Hastis* Zamoyscianis *armatus hîc Cynthius, intrà coronam Luminaris sui,* Kozlarogiorum *Tiaras, & Purpuras* Serniorum, Szydłowsciorum, Pachołowiecciorum, Wielkołucciorum, Łapczynsciorum, Franckoniorum, Osolinsciorum, Grizeldiorum, Tarnowsciorum, Zbigneiorum, Orzechowsciorum, Ostrorogiorum, Herbuthorum, *honoribus, virtutibus, strenuitate, clarescentia Arma incluserat, ne quid plenitudinis gloriæ, Cynthiæ desideretur* Czapscianæ. *Perillustris* Ignatius CZAPSKI, *Ensifer Terrarum Prussiæ, Scævola invictissimus, quàm securè armata sua dexterâ non ab uno Porseno liberum æquoris tuetur littus. Præterea Magnorum Nominum & Numinum,* Martini, Vladislai, Jacobi, Laurentii, *cæterorumvè* CZAPSCIORUM *claritatem, sola Harpocratica veneror suadâ: Ille*

Christophorus Czapski, Pomeraniæ Camerarius.

Ioannes Czapski, Capitaneus Kłecensis nectitur cum Zamoysciis &c. Illustrissimis Familiis.

Czapscii cum Illustrissimis, Emeritissimis nectuntur Familiis.

Vestri

Veſtri inemenſi Hemiſphærii numeret Aſtra, qui Stellas firmamenti; ille glorioſos deprædicet influxus, qui beneficas Poli in Polonam tellurem, influentias. Verùm Illuſtriſſimæ Veſtræ Cynthiæ jamne ſilentioſo circulo ſplendoribus limites ponam? Minimè, cùm illimes ſint; quando præter Chometowſciorum, Skarbkorum, Koporum, Gninſciorum, Konopacciorum, Działyniorum, Rudnicciorum, Humienicciorum, Byſtranorum, Szydłowſciorum, Zakrzewſciorum, Bąkowſciorum, Zamoyſciorum, Zboinſciorum, Wierzbowſciorum, Mełzynſciorum, Konarſciorum, Tuchołkorum, Kczewſciorum, Uſtorzycciorum, Potulicciorum, Kraſzynſciorum, Iwanicciorum, Jaworſciorum, Kaweczynſciorum, Pląſkowſciorum, Wilczewſciorum, Pininſciorum, *cæterorumvè Sarmatici Poli ſiderum, gemini Aſtri Veſtri influxus, in domum etiam per* Wierzbowſcios *in Illuſtriſſimo* Hieronymo Załuſki, *Caſtellano Ravenſi*, Załuſciorum *deviavit; Per quorum præſtantiorem Iaſonico Ariete* Junoſzam, *in* Szembecciorum *floridiſſimum honoribus Heſperidum influxêre: in quibus & Celſiſſimæ in Architiaris, Illuſtriſſimæ in Ducibus, Senatoribus,* Potocciorũ *Cruces*, Czapſcianis *ſideribus ad augendam benedictionem honorariam incorporatæ. Et certè Supremum benedicti-*

Cum Wierzbowſciis: per illos cum Załuſciis. Per hos cum Szembecciis, per hos cum Sereniſſimis Leſzczyniis, Illuſtriſ. Potocciis, Opalinſciis: per hos cum Sereniſ. Ioanne Sobieski III. Polon. Rege: per hunc cum Auſtriaca Domo, Ducibus

dictionis tantorum Nominum recepit solatium Czapsciana *Tribus: postquam in Iosepho* Potocki *Palatino Kijoviæ, Serenissima* Leszczynsciorum *Wieniawa, Cœlo honoris* Czapsciani *illata. In Serenissima Familia* Wieniawitarum, *omnes quidem tituli & honores pridem suam æviternè reposuerunt sedem; verùm præsenter in unica Serenissima* Stanislai *unione cum Galliarum Liliis, Supremorum Iliadem honorum enatam universus spectat Orbis. Metiri jam tubô optico Astrologica mens* Czapscianæ *Phœbæ nequibit Cœlum, quod Gallicanum etiam circumambit Orbem. Fruuntur* Czapsciorum *honoribus, rectèactis, virtutibus, candore consiliorum Galliarum Lilia in* Maria Anna Leszczynia, *præsente Christianissimi Imperii Regina, Serenissimi* Stanislai Leszczynski *naturali Filia: fecundissimus procertò* Czapscianæ *Cynthiæ influxus hic, quô Coronatos Soles,* Ludovicum *inquam XV. Galliarum Regem, ac Serenissimum* Leszczynium *ad semper retinendam lucem, nunquam patiendam ecclypsim, copulavit. Vnio est influxus hic: Regnorum, Regumvè uniones concavo sideris* Czapsciani *imprimens. Regnat proinde in* Czapsciorum *animis solatium Galliæ: & pro solatio habet, populi delicium* Ludovicus XV. *Galliarum Coronator, odorem sui Regii floris* Czapsciis *communicare.*

Bavariæ, cæterisq; Regib9 extraneis nectuntur: & cũ Galliæ Regib9 maximè cum Ludovico XV. Galliarũ Rege.

Nec

Nec aliam Fortunæ rotam Catharina *ex* Opaliniis Leſzczyńſka, *Parens uterina Reginæ Galliarum, in domeſtica* Opalińſciorum *Navi Orbi* Czapſcianæ *Lunæ invehere optavit, quàm Solem triplicatum, nempe Sereniſ. Polon. Regẽ* Joannẽ III. Sobieſki, *in cujus Clypeo quàm ſerenè reflexi coruſcant Lunares Radii; Sereniſſimum* Stanislaum *Regem* Leſzczynium, *Chriſtianiſſimum Galliarum Regem* Ludovicum XV. *tria Regnorum primæ magnitudinis Luminaria, perfectiſſimam Triadem Supremi honoris in* Wieniawa *augurant* Czapſciis. *Creſcebant usq; ad meridiem gloriæ* Sobieſcii, Opalinii, Leſzczynii, *per Tiaras, Ducales Clavas, Senatorum Purpuras, Mareſchalcales Scipiones, cæterosvè Curules,* Czapſciis *primos Dignitatum Faſces præparando. In hoc triplicato primæ magnitudinis ſidere,* Jabłonowſciorũ, Broniſſiorum, Czarnkowſciorum *Avita Arma reſplendent Sereniſſimè, & Cynthiæ* Czapſcianæ, *identico, quia ſolari communicãtur influxu. Extra verò Sarmatici columnas Imperii, in alba Lechica Aquila Ioannis III. Regis Poloniarum* Sobieſki, *Imperatrices in Auguſtiſſima Auſtriaca Domo Aquilas; Sereniſſimi Bavariæ Principis, in Principiſſa* Sobieſka, *nuncupati Ioannis III. Filia, Electoratum: cæterosvè Orbis Principatus & Regna in Sereniſſimis Principibus & Conſortibus eorundem* Jacobi, & Conſtantini Sobieſciis,

Cum Iabłonoviis, Broniſſiis Czarnkoviis.

Czap-

Czapsciano *fortunatissimo, illimi, honorario Regno Lunari affines effecit. Meritò ergò erratici sideris cognomentum meridianè fulgentia* Czapsciana *excludunt Astra, quæ multò plura sibi identificaverant Imperia: quàm Ottomanica ecclypsare valuit Phœbe. Quo enim Czapsciana sidera influxerant, novam gloriosa visitatione ibidem procreaverant virtutum, rectèactorum speciem. Etsi aliquando infortunatis inclementium fatorum successibus inclinata ad occasum* Czapsciana *spectabātur sidera, semper tamen Cynthia plenis explevit cornibûs Orbem, auxitvè claritatem etiam in occasu serenior; postquam Patribus luminis, Seraphicæ Hierarchiæ Novensi, piissimi Antecessorum* Czapsciorum *Manes incorporati. Sed tanti inemensi fulgoris honorarii Vestri per plurima Regna diffusi splendorem tenuis Oratoria palpebra dum intueri non valet; Ad Te* Illustrissimum, Reverendissimũ Dominũ *Episcopum Dianẽsem, Coadjutorem Tiaræ Culmensis, Abbatem Peplinensem, Majorum Tuorum Iliadem reflectitur. In Te congregata singulorum spectatur claritas; quæ sparguntur in omnes, Tu collecta tenes: & mille Ioves Patris de sanguine ducens, cunctorum Proteus verior formas virtutesq; induisti. Nec sufficit Tibi Genitorio clarescere splendore; & Maternos Vonholsten Prosapiæ animasti Leones,*

Nomen Urbis in qua sepulchrum Czapscianæ Domus in Ecclesia PP. Bernardinorũ Novæ.

Matris Origo deducitur ex qua sit Familia Illustrissimi Reveren. D. Thomæ Czapski, Episcopi Dianensis.

Maternū Stēma Illustrissimi Reverēdissimi D. Præsulis.

Sūmi Pontifices Ecclesiæ è Sacro Cister. Ord. juxta S. Malachiæ Archi-Episcopi Dumensis Prophetiam explicati.

etsi Ensiferos. Vt enim Religiosa Gudenbalk Tribus bella Domini, Patriævè gereret, victorq; Leo refulgeret in Astris; Tuo rubicundè splendescenti sidere, in Regio animali debebat animari. Novam Astronomi & Astrolabii observate methodum communem Cynthiæ, Cynthiisvè Domum, Leonis effectum! Vt tamen Maternus Tuus Leo, sidereo adunatus Nomini, in Zodiaco novum Numen auctioribus clarescceret splendoribus, novaq; constellatio Beatificatis annumeraretur Planetis: Genitricium Armiferum animal, Paternaq; Astra in Cynosuram, veriùs Lacteam mellei Doctoris viam transtulisti. Innumera Sacri Cisterciensis firmamenti Gentilitiam Tuam coronârunt Cynthiam, tum primæ, tum secundæ Magnitudinis sidera, suisvè plenilunaribus, ac solaribus auxêre fulgoribus. Quantæ lucis copia! in Nativum Decus influunt tot suprema è Claravalle Ecclesiæ Luminaria: quantos communicant splendores tot Soles mystici Poli, in Te pleno Iubari refracti. Circumstant à lateribus Cynthiam Tuam, Eugenius III. ex magnitudinè montis primum sidus, quia supremi Olympi Clavifer; Adrianus IV. inter ruris nigredines candescens, morum intaminato candore Albanus; Alexander III. Divinioris trabeati Vatis oraculo, orbi nuntiatus Ex Ansere Custos *gregis fidelis-*

delissimus, inde Christicolarum è terris supremus ad Cœlos Alifer; Gregorius VIII. Ensis Laurentii *Nomine signatus, ignes laureati Martyris Tuis adunavit splendoribus; Vrbanus IV.* Sonora Hierosolymæ cāpana, *ignibùs Religiositatis polita, terris Cœlisvè, vocalissimè inemensa pietatis Tuæ annuntiat merita; Benedictus XII.* Frigidus Abbas, *dict9, quia fatuorū ignīū restinguēs ardores, Tui sideris refrigeratur influxibûs: Nocturnū sidus uno completè irradiatur Sole. In Tuam Gentilitiam quinarii Sacri Soles dum influunt, quas non cōmunicant splendorū opes? Decrementa aut lucis defectū Tuo in insigni nemo formidet, quod tot, tantisvè à latere fovetur splendoribûs; quanquā & domestici ardores perpetuum conservare nati plenilunium. Ne verò candidis tantùm radiis Tua coronaretur Phœbe, candori purpuram immiscuêre Cisterciensis Empyrei, sacro murice rubricata quadringenta viginti septem sidera, Cardines Ecclesiæ illustrantia. Bis septenorum orbis miraculorum, quaterdenario Patriarchatûs honore, Te lacteus Doctor coronavit Civica: Tu eodem Illustrissimam Tui Progaginem. Accurrunt de eodem Divi Benedicti ac Bernardi procreatæ firmamento pleno radiantes lumine, Archítiaræ octingentæ, Tiaræ mille quadringentæ, beatissima luce in Cœlesti hemisphærio clarescentes. Tam numerosis cincta*

E Sacro Cistercio quot fuêre Card. Ecclesiæ quot Patriarchæ, quot Archiep. & Epis.

 Lu-

Luminaribus Cynthia Tua, quid denotat? nisi Te Thomam impenetrabilem luminis abyssum, virtutum, rectèmeritorum, ac honorum inaccessum plenilunium. Implevisti mensuram Nominis, adæquâsti Majestatem: Sed quandonam in Thoma non abyssus luminis? qui præcordiale centrum in Solis abysso, dexterâ palpavit, ut Phœbum pro corde gereret. Eâdem ergò dexterâ dexteritati Tuæ Indiaticus Cynthius, tam Illustrissimos communicavit splendores, ut Te cunctæ lucis Possessorem agnosceremus. Claret in Te pietas: Cœlitumq́ cultus, cultu Te deprædicat dignissimum. Tuo gravissimo influxu atomos Mogilensis Cœnobii elevasti, quas in faciem venustioris Pergami efformâsti. Tuo gemino Vicegeneralatûs per Poloniam, ac Lithvaniam, Sapientissimo regimine Sacrum Cisterciense Firmamẽtum, gyratum, Motricem Te sui agnovit: an de motûs discernentia Angelicum Thomam; utpote doctrinâ, modestiâ, religiosa illustratum perfectione. Atlantem Te demiratus Orbis, cujus non disparibus humeris tanti Poli moles imposita. A Tuo Pastorali Gentilitio Luminari, Peplinenses Aræ, suos derivant radios, quibus Divorum in terris auxisti beatitudinem. Finita Pogutkoviæ Numinis Ædes, sui Instauratoris in interminabiles ævi duraturã Olympiades, exarat munificẽtiam

Ethymon Nominis Illustr. Excel. Reveren. D. Antistitis.

Binis vicibûs ViceGeneralis per Poloniam & Lithv. Sacri Ord. Cister.

Enumerantur Illustrissima, virtuosissima Acta Illustrissimi Excel. Reveren. D. Antistitis.

tiam

tiā: Lydii hi Tuā probârunt virtutem, & in vocalissimos Tuos assurrexerunt Memnonios Adoratores. Vochocensi in Ara Calicem Domino propinâsti, ut Tua Cœlis saperet munificentia, ac lateritium Te Christi comprobares discipulum, an accrescentem tot sæculis tumulatum, calice augurantem augustia Domus suæ, resuscitando, mentibus nostris revocas. Inter Serenissimas Sacri Cisterciensis Poli Cimmerias radiantem Te virtutibus, Sacrum Culmense postquam respexit Cœlum, Tuum exoravit influxum; Illustrissima Kretkowsciorum *Solea, quia in edicendis ævorum Olympiadibus, strenuitate militari, ac Ducali Catonum, Tulliorum, Aristidumvè arenâ, necnō Purpurarum, ac Tiararum latione, polita in* Illustrissimo, Excellentissimo, Reverendissimo *præsente* Antistite Culmensi, *Tibi Appiam ad Sacrum Culmense diadema præparavit: quia tam innumerandorum rectèmeritorum Caput, alia, quā lata viâ capere haud valuit. Nativa sagitta in Pastorali Scipione Culmensis Cathedræ Te armavit: Cruce in Solea locata, Tibi in Pastorale regimen plenitudinem benedictionis conferendo. Et meritò: Illustrissimus etenim Culmensis Poli Titan, Pastorali solicitudine Orbi sibi subjecto Serenissima exoptans tempora, Te Luminar Serenissimum non in noctis tantùm solatium, etiam in*

Coadjutoria potestas in Culmensem Episcopatum collata Illustrissimo, Excellen. Reveren. D. Thomæ Czapski.

in diei generandæ consortium associaverat. Inaccessum iter Sipariis ad Culmensem terram, nunquam metuendæ noctis Cimmeriæ, quàm indispari claritate, duo Sacri illuminant Soles! Crux & Solea Kretkowsciana cum Pastorali benedictione ad culmina Empyrei iter felicissimum suis monstrat viatoribus: Coadjutoria Tua Illustrissime, Excellentissime & Reverendissime Domine, Cynthia, prælucendo Divinissimi Bernardi sanctimoniâ, scientiâ, religiosis rectèactis, ac nativis Domus Tuæ splendoribus, de hac Cœlesti Appia omne removet impedimentum. Taceo luce meritorum Tuorum aciem meam perstringēte victus Harpocraticus, Magni Nominis Tui Adorator, inedicibilia virtutum Tuarum specimina: Domesticos attamen teneor effari influxus, quibus trinum Eliæ serenâsti Astrum. Senserat sentitq; copiosissimos beneficentiæ Tuæ radios Dantiscanus Carmelus. Nec solùm intrà Gedanensis Emporii limites Tuæ terminantur liberalitatis influentiæ: etiam Varsaviensi Carmelo diffusus splendor Cynthiæ Tuæ, Mecœnas Amplissime, plenilunium invexit. Tantis proinde munificentiæ Tuæ attractus fulgoribus, cum trino Institutoris sui sidere humillima cum veneratione, Gentilitiis Tuis accelerat Astris, humanorum lucem morum, Resoluta inquam partum scientiâ codicem, Tuæ vestigioso

Stēma Illustr. Excel. Reverendissimi D. Kretkowski, Episc. Culmē.

gioso

gioſo concavo Lunæ incluſurus, per me accurrit. Si quid caliginoſi Gordii Cimmeria obſcuraverat, exuberans ſiderum Tuorum lucis copia colluſtret. Prodibit gratioſiùs Liber hic, rectitudinis leges afferens, compendioſa morum Tuorum circumfuſus claritate. Ipſe tandem tot ævorum Olympiades per Sacras decurre Adoreas, emeritum Tuum jam coronantes Caput, quot ſidera Phœbe ſæculorum decurſu prælapſura eſt momenta:

Tarda ſit illa dies, & noſtro tardior ævo:
Quo cedat terris Cynthia Sacra Polo.

Ita precatur

ILLVSTRISSIMO,

EXCELLENTISSIMO,

& REVERENDISSIMO

NOMINI TUO,

Devinctiſſimus

F. ELIAS à S. Franciſco
Carmelita ſtrictioris Obſervantiæ.

AD LECTOREM
BENEVOLUM.

IDeas non Divo-Platonicas sed Sacro-Theologicas; non purè entia rationis, sed ipsas rationes (a) repræsentativas (b), *sicq; Ideas formales, plures non unam: nam sicut in DEO essentia ejus unica, est Idea sufficiens per quam DEUS omnia cognoscit* (b); *ita in Nobis etiam Theologiæ plures Ideæ requiruntur, cùm sit alia ratio peccati, alia virtutis, alia Sacramenti, alia Censuræ: ùti alia est Idea Substantiæ, alia Qualitatis; alia hominis, alia equi* (b): *nosq; non in nostra essentia, sed in speciebus diversis ea cognoscimus;* & rationes, *seu* essentias intelligibiles (c): *sicq;* Ideas Objectivas, *non ex concavo lunæ, sed ex probatis Classicis, iisq; tum antiquioribus, tum recentioribus Theologis deprromptas: ac signanter in Via Doctoris Resoluti JOANNIS de BACCONE, hoc titulo à Parisiensi Academia, Eruditissimorum hominum Senatu decorati; sui ætate Theologorum Principis, Sacrorum Canonum Interpretis præcipui (testantibûs, Abbate Trithemio, Syxto Senensi, Antonio Possevino, Gulielmo Nemeto & aliis) formâ ex Decretis, Constitutionibus, & Declarationibus Summorum Pontificum, Conciliorum & Sacrarum Congregationum desumptâ, efformatas, Tibi Lector Benevole præsento. Nova & vetera hic reperies: vetera adultam, inquam Resoluto-Bacconicam doctrinam, cujus in Moralibus sententia, sensus est Pontificum, Conciliorum, Sacræ Congregationis* (d); *nova advertes, dum novissimas Declarationes Ecclesiæ in dubiis casibus, leges. Utinam qualiscumq; labor meus non sit inanis in Domino; sed & Tibi, & Tuis respectivè salutifer; Ideæq; hæ retrahant Proximum per Te à malo, & ducant ad bonum utrumque.*

(a) D. August. l. 83. q. q. 46. Doctor Resol in 1. d. 39. q. 1. a. 2. c

(b) D. Resolutus quodlib. 2. q. 2. a. 2. §. 1. & q. 3. ibid. §. 1. & ultrà.

(c) D. Resol. quodl. 2. q. 1. §. 3. & q. 2. a. 2. §. 1. & q. 3. §. 1.

(d) Noster Eliseg Garcia.



CATHALOGVS LIBRORUM à DOCTORE RESOLVTO EDITORUM,

quem referunt infrà nuncupati Authores.

ABBAS TRITHEMIUS
De Scriptoribus Ecclesiasticis & Carmelitis.

JOANNES de Bachone natione Anglus, Doctor Parisiensis, vir undecunq; doctissimus, Philosophus, Jurista, & Theologus Celeberrimus, ingeniô subtilis, & clarus eloquiô, scripsit multa præclara opera de quibus feruntur subjecta.

In totam Bibliam Commentaria.
In quatuor libr. Sentent.
Compendium legis Christi.
Placita Theologica, libros quatuor.
Determinationes, lib. 1.
In Metaphysicam Aristot. lib. 12.
In Ethica, lib. 10.
In Politica, lib. 8.
De Anima, lib. 3.
In Metheora, lib. 4.
De Cœlo & Mundo, lib. 4.
De generatione & corruptione, lib. 2.
De sensu & senili, lib. 2.
De memoria & rem. lib. 2.
De somno & vigilia, lib. 2.
De longitudine & brevitate vitæ, lib. 2.
In Physicam, lib. 8.
In Elenchos, lib 8.
In Topica, lib. 4.
In posteriora, lib. 2.
Compend. jurium Carmelit. lib. 1.
De paupertate Christi, lib. 1.
In August. de Civit. Dei, lib. 23.
In eundem de Trinitate.
In Anselm. de Incarn. Verbi, lib. 1.
In eundem, Cur Deus homo, lib. 2.
Sermonum variorum, libri.
De æternitate Dei, lib. 1.
De fide & Baptismat. lib. 1.
De dignitate Ecclesiæ, lib. 1.
Contra Idololatriam, lib. 1.
De potentiis animæ, lib. 1.
De perfectione justitiæ, lib. 1.
Compend. Christianæ pietatis, lib. 4.
De astrorum scientia, lib. 1.
Contra artes magicas, lib. 1.
In Canones Pontificum, lib. 1.
De sphæra judiciali, lib. 1.
De multiplicatione specierum, lib. 1.
De jurisdictione Claustralium, lib. 4.
Contra Judæos, lib. 1.
Contra vanitates sæculi, lib. 1.
Defensorium Ordinis sui, cujus initium
BEATUS BERNARDUS. *In-*

In quibus omnibus ingeniū suum mirificè exercitavit. Alia insuper multa composuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus Caroli IV. Imperatoris, & Clementis Papæ VI. Anno Domini M. CCC. XXXXV.

SYXTUS SENENSIS

lib. 4. Biblioth. sanctæ.

JOANNES BACHO Anglicus Ordinis Carmelitarum, Theologorum sui temporis princeps, & in exponendis Divinis Scripturis non ignobile nactus ingenium, exposuit universum Novum Testamentum, editis Scholastico more commentariorum libris 27. Claruit sub Carolo IV. Imperatore Anno Domini. MCCCL.

DANIEL à Virgine MARIA Ordinis Fratrū Beatæ MARIÆ Virginis de Monte Carmelo Ex Provincialis & Historiographus, & ARNOLDUS Bostius in Spec. Carm. sequentia proferunt:

JOANNES de Bachone Prior Provincialis Angliæ, Theologicæ Sapientiæ, Canonicæq; Scientiæ Princeps, Parisiis primùm, demùmq; per Angliam Clarissimus scripsit egregiè super 4. lib. Sentent. diffusiùs tamen super quartum. Multosq; alios Libros.

PITSEUS de Illustrib. Angliæ Scriptorib. Ætat. 14. num. 542. inter cætera de illo scribit: *Tam ingentia scripsit volumina, ut corpus non tulisset, quod ingenium protulerat; nam si moles librorum ejus, compositâ sarcinâ Authoris humeris imposita fuisset, homulum sine dubio comprimere sufficisset.* Hucusq; Pitseus; subjungens cathalogum librorum ab ipso conscriptorum, qui conficiunt numerum ducentorum viginti septem.

 Sub-

Subjungit de eodem Bachonio, N. Henricus à S. Ignatio: *vix parem Ordo peperit, imò nec Orbis illius Ætate doctiorem: ita ut* Theologorũ sui temporis Princeps, *à Syxto Senensi meruerit appellari, & inter majores totius Ecclesiæ Scriptores à Lezana in Annalibus Ordinis ad Annum Christi* 1346. *recenseri.* Et infrà: *Sed & eruditissimorum hominum Mater Academia Parisiensis, eum* Doctoris Resoluti *cognomentô decoravit, & Sectatorum Averrois illi detulit Principatum. Deniq; Guilielmus Einsengrineus cum* Sanctum *appellat.*

Facultas Reverendissimi Patris Gaspari Pizzolanti Prioris Generalis totius Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ Virginis de Monte Carmelo.

FR. GASPAR PIZZOLANTI

Sacræ Theologiæ Magister & Doctor, ac humilis Prior Generalis totius Ordinis Fratrũ Beatissimæ, sempérq; Virginis DEI Genitricis MARIÆ de Monte Carmelo antiquæ Observantiæ Regularis.

AUctoritate Nostra harum serie Tibi Rev. Patri Eliæ à Sancto Francisco Nostri Ordinis Ex-Vicario-Provinciali licentiam impartimur, typis mandandi Librum à Te elucubratum, cui titulus IDEÆ THEOLOGIÆ MORALIS; prævia tamen Approbatione Rev. Patris Vicarii Provincialis, & alterius Religiosi in Sacra Pagina Professoris ab eodẽ designandi, & servatis aliàs de Jure servandis. Horũ fide &c. Datum Romæ in Conventu Nostro Sanctæ MARIÆ Transpontinæ hac die 15. Augusti 1722.



Fr. Gaspar Pizzolanti Generalis Carmel.
Fr. Inn. Mª. Bauaro Secr. Ordinis.

APPRO-

APPROBATIONES
Theologorum Ordinis.

APPROBATIO prima A.R.P.V. Provincialis, *Theologi ad relegendum à Reverendissimo Patre Generali disignati.*

CUm Librum qui inscribitur IDEÆ THEOLOGIÆ MORALIS, ab A. R. P. Elia à Sancto Francisco SS. Theologiæ Lectore Jubilato, ac Ex-V. Provinciali Nostræ Strictioris Observantiæ elucubratum, Nos duo in Sacra Pagina Professores recognoverimus, & in lucem fructuosè edi posse judicaverimus; potestate mihi data à Reverendissimo Patre Gasparo Pizzolanti totius Ordinis Carmelitarum Priore Generali, eumdem approbo, ut typis mandetur, servatis de jure servandis. In cujus rei fidem, has Litteras manu propria subscriptas, & Officii Sigillô munitas, dedi in Conventu Nostro Gedanensi die 19. Aprilis Anno Domini 1723.

(L.S.) *Fr. Nicolaus à S. Lucia V. Provincialis Carmelitarum Strictioris Observ. in Polonia & Russia.*

APPROBATIO SECUNDA.

LIbrum magno labore & diligentia, Authore Adm. Reverendo Patre Elia à S. Francisco Ex-Vic-Provinciali Lectore emeritissimo & Jubilato, cui titulus, IDEÆ THEOLOGIÆ MORALIS de *Sacramentis* in genere & specie, atque *Censuris* in fundamentis JOANNIS de BACHONE DOCTORIS RESOLUTI, revidi, relegi; nihilq; inveni quod S. Scripturæ, & communi DOCTORUM sensui contrarium foret:

foret: Imò in toto ejus decursu, scientiâ, doctrinâ ac prudentiâ illustratum, legere clarum est; idq; juxta Decreta summorum Pontificum, Definitiones Sacrorum Conciliorum, declarationes Sacræ Congregationis: quem utpote Confessariis summè necessarium & proficuum, typis mandari dignissimum censui. Datum Varsaviæ Anno 1723. die 16. Maji.

Fr. Erasmus à SS. Trinitate S. Theologiæ Professor, Ordinis Fratrum Beatæ Virginis MARIÆ de monte Carmelo Strictioris Observantiæ.

APPROBATIO CENSORIS.

Officio Censoris per Synodum Posnaniensem nuper Varsaviæ celebratam mihi imposito ut satisfacerem, revidi Librum intitulatũ IDEÆ THEOLOGIÆ MORALIS, insigni & copiosa doctrina, magnoq; labore compositum per A. R. P. S Th. Doctorem Eliam à S. Francisco Ex-Provincialem Ordinis Carmelitarum Strictoris Observantiæ, in quo, cùm omnia consona S. Scripturæ, conformia doctrinæ Conciliorum & Sacrarum Congregationum, sensui DOCTORUM Catholicorũ, præcipuè sententiæ in Moralibus Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis reperisse: præfatas IDEAS MORALES de *Sacramentis* in genere & specie ac *Censuris*, imprimendas & typo & mentibus Confessariorum judico & probo, Mense Junio Anno 1723.

Fr. Petrus Drogoszewski S. Th. Doctor, Prior Varsaviensis Ordinis S. Dominici, & Censor Librorum.

PARS I.

Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam. *Malach*. 2. *verſ*. 7.

Inter leprã & lepram, Sacerdos ſine ſcientia eſt ſicut ductor cæcus in via. S. Bernard. *t*. 1. *ſer*. 15. *cap*. 1.

Si Sacerdos eſt, ſciat legem Domini, ſi ignorat legem, ipſe ſe arguit non eſſe Domini Sacerdotem. S. Hieronym. *in cap*. 2. *Aggæi*.

ORDO







ORDO IDEARUM SACRAMENTALIUM.

DISTINCTIO I.

Sub qva collocantur Ideæ Sacramenti in Genere.

SERIES I.

Qvid sit Sacramentum?

I.



SAcramentum in genere sive ut sic, prout comprehendit sive respicit Sacramentum novæ & antiqvæ legis, à S. Thoma 3. *p. q.* 60. *artic.* 2. ex D. Augustino definitur ita: est signum rei sacræ sanctificantis hominem; qvod idem re, licèt diversis verbis dicam: est signum gratiæ respectivè sanctificantis. Sacramentũ.

2. *Signum*: nam præter speciem qvam ingerit sensibus nostris, ducit nos in cognitionem rei alterius: sic Baptismus præter speciem ablutionis externæ corporis, quam ingerit sensibus nostris, ducit in cognitionem alterius, scilicet ablutionis internæ animæ: & sic de aliis Sacramentis. Explicatur.

3. *Gratiæ*: non qualiscumqve, sed perfectæ: per hoc enim differunt Sacramenta à Sacramentalibus, qvòd hæc significent imperfectam gratiam hoc est dispositionem ad perfectam: ut sunt cæremoniæ, in lege antiqva; & in lege nova, aqva lustralis seu benedicta. &c. Qualis gratiæ.

4. Sacramentum novæ legis, differt à Sacramento antiquæ legis per hoc, quòd illa Sacramenta non causabant gratiam, sed illam solùm per passionem Christi dandam figurabant; hæc nostra verò, & ipsam causant gratiam. Ita dicit Concilium Florentinum *in decreto unionis*. Unde definitivè. Sacramentũ novæ legis & antiquæ legis.

5. Sacramentum antiquæ legis, est signum prognosticum futuræ gratiæ respectivè sanctificantis. Sacramentum verò novæ legis, est signum demonstrativum gratiæ respectivè sanctificantis. Definitur.

6. Quid est hoc respectivè sanctificantis? *Resp.* Hoc est, respectivè ad institutionem Christi & dispositionem subjecti: & sic Sacramenta mortuorum Quid est respectivè

tuorum seu ad mortuos ordinata (quæ sunt baptismus & pœnitentia) ex institutione Christi per se, id est ordinariè causant primam gratiam ; Sacramenta verò vivorum seu ad vivos ordinata (qvæ sunt cætera 5.) per se, seu ordinariè secundam producunt, & qvidem majorem vel minorem secundùm dispositionem subjecti : nam in magis disposito subjecto, perfectiorem causat effectum causa necessaria.

Qualia qualem gratiam causant

7. Dixi *per se*. nam per accidens, aliqvando mortuorum Sacramenta secundam, vivorum primam gratiam causant : ita pænitentia secundam, dum invenit pœnitentem contritum, jam DEO gratum, cùm ut dicit Tridentinum, Sacramenta nova numqvam sunt otiosa in subjecto capaci. Primam per accidens Confirmatio, *Si qvis adultus in peccato existens, cujus scientiam non habet, vel non perfectè contritus accedit, per gratiam in Sacramento Confirmationis collatam, consequetur remissionem peccatorum.* S. Thom. 3. *p. artic.* 7. *ad* 3. De extrema unctione illud Jacobi habetur, *Si in peccatis sit infirmus, remittentur ei.* Pro aliis paritas, maximè pro Eucharistia urget.

8. Utrum Sacramenta novæ Legis physicè aut moraliter producant gratiam, hoc ad Theologiam speculativam spectat : moralibus Theologis sufficit scire, qvòd producatur gratia ex opere operato. Sed qvid hoc est gratiam producere ex opere operato, qvid ex opere operantis?

Quid est causare ex opere operato.

9. *Resp.* Et dico : Causare gratiam ex opere operato, est illam causare virtute Sacramenti, ex vi institutionis ipsius à Christo Domino ; ex opere operantis verò, est illam causare virtute Fidei, devotionis, contritionis, qvæ est opus operantis : Sacramentum enim est opus operatum Christi ; devotio autem, est opus operantis ministri devoti.

SERIES II.

Qvæ sunt partes physicè constitutivæ Sacramenti Novæ Legis?

Partes Sacramenti.

1. *Resp.* SUpposita rei veritate, qvòd illud sit permodum materiæ in cōposito, qvod est determinabile, illud verò permodum formæ, qvod est determinativum; Dico : Partes Sacramenti, esse res permodum materiæ, verba permodum formæ, cùm illæ sint determinabiles, hæc determinativa : v.g. in Sacramento baptismi, materia est aqva, qvæ est determinabilis ad refrigerium propter suam frigiditatem, vel ablutionem corporis propter suam humiditatem, vel ad significandam gratiam emundantem animam, propter obedientialem potentiam. Ad hanc significationem determinant verba formaliter dicta, *Ego te baptizo* &c. Et sic ait D. Augustinus, *accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.*

2. Dixi

2. Dixi *formaliter*: hoc est verba cum significatione, præsupposita intentione. Personâ ministri Sacramenta non constituuntur, sed perficiuntur: persona enim non ingreditur intrinsecè compositionem Sacramenti, aliàs deficiente persona, deficeret Sacramentum Eucharistiæ, Baptismi &c. Sed est causa producens Sacramentum.

Pro discursu & solutione.

3. Dum Sacramentum Matrimonii, perficitur nutibus, nutus sunt æqvivalenter verba: qvia æqvivalent verbis formaliter talibus.

4. Qvòd autem Baptismus & Eucharistia nutibus confici neqveant, institutio Christi (prout immemorata praxis ostendit) pro ratione est danda.

5. Licèt Christus sit causa efficiens Sacramenti Eucharistiæ, tamen est ejus & causa constitutiva; Ergo etiam similiter verba hæc, *hoc est corpus meum*.

6. Qvali simultate simul còexistere debent materia cum forma? *Resp.* In Sacramento Baptismi, confectione Eucharistiæ, in Sacramento Ordinis, Confirmationis, Extremæ unctionis, simul simultate physica; in Sacramento pænitentiæ & Sacramento Matrimonii, simul simultate morali. Plura refero ad Theologiam Speculativam.

SERIES III.

Qvænam mutatio invàlidat Sacramentum?

Multiplex mutatio.

1. ANte Resolutionem oportet præmittere, mutationem aliam esse physicam rei, aliam moralem: physica dum physicè, moralis est dum moraliter mutatur. Et utraqve vel est qvòad substantiam, vel qvòad accidens: qvòad substantiam mutatur, qvando mutatur specie substantia; qvò ad accidens, qvando accidens advenit pro accidente. Hîc de morali mutatione sermo est: qvæ tunc est substantialis, qvando forma vel materia, secundùm substantiam, speciem substantialē, moraliter, & in ordine ad usum humanum, ad qvem à Christo est determinata, eadem non manet. Possunt enim esse diversæ res physicè specificè, & non moraliter, ut contingit in vino: vinum enim gallicum, differt specie physica ab hispanico, non differt tamen moraliter in ordine ad consecrationem: in utroqve enim validè consecratur. His præmissis,

Quæ invalidat Sacramētum.

2. Dico: Mutatio substantialis, qvâ mutatur specificè materia, aut significatio formæ verborum, scilicet sensus verborum, invalidat Sacramentum. Ita cum communi Doctor Resol. in 4. *d.* 5. *q.* 1. *a.* 1. Secùs qvando accidens aliqvod tantùm mutatur: nam potest accidens adesse vel abesse, sine corruptione substantiæ. Sicq; substantialiter mutatur materia Baptismi, & invalidatur baptismus, qvando locò aqvæ naturalis, substituitur

vinum. Accidentalis mutatio, eſt non invalidans Sacramentum, dum loco aqvæ claræ, turbida, lutoſa; loco frigidæ, calida aſſumitur.

Ratione lingvæ.

3. Mutatio verborum ex una in aliam lingvam, eſt mutatio accidentalis, nec invalidat Sacramentum: qvia eadem ſignificatio remanet. Attamen non licet vulgari ſermone proferre formam conſecrationis in Eccleſia Latina, aut alterius Sacramenti; præter formam Matrimonii, propter intelligentiam adſtantium, & formam baptiſmi in caſu neceſſitatis, propter ignorantiam lingvæ & formæ latinæ. Ita enim Eccleſia DEI ordinavit.

Ratione mutationis literarum.

4. Valet forma hæc, *Ego te baptizo in nomine Patria & Filia & Spiritûs Sanctia*; non valet *ego te baptizo in nomine Trinitatis*: Primum declaravit Zacharias Papa *cap. Retulerunt de conſecr. diſt.* 4. & ratio ſvadet, qvia & eſſentia & Trinitas Perſonarum diſtinctè exprimitur. In ſecunda verò forma, diſtinctè Perſonæ non exprimuntur; ſolùm numerus illarum in plurali.

Ratione intentionis.

5. Ratione intentionis invalidatur Sacramentum, ſi qvis per ſuam intentionem, tribuat aliam ſignificationem alicui verbo, qvàm Chriſtus præſcripſit: ut ſi in conſecratione calicis ly *hic*, ſumat adverbialiter.

Ratione balbutiei.

6. Ratione balbutiei non invalidatur Sacramentum, ſi exigua ſit balbuties: ut ſi dicat loco *baptizo*, *babaptizo*. Ita docet Marchantius in *reſolutione Paſtorali*. Et ratio ſvadet, qvia hîc & nunc idem exurgit ſenſus ex verbis Sacramentalibus, eademq; ſignificatio generatur in mente audientium.

Ratione non expreſſionis literarum.

7 Idem dicendum de illo, qui ob lingvæ impedimentum nequit pronunciare literam *r*, & videtur in conſecratione dicere, *hoc eſt copus* vel *colpus meum*. Ita ille *tract.* 1. *c.* 1.

Ratione interruptionis

8. Per interruptionem verborum aut ſyllabarum invalidatur Sacramentum, qvando eſt tanta interruptio, ut ſecundùm moralem æſtimationem communem, ex verbis aut ſyllabis antecedentibus & ſeqventibus, idem tractus ſermonis non cenſeatur.

SERIES IV.

Qvæ ad validam confectionem, adminiſtrationem Sacramenti in Miniſtro reqvirantur?

Ad eſſe validi non requiritur gratia in miniſtro.

1. DIco: Ad valorem Sacramenti neqve fides, neqve gratia in Miniſtro reqviritur, qualiscumqve ſit. Primum definitum eſt in Concilio Nicæn. *c.* 19. Secundum in Conc. Trident. *Seſs.* 7. *can.* 12. contra Donatiſtas, Lutheranos, & alios hæreticos. Baptiſmus non eſt malus qvia à malo, nam habet ſua conſtitutiva, & non operatur in virtute miniſtri, ſed DEI.

2. Re-

2. Reqviritur autem præter poteſtatem, (& in qvibusdam jurisdictionem) ſaltem virtualis intentio, ſeu voluntas producendi Sacramentum, vel ſaltem id qvod facit Eccleſia, vel qvod Chriſtus inſtituit. Ita cõmuniter DD. colligunt ex Florentino & Trident. *Seſſ. 7. can. 11.* Unde hæreticus contrahens matrimonium, etiamſi non credat eſſe Sacramentũ, nolens hoc facere qvod facit Eccleſia Romana, ſed qvod ſua qvam putat eſſe veram, validè conficit Sacramentum. Similiter de baptizante: qvia intentio generalis, qvâ vult facere id qvod Chriſtus inſtituit, prævalet intentioni ex errore privato. Ita Bonac. *q. 3. p. 2.* Suarez, Bonæ Spei, & alii. Secùs eſt, ſi nolit id facere qvod facit vera Eccleſia: nam conſeqventer non vult facere hoc, qvod Chriſtus inſtituit. Et ſufficit virtualiter implicitè velle, qvod facit Eccleſia (a): nam Innocentius IV. *in cap. Si qvis puerum de baptiſmo*, & *ejus effectu* dicit: *non eſt neceſſè qvòd baptizans ſciat qvid ſit Eccleſia, quòd gerat in mente* (actu nimirum explicito) *facere qvod facit Eccleſia.* Qvare ſufficit ad valorem Sacramenti, ut miniſter velit hîc & nunc fungi officiô ſuô, vel id facere qvod ſolent alii facere Sacerdotes, vel qvod alter ab illo petit, ſeu ut à peccatis abſolvatur: omnia enim iſta æqvivalenter includunt intentionem Chriſti & Eccleſiæ (b). Unde ſi Catechumenus in caſu neceſſitatis, Sacramentum baptiſmi peteret à Saraceno qui nihil umqvam de Eccleſia audivit, & Saracenus à Catechumeno inſtructus de materia & forma & efficacia Sacramenti, baptiſmum ei miniſtraret, intendens ſolùm facere juxta petentis deſiderium, validè baptizaret, prout ipſe Innocentius declaravit.

Requiritur intentio.

(a) Orlandus Henriq. Sotus & alij. apud N. Garciam

(b) N. Garcia.

3. Intentio, eſt volitio objecti, finis, ſive operis. Actualis, eſt actualis volitio finis, ſive operis. Intentio virtualis, eſt volitus motus actualis, qvô miniſter applicat media, & actu procedit ad conficiendum Sacramentum, vi intentionis actualis. Ita noſter Garcia *tract. 1. de Sacramentis in genere d. 3. q. 7. art. 2. §. 3.* Duo ergo dicit intentio virtualis, volitionem mediorum, & motum.

Intentio actualis.

Virtualis.

4. Qvid autem & qvomodo fit iſte motus? *Reſp.* Qvòd ſic; qvia intentio actualis eſt volitio finis, qvando ergo voluntas vult finem, finis movet voluntatem ad hoc ut aſſumantur media, voluntas mota, vult media; & cùm ipſa ſit imperativa, demandat potentiis executricibus aſſumi media ad aſſeqvendum finem, v. g. conſecrationem peragendã: & ſic Sacerdos ſurgit, miſſam invenit, manus lavat, calicem parat, ſe ornat, exit, miſſam inchoat, continuat, in ordine ad conſecrationem. Sicq; talis intentio eſt ab actuali relicta, cùm ſit cauſata ab ea mediante motione finis: eſt virtus in ſe, inqvantum imperativè applicat potentias ad executionem mediorum; & motus ipſe eſt virtus, inqvã-

 tum

tum vi volitionis mediorum, influit in ordinationem mediorum, tandem in prolationem verborum.

5. Aliter poteſt breviter definiri taliter intentio virtualis: eſt volitio mediorum efficax.

Habitualis. 6. Intentio habitualis, eſt facilitas qvædam ad eliciendas intentiones actuales, relicta à talibus freqventer repetitis, aut uno intenſo.

Indirecta & Directa. 7. Intentio directa eſt, qvâ res directè, hoc eſt in ſeipſa intenditur; indirecta ſeu in cauſa, eſt, qvâ indirectè, hoc eſt in álio, in cauſa ex qva ſecutura illa res prævidetur, intenditur: v. g. intendit qvis ebrietatem, in qva prævidet probabiliter à ſe committendam blaſphemiam; intendit indirectè blaſphemiam. Definitivè illa, eſt volitio ipſius rei; hæc, eſt volitio cauſæ, ex qva ſecutura talis res prævidetur. Alii intentionem indirectam, alio nomine interpretativam vocant: ſed intentio interpretativa, non tam intentio ſtrictè eſt, qvàm præſumptio intentionis.

Abſoluta conditionata 8. Abſoluta eſt, qvâ abſolutè, conditionata, qvâ conditionatè aliqvid intenditur: & hæc alia eſt pertinens, ſeu qvæ conducentiam habet ex Chriſti inſtitutione ad valorem Sacramenti, alia impoſſibilis, alia infallibilis ſeu neceſſaria: de qvibus patebit infrà.

Qualis ſufficit. 9. Habitualis intentio nec ſufficit, nec reqviritur in Miniſtro ad validam confectionem Sacramenti: qvia illa intentio reqviritur & ſufficit in Miniſtro, qvæ influit imperativè in actiones Sacramentales, ſaltem implicitè, nomine Chriſti eas cauſando, determinandoq; res & verba formæ ad eſſe Sacramenti. Implicitè operatur nomine Chriſti, qvando hoc vult facere & facit, qvod facit Eccleſia: at intentio habitualis, non influit imperativè, cùm non ſit ullus actus, ſed ſolùm qualitas, facilitas quædam; ergo nec reqviritur, nec ſufficit in Miniſtro, ad valorem Sacramenti.

10. Intentio etiam indirecta & in cauſa, nec reqviritur, nec ſufficit: qvia qvando Miniſter vult cauſam v. g. ebrietatem, vel tunc prævidet ſecuturum effectum (puta actiones Sacramentales) ex tali cauſa, vel non? Si non? Ergo non vult effectum (puta actiones Sacramentales), conſeqventer non vult in ebrietate conſecrare: qvia nihil volitum niſi cognitū. Si prævidet illum? Tunc vel illum effectum ſecuturum vult, intendit, vel non? cùm poſſit cum volitione cauſæ ſtare nolitio effectûs, niſi neceſſariò ex ea ſequatur. Si non vult? Ergo in ebrietate actiones Sacramentales ſunt involuntariæ, & Sacramentales niſi materialiter, conſeqventer conſecratio nulla. Si vult? Tunc in ebrietate formali, talis volitio jam non eſt, cùm tunc ſit actus irrationalis, abſqve uſu rationis; Chriſtus autem ad conficienda Sacramenta, reqvirit intentionem non brutalem, ſed intellectualem.

11. In:

11. Intentio virtualis & reqviritur & sufficit (c): qvia imperativè influit in actiones Sacramentales, saltem implicitè, nomine Christi eas causando, determinandoq; res & verba formæ ad esse Sacramenti.

(c) D. R. in 4. d. 5. q. 1. a. 1.

12. Intentio actualis sufficit, cùm sit omnium perfectissima & summa; sed non reqviritur necessariò: cùm ipsam habere semper sit impossibile, & virtualis sufficiat (c)

13. Intentio conditionata pertinens, de præterito & de præsenti, v. g. *Baptizo te si non es baptizatus*, *absolvo te si es capax*, est sufficiens ad valorem Sacramenti. Ita D. R. *in 4. d. 34. q. 1. ver. 2.* Ratio est, qvia conditio talis utraqve non suspendit actum; sed vel ita est, qvòd non sit baptizatus? Conditio transit in absolutam, & confertur non baptizato baptismus: vel est baptizatus? Conditio destruitur, & intentio baptizandi est nulla. Qvando prudenter dubitatur de aliqvo utrum sit baptizatus, vel qvòd sit capax absolutionis, & in similibus; tunc non tantùm potest, sed & debet apponi conditio: sin secùs, absqve peccato addi non potest.

14. Intentio autem conditionata conditione impertinente, sive illa sit de præterito, sive de futuro, sive de præsenti, non conducit ad valorem Sacramenti: v. g. *Ego te baptizo, si nunc Turca dormit*, vel *ego te baptizo, si es prædestinatus*. Ratio est, qvia nec somnus Turcæ, nec prædestinatio, conducit ex intentione Christi ad valorem Sacramenti.

15. Intentio conditionata de futuro contingente, est insufficiens ad valorem Sacramenti: ideo invalida est hæc absolutio, *ego te absolvo si cras restitueris*. Ita D. R. cum aliis communiter. Ratio est, qvia in futuro non erunt materia & formæ verba; in præsenti verò intentio deest. Qvid autem de solo matrimonio dicendum? Dicemus infrà.

16. Intentio conditionata de futuro infallibili, v. g. *Ego te absolvo si cras sol orietur*, est sufficiens ad valorem Sacramenti. Ita D. R. *suprà*. Secùs de futuro impossibili, v. g. *Ego te baptizo si sol cras non oriatur*. Ratio est primi, qvia cùm Minister sit certus de futuritione conditionis, intentio conditionata æqvè æstimatur ac absoluta, & eodem modo producit suum effectum. Ratio secundi est, qvia Sacramentum non stat absqve intentione absoluta: at intentio sub conditione impossibili, non potest fieri absoluta; ergo.

Pro discursu & solutione.

17. Sufficit ex parte suscipientis ad validam susceptionem Sacramenti, intentio indirecta in causa: & sic validè baptizatur dormiens (d), imò ebrius qvi vigilans baptismum petiit. Non sufficit ex parte ministri ad validam confectionem Sacramenti intentio talis: qvia plus reqviritur ad agendum, qvàm suscipiendum; reqviritur enim ut rationabiliter, ac humanô modô operetur. Clarificat instantia: amentes & infantes, pos-

(d) D. R. in 4. d. 5. q. 1 a. 2. cum aliis communiter.

sunt suscipere aliqva Sacramenta, & nulla administrare; possunt infantibus bona validè dispensari, non tamen ab illis.

Quid ebrius quid ebriosus.

18. S. Augustinus *tract.* 5. *in Joan.* asserit: Baptismum ab ebrioso datum, esse validum, non ab ebrio omninò tali. Ebriosus est, qvi habet vitium inebriandi se; ebrius omninò talis est, qvi amisit usum rationis.

19. Si vis probare baptismum collatum, aut aliam confectionem Sacramenti, valere ab ebrio omninò tali, eò qvòd sicut intentio virtualis, qvæ est sufficiens ad valorem Sacramenti, manet in aliqvo suo effectu, ita intentio indirecta in causa, manet in somno, ebrietate. Addo, intentionem virtualem in aliqvo proportionato medio ad producendum Sacramentum, manere; intentionem verò indirectam in causa, in ebrietate, aut somno, esse in aliqvo prorsùs improportionato ad producendũ Sacramentum. Prorsùs somnus & ebrietas, sunt improportionata ad producendum Sacramentum.

Princeps quomodo dormiens cõtrahit matrimonium.

20. Potest hoc esse & contingit, qvòd Princeps dormiens, aut ebrius, contrahat & conficiat Sacramentum; dormiens aut ebrius in sua physicè persona, vigilans in aliena physicè, & sua moraliter seu in Procuratore, qui tunc cum Sponsa nomine Ipsius contrahit; cùm matrimonium sit contractus, de cujus natura est, ut possit celebrari cum alio, vel in sua physicè persona, vel in aliena physicè, & sua moraliter, cui ad id dedit potestatem. Non potest autem esse, ut contrahat matrimonium, & conficiat Sacramentum, si in sua tam physicè persona, qvàm & in sua moraliter persona, sit dormiens, aut ebrius.

Non contrahit incidens in amentiam stabilem.

21. Nec inferas, casu qvo Princeps incideret in amentiam stabilem eo tempore, qvo Procurator ipsius contraheret matrimonium nomine ipsius cum Sponsa, ipse amens contraheret matrimonium, & conficeret Sacramentum. Qvia in tali casu, contractus matrimonialis foret nullus: nam in eo eventu expiraret mandatum, sicut expirat cum morte, ut habetur in leg. *Si quis alicui* 48. *ff.* Ratio est, nam sicut per mortem cessat vivere physicè, ita per amentiam cessat vivere moraliter. Præterea ipse contractus matrimonialis, qvem facit Sponsa cum Legato Sponsi, utramqve hanc conditionem essentialiter supponit *Si vivit Sponsus, aut non evasit amens*, qvæ conditio in eo casu non impleretur; ideo contractus matrimonialis sub hac conditione factus, nullus est.

Secùs in accidentalem.

22. Dixi *amentiam stabilem:* nam accidentalis v. g. ex maligna febre, videtur non officere validitati contractûs, cùm ùti infirmitas non impediens, se habeat.

23. Concedo, qvòd ad applicanda sacrificia sufficiat intentio habitualis, si enim hodie vesperi dicam, *crastinum Sacrum volo applicare Stephano*

phano, & hanc intentionem non revocem, etiamſi cras celebraturus Sacrum, nihil de hac hodierna applicatione cogitem, nec inter celebrandũ, adhuc ſufficienter Sacrũ illud, erit applicatũ Stephano. Ita N. Bonæ Spei & alii communiter. Ratio eſt, qvia applicatio Sacrificii eſt donatio, qvâ ceditur juri ſuo in fructum Sacrificii; donatio autem acceptata purè præterita, non retractata, valet, etiam in id, qvod adhuc eſt in ſpe: cõſeqventer & applicatio Sacrificii purè præterita non retractata, valet & ſufficit. Non ſufficit autem ad ipſum Sacrificium intentio habitualis: qvia intentio Miniſtri, debet imperativè influere in Sacrificium, ut inſinuavi ſuprà.

Quomodo intentio habenda.

24. Pro cõplemento hujus Seriei notandum, qvòd Miniſter debeat habere intentionem, quantùm ad perſonam ſuſcipientem, & materiam præſentem. Secùs tamen in matrimonio, in qvo, contrahentes intentionem ſuam determinant, & reſtringunt ad determinatam in individuo talem perſonam; ita ut ſi eſſet alia, matrimonium nullum ſit. Ratio eſt, quia matrimonium eſt qvidam contractus, conſiſtens in traditione corporum in particulari, & individuo.

S E R I E S V.

An gratia reqviratur in Miniſtro, ut licitè adminiſtret Sacramentum?

Qvotuplex Miniſter.

1. ANte Reſolutionem præmitto, Miniſtrum Sacramenti, alium eſſe conſecratum, ac ad adminiſtranda Sacramenta ſpecialiter deputatum, unde dicitur miniſter ex officio; alium non conſecratum: & talem, alium eſſe neceſſitatis, qvalis eſt omnis homo reſpectu baptiſmi in urgentiſſima neceſſitate conferendi, dum Miniſter conſecratus haberi non poteſt; alium Miniſtrum extra neceſſitatem, qvalis eſt Miniſter matrimonii, qvi matrimonium contrahit. Hôc præmiſsô

2. Dico: Miniſter conſecratus tenetur curare, ut ſemper ſit in gratia: qvia conſecratione ſpecialiter deputatus eſt ad adminiſtranda Sacramenta, & ſpeciali gratia donatur, ut ea ſanctè adminiſtret. Si autem in peccato mortali exiſtens adminiſtret Sacramentum v g. baptiſmi, tunc vel hoc præſtat non tamquam ſpecialiter ad id deputatus, ſed ut privata perſona v.g. in domo alicujus, vel in hoſpitio, adveniente improviſa neceſſitate? Vel ſolemniter, ut ſpecialiter ad id deputatus? Tunc vel in extrema neceſſitate periclitantis, tali, quòd in eo conflictu & breviſſima morula, neqvit moraliter ſe diſponere ad juſtificationem per actum contritionis? Vel extra talem neceſſitatem? Si ſolemniter extra neceſſitatem id facit? Peccat mortaliter (a); quia magnam irreverentiam contra Sacrum Sacramentum,

(a) S. Thom Rituale Pauli V. Bonæ Spei Garcia. & alii communiter. Lezana verbo baptiſmus.

mentum, & ipſum Chriſtum Authorem Sacramenti committit; cùm poſſit ſe ad gratiam diſponere, in qva vi ſuæ deputationis, Sancta Sanctè tractare debet. Magnam irreverentiam Regi inferret miniſter, qvi ſpecialiter ab ipſo ad hoc eſſet deputatus, ut pretioſum vinū in conviviis ad menſam ipſius funderet, & ipſe præſente Rege hoc præſtaret manibus lutô ſordidô infectis; majorem irreverentiam facit Chriſto & Sacramentis, Miniſter conſecratus, qvi macula lethali infectus, pretioſiſſimum corpus Chriſti manibus ſuis miniſtrat, merita & ſangvinem ipſius in ordine ad Sanctificationem animarum diſpenſat. Si in neceſſitate, v.g. qvòd hîc & nunc expirat, aut qvaſi expirat baptizandus, aut abſolvendus? Tunc cōferens ei baptiſmum aut abſolutionem, exiſtens in peccato mortali, non peccat mortaliter (b); cùm talis neceſſitas excuſet eum ab irreverentia. Pro tertio caſu eadem ratio ſtat (c), qvandoqvidem in tali caſu Sacerdos adminiſtrat baptiſmum, non ut formaliter conſecratus, ſed ſecundùm poteſtatem communem omnibus.

(b) S. Thō. Leander Card. Lugo noſtri Orlandus Bonæ Spei Garcia tract. 1. d. 3. a. 4. parag. 1. (c) S. Thō. Suar. Garc.

A fortiori laicus baptizans in caſu neceſſitatis, exiſtens in peccato mortali, non committit novum peccatum mortale (d): qvia in tali caſu non committit irreverentiam contra Sacramentum, ſicut non committeret in caſu, qvo de manu hæreticorum Euchariſtiam eriperet, aut projectam in terrā elevaret abſente Sacerdote: tum qvia Sacramenti baptiſmi in caſu neceſſitatis, Miniſtrum Chriſtus inſtituit qvemcumqve hominem, etiam infidelem, paganum.

(d) S. Thom. Leāder Cor. Fill. Suar. Noſtri Bonæ Spei Garcia Lezana.

3. Concludit S. Thom. *in 4. d. 24. q. 1. ad 3. qvæſtione. 6. ad 4.* his verbis: *Qvicumqve* (in mortali peccato exiſtens) *exhibet ſe in aliqvo actu ut Miniſtrum Eccleſiæ, mortaliter peccat toties, qvoties hunc facit actum, Secùs autem eſſet, ſi in aliqva neceſſitate id exeqveretur, in illo caſu in qvo etiam lajcis liceret; ſicut ſi baptizaret in articulo neceſſitatis, vel ſi corpus Chriſti in terram projectum colligeret.*

4. Baſilius Pontius tamen & Ledeſma, Navarrus & Card. de Lugo docent, in Miniſtro etiam neceſſitatis reqviri gratiam, ad licitam adminiſtrationem. Qvod ſub diſtinctione admitto: dum ſe poteſt diſponere ad gratiam, tutiùs eſt ut ſe diſponat, & in gratia adminiſtret; ſecùs eſt, ſi non poteſt.

Pro diſcurſu & ſolutione.

5. Etiamſi poſſet in inſtanti elici actus contritionis, non eſt certum qvòd defacto Miniſter elicuerit actum contritionis in inſtanti. Deinde licèt contritio fiat in inſtanti, viâ tamen ad concipiendam contritionem perfectam, non paratur regulariter in inſtanti, ſed in tempore, & per ſeriam rationum ad contritionem excitantium ponderationem. Sic generatio ſubſtantialis formæ ignis, fit in inſtanti, viâ tamen præparativâ ad productionem talis formæ, qvæ eſt alteratio calefactiva, non fit in inſtanti, ſed ſucceſſivè. Ita N. Garcia *loc. cit.*

6. An

6. An tutiùs sit præmissa Intentione conferendi baptismū aut absolutionem (dum aliter non potest), tunc dicendo formam Sacramenti, simul elicere actum contritionis? Mihi salvô aliorum judiciô non videtur, ne attendens ad actum contritionis, omittat aliqvam particulam essentialem, v.g. ly *in nomine*, vel *Patris*, & sic ad tollendum scrupulum, ne æternæ damnationi reddat baptizandum tunc expirantem.

In Sacramētis tutior pars qvæ favet saluti pœnitentis.

7. Si dicas, in conferendis Sacramentis tutiorem partem esse eligendam. Dico: in casu necessitatis ac resolutionis, tutiorem censeri opinionem, qvæ favet saluti Spirituali petentis Sacramentum, ut defendit Noster Lao *disp.* 3. *de conscientia dub.* 32. & Garcia *de Sacramentis in genere loc. cit.* Reverentia enim Sacramenti, cedit saluti moribundi. Qvare potest sumi à non jejuno, Sacramentum Eucharistiæ.

8. Contrahentes in peccato mortali matrimonium, non prout sunt administrantes sibi hoc Sacramentum, sed prout sunt suscipientes illud, peccant mortaliter. Ita docent S. Thomas, Suar. & Nostri Bonæ Spei, & Garcia.

Diaconus Subdiaconus non peccant mortaliter.

9. Qvamvis secundùm Sententiam Sylv. Cajet. Filliuc. 1. *tract. c.* 6. *num.* 87. Navar. Sa. Diaconus & Subdiaconus solemniter Sacerdoti ad altare in Sacrificio Missæ ministrantes, censentur peccare mortaliter, eò qvòd ad tale ministerium consecrentur exercendum, ita ut non possit ministerium suppleri à lajco, secùs ministerium ministri inferioris; tamen secundùm communiorem Sententiam Bonæ Spei, Garciæ, Suar. Vasq. Layman. Card. de Lugo, aliorumqve, veriùs existimātur non peccare mortaliter. Ratio est, qvia nec conficiunt, nec alteri administrant Sacramentum; conseqventer circa ipsum Sacramentum immediatè non versantur.

10. Christianus per characterem Confirmationis, specialiter deputatur ad propugnandam fidem coram tyranno, & tamen propugnans illam exteriùs in pecato mortali, juxta adversarios non committit novum peccatum mortale; Ergo etiam diaconus & subdiaconus &c.

11. Duo enim reqviruntur in ministro, ut sit graviter obligatus ad subeundum munus in gratia DEI: Primum, ut sit consecratus ad tale munus; Secundum, quòd tale munus sit immediata Sacramenti confectio, vel saltem ad talem confectionem immediatè ordinatum, aut ad producendam gratiam mediatè. Qvapropter Sacerdos aliis ministrans Eucharistiam in peccato mortali, peccat mortaliter (e): & celebrans taliter, saltem virtualiter tria peccata mortalia committit: unum, inqvantum consecrat; secundum, inqvantū sibi ministrat; tertium, inqvantū suscipit: secùs esset, si post consecrationem eliceret actum contritionis. Ita cōmuniter DD. Non debet tamen in confessione explicare omnia peccata; sufficit dicere se celebrasse in peccato mortali. Ita N. Garcia *loc. cit.* §. 5. Qvot autem committat peccata, homines cōmunicans? de hoc inferiùs.

(e) S. Thō. in 4. d. 24. qvæstiuncula 5. ad 4. Bonæ Spei contra Vasq. & nostrum Orland.

Sacerdos in mortali celebrans tria peccāta cōmittit.

Epiſcopus.

12. Epiſcopus in mortali Sacramentalia exercens, benedicens templa, vaſa, veſtes Eccleſiaſticas, Virgines DEO dicatas, vel Abbatiſſas; Sacerdos ſuper puerum domi baptizatum, cæremonias in Eccleſia abſolvens, pixidem de loco in locum tranſportans; Parochus matrimonium benedicens, non peccāt mortaliter (f): qvia eorum actiones, non ſunt adminiſtratoriæ Sacramenti.

(f) Suar. Vaſq. Laym. Lugo.

13. Epiſcopus in peccato mortali conſecrans chriſma, aut benedicens oleum infirmorum, non peccat mortaliter: qvia tali actione, non eo ipſo producit Sacramentum conferens gratiam; ſolùm producit materiam remotam Confirmationis, & Extremæ unctionis: Ergo non peccat, aliàs etiam argentarius, in ſtatu peccati mortalis conficiens calicem aut patenam, peccaret mortaliter, cùm hæc inſerviant tamqvam materia remota Presbyteratûs.

14. A fortiori non peccat mortaliter, qvi in peccato mortali exiſtens tangit corporale, aut reliqvias ſacras (g).

(g) Svarez Bonacina.

15. Qvomodo autem ſe debeat diſponere ad gratiam Miniſter, qvi eſt in peccato mortali? *Reſp.* Celebrationi Miſſæ præmittere debet confeſſionem: qvia tunc ſumere debet ſacram Euchariſtiam, pro qva inſtat præceptum Conc. Trid. *Seſſ.* 13. *can.* 7. ut præmittatur confeſſio, à conſcio peccati mortalis. Ad alia verò Sacramenta, ſufficit contritio. Ita communiter DD. Tutiùs tamen eſt præmittere confeſſionem, dum eſt copia confeſſarii.

SERIES VI.

De ſubjecto Sacramentorum ſuſceptivo.

SECTIO I.

Qvis eſt ſubjectum, ſeu qvis eſt capax ſuſceptionis, & qvalis Sacramenti?

Quorum Sacramentorū qvis capax.

1. ℟. ET dico: Infantes non eſſe capaces Sacramentorum pœnitentiæ & Matrimonii: cùm talia eſſentialiter componantur ex actibus liberis ſuſcipientis, qvos illi elicere neqveunt. Nec ſunt capaces extremæ unctionis: cùm forma *qvidqvid peccaſti per viſum* &c. verificari non poſſit. Aliorum verò Sacramentorum ſunt capaces. Attamen Sacerdos peccaret mortaliter, ſi adminiſtraret Euchariſtiam infanti: cùm ei ab Eccleſia prohibeatur ejus adminiſtratio. Similiter Epiſcopus ſi conferret Sacramentum Ordinis, parvulis, prout communis ſententia docet.

2. Adulti rationis compotes, ſunt capaces Sacramentorum; ita ut aliqvando unus idemqve homo, ſucceſſivè ſit omnium Sacramentorum ſubjectum, ut conſideranti patet.

SEC-

An & qvalis intentio in ordine ad ſuſcipienda Sacramenta reqviratur?

Ab adultis validè poteſt ſuſcipi Euchariſtia ſine intentione.

1. ANte reſolutionem præmittere oportet 1. Quæſtionem non eſſe de ſuſceptione Sacramenti permanentis, ſcilicet Euchariſtiæ, nam etiamſi qvis renitens, invitus, ſumat ſangvinem Chriſti, Sacramentum ſumit; eſtò non recipiat fructum Sacramenti; ſed quæſtionem eſſe de Sacramentis in uſu conſiſtentibus. 2. Qvæſtionem non eſſe de infantibus & perpetuò amentibus, qui numqvam uſum rationis habuerunt, utrum tales debeant habere intentionem, cùm tales ſint incapaces propriæ intentionis, ſufficit pro illis intentio Eccleſiæ, Chriſti; ſed de adultis, rationis compotibus, cùm ſint capaces propriæ intentionis. His præmiſſis

In qvibus qvalis intentio reqviratur ad ſuſcipienda Sacramenta.

2. Dico: In adultis ad validam ſuſceptionem Sacramenti, intentionem omninò reqviri. Ratio eſt D. R. Nemo ſuſcipit fidem, niſi velit, ut habetur *cap. de Iudæis*; ergo etiam nemo ſuſcipit Sacramenta, niſi velit: cùm Sacramenta omnia, ſint myſteria fidei.

3. Qvalis autem intentio reqviritur, & ſufficit? *Reſp.* & dico: negativa, qvâ qvis ſe indifferenter habet, non contradicens, reqviritur, ſed non ſufficit: nam ſicut nemo ſuſcipit fidem niſi velit, ita nemo ſuſcipit Sacramenta niſi velit. Intentio actualis cùm ſit maxima, ſufficit, ſed non reqviritur: nam ut ſemper habeatur, fere eſt impoſſibile. Virtualis ſufficit, nam locum Intentionis actualis tenet; non tamen omninò reqviritur, cùm ſufficiat habitualis. Habitualis ergo reqviritur & ſufficit, declarat Concil. Arauſic. 1. *cap.* 12. his verbis: *Obmuteſcens, baptizari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium, aliorum ve bis habet.* Excipitur tamen Sacramentum Extremæ unctionis, & Euchariſtiæ in articulo mortis: qvia ad hæc, ſufficit intentio interpretativa ſeu præſumpta: nam eo ipſo qvòd qvis ſupponatur Chriſtianus velle mori Chriſtianè, præſumitur voluiſſe viaticum & extremam unctionem ſuſcipere: qvia in voluntate moriendi Chriſtianè, includitur voluntas ſuſcipiendi Extremam unctionem & viaticum. Non autem talis intentio ſufficit ad alia Sacramenta, v.g. ad Matrimonium, aut ordines: qvia in generali volitione vivendi Chriſtianè, non includitur voluntas nubendi, aut ordines ſuſcipiendi; qvia ſine his poteſt qvis ducere vitam Chriſtianam.

4. Qvamvis motus qvo nuper eram apud PP. Franciſcanos, non ſit retractatus, tamē in ſe non eſt; ita intentio ante unam & alteram diem elicita, qvamvis retractata non ſit, in ſe tamen virtualis in obmuteſcente non eſt: patet ex definitione ejus data ſuprà *ſer.* 4. *num.* 3. Poteſt dici intentio manere

manere moraliter in teſtimonio teſtium, ſed in ſe *jam* nec actualis exiſtit, cùm hæc ſit actualis volitio, nec virtualis in ſe (de qva eſt qvæſtio), cùm talis, ſit motus qvo applicantur media. &c. ſuprà

SECTIO III.

Vtrum omninò ad ſuſceptionem Sacramenti requiratur in ſuſcipiente fides & gratia?

Ad qvæ fides ad qvæ gratia reqviratur.

1. DIco 1. Ad validè ſuſcipiendum Sacramentum imprimens characterem, & ad matrimonium contrahendum, in ſuſcipiente illud, non omninò reqviri fidem, conſeqventer gratiam: patet inde, qvòd hæretici baptizati, confirmati, ordinati ab aliis hæreticis, non rebaptizentur.

Qvalẽ gratiam cauſant

2. Dico 2. Sacramenta vivorum, ſicut per ſe ordinantur ad vivos, ita per ſe, hoc eſt ordinariè reqvirunt ſtatum gratiæ; ita Sacramenta mortuorũ, ſicut ordinariè ordinantur ad mortuos, ita non præreqvirunt in ſubjecto ſtatum gratiæ: tamen in adultis in peccato mortali exiſtentibus, omninò reqvirunt actum doloris ſupernaturalis.

SERIES VII.

Vtrum poſſit aliqvis licitè petere, aut recipere Sacramentum à tali, qvem ſcit in miniſtratione peccaturum?

1. QVem ſcit, addo: nam qvando non conſtat certò de peccáto à miniſtro committendo in adminiſtratione Sacramenti, vel de malo ſtatu ipſius, licitum eſt petere à tali Sacramentum. Ratio eſt, qvia tamdiu qvilibet præſumitur bonus, qvamdiu non conſtat illum eſſe malum. Qvare etiamſi ſciam confeſſarium fuiſſe lapſum in peccatum mortale, poſſum ab eo Sacramentum petere; qvia debeo credere, illum eliciuiſſe contritionem, maximè ſi ipſe velit, aut ſaltem non recuſet meam audire confeſſionem.

In caſu dubio præſumitur bonus.

2. Per ly qvod dico *peccaturum*, intimo lectori, non peccare mortaliter confeſſarium, audientem confeſſionem in mortali, ſi habeat propoſitum eliciendi contritionem ante abſolutionem (a). Ratio eſt qvia confeſſarius non miniſtrat Sacramentum, niſi qvando profert verba abſolutionis.

(a) Card. de Lugo N. Garcia.

3. Et ſicut pœnitens, in peccato mortali implendo pœnitentiam Sacramentalem, ita confeſſarius in mortali peccato exiſtens, auditis peccatis pœnitentiam talem imponendo, non peccat mortaliter. Ratio eſt, qvia ſicut impoſitio, ita impletio pœnitentiæ Sacramentalis, neqve eſt actio talis, qvâ adminiſtratur Sacramentum, neqve talis, qvâ ex opere operato confertur gratia; ſed ſolùm adimpletio pœnitentiæ hujus, eſt remiſſio pœnæ temporalis.

Pœnitentiã imponens ceut implens in mortali non peccat mortaliter.

4. Qva-

4. Quadrupliciter poteſt conſiderari & eſſe in miniſtratione Sacramenti peccaturus. 1. Qvando defectu poteſtatis, materiæ aut formæ, validè Sacramentum adminiſtrare neqvit; & tamen qvaſi adminiſtrare illud audet. 2. qvando poteſt validè illud adminiſtrare, ſed ex ſua malitia, præſumit illud invalidè adminiſtrare. 3. qvando poteſt, & vult illud adminiſtrare validè, ſed licitè neqvit, eò qvòd ſit ſuſpenſus aut prohibitus, & tamen conatur illud adminiſtrare. 4. qvando poteſt validè & licitè, & tamen illicitè intendit miniſtrare illud, eò qvòd poteſt peccatum per contritionem tollere, aut à cenſura abſolutionem procurare, & non vult, aut negligenter vult. His præmiſſis

Qvadrupliciter peccaturus.

5. Dico 1. Illicitum eſt ſcienter petere, à fortiori recipere Sacramentũ, tam à tali qvi defectu poteſtatis, materiæ aut formæ (ſic Sacerdos mutus abſolutionem) neqvit, qvàm à tali qvi poteſt, ſed ex ſua malitia non vult validè, ſed invalidè adminiſtrare illud conatur. Ratio eſt, qvia ſic, non Sacramentum, ſed irritationem Sacramenti peteret talis pœnitens.

A qvo peccaturo non poteſt.

6. Dico 2. Neqve etiam licet petere Sacramentum à tali, qvi poteſt & vult validè adminiſtrare, ſed licitè non poteſt, eò qvòd ſit ſuſpenſus, prohibitus (b). Ratio eſt, qvia petere talem adminiſtrationem, eſt petere peccatum cum ea neceſſariò connexum.

(b) BonæSp & Garcia.

7. Dico 3. Etiamſi conſtet Miniſtrum eſſe in mortali, aut in conferendo Sacramento peccaturum, ſi tamen poſſit ſine peccato miniſtrare, licitum eſt ex juſta cauſa petere à tali Sacramentum, dum non eſt alterius copia. Ita communiter DD. Ratio eſt, qvia talis petitio non inducit ad peccandum; cùm poſſit miniſter abſqve peccato adminiſtrare, ſi velit: qvòd autem nolit, ipſius eſt malitia, ob qvam vitandam, non tenetur petens, ſe privare jure ſuo recipiendi Sacramenta (c); maximè dum urget neceſſitas, aut præceptum recipiendi ea: qvia plus ex charitate obligatur qvis proprium vitare peccatum, quàm alienum.

(c) NoſtriBonæ Spei & Garcia

8. Dixi *ex juſta cauſa*: aliàs eſſet peccatum contra charitatem; cùm lege charitatis teneamur vitare peccatum alterius, qvantùm poſſumus,

9. Qvæ autem eſt juſta cauſa in tali circumſtantia, petendi à tali Sacramentum? *Reſp*. Eſt neceſſitas gravis, aut utilitas notabilis petentis: v.g. neceſſitas adimplendi præceptum annuæ confeſſionis aut communionis, utilitas non differendi nimis uſum Sacramentorum (d), fructum Sacramenti (e), Jubilæi, confeſſionis, communionis ordinariæ.

(d) Suarez.

(e) Alii apud Bonæ Spei.

Qvid de excommunicato Miniſtro?

10. *Reſp*. Excommunicatus, vel eſt non toleratus, vitandus, (qvalis eſt ſecundùm declarationem Concilii Conſtantienſis, & totius Eccleſiæ approbationem) nominatim denuntiatus, ſeu publicatus, aut publicus

Clerici

Clerici percussor, taliter qvòd nulla tergiversatione celari possit, aut juris suffragiò excusari (f)? Aut toleratus, non vitandus, qvalis est qvicumqve alius excommunicatus? A tali ergo scilicet tolerato, non vitando, licitè potest peti administratio Sacramenti. Ita omnes. Ratio est, qvia licèt talis non possit se ultrò offerre ad administrandum Sacramentum; tamen in Extravaganti conceditur ipsi rogato, facultas administrandi, ut notat Cornei. Bonac. Lezana verb. *Excommunicatio*.

(f) Lezana tō. 2. Verb. excom. n. 20. Laym. Svar.

Ab excomūnicato tolerato qvándo potest peti.

11. Notandum tamen, si petens sciret talem excommunicatum non procuraturum absolutionem, nec habiturum propositum procurandi illam ante administrationem Sacramenti, ac proinde administrando peccaturū, non posset ab eo Sacramentum petere, nisi urgente necessitate gravi, aut interveniente utilitate notabili.

Et qvando à non tolerato Sacramentū.

12. Ab excommunicato verò non tolerato, solùm urgente periculo mortis, licitum est petere Sacramentum baptismi & pœnitentiæ: admitunt omnes. Ratio est primi, qvia ob necessitatem Sacramenti, in tali casu qvilibet pro Ministro ab Ecclesia admittitur. Secundi est ratio, qvia Conciliū Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. Omnibus Sacerdotibus concedit potestatem absolvendi. Imò in tali casu tenetur excommunicatus absolvere moribundum; aliàs peccaret mortaliter, si non contra justitiam, tunc contra charitatem.

13. Qvòd autem possit se moribundus salvare per actum contritionis, tutiùs est ut absolvatur: qvia talis actus, aut non parum difficilis, aut incertus est.

14. Utrum etiam possit Sacramentum Eucharistiæ peti à tali, urgente periculo mortis? Controvertunt DD. Affirmativam tenet N. Garcia. Ratio ipsius est, qvia censuræ Ecclesiasticæ, feruntur in pœnam pravitatis ministri; non verò in detrimentum aliorum fidelium, qvos non decet maximo bono privari, ob peccatum alterius. Addidi particulam ly *solùm*, intimans non esse licitam extra periculum mortis petitionem Sacramenti, ab excommunicato non tolerato seu vitando: qvia ut omnes DD. deducunt, Ecclesia gravissimè prohibet fidelibus, extra periculum mortis communicare cum excommunicato vitando, præcipuè in Sacramentorum administratione aut receptione.

(a) Sanctus Thō. q. 80. a. 6. Chrisostō. Aug. apud Bonæ Spei.

SERIES VIII.

An peccatoribus scienter possint conferri Sacramenta?

Negandum publico peccatori.

1. R. ET dico 1. Peccatori publico, sive publicè sive privatim petenti, negari debet Sacramentum (a). Ratio primi est, qvia ex tali administratione seqvitur grave scandalum. Ratio secundi est, qvia petens est indispositus.

Non autem privato publicè petenti.

2. Dico 2. Peccatori oculto, Sacramentum publicè petenti, non potest sine

fine mortali negari Sacramentum, ubi fine scandalo aut gravi infamia à Sacramento repelli neqvit (b). Ratio est, qvia talis, jus habet, ne publicè manifestetur peccator, & infametur.

(b) Eugenius IV. in decis. cap. si Sacerdos.

3. Et per hoc qvod addidi *fine scandalo* &c. excipe Episcopum, qvi benè in conferendis Ordinibus, posset occultum peccatorem ipsi notum, publicè petentem Sacrum Ordinem, repellere à susceptione Ordinis Sacri: qvia (ut notat Noster Stephanus à S. Paulo) in hoc casu, repulsa fieri potest ob plurimos prætextus, ita ut vix sit periculum infamandi petentem, eò qvòd Episcopus privatim soleat inqvirere conditiones singulorum, atqve ideo rejicere possit absqve eo qvòd innotescat causa. Ita & alii apud eumdem docent.

4. Dico 3. Peccatori occulto, ex sola notitia confessionis habitâ, non potest negari Sacramentum, etiamsi occultè petat (c), nisi aliũde habeat notitiam delicti Minister (d). Ratio primi, qvia sigillum confessionis urget, ne reddatur confessio odiosa, & homines ab ea retrahantur. Ratio secundi est, qvia indignis non est administrandum Sacramentum, ut patet Matth. 7. Plura de hac materia sparsim inferiùs.

(c) Henriq.

(d) Suarez Bonac.

Propositiones ab Innoc. XI. *damnatæ, ad hanc distinctionem pertinentes.*

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis seqvi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis.

29. Urgens metus gravis, est justa causa Sacramentorum administrationem simulandi.

DISTINCTIO II.

Sub qva continentur Ideæ Sacramenti Baptismi.

1. BAptismus alius est aqvæ, alius flaminis, alius sangvinis. Sangvinis, est martyrium; flaminis, est contritio cum voto, seu desiderio baptismi aqvæ, seu fluminis. Uterq; est baptismus hoc sensu, inqvantum supplet vices baptismi aqvæ, præstando effectum ejus. Neuter est talis, qvalis fluminis est, cùm neuter sit Sacramentum.

Qvotuplex Baptismus.

2. Baptismus aqvæ metaphysicè consideratus, est Sacramentum novæ legis, ad spiritualem regenerationem hominum à Christo institutum.

Quando cœpit esse.

3. Qvando autem hoc Sacramentum est institutum, non conveniunt DD. N. D. Resolutus dicit: tunc baptismus incepit 1. factô & exemplô, qvando

qvando Christus sanctificavit aqvas suo baptismate *Matt.* 3. 2dò. exercitiô, qvando Christus baptizabat *Ioan.* 3. 3tiò- in pretio, qvando de latere Christi exivit sangvis & aqva. 4tò. Præceptô *Matt.* 28. qvando Christus dixit *euntes docete.* Primum habetur *de consecrat. dist.* 4. *c. Per aqvam.* Secundum *cap. dedit baptismum.* Tertium *de cærem. Missæ. cap. cum Marth.* De qvibus vide D. R. *in* 4. *d.* 6- *q.* 1. *a.* 1.

4. Physicè verò, Est exterior corporis ablutio aqva naturali, facta in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. ad regenerationem spiritualem. De tali ùti Sacramento sit.

SERIES I.

Quæ, qvalis materia hujus Sacramenti?

Qvotuplex materia.

MAteria est alia remota, alia proxima uniuscujusqve Sacramenti. Remota, secundùm omnes in Sacramentis assignatur triplex: apta, qvæ est in re sufficiens, & talis judicatur communiter; materia dubia, de cujus sufficientia est controversio inter DD; inepta dicitur, qvæ in re est insufficiens, & talis judicatur communiter. Pro his sit

SECTIO I.

De Materia remota.

1. MAteria remota baptismi, est aqva (a): apta, est aqva naturalis seu simplex, hoc est ut dicit D. R. (b) non alterata à sua specie; dupliciter enim (ut ipse dicit loc. cit.) potest alterari aqva: 1. Intra suam speciem, qvando solùm alteratur in qvalitate, v.g. de calida in frigidam, vel de salsa in dulcem, vel amaram. 2. à sua specie, qvando per digestionem, aut per nimiam additionem alterius liqvoris, qvi trahit aqvam ad suam speciem, ut cùm vinum nimis lymphatur; aut ex mixtione substantiarum resultat qvid tertium.

(a) Concilia Laterã. Flor Trid.

(b) in 4. d. 4. q. 1. a. 1.

Materia remota Baptismi.

Qvalis mixtio obest.

2. Sed nota, non per qvalemcumqve admixtionem fit materia inepta, cùm in baptismo solemniter administrando, solet Chrisma aqvæ admisceri; & aqva maris habet de admixtione terrestri, ut notat Philosophus 2. *metheor. cap.* 3. Ex qvo deducitur, admixtionem aqvæ rosaceæ in parvula qvantitate, non reddere aqvam naturalem ineptam ad baptizandum; sed redditur inepta admixtione alterius materiæ, qvando illa externa prævalet, & aqva naturalis non prævalet (c). Qvando ergo aqva in sua specie manet, talis judicatur non alius liqvor, tunc est materia apta baptismi; qvando verò aliorum judiciô judicatur aqva, aliorũ judiciô alius liqvor, est materia dubia baptismi: qvando autem communiter non aqva, sed alius liqvor judicatur, est materia inepta. Et sic

(c) Garcia Noster.

3. Materia

Aptâ.

3. Materia apta baptiſmi, eſt aqva naturalis, ſive elementaris, ſive ſit frigida ſive calida (qvali Græci utuntur), ſive fluvialis, ſive pluvialis, ſive marina, ſive fontalis, ſive pura ſive impura, ſulphurea ſive mineralis; aqva mixta cum modico aliqvo liqvore, aqva ſeparata à vino, qvia talis eſt de ſpecie aqvæ; aqva ſeparata ab hordeo vel cineribus, & ſimilibus, in principio ante generationem cereviſiæ vel lixivii; aqva reſoluta ex nive, ex gelu, ex grandine, ſeu glacie, qvia tunc fit reſolutio in propriam materiam aqvæ. Ita hucuſqve D. R. *loc. cit.* in margine (d). Item aqva in qva leviter coctæ ſunt carnes aut piſces, id eſt ante perfectam decoctionem, ita ut liqvor habeat plus de natura aqvæ, qvàm de ſubſtantia corporum lixatorum. Ita N. Garcia. Aqva diſtillata ex metallis, lapidibus, ut docent DD. (e) citati in margine.

(d) D. R. Garcia Bonæ Spei.

(e) S. Thom 3. p. q. 66. a. 4. ad 2.

Inepta.

4. Materia baptiſmi inepta, eſt cereviſia multùm cocta, ſangvis, vinum, lac, oleum, ſudor, flegma, & ſimilia; qvia per digeſtionem generatur nova ſpecies ultra ſubſtantiam aqvæ elementaris: ad hoc facit decretalis *In qvadam de celebratione Miſſ.* D. R. *loc. cit.* (f) Item ſalivæ, lacrymæ, pituita, aqva ſupernatans cruori ſeu ſangvini extracto, aqva emanans à corpore hydropico. Ita Garcia cum aliis in margine. Item nix, grando, glacies & pruina, anteqvam reſolvuntur. Ratio eſt, qvia non ſunt apta ad abluendum: & licetſi ſint cum aqva ejusdem ſpeciei phyſicè, non tamen moraliter, hoc eſt ad eundem uſum non valent. Item aqva bullita cum galòé galla, vel mixta cum vitriolo, aut gummi vulgò atramentum. Ita N. Garcia cum P. Stephano à S. Paulo contra Gobat comparantem atramentum cum aqva turbida, lutoſa.

(f) D. Reſolut. Bonac. Laym. Bonæ Sp. Garc. Buſenbau.

Dubia D. R. Garcia Bonæ Spei.

5. Materia dubia baptiſmi, ſecundùm D. R. eſt lixivium decoctum cum cineribus, non minùs qvàm aqva fluens per terras calidiſſimas ſulphureas. Secundùm Garciam & alios, aqva roſacea, cereviſia tenuis parum cocta. Item ſuccus expreſſus ex herbis, liqvores per alchimiam educti ex floribus, plantis, arboribus, & ex lignis fluentes. Item aqva turbida, ex luto expreſſa. Item brodium ſive juſculum mediocriter coctum. Item aqva tinctoria & nigra, ſi nihil aut parum ſit ebullita, cum ingredientibus foliis aut lignis &c. Item aqva ſoluta ex ſale (g). Aqvam roſaceam pro materia dubia ponit Pater Garcia; D. R. autem in Serie ineptæ materiæ illam collocat, ut videre licet apud ipſum *loc. cit.* At qvia de aqva roſacea controvertunt DD. eo ipſo eſt materia dubia. Ex his & pro his

(g) Bonac. Henriq. Bonæ Sp. Garcia contra alios.

Doctrina.

6. Doctrina. Licèt numqvam liceat baptizare in materia certò incerta, qvia nullum ſcienter conferre Sacramentum, eſt peccatum mortale, & ſic lacrymis nemo poteſt baptizari, qvia deciſum eſt in Cap. *In qvadam noſtra de celebratione Miſſarum*, qvòd in flegmate, ſudore aut lacry-

(h) D. R in 4 d. 4 q. 1. a. 2. & d. 5. q. 1. a. 1. Lezana verbo Baptismus Henriqu.

mis, non valet baptismus; tamen in defectu materiæ certæ, in casu necessitatis summæ, licitum est administrare baptismum in materia dubia, adhibita conditione *si materia est sufficiens* (h). Ratio est, qvia vel materia est sufficiens? Moribundus salvatur. Vel non est sufficiens? Sacramẽtum non confertur ei; qvia conditio dicit, *si*: & sic nulla irreverentia committitur contra Sacramentum. Magis tamen probabilior adhibenda est materia, dum commodè potest. Et talis, qvi materiâ dubiâ baptizatus est, si tunc moriatur, potest sepeliri in loco Sacro, propter probabilitatem Sacramenti.

(i) Bonæ Sp. Bonac. Step. à S. Paulo.
(k) Bonac. Tolet. Diana
(l) Granat. Qvintanadus.

7. Et sicut conditionatè baptizatur, ita postea conditionatè debet baptizari. Licèt in casu necessitatis potest baptizari aqvâ non benedictâ, imò lutosâ; tamen extra casum necessitatis, licitè non potest baptizari nisi benedictâ, ob reverentiam Sacramenti: & solemniter, nisi aqvâ è fonte Sacro (i), ob Clementinam de baptismo. Unde secùs faciens peccat, per alios mortaliter (k), per alios venialiter (l).

SECTIO II.

De Materia proxima.

(a) Bonæ Sp. Lez. verbo Baptis.

1. MAteria proxima baptismi, de fide, est ablutio sub forma baptismi, qvæ validè tribus modis fit: Aspersione, prout Apostoli narrantur fecisse, qvando una die qvinqve millia, secunda die tria millia baptizarunt (a); aut effusione sive infusione aqvæ, prout in Ecclesia Latina praxis prævalet; aut immersione corporis, prout in Ecclesia Græca servatur. Licitè extra casum necessitatis, nisi servata praxi Ecclesiæ Diæcesanæ. Qvandocumqve autem juxta praxim Ecclesiæ fit, sive immersione, sive effusione aqvæ, ipsum corpus immediatè attingi debet aqvâ; aliàs si vestes tantùm attingerentur, non diceretur, nec esset homo ablutus. Attamen infans involutus adhuc secundinâ suâ, id est pelliculâ corpori innatâ, in necessitate, baptizandus est conditionatè. Ita Laym. Hurtad. & alii.

(b) Laym. B. Sp. Gob. Stephanus.

2. Ubi immersione confertur baptismi Sacramentum, sufficit una ad valorem Sacramenti, decisum est in Toletano 4. *can.* 6. Attamen ubi trina vel immersio, vel infusio usitata est, sine gravi culpa, extra necessitatẽ prætermitti non potest, docet D. Thomas. Alii verò (b) dicunt, qvòd sicut locò effusionis assumi aspersionem, ita prætermitti trinam immersionem, esse veniale tantùm.

Pro disc. & solutione

3. Qvando confertur baptismus immersione, utrum ad validitatem Sacramenti sit necessaria emersio? conseqventer, si puella ad celandum partum, animô baptizandi infantem, aut alius, jam jam agonizantem (in suppo-

suppositô qvòd nullum sit aliud remedium, præter projiciendi eum) projiciat in puteum; utrum sit validus baptismus in casu tali. Controvertunt DD. solum de illicitate conveniunt ferè omnes, qvòd talis mortaliter peccet, & irregularis remaneat, eò qvòd saltem indirectè innocentem occidat: *non sunt enim facienda mala ut eveniant bona.* De validitate discrepant. Negativam sententiam tenent Richard. Scot. *in* 4. *d.* 5. *q.* 3. Pontius, & omnes Scotistæ tam veteres qvàm moderni, (unô exceptô Bracantô) Henriq. & Noster Garcia. Affirmativam tenent Suar. Vasq. Laym. Bonac. N. Bonæ Spei, Stephanus & alii. Cùm autem D. R. in sua sententia non decidat Cathegoricè, licitum est nobis eligere sententiam qvæ magis placuerit. Et si qværatur qvæ tutior? Illius & hujus Sententiæ DD. propriam dicunt tutiorem. Qvare in favorem agonizantis dicam aliqvid: non hoc, qvòd panis & vinum venenata validè consecrantur, etiamsi id fiat animô occidendi sumentem; ergo per projectionem pueri in puteum, aqva potest esse materia baptismi, estò fiat animô occidendi: non dicam hoc, qvia antecedens potest negari, nam panis ut sit consecrabilis, debet esse panis usualis; panis autem venenatus non est usualis, hoc est, non est manducabilis: sed hoc dicam, qvando baptizandus solùm animô baptizandi immergitur, & in illa immersione expirat, utrum baptizatur vel non? Si baptizatur? Ergo non est necessaria emersio ad validitatem baptismi; ergo ille projectus verè baptizatur, licèt illicitè.

Qvando agonizans projicitur in puteum.

4. Si dicas qvòd non baptizetur; Probo qvòd baptizetur: qvia in illo casu qvando projicitur in puteum, præcedit intentio baptizandi, est materia apta remota scilicet aqva, est etiam materia proxima ablutio, est forma prolata ante expirationem, ut supponitur; ergo.

5. Si dicas cum Scoto, qvòd non sit ablutio; qvia ablutio ad vitam non ad mortem ordinatur: Dico, ad vitam spiritualem non corporalem, v.g. hîc & nunc certò decollandus aliqvis baptizatur; ablutio illa baptismalis, ordinaturne ad vitam corporalem? Non.

6. Maximum videtur fundamentum Scoti esse, qvòd per baptismum, Christo non solùm sepulto, sed etiam resurgenti configuramur; Hoc tamen verificatur de projectô in puteum, nam ipse à morte spirituali ad vitam resurgit.

7. Qvando confertur baptismus effusione, aut aspersione, ex eo quòd cōveniant DD. quòd debeat aliquomodo fluere aqva, controvertunt qvæ qvantitas aqvæ reqviratur; utrum sufficiat una gutta? Affirmant nōnulli: imò Comitolius & Fillicius asserunt, verum fuisse baptismum infanti moribundo collatum, signô crucis impreſsô in fronte digitô aqvâ madefactô; at qvia hoc est in controversione, adhibenda est extra necessitatem suffici-

Qvæ qvant. aqvæ reqviritur.

sufficiens aqvæ qvantitas, ut per eam infans sine controversione, dici possit ablutus.

In qva parte

(c) Busenb.

(d) D.R. in 4. d. 5. q. 2. artic. 1.

8. In qva parte debet ablui baptizandus? *Resp.* Ex præcepto caput abluendum est (c). Ratio est D. R. (d), qvia in capite viget ratio hominis; & ubi est caput, totum corpus esse videtur. *ff. de relig. & sumpt.* In casu necessitatis, dum aliqva pars nascitur ab utero, non tantùm in parte principali v.g. scapulis, pectore, renibus, pede, manu, sed etiam in minima potest ablui (e): & hæc sententia magis pia, magis secura, dicit D.R. *loc. cit.* Ratio est Doctor. Resol. qvia tota est anima in qvalibet parte. Unde hoc extendunt alii ad crines capitis. Noster Lezan. verb. *baptismus* extendit etiam ad ungves, ita enim habet num. 5. *quod etiam est probabile de ungvibus & capillis.* Sed numqvid si postea nascatur, est rebaptizandus? Respondet S. Thomas qvòd nihil periculi accidit, si ad majorem cautelam baptizetur sub forma conditionali, de qva habetur *Rubricâ de baptismo cap. de qvibus dubium.* Licet si nasciturus, dum abluitur in parte aliqva non principali v.g. digito, debet conditionatè baptizari, cùm controvertant DD. de partibus non principalibus, negentq; validum baptismum susceptum in capillis vel in digito (f), & in parte principali notabili v.g. manu, pede, potest saltem validè extra casum necessitatis conferri baptismus, qvia de talibus partibus non controvertunt DD. (g); tamen nasciturus, in pede vel manu, aut alia parte principali, urgente necessitate, non absolutè sed conditionatè ablui debet: qvia nondum est natus. Ita D. Th. D. R. & alii communiter.

(e) S. Thō. Navar. Bonæ Sp. Vasq.

Sed conditionate.

(f) Scot. Suar. Bana c Bonæ Spei.

(g) Bōæ Sp. Busenbau.

Pro disc. & solutione.

9. Si dicas, ablutionem manûs aut pedis non sufficere ad verificanda verba formæ *baptizo te*, cùm pronomen *te* significet totum hominem.

Resp. Christus Dominus in nocte cœnæ solùm lavit pedes discipulorū, & tamen dixit Petro, *Si non lavero te* &c. Ergo sola pedum ablutio, sufficit ad pronomen *te* verificandum. Qvi in manu aut pede suscipit vulnus, verè dicitur vulnerari; ergo similiter qvando in manu aut pede abluitur, verè dicitur ablui.

10. Ratio est qvare non dicitur album, dum in minima parte habet albedinem; dicitur verò vulneratus, ablutus, dum in parte vulneratur, abluitur: qvia talis est æstimatio prudentum cōmunis pro utraqve parte.

SERIES II.

Qvæ, qvalis forma hujus Sacramenti?

Forma Græcorum.

1. Forma baptismi apud Græcos est, *Baptizetur servus Christi in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti.* Vel *baptizatur manibus meis N. in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti.* Ita declaratum est in Cōcilio Florent. sub Eugenio IV. Apud qvos nunc locò *Christi*, dicitur *Servus DEI.* Forma apud Latinos est, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spi-*

Forma Latinorum.

Spiritûs Sancti. Et ficut expreffio diftincta Trinitatis Perfonarum, ita Effentiæ Divinæ in particula *Nomine*, eft de effentia formæ: qvia baptismus, ficut in invocatione SS. Trinitatis Perfonarum, ita in invocatione unitatis Effentiæ Divinæ, confiftit. Unde ficut non valet baptifmus collatus *in nomine Trinitatis*, eò qvòd non fit diftincta expreffio Trinitatis Perfonarum, fed numeri in particulari; ita non valet *in nominibus Patris & Filii* &c. Neqve valet *in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritûs S.* cùm non exprimatur clarè unitas Effentiæ Divinæ.

2. Particula *in* non invalidat Sacramentum baptifmi, fi omittatur: qvia æqvè benè dicitur, *nomine DEI*, ac *in nomine DEI.* Attamen non in omni lingva poteft omitti: nam in lingva Gallica, Hifpanica, Italica, aut Græca, fi omittatur particula *in*, oritur in fenfu confufio (a). Particula *in*. (a) Steph à S. Paulo.

3. Omiffione particulæ *ego*, non irritatur forma baptifmi: qvia plenum fenfum generat hæc vox *baptizo*, fine pronomine *ego* (a). Attamen non in omni lingva: nam in Flandrica & Gallica, fi omittatur pronomen *ego*, nullus efficitur fenfus. Ego.

4 Particula *baptizo*, debet omninò exprimi. Ita eft declaratum ab Alexandro III. *cap. 1. de baptifmo.*

5. Perfona baptizanda debet omninò exprimi: five dicatur *te*, five *hunc*, five *Ioannem*, five *tu baptizeris à me.* Ita colligitur ex *cap. 1. de baptifmo*, & Concilio Florent. Ratio eft, qvia baptifmus confiftit in applicatione materiæ ad fubjectum determinatum, idqve à baptizante diftinctum. perfona baptizanda.

6. Notandum, qvòd non poffit dici *nos baptizamus*, licèt poffit dici *ego baptizo vos*, fi plures funt baptizandi. Ita D. R. *in 4. d. 4. q. 2. a. 1.* Ratio difparitatis eft, qvia *baptizo vos*, idem eft qvod *te* & *te*, qvod verum eft de forma; cùm autem dico *nos baptizamus*, non eft idem qvod *ego* & *ego*, fed idem qvod *ego & ille & illa baptizamus*: & illa non eft de forma. Baptizo vos baptizamus.

7. Illicitus qvidem baptifmus, fed validus, qvando Minifter locò *baptizo* dicit *abluo*, *immergo*, qvia idem fonat; vel locò *te* dicit *Iofephum*; aut utitur forma Græcorum in Ecclefia Latina (b). (b) Layman Bonacins.

8. Dubius, qvando diceretur *in nomine Genitoris & Geniti & Spirati*; *in nomine Omnipotentis & Sapientis & Boni*: cùm controvertant DD. de tali: imò à D. R. probatur nullus. Si verò diceret, *ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritûs S. ac Virginis Mariæ*, intentio ipfius eft fpectanda: fi in virtute Mariæ, ficut Perfonarum Divinarum, intendat côferre baptifmum, baptifmus eft nullus; fi verò addit nomen Virginis Mariæ, illam invocando pro gratia impetranda, vel ad baptizandum defendendum, baptifmus non vitiatur (c). Si autem dicat, *intendo te* (c) D. R. in 4. d. 4. Ste. à S. Paulo.

bapti-

baptizare in nomine Patris &c. baptismus est nullus: qvia debet explicari actus baptizandi, non solùm intentio baptizantis (d). Plura ad propositum dixi de Sacramentis in genere in Ser. 4. Idearum.

(d) Tamburinus.

SERIES III.

Quibus qvomodo est necessarius baptismus ad obtinendam salutem æternam?

Necessitas medii.

1. Ante Resolutionem præmitto 1. aliqvid esse necessarium necessitate medii ad salutem æternam, esse id, sine qvo etiam inculpabiliter non habito, salus obtineri non potest: sic sine gratia DEI, salus æterna. Necessarium necessitate præcepti est, qvod est necessariū ex præcepto: sic restitutio rei alienæ. 2. Baptismum suscipi in re vel in voto: in re est, in se, in aqva; in voto explicito, qvando baptizandus baptismum desiderat explicitè; in voto implicito, qvando baptismum implicitè desiderat, vult, qvod tunc facit, qvando de peccatis suis conteritur, Deum diligit super omnia, servare vult omnia ipsius mandata, conseqventer suscipere baptismum præceptum. 3. præmitto, qvæstionem utrum baptismus sit necessarius ad salutem? esse in via ordinaria, seclusô privilegiô Divinô: nam certum est, qvòd possit DEUS sanctificare in utero, sicut sanctificavit Joannem Baptistam, & sic modô extraordinariô salvare. His præmissis.

Præcepti.

Baptismus in re in voto

2. Dico 1. Baptismus, (nisi suppleat martyrium) in re omnibus parvulis est necessarius necessitate medii. Ita omnes Catholici. Probatur: generatio est necessaria necessitate medii ad vitam naturalem; ergo generatio per baptismum, est necessaria necessitate medii ad vitam spiritualē animæ. Addidi *in re*: nam parvuli, voti etiam impliciti non sunt capaces, cùm careant usu rationis.

Qvaliter necessarius baptis. parvul-

3. Dico 2. Adultis, baptismus in re vel in voto, est necessarius necessitate medii ad salutem ipsorum spiritualem. Ita omnes Theologi. Cōprobatur utraqve resolutio verbis Christi Domini, *Nisi qvis renatus fuerit ex aqva* &c. *Ioan.* 3. Qvando non potest haberi in re, sufficit illis in voto, cùm illius sint capaces; qvando verò potest haberi in re, non sufficit in voto: qvia non esset votum sive voluntas suscipiendi, qvando non susciperetur, dum posset suscipi: sicuti dum qvis ante confessionem actu contritionis justificatus, non liberatur ab onere confitendi, sed tenetur confiteri & petere absolutionem; ita baptismô voti justificatus, tenetur petere & suscipere baptismum. Neqve tunc est frustranea forma baptismi, nam sicut forma absolvendi, *absolvo te à peccatis tuis*, hunc sensum tenet, *Confero tibi gratiam ex se remissivam peccatorum actualium, si iis ligatus sis;* ita forma baptismi *ego te baptizo* &c. hunc sensum habet,

Adultis-

Confero

Confero tibi gratiam ex se remissivam peccati originalis, & actualium, quæ subjiciũtur baptismo, si sint in subjecto quod baptizatur. Præterea baptismus est necessarius ad acqvirendum characterem, qvô annumeratur populo DEI suscipiens, & deputatur ad recipienda Divina Sacramenta.

4. Dico 3. Baptismus præterea est necessarius necessitate præcepti adultis. Est de fide (a), & qvidem vi hujus præcepti, tenẽtur suscipere baptismum qvamprimùm. Ita communiter. Ratio svadet, nam sicut qvilibet adultus tenetur credere in Christum, statim ac fides Christi ipsi sufficienter proponitur; ita & talem fidem exteriùs profiteri per signũ à DEO deputatum, baptismum.

(a) Trident. Sess. 7. Can. 5. Garcia.

Pro discursu & solutione.

5. Nec refert, qvòd possit esse jam justificatus per contritionem perfectam; Nicodemus enim erat in gratia, & tamen dixit illi Christus, *Nisi qvis renatus fuerit ex aqva*, &c.

6. *Si* promoveas: Qvi graviter peccavit post baptismum, non tenetur qvamprimùm confiteri; ergo similiter qvi in peccato originali est, non tenetur qvamprimùm suscipere illum. *Resp.* Disparitatem esse, qvia baptismus non modò remittit peccata, sed etiam imprimit characterem in anima, hominem constituit membrum Ecclesiæ, datqve capacitatem ad alia Sacramenta; ideoq; absqve gravi causa differri non debet.

7. Dices: Videtur esse solus baptismus fluminis necessarius, & prodesse ad salutem, qvia dicit Christus *Ioan.* 3. *Nisi qvis renatus fuerit ex aqva* &c.

Resp. Sufficit baptismus fluminis in voto, qvi est baptismus flaminis. Qvi habet baptismum flaminis, habet baptismum fluminis in voto: nam qvi diligit Deum super omnia, vult servare legem ejus in omnibus, conseqventer vult suscipere baptismum, qvia de lege est suscipiendus baptismus. Unde in casu necessitatis, in defectu aqvæ aut ministri, qvi elicit actum contritionis, suscipit baptismum in voto, & sic salvatur (b). Sic etiam de Martyrio voluntario in adulto discurrendum: qvia in Martyrio tali, est amor DEI, ac voluntas servandi legem ejus in omnibus.

(b) D. Resolutus.

8. Urgebis: Ex his seqvitur non salvari parvulos per martyrium sceclusô baptismô, qvia ipsi nec explicitè nec implicitè volunt baptismum, cùm sint incapaces volitionis. Nec dicendum qvòd pro ipsis habeat votum, desiderium, Ecclesia; qvia aliàs omnes etiam non baptizati, non martyrizati, salvarentur: cùm Ecclesia desideret, ut omnes recipiant baptismum.

Resp. Qvòd parvuli salventur per martyrium, hoc fit ex speciali privilegio DEI, ob qvem sustinent illud. Ita D. R. & S. August. *lib.* 13. *de civit.*

civit. Dei. cap. 8. hæc habens: *Qvi dixit, Nisi qvis renatus fuerit ex aqva & Spiritu S. non intrabit in regnum cœlorum*, *aliâ sententiâ ipsos facit exceptos, ubi non minùs generaliter dixit: qvi perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Qvòd autem parvuli non perveniant alii ad baptismum, & sic moriantur, inde est, qvòd sint ita reprobati, ut neqve ad statum gratiæ perveniant. Ita D. R. *in* 4. *d.* 4. *q.* 2. *artic.* 2.

SERIES IV.

De Ministro,

SECTIO I.

Qvis possit, qvando, validè, licitè, baptizare?

(a) Trident. Sess. 7. can. 4. S. Auguft. & prax. qvòd non iteratur. (b) D. R. in 4. d. 4. q. 2. a. 1. cap. Romanos cap. Iudæos. (c) Conciliū Florent. D. August. apud Garciam.

1. ℟. ET dico 1. Validè tam in casu necessitatis qvàm extra casum necessitatis omnis homo, sive vir sive mulier, sive Pater sive Mater, sive hæreticus (a), sive non baptizatus, Paganus, Judæus (b) potest baptizare; dummodo loqvi sciat, abluere possit, & facere intendat quod facit Ecclesia (c). Ita declaratur locis in margine citatis.

2. Licèt hæreticus, aut alius, non sit in Ecclesia, non sit conjunctus cum Christo & Ecclesia per virtutem supernaturalem; tamen est conjunctus per intentionem faciendi id quod facit Ecclesia, aut qvod Christus instituit.

3. Dico 2. Licitè autem extra casum necessitatis, (seclusa delegatione & licentia) solus Sacerdos proprius, sive Episcopus sive Parochus proprius, baptizare potest. Unde nec Sacerdos qvicumqve, Religiosus, nec alienæ Parochiæ Parochus, nec alterius Diæcesis subditum, in sua Parochia Parochus potest baptizare: qvia *can. Interdicimus* 16. *q.* 1. districtissimè præcipitur, ne Sacerdos extra casum necessitatis, subditum alterius baptizet. Utrum autem per hoc incurrat excommunicationem? P. Bonæ Spei dicit qvòd sic: Garcia cum Salmanticensibus negat. Vide *Clementin. unic. de privilegiis.*

Garcia.

Diacon. solemnit. bapti. zans qvando incurrit irregularitatem.

4. A fortiori solemniter baptizare, Diaconus aut Clericus licitè non potest: baptizans enim taliter (seclusa delegatione & licentia) non solùm mortaliter peccat, sed & incurrit irregularitatem, ut constat ex *cap. de Clerico non ordinato ministrante.* & *cap.* 2. *ibidem*, etiamsi id faciat in casu extremæ necessitatis (e): qvia licèt necessitas reddat licitam actionem baptizandi, non tamen licitam reddit baptismi solemnitatem, cùm non sit necessaria. Escobar *lib.* 11. *num.* 383. notat, Clericum sine necessitate solemniter baptizantem, incurrere irregularitatem Papæ reservatam.

(e) Garcia.

5. Et

5. Et qvia, ficut Diaconus non folemniter baptizans, non incurrit irregularitatem, cùm præfatum cap. fit de folemniter baptizante; ita Sacerdos folemniter fine licentia Parochi baptizans, non incurrit irregularitatem: qvia dictum cap. eft de Clericis non Ordinatis, ob qvā rationem nec lajcus incurret (f). Ex præfato cap. colligant etiam Parochi, qvòd extra Ecclefiam non poffint folemniter baptizare, nifi filios Regum & Principum. (f)BonæSp.

Qvando poteft folemniter

6. Poffunt tamen Diaconi folemniter baptizare extra cafum neceffitatis baptizandorum aut baptizandi; fi id ipfis ab Epifcopo aut Parocho ex rationabili caufa committatur: Docent Gelafius papa *in Epift. ad Epifcopos Lucaniæ*, & Pius V. juxta *caput Doctos* 16. *q*. 1. & alii (g). Ex qvo (g) BonæSp. Layman.

7. Collige, Parochum Diaconum, poffe folemniter, extra cafum neceffitatis baptizare (h): nam eò ipfò qvòd ipfi conferatur jus Parochiale, deputatur ad baptizandum folemniter: fecùs dicendum de Subdiacono (h). Imò in terris infidelium, ubi nullæ Ecclefiæ funt fundatæ, poffunt Diaconi folemniter baptizare, propter privilegia Leonis X. Adriani VII. Pauli IV. Pii IV. & V. (i) (h) Gobat. Steph. à S. Paulo. (i) Suar. Bonæ Spei.

Differentia inter baptizantes.

8. Differentia eft inter Sacerdotem & Diaconum, qvòd Sacerdos Parochus, aut alius, baptizans extra neceffitatem alterius Parochiæ infantem fine licentia proprii Parochi, peccet qvidem mortaliter, tamen non incurrit excommunicationem; Diaconus autem incurrit: itē qvòd Sacerdoti poteft committi abfqve caufa, à Parocho adminiftratio baptifmi; Diacono verò folùm ex caufa jufta & rationabili, fcilicet ob gravem infirmitatem Parochi, in abfentia Sacerdotis, vel ob multitudinem baptizandorum (k). Differentia inter Diaconum & Clericum, qvòd Clerico nec ab Epifcopo poteft committi ex qvacumqve caufa, nifi à Summo Pontifice (l), adminiftratio folemnis. (k)BonæSp. Layman. (l)Garcia & alii.

9. Licèt in cafu neceffitatis qvilibet, non folùm validè, fed & licitè baptizare poffit; fervandus tamen eft ordo, fcilicet, qvòd non baptizatus baptizato cedere debeat, infidelis fideli, mulier viro, (nifi Matris pudor (ut qvia infans non eft totaliter natus) aut alia ratio contrarium fvadeat, v.g. qvòd fit ignarus formæ, aut non vult) Lajcus Clerico, Clericus Diacono, Diaconus Sacerdoti (nifi excommunicatus fit (m); fi tamen fit toleratus, & rogetur, miniftrare poteft; cùm dignior fit, & neceffitas qvòad ftantes urget, eò qvòd fit toleratus). Ita ex Rituali Romano tit. *de Miniftro baptifmi* communiter. Secùs faciens, mulier in præfentia viri, Lajcus in præfentia Clerici, (n) Clericus in præfentia Subdiaconi (o), Clericus aut Subdiaconus in præfentia Diaconi (p), peccat venialiter tantùm, & non mortaliter. (m)Suar. Bonac. Bonæ Sp. contra N. Cornei (n)Suar Bonac. (o) Gonet. (p)Salmāticen. Suar contra alios

10. Qvid de Sacerdote? Vel ille Sacerdos eft proprius baptizandi.

hoc eſt ipſius Parochus, aut à Parocho deſtinatus? Sic certum eſt, ſive Lajcum ſive Clericum, ſive Diaconum baptizantem coram illo, peccare mortaliter; niſi ante adventum ipſius ſit inchoatus actus: conſtat hoc ex decreto Gelaſii Papæ *in cap. Diaconus d.* 93. & ex *cap. de conſecrat. d.* 4. Vel Sacerdos nec eſt Parochus, nec à Parocho deſtinatus? Tunc de tali controvertunt DD. Negativam tenet Bonæ Spei cum ſuis. Affirmativam Garcia, Suar. Bonac. Dian. & alii. Ratio eſt, qvia Sacerdos vi ſuæ conſecrationis, eſt Miniſter baptiſmi ex officio: qvando ergo Lajcus ipſo præſente baptizat, verè uſurpat ipſius officium, & ſic mortaliter peccat. Nec poteſt Sacerdos dare Laico licentiam in præſentia ſua baptizandi, cùm hoc eſſet cum injuria Ordinis.

11. Ex hoc tamen qvòd ſit Miniſter vi conſecrationis, non ſeqvitur qvòd poſſit adminiſtrare, & ſolemniter baptiſmum ſine licentia Parochi conferre: qvia ob juſtas cauſas hoc Eccleſia committit Parochis. Præter ordinationem reqviritur Jurisdictio.

Neceſſitas declaratur. 12. Nota, neceſſitatem de qva hucuſqve, non debere eſſe extremam, ſed ſufficere probabile dubium, aut timorem prudentem, ne infans ſine baptiſmo decedat, dicit N. Bonæ Spei: ut ſi v.g. natus ſit ſine lacrymis, aut ſingultibus, ſignum enim eſt qvòd aëris intemperiem fortioris vitæ defectu, non ſentiat; aut ſi magnas moleſtias, & ſuffocationis periculum in egreſſu paſſus ſit; aut ante menſem 7. vel 6. natus ſit, tales enim plerumq; Doctorum judiciô non ſolent diu vivere.

SECTIO II.

Vtrum idem ſeipſum, unus plures, plures unum valeant baptizare?

Pro diſc. & ſolutione

D.R. in 4. d. 4. q. 1. a. 2.

1. POteſt ſeipſum communicare, ut patet in qvotidiana celebratione Miſſæ; non poteſt ſeipſum baptizare, qvia Chriſtus reqvirit diſtinctam perſonam baptizandi à baptizante: patet ex verbis ejus; *baptizantes eos*; & ex factis, ipſe enim à Joanne eſt baptizatus, Petrus à Chriſto, Andreas & Jacobus à Petro, &c.

2. Qvòd autem poterat ſe circumcidere Judæus, ut notant Abulenſis, Henriqvez & alii, Ratio eſt, qvia non obſtat verificatio verborũ, prout obſtat illi, qvi ſe baptizaret; falſum enim diceret *baptizo te*. Et ſi diceret *baptizo me*, iterum perperàm diceret, cùm reqviratur ad baptiſmum diſtinctum ſubjectum.

3. Qvando Innocentius III. *cap. Debitum de baptiſmo* dicit, Judæum qvi ignoranter ſe baptizavit, ſalvatum eſſe; intelligit ſalvatum in baptiſmo flaminis.

Vnus plures baptizare

4. Unus plures ſimul baptizare poteſt, non minùs qvàm Sacerdos plures

plures hoſtias ſimul conſecrare, Confeſſarius plures ſimul abſolvere: eſt ſententia S. Thom. *q.* 67. *a.* 6. *ad* 2. Doct. Reſ. *in* 4. *d.* 4. *q.* 2. *a.* 1. Ratio eſt D.R. qvia *baptizo vos*, idem eſt qvod *te & te*, qvod verum eſt de forma.

Plures unum

5. Poſſunt plures ut cauſæ totales (hoc eſt, ut uterqve & abluat & formam dicat) unum eumdem baptizare validè. Ita D. R. *loc. cit.* dũmodo uterqve dicat *ego baptizo te*: nam ut advertit D. R. *Nos baptizamus, non eſt idem qvod ego & ego, (cap. de baptiſmo) ſed eſt idem qvod ego & ille & illa: & illa non eſt de forma. Nec traderent aliud & aliud Sacramentum; ſed Chriſtus qvi eſt unus interiùs baptizans, unum Sacramentum per utrumq; conferret*, inqvit S. Thomas hîc *artic.* 6. Si autem unus citiùs finiret formam baptiſmi qvàm alius, ille ſolus baptizaret.

6. Jam autem plures, ut cauſæ inadæqvatæ, partiales, (hoc eſt, ut unus formam dicat, alter abluat) non poſſunt validè unum baptizare (a). Probat D. R. hôc mediô: *quia Chriſtus non dixit tantùm, euntes baptizantes; ſed copulat, baptizantes in nomine Patris* &c: *baptizantes* ſpectat ad materiam, *in nomine Patris* ad formam. Unde

(a) S. Thom. 3. p. q. 66. a. 5. D. R. in 4. d. 4. q. 2. a. 1.

Pro diſcurſu & ſolutione.

7. Non valet baptiſmus in eo caſu, qvô mancus diceret formam, & mutus ablueret: qvia non verificaretur forma, falſum enim diceret, *ego abluo*.

8. Dices: *Sed* v.g. ſi diceret formam Græcorum, *Baptizetur ſervus DEI in nomine Patris* &c. verificaretur forma. Nego qvòd verificaretur, nam ſubintelligitur *à me*: patet ex alia eorum forma relata à Florentino, in qva ſic dicitur: *baptizatur manibus meis* N. *in nomine Patris*.

9. Probabis formam verificari: nam ſive dicatur *baptizatur à me*, ſive *ego baptizo*, ſenſus eſt in anima, *te ego abluo*. *Reſp.* Ut qvis baptizandum abluat in anima, abluere debet corpus ejus.

10. Urgebis: Atqvi ille mancus ablueret corpus, nam juberet ſuum mutum hoc facere; qvi autem per alium facit, per ſeipſum facere videtur, juxta Theologorum axioma. *Reſp.* & dico: ad valorem baptiſmi ex inſtitutione Chriſti, non ſufficit qvòd miniſter videatur abluere, ſed ut in re abluat. Ut actio alicui tribuatur tamqvam agenti morali, ſufficit, qvòd ejus præceptô aut ſvaſione fiat; ut verò tribuatur ipſi tamqvã Miniſtro Sacramẽti, reqviritur qvòd fit ab illo immediatè & phyſicè, ut patet in forma conſecrationis: jubeat alium dicere formã; producetne corpus Chriſti, ſi ipſemet non dicat?

11. Concludes ex P. N. Lezana: Ille verb. *baptiſmus num.* 12. dicit, probabile eſſe apud aliqvos (b), qvòd ſi qvis in caſu neceſſitatis & periculo mortis baptizandi, accedere non poſſet ad ipſum, poſſet ſub cõditione baptizare, de longinqvo proferendo formam, jubendo, ut alius

(b) Leander Cajet. Marſilius Sotus Suar. Paſqvalig.

alius qvì propè ipsum est, aqvâ eum abluat. *Resp.* Admitto casum: sed utrum probabilitas sit sufficiens, de hoc controvertunt DD. negante P. B. Spei. Non tamen nego in extrema necessitate posse conditionatè uti baptismo qvomodocumqve probabili: qvia meliùs est baptizari baptismô dubiô, qvàm nullô (c).

(c) Suarez. Pasqvaligus

SERIES V.

De Patrinis.

SECTIO I.

An, qvot, qvales, qvando reqvirantur Patrini in administratione Baptismi?

(a) D. R. in 4. d. 40. S. Th. 1. p. q. 67. art. 8.

1. CONCIL. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 24 dicit: Parochus diligenter inqvirere debet, qvis sit à Parentibus seu Tutoribus baptizandi designatus, ut baptizatum levet de Sacro fonte; neqve ad baptismum procedere debet, qvousqve hic destinatus sit (a). Unde Parochus solemniter sine Patrino baptizans, peccat mortaliter.

(b) Suar. Laym Sanch Aversa. Diana.

Patrinus non debet sed potest adhiberi in privato baptismo.

2. Patrinus non est de necessitate baptismi, patet ex collatione privati in necessitate; sed est de præcepto adhibendus in solemni, ut patet ex Authoritate immediatè posita; non in privato, sive in, sive extra necessitatem tali (b). Ratio est, qvia ritus accidentales baptismi, non sunt necessariò adhibendi in baptismo privato. Potest tamen adhiberi etiam in extrema necessitate. Ita DD. communiter apud N. Garciam. Ratio est, qvia Patrinus non solùm reqviritur propter solemnitatem baptismi, sed etiam propter exigentiam baptizati, ut sit qvi illū instruat rudimenta fidei, casu qvo parentes & consangvinei deficerent.

(c) BonæSp. Garcia. Busenbau.

3. Licèt prohibeantur aliæ cæremoniæ in baptismo privato, Decretô Clementis; non tamen Patrinus (c): patet inde, qvòd qvando postea in Ecclesia supplentur solemnitates, alius Patrinus qvàm assumptus in privato, non admittitur (c).

Validè Patrinus.

4. Ut autem qvis sit validè ac verè Patrinus, contrahens cognationem spiritualem, reqviruntur conditiones. 1. Ut sit baptizatus: colligitur ex Concil. Mogunt. *cap.* 47. relato *in cap. Baptismate de Consecrat.* Ratiò est, qvia sicut, ut qvis contrahat cognationem carnalem, primò debet esse natus carnaliter; ita ut contrahat cognationem spiritualem, primò debet esse natus spiritualiter per baptismum. 2. Ut sit compos rationis: qvia debet intelligere suam obligationem, qvòd teneatur baptizatū si opus sit, instruere in rebus fidei. Qvam verò ætatē habere debeat, nullibi in jure præscribitur (d), nisi alicubi praxis præscribat;

tamen

tamen & ibi puella magnæ notæ, familiæ, gratiâ honoris, poteſt aſſumi pro Patrina, dummodo ſit Patrinus aliqvis maturus. Ita Marchantius hîc *cap.* 43. 3. Ut intentionem agendi more Eccleſiæ Patrinum habeat: ratio eſt, qvia validè agens Patrinum, contrahit obligationem annexã officio; ſine intentione autem & conſenſu, non poteſt oriri obligatio: *leg. in omnibus negotiis ff. de actionibus & obligationibus.* Unde ſi qvis commoditatis gratiâ teneret, & levaret, ut ſervi faciunt Dominis ſuis miniſtrando, non contraheret. Si autem qvis velit munus Patrini obire, & diſſentiat cognationi, non poteſt eam impedire: qvia acceptavit lubens officium, cui ex jure Eccleſiaſtico annexa eſt cognatio. 4. Ut baptizatum per ſe vel per Procuratorem tangat, ſuſcipiat, teneat: nam Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de reformat. Matrimonii cap.* 2. dum cognationem ſpiritualem inter ſuſcipientem & ſuſceptum conſtituit, tunc hiſce terminis, *ſuſcipit tenet levat tangit. Unde ſi aliqvis non tangit baptizatum vel confirmatum, ſed ſimulat ſe tangere, non efficitur Patrinus*, dicit D. R. *in* 4. *d.* 40. *q. unic. art.* 4. (d) N. Bonæ Sp. Garc.

5. Utrum ad hoc, ut validè qvis Patrinum agat, & cognationem ſpiritualem contrahat, reqviratur deſignatio ejus? qvod aliis verbis qværi poteſt, ſi nullus eſſet deſignatus in Patrinum, & plures levarent, ſuſciperẽt, utrum illi efficerentur Patrini, & contraherent cognationem ſpiritualem? *Reſp.* D. R. *in* 4. *d.* 40. *q.* 1. *a.* 2, ubi hæc habet: *Et ſcias qvòd licèt unus ſolus debeat levare in baptiſmo, in confirmatione; ſi tamen plures levent, contrahitur cognatio qvòad omnes.* Ita Ledeſm. & Barboſ. qvi *de poteſtate Epiſcopi* 2. *p. allegat.* 30. *num.* 11. refert ita eſſe declaratum à S. Congregatione. Ratio eſt, cùm de hoc caſu nihil decidat Tridentinum, regulari debet res ſecundùm jura antiqva: at ſecundùm jura antiqva, tangentes, ſuſcipientes, omnes efficiebantur Patrini, contrahebantq; cognationem ſpiritualem, ut habetur *cap. de cognat. ſpirituali in* 6. ergo etiam in caſu noſtræ reſolutionis: minùs enim eſt inconveniens plures habere Patrinos, qvàm nullum. Sicut Conc. Tridentinum jubet aſſignari Patrinũ, ut plures non contrahant cognationem ſpiritualem, & impedimentum Matrimonii; ita etiam in caſu non aſſignationis, ſi tangerent, levarẽt, non irritat illorum officium & cognationem. Ita declaratum refert Rebellus *in appendice ad lib.* 4. *de Sponſalibus ſeſſ.* 4. *num.* 95.

Ad eſſe validi Patrini nõ reqviritur deſignatio.

Suar. Sanch.

6. Ut verò qvis licitè Patrinum agat, reqviruntur conditiones. 1. Ne ſit hæreticus, ille enim qvi caret fide, ineptus eſt, ut inſtruat in fide: ſimiliter ne ſit Apoſtata. Attamen ſpectanda eſt conſvetudo. 2. Ne ſit publicè excommunicatus: qvia talis eſt à communione fidelium ſeparatus. 3. Ne ſit moribus depravatus: qvia talis potiùs in deſtructionem non ædificationem eſt. 4. Ne ſit ignarus fundamentorum fidei, & Symboli

Licitè

Symboli Apoſtolici; qvia in his inſtruere debet baptizatum. 5. Juxta probabiliorem ſententiam, ne ſit Monachus, Monialis, aut Religioſus cujuſcumqve Ordinis: qvia ita habetur in Rituali Romano Pii V. de Patrino: *Ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, vel alicujus Ordinis Regulares à Sæculo ſegregati* (e). Excuſat tamen Abbates in aliqvibus locis conſvetudo pacifica, ut notat Noſt. Stephanus à S. Paulo.

(e) Laym. Rodriqvez. Sanch. Garc.

D U B I A.

7. Primò utrum duo Conjuges ſine peccato poſſint eſſe Patrini alienæ prolis? *Reſp.* qvòd ſic (f): qvia nullibi hoc prohibetur, teſtante Urbano II. *in cap. final.* 30. *q.* 4. Parochi tamen non debent eſſe faciles in admittendo maritum cum uxore ad officium ſuſceptorum, propter cit. caput.

(f) Layman. Leander. Sanch.

8. Secundò utrum Parentes poſſint propriã prolẽ ſuſcipere? *Reſp.* In caſu neceſſitatis, etiam in ſolemni baptiſmo, poteſt Parens Patrini munus exercere erga propriam prolem, ſi alius adhiberi non poſſit (g), cùm ex præcepto in tali Patrinus adhibendus ſit; & Parens ſicut in caſu neceſſitatis poteſt baptizare propriam prolem, ita & ſuſcipere: colligunt DD. ex *cap. Ad limina* 30. *q.* 1. Extra caſum neceſſitatis, maximè in ſolemni baptiſmo, non poteſt Parens propriam prolem ſuſcipere: nam ſtatuitur hoc in *cap. Pervenit*, & *in cap. Dictum eſt* 30. *q.* 1. & ſic tenet D. R. *in* 4. *d.* 40. *q.* 1. *a*, 4. S. Thom. *q.* 67. *a.* 8. *ad* 2.

(g) Bonæ Sp.

Parens propriam prolẽ ſuſcipiens in caſu neceſſitatis Extra.

9. Qværitur, utrum parens ſuſcipiens ſcienter propriam prolem extra caſum neceſſitatis, in baptiſmo ſolemni, contraheret cognationem ſpiritualem cum propria uxore? *Reſpondet* P. Bonæ Spei qvòd non: è contra P. Garcia qvòd contraheret, qvia juxta Trid, *ſeſſ.* 24. *cap* 2. *de reformat. Matrimonii*, contrahit cognationem ſpiritualem cum Matre baptizati.

An jure petendi debitũ.

10. Ulteriùs qværitur & eſt difficultas inter DD, non levis, utrum Maritus per hanc cognationem ſupervenientem privetur jure petendi debitum? Triplex eſt circa hoc ſententia. Una aſſerit, ipſum in tali caſu privari jure reddendi & petendi. Secunda jure petendi, non reddendi. Tertia probat, nec jure petendi nec jure reddendi privari illum. Ita D. R. *in* 4. *d.* 40. *q.* 1. *a.* 4. Gloſſa *cap.* 2. *de cognat. verſu debitum.* & alii (h), etiamſi id faciat ex malitia: qvia nullibi hæc pœna jure præſcribitur, jura enim de impedimento matrimonii, non de impedimento petendi debitum loqvuntur.

(h) Durand. Suar. Perez. Bonæ Spei

Non privandus.

11. Licèt jure antiqvo parentes proprios filios de Sacro fonte levantes, contraherent impedimentum petendi & reddendi; hoc tamen impedimentum eſt ſublatum per contrariam conſtitutionem Alexandri III. qvæ habetur *cap. Si vir de cognat. Spirit.* Vide D. R. *loc. cit. num.* 4.

SECTIO

SECTIO II.

Qvot Patrini reqvirantur, & cum qvo cognationem contrahant Spiritualem?

1. ℞. TRidentinum loc. cit. unum tantùm reqvirit Patrinum, ita enim dicit: *Vnus tantùm, sive Vir sive Mulier, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiat.*

Patrinus unus aut unus & una.

2. An in defectu viri possint admitti duæ mulieres adultæ? *Resp.* qvòd non: qvia Conc. Trident. expressè dicit, *unus vel una, vel ad summum unus & una*; non dicit unus & unus, aut una & una. Sed qvid si per errorem & ignorantiam Parochi, admitterentur unus & unus? *Resp.* Essent verè Patrini si tangerent, susciperent &c. Docent Navar. Pontius, Rebellus: qvia Conc. Trident. in Decreto prohibitivo, non continet clausulam irritantem, si aliter contingeret fieri.

Tamen unus & unus contráherent cognationem spiritualem.

3. Patrini cum baptizato, & Patre ac Matre baptizati; baptizans cum baptizato, Patre ac Matre ejus, contrahit cognationem spiritualem. Ita Conc. Trid. *Sess.* 24. *de reformat. Matrim. cap.* 2. Nulla autem inter Patrinum & Matrinam contrahitur cognatio spiritualis, qvia hoc expressè declaratur *cap. finali de cognatione spirituali in* 6.

Inter qvos cognatio spiritualis.

4. Si Pater cum sua uxore levaret propriam prolem, contraheret cum ea cognationem spiritualem, non qvà est Patrina, sed qvà est Mater hujus prolis: ut patet suprà *num.* 9.

SERIES VI.

De Subjecto Baptismi.

SECTIO I.

Qvis, qvando, ubi, & qvomodo est baptizandus?

1. ℞. SUbjectum baptismi, esse qvemcumqve hominem vivum. Unde Satyr, animal genitum ex fæmina & bruto, non est capax baptismi, cùm non sit homo. Secùs si nascatur monstrum ex fæmina & viro.

Homo vivus non animal genitum ex fæmina & Bruto. Monstrum.

2. Qvid si nascatur monstrum habens caput ferinum, cætera membra humana? *Resp.* Tale monstrum non esse priùs baptizandum, qvàm constet esse hominem, dempto casu mortis, tunc conditionatè.

3. Qvid si monstrum habeat duo capita, duo pectora? *Resp.* Duplici baptismo sigillatim, aut unô, dicendo *baptizo vos*, baptizandum esse.

Duo capita duo pectora.

4. Qvid si dubitetur, an sit duplex anima? qvod contingit, si habeat duo capita cum uno pectore, aut è contra. *Resp.* Duplicem baptismum conferendum esse, unum absolutè in parte in qva perfectiùs caput vel pe-

ctus apparet ; alterum sub conditione, in altera parte : habetur pro hoc *cap. de qvibus dubium est* apud D.R. (a)

(a) Bonac. Laym &alii

5. Dixi *vivum*, non ut alii (b) *natum* : nam licetsi extra periculum necessitatis non baptizatur nisi natus, eò qvòd qvi natus adhuc secundùm Adam non est, secundùm Christum regenerari non potest, *de consecr. d.* 4. & D.R. *in* 4. *d.* 5. *q.* 2. *art.* 1. dicit, qvòd puer non potest baptizari in utero; tamen si prudenter dubitetur, qvòd pariens non sit editura prolem vivam, potest baptizari conditionatè non dum natus : & sic obstetrix potest attingere fœtum, inspergendo aqvã in uterũ, aut in digito baptizandi. Si prodit in lucem, abluere eum potest (c) : qvia & S. Thomas qvi de ordinario modo negat, de extraordinario modo in periculo mortis apud D. R. admittit loc. cit. sic dicendo : qvodsi timeatur de periculo, egresso capite baptizari debet (ut qvidam dicunt): secùs autem de aliis partibus, ut de manu, pede &c. Et addit, *qvamvis non noceat*, & *si tunc aspergerentur illæ partes baptizmali aqva : qvia Divina misericordia non est arctanda*. Et D. R. concludit his verbis : *Opinio Thomæ est magis pia*, & *magis videtur secura ; videlicet qvæcumqve pars appareat*, *debet perfundi*. Pro qvo casu D.R. adducit Ostiensem proponẽtem casum : Qvi dsi mulier laboret in partu, & timeatur de morte prolis, & caput appareat, sed non potest sciri utrum sit masculus aut fæmina ? *Resp.* Ostiensis : consulo obstetrici, qvòd accipiat aqvam, & leniendo caput, vel faciendo cum aqva crucem super ipsum, dicat sic : *creatura Dei ego baptizo te in nomine Patris*, iterum leniendo, & *Filii*, & iterum leniendo dicat, & *Spiritûs Sancti*. Si proles nascatur, deferatur ad Sacerdotem, qvi qværat de forma servata sic ; & secundùm quod audit, vel iterum baptizabit, vel supplebit qvod est omissum. Sed qværitur qvo nomine tunc debet baptizari ?

(b) Richard. Suar. Fillinc.

(c) Valent. Bonac. Layman. N. Lezana, Pasqv.

Qvomodo baptizandus in periculo mortis.

Resp. Qvòd sive sit masculus sive fæmina, congruè potest appellari creatura bona vel cara : de nomine non est magna cura, cùm nomen mutari possit in confirmatione, dummodo hoc non fiat in fraudem.

Pro discursu & solutione

6. Dices : Aliud est dum apparet caput aut pes, aliud qvando secundùm omnia membra est in utero matris. *Resp.* Cujus caput solùm aut pes apparet, nondum est natus, qvia potest ad uterum hoc membrum reverti, & potest sanctificari in utero, ut legitur in *S.* Scriptura de S. Joanne Baptis. & à Reverendissimo Carthagena Generali Seraphicæ Familiæ Franciscanorum, de *S.* P. N. ELIA probatur : Cur non & baptizari in utero ?

Natus in utero Natus ex utero.

7. Urgebis : Christus Dominus dixit *Ioan.* 3. *Nisi qvis renatus fuerit* &c. Et S Aug. *lib.* 2. *de pecc. cap.* 27. apponit : *Sicut homo*, *qvi non vixerit*, *mori non potest ; ita qvi natus non fuerit*, *renasci non potest* : atqvi qvi ex utero non-

nondum in lucem prodiit, natus nondum eſt; ergo renaſci non poteſt. *Reſp.* Licetſi talis nondum natus ſit ex utero, eſt tamen natus in utero. Clarificat & comprobat dictum de Chriſto Domino ab Angelo, S. Joſeph: *qvod enim in ea natum eſt, de ſpiritu Sancto eſt, pariet autem Filium* &c. Matt. 1.

8. Neqve ſeqvitur (inqvit Paſqvaligus) qvòd homo bis naſcatur; qvia nativitas ex utero, non eſt diſtincta moraliter à nativitate in utero, ſed eſt ejus complementum. Eſt una nativitas moraliter.

9. Si Mater gravida, per ſententiam Judicis damnetur ad mortem, differenda eſt executio: *lege Prægnantis ff. de pœnis.* Si verò ex dilatione mortis immineret periculum grande Reipublicæ, tunc nonnulli afferunt, poſſe aperiri uterum Matris ipſa vivente, ut extrahatur proles, & baptizetur.

10. Dum gravida in partu aut proxima partui moritur, ſtatim in ore ejus eſt ponendum aliqvod inſtrumentum, ut puer reſpiret: & ſi domeſtici ſint negligentes, Parochus poteſt curare aperiri uterum, ut proles ſi vivit baptizetur. Ita Henric. Marchant. Leodigen. Paſtor. Moriente Matre os aperiendum.

11. Extra caſum neceſſitatis, non poſſunt niſi Filii Regum & Principũ domi baptizari, dicit D.R. niſi talis neceſſitas emerſerit, propter qvam non poſſint ad Eccleſiam ſine periculo accedere. Sed nomine Principũ, omnes Potentes & Divites intelliguntur: *de materia & objecto* cap. *Omnes* apud D.R. *in* 4. *d.* 6. *q.* 1. *a.* 2. Domi niſi Filii Regum baptizandi.

SECTIO II.

Vtrum invitis Parentibus poſſint baptizari infantes?

1. DIco *infantes:* qvia jam extra dubium eſt, qvòd adulti ſint baptizandi, dum id petunt: nam talis, habet jus petendi id, qvod ſibi eſt neceſſarium ad ſalutem, cùm ſit ſui juris in iis qvæ pertinent ad bonum animæ. Nec tenetur Patri obedire in iis, qvæ ſunt DEO & ſibi ad ſalutem contraria. Sed talis debet ſubtrahi Parentibus, ut vitetur periculum perverſionis, docet S. Thom. 3. *p. q.* 68. *a.* 5. Emmanuel, Sa. & alii. Adulti poſſunt baptizari dum petũt

2. Si autem dubitetur, an polleat uſu rationis; ſecundùm plures DD. baptizandus eſt, maximè finitô ſeptenniô: qvia in dubio declinandum eſt in favorem fidei; & in ſeptennio præſumitur habere uſum rationis. De infantibus ergo carentibus uſu rationis procedit dubium: non qvòad valorẽ baptiſmi, cùm præter materiam & formam per intentionem Miniſtri infanti applicatas, plus nullibi præſcribatur, ſed ad eſſe liciti. Infantes ſẽper validè baptizantur.

3. Non enim voluntas Patris reqviritur: nam ait Aug. *Ep.* 23. *ad Bonifacium:* Pro diſc. & ſolutione

nifacium: *Non enim ſcriptum eſt, niſi qvis renatus fuerit ex Parentum voluntate* &c. *Sed, niſi qvis renatus fuerit ex aqva & Spiritu Sancto.*

4. Ad peccatum Originale reqviritur actus voluntatis alienæ, qvia in ordine ad contrahendum originale, præceſſit pactum à DEO initum cum Adamo, in qvo omnes ideo peccârunt; non reqviritur actus voluntatis Parentis ad baptiſmum, qvia nullum tale pactum DEUS iniit cum Parentibus. Deinde habetur voluntas Chriſti ſupremi Patris, in qvo omnes reviviſcunt, ſicut in Adamo mortui ſunt.

Ad eſſe liciti difficultas.

5. Ad eſſe liciti ergo ſolùm difficultas eſt, & qvidem non de infantibus hæreticorum, aut Apoſtatarum qvi à fide receſſerunt, cùm hi per baptiſmum ſint Eccleſiæ ſubjecti, poſſunt cogi ad omnem legem adimplendam, conſeqventer ad hoc ut baptizentur illorum filii; ſed de aliis, qvi ſunt Parentum non baptizatorum.

Subjectio multiplex.

6. Parentes infideles non baptizati, in multiplici differentia conſiderantur: alii enim nullatenus ſubditi ſunt Principibus Chriſtianis; alii qvi ſubjectantur politicè & civiliter, ut ſunt vaſalli, qvi qvidem cogũtur ſolvere tributa, habent tamen dominium in bona naturæ & fortunæ; Alii ſubjiciuntur deſpoticè & ſerviliter, qvi jure belli vel emptionis, vel aliô titulô juſtô ita ſubduntur Domino, ut nullum dominium retineant. Qvia bellô capti poterant occidi, à ſervando dicti ſunt ſervi ſtrictè. de his omnibus

Qvorum filii neqveunt baptizari.

7. Dico 1. Filii infidelium, non tantùm illorum qvi ſolùm civiliter, ſed etiam eorum qvi nec civiliter ſunt ſubjecti Chriſtianis Principibus, invitis Parentibus baptizari neqveunt. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 68. *a.* 10. cum ſua ſchola, contra Scotum *in* 4. *d.* 4. *q.* 9. & ſcholam ejus. Qvòd autem D. R. ſit iſta ſententia, videndus eſt *in* 4. *d.* 3. *q.* 1. *a.* 2. *vers. ſed numqvid*; & probatur ratione ex ipſo deſumpta: Si filii infidelium, etiam civiliter ſubditorum, poſſent ipſis Parentibus invitis baptizari, vel eſſent relinqvendi ſub patria poteſtate & cura, vel eripiendi? Primum dici non poteſt, qvia alioqvi baptiſmus evidenti profanationis formalis periculo, exponeretur, aut infans mortis vel perſecutionis caſui. Non ſecundum, qvia Parentes jure ſuo ſpeciali qvod habent in filios magis qvàm in fortunam, ſpoliarentur, qvod non licet.

(a) D. Thõ. Gonet.

Qvorũ poſſunt.

8. Dico 2. Filii infidelium deſpoticè ſubjectorum Principibus Chriſtianis, poſſunt baptizari invitis Parentibus. Eſt reſolutio D. R. *loc. ſuperiùs cit.* & aliorum in margine (a). Probatur: Baptiſmus in lege gratiæ, ſucceſſit circumciſioni: at in lege antiqva, filii infidelium bellô capti, poterant circumcidi invitis Parentibus *lib.* 1. *Machab. cap.* 21. ergo & nunc filii infidelium captivorum, qvi ſunt mancipia Chriſtianorum, poſſunt baptizari invitis Parentibus. Servus ſtrictè talis, habet jus in filium totaliter

extin-

extinctum, ita ut Dominus ipsius, sive illum, sive filium, possit dare cui vult, vendere &c; ergo & baptizare à Patreq; separare (b).

9. Casus sunt, in qvibus possunt licitè baptizari filii infideliũ, etiã civiliter subjectorum Principibus Christianis. 1. Qvoties existunt in evidenti periculo mortis, maximè si id posset fieri occultè, sine magno strepitu Parentum (c). Ratio est, tum qvia subveniendum est extremè indigenti; tum qvia cessat periculum perversionis & Apostasiæ: tum qvia tunc nulla fit injuria Parentibus, nam tunc non eripitur infans eis per baptismum, sed per mortem. 2. Dum à Parentibus suis distant, ita ut non possint illis remitti: patet inde, qvòd infantes ex Æthiopia adducti, ab Ecclesia baptizari solent. 3. Qvando ex Parentibus vir convertitur ad fidem, ita enim decrevit Gregorius IX. *in cap. Ex litteris de conversione infidelium*; aut uxor, ut statuitur in Concil. Toletano 4. *in cap. Judæi* 28. *q.* 1. 4. Si Pater aut Mater consentiat: voluntas enim justa, injustæ præferenda est, in favorem prolis & fidei.

(b) Bonæ Sp. Diana.

(c) Bonæ Sp. Bonac. Diana.

10. Collige: solùm Principes habere hanc potestatem baptizandi per Ministros Sacramenti, talium infidelium infantes. Ita communiter. Ratio D. R. est, qvia in illis solùm est potestas separandi filios à Parentibus. Non tamen tenentur, etiam ex charitate extra casum necessitatis, invitis Parentibus, infantes illorum baptizare (d): patet hoc ex summis Pontificibus, qvi hoc non faciunt, nec fecerunt.

(d) Suar. Heriq. Layman. Bonac.

11. Dices: Tenetur Dominus, imò qvilibet alius ex charitate accipere infantem è potestate Parentum, si velint illum interficere; ergo & in casu qvòd nolint ipsum baptizare. *Resp.* Disparitatem esse hanc, qvòd in primo casu, est in extrema necessitate, in qva tenemur proximo subvenire; in secundo verò casu, non est in extrema necessitate ob dilatum baptisma.

Non tamen ex obligatione.

12. Licèt valeant Principes baptizare filios infidelium despoticè subjectorum, non tamen infideles directè cogere ad fidem: nam hoc statutum est *cap. Qvi sincera* 45. *dist.* & in Conc. Toletano 4. *cap.* 56. ut habetur *de Judæis* 45. *d.* Quos textus ex jure allegat D. R. *in* 4. *q.* 12. *Prologi a.* 3. *vers. nec obstat*: & intentum probat ex dicto *cap. de Judæis* ubi dicitur: *Non vi compellendi sunt homines ad credendum, sed vocante gratia DEI, & propria interiori conversione salvandi, sicut & propria voluntate peccaverunt.*

Non possunt tamẽ parentes ad fidem cogi directè.

13. Dixi *directè*: qvia posse indirectè illos ad fidem compelli, probat ex professo D. R. *loc. cit. art.* 2. & 3.

licet indirectè.

14. An Judæi sint servi Ecclesiæ & Christianorum Principum, servitute stricta? Controvertunt DD. Probat D. R. *in* 4. *d.* 5. *q.* 1. *a.* 2. *ver. item Judæi &c.* illos esse strictè servos, *qvos propria culpa submisit perpetuæ servituti, eò qvòd in mortem Christi neqviter conjuraverint.* Cum eo tenet S. Thõ.

Judæi sunt servi.

 2. 2. q.

2. 2. *q.* 10. *a.* 12. *ad* 2. & 3. & *p.* 3. *q.* 68. *a.* 10. *ad* 2. *opusc.* 21. *ad Ducissam Brabantiæ*, & alii in margine (e). Attamen dicendum, qvòd licetsi de licentia Summi Pontificis, invitis Parentibus possint licitè eorum filii baptizari, prout colligitur ex determinatione juris Canonici *causâ* 28. *q.* 1. *Judæorum*, & in hoc sensu intelligendi D. Thom. & D. R. Tamen seclusо assensu ipsius, prædicti filii invitis Parentibus, non possunt baptizari: tum qvia, licèt Judæi sint servi Ecclesiæ stricta servitute, sunt tamẽ servi tolerati, ex benignitate Ecclesiæ; tum qvia Julius III. *die* 9. *Julii Anno* 1551. constitutione speciali qvæ incipit *Cùm sicut accepimus* expresse inhibet, sub pœna suspensionis à Divinis, & mille ducatorum auri, ipsô factô incurrenda, ne ulla Persona Ecclesiastica, aut Sæcularis, filios Judæorum in locis statûs Ecclesiastici habitantium, tam masculos qvàm fæminas, invitis Parentibus violenter auferre, vel subducere, baptizare valeat, vel præsumat (f).

(e) Durand. Marsil. Capreol. Cajet. Gonet.

Sine licentia Summi Pôtificis non sunt baptizandi.

(f) Noland. Ioan. de Zalorzáno Garcia hîc.

SERIES VII.

Qvid operatur Sacramentum Baptismi?

Effectus baptismi gratia

(a) D. R. in 4. d. 17. q. 1. artic. 3. parag. 1. ad 1.

Remissio peccati.

1. PEr baptismum conferuntur baptizato, gratia sanctificans ac remissio peccatorum, Fides, Spes, & charitas. Ita Trident. *Sess.* 6. *cap.* 7. *In ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, homo accipit fidem spem & charitatem* (a).

2. Qvalis autem sit illa remissio? Declarat, & plures effectus baptismi enumerat Trident. *sess.* 5. *can.* 4. & 14. *cap.* 1. & Concil. Florent. *in Decreto Eugenii* IV. his verbis: *hujus Sacramenti effectus, est omnis remissio culpæ originalis & actualis; omnis quoq; pœnæ, quæ pro culpa debetur* (b). Unde statutum est in Conc. Florent. *in Decreto Armenorum*, baptizatis non imponi satisfactionen pro peccatis præteritis.

Character.

3. Præterea imprimit characterem, qvô habetur potestas accipiendi alia Sacramenta; confertqve specialia qvædam auxilia, conducentia ad finem proprium. Ita DD. communiter. Tria sunt Sacramenta qvæ imprimunt characterem, Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

Tria Sacramenta imprimunt characterem.

apertio Cœli

4. Effectus præterea est baptismi, apertio Cœli: probat D. R. (b) ex illo *Luc. cap.* 3. *Jesu baptizato apertum est Cœlum:* & sic habetur *Rubricâ de baptismo cap. Debitum* (b), *si continuò decedat, protinùs ad Patriam evolat.*

fomitem extenuat

5. Extenuat fomitem, sed concupiscentiam non evacuat: *de consecrat. d.* 4. *cap.* 2. D. R. *loco citato* (b).

(b) D. R. in 4. d. 4. q. 3. a. 2.

Dispensat cum contrahentibus.

6. Item *dispensat cùm contrahente in secundo vel tertio gradu: Rubricâ de divortiis cap. gaudemus* (b). Unde Judæus cum Judæa sua uxore, consanguinea in secundo gradu, si baptismum suscipiat, susceptô illô manere cum ea ut uxore potest, si illa cum eo convertatur.

7. Utrum

7. Utrum pœnæ humanæ remittantur per baptiſmum? Sententia eſt negativa. D. R *loc. cit.* in fine dicit: *Licèt baptiſmus tollat omne peccatum, civilem & canonicam non tollit ſervitutem, ut habetur rubricâ de ſervis non ordinandis.* Ratio eſt, cùm in nullo jure reperiatur hoc, qvòd qvis per baptiſmum, liberetur à pœnis lege humana inſtitutis. Qvod intelligi debet, per ſe loqvendo: nam apud aliqvos Principes, receptum eſt in favorem fidei, ut ſervus per baptiſmi ſuſceptionem, fiat liber (c).

Non in pœnis humanis.

(c) Garcia.

8. Attamen de irregularitate controvertunt DD. Cenſent enim, Gloſſa *cap. Si qvis viduam d.* 50. & Oſtienſis *cap. Gaudemus de Divort.* qvòd omnis irregularitas, proveniens ex homicidio illicito, & delicto, tollatur per baptiſmum (d); non verò orta ex defectu naturæ: nam certum eſt, qvòd baptiſmus oculum non reſtituat, aut membrum aliud, neqve deformitatem nimiam tollat. Sed dicendum potiùs, propriè loqvendo, non tolli per baptiſmum irregularitatem provenientem ex homicidio, qvia ante baptiſmum non eſt: nam Canon *Si qvis viduam d.* 50. irregularem facit eum, qvi qvovis modô, homicidii voluntarii eſt cauſa poſt baptiſmum, ut notavit Archidiaconus 21. *Can. decretis num.* 10. Neqve cum bigamo ante baptiſmum diſpenſat: nec cum eo qvi plures habet uxores, ut duas habeat. Ita D. R. *loco citato.*

(d) Card. Tolet. & alii

Irregularitatem ex delicto tollit.

9. Neqve omnes pœnalitates tollit, qvæ ſeqvuntur peccatum originale; ut ſunt v.g. mors, fames, ſitis, morbus &c, ut conſideranti patet.

Pœnalitates relinqvit.

S E R I E S VIII.

Qvæ ex parte adulti baptizandi ad baptiſmum, & gratiam ſublativam peccati, ſanctificativam animæ recipiendum, reqvirantur?

1. UT adultus validè recipiat baptiſmum, præter materiam & formam, reqviritur in eo voluntas, ſive intentio ſuſcipiendi baptiſmum. Qvalis autē intentio reqviratur? Dixi *de Sacram. in gen. p.*13.*n.*3. Hîc tantùm addo, qvòd etiam coacta, ſeu ex metu cadente in virum conſtantem, intentio habita, valeat. Ita declaravit Innocentius *in cap. Majores*, approbando Decretum Concilii Toletani. Ratio probat, qvia qvæ fiunt ex metu, licèt ſint involuntaria conditionatè, & ſecundùm qvid; ſunt tamen voluntaria abſolutè, & ſimpliciter, ut communiter Theologi admittunt: ut dum merces projiciuntur in mare, nolunt illas projicere conditionatè, ſi non eſſet periculum ſubmerſionis; abſolutè autem & ſimpliciter, qvia urget periculum, volunt illas projicere & projiciunt. Aliud autem eſt de Matrimonio, qvia ad valorem Matrimonii, ex ſpeciali decreto Eccleſiæ, reqviritur omnimoda libertas, talis, ut conſēſus non ſit ex metu injuſtè incuſſo, extortus.

In adulto reqviritur intentio.

Sufficit coacta.

Non in Matrimonio-

Non fides, Nec plus ad characterem

2. Qvòd fides habitualis non reqviratur, patet: qvia hæc confertur in ipso baptismo. Quòd neqve actualis, qvòad recipiendum baptismum reqviratur, dixi *suprà de Sacram. pag.* 14. *num* 1. Plura similiter ad recipiendum characterem in adulto non reqviruntur, qvàm ad recipiendū baptisma: qvia hôc ipsô, qvòd valeat baptisma, character causatur. Ad effectum verò baptismi sive gratiam recipiendam, plura reqviruntur in adulto. Nam

Ad gratiam reqviritur volitio aqvæ.

3. In adulto desiderante baptismum, per contritionem perfectam justificato, reqviritur voluntas suscipiendi, ipsum aqvæ baptismum.

Fides actualis. Spes super. naturalis.

4. In habente solùm originale, qvòad causationem effectûs baptismalis, præter dictam voluntatem reqviritur in adulto fides actualis: nam sine fide impossibile est placere DEO, Hæbr. 11. *Qvi crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qvi verò non crediderit condemnabitur.* Spes supernaturalis: nam oportet credere qvia est, & qvia remunerator est.

Sed qvalis fides reqviritur ad recipiendum effectum baptismi, scilicet gratiam justificantem & emundantem ab originali?

Rotarius respondet, qvòd reqviratur fides in Christum, præcipua mysteria necessaria necessitate medii, scilicet fides DEI unius, & Trini, Existentis, Remuneratoris, Vindicis, & Incarnati. Card. Toletus *lib.* 2. *cap.* 21. *dicit:* Qvi non credit uni articulo vel pluribus fidei, talis characterem suscipit, sed gratiam non recipit, donec deponat errorem & disponatur. Qvod ego probo: qvia tunc non confertur in baptismo gratia justificans, qvando non infunditur fides habitualis, cum hac enim confertur justificatio, & sine hac est impossibile placere DEO: at tali, qvi non credit alicui articulo fidei, non infunditur fides habitualis, qvia non est ad illam dispositus, ut docet S. Thom. 3. *p. q.* 68. *a.* 8. & alii (a); aliàs justificarentur hæretici in sua fide, qvod est contra veritatem prolatam ab Apostolo: *unus DEUS, una Fides.* Præterea, voluntas saltem implicita servandi mandata DEI: aliàs talis non esset dignus amicitia DEI. Non reqviritur autem actus pœnitentiæ: qvia talis, solùm ad propriæ voluntatis actuale peccatum tollendum, reqviritur, ut colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. (b).

(a) Coninch Pitigian. Hēriqv. Valēt. Reginal. Fil. liuc. apud Bonacinam.

Non Pœnitentia ubi solum est originale.

(b) Bonæ Sp. secùs ubi est

5. Si præter originale, reperiatur veniale aut venialia tantùm in adulto baptizando, reqviritur in ipso pœnitentia: non qvidem ut recipiatur gratia sanctificans, cùm possit gratia stare in eodem cum venialibus; sed ut ipsum deleatur (c) personale.

(c) S. Thom. D. Aug. Bonæ Spei.

6. Si præter originale, in adulto reperiatur mortale personale, reqviritur actus pœnitentiæ, sive detestatio aliqva supernaturalis peccati illius. Ita omnes Theologi: Colligitur ex illo Actorum *cap.* 2. *Pœnitentiā*

agite

agite & baptizetur qvisqve vestrum in remissionem peccatorum. Debet autem ipse actus esse supernaturalis, sive ex motivo supernaturali, juxta Arausicanum *can.* 6. & Trid. *sess.* 6. *can.* 3. (d).

7. Non reqviritur tamen ut sit perfecta contritio, sed sufficit qvòd sit attritio. Secundum ex primo seqvitur, Primum probatur: tum qvia aliàs Sacramentum baptismi esset Sacramentum vivorum; tum qvia ad Sacramentum pœnitentiæ ad tollenda peccata mortalia post baptismum commissa, sufficit attritio cum Sacramento pœnitentiæ; ergo & ad Sacramentum baptismi, ad tollenda mortalia commissa ante baptismũ: cùm æqvè sit ordinatum ad causandam primam gratiam.

Non debet esse contritio sed sufficit attritio.

(d) Bonæ Sp. Garc. Suar. Bonac. contra Scot. q. 6. d. 6. q. 1. a. 7.

SERIES IX.

In qva ex Serie VII. *&* VIII. *proponuntur & solvuntur casus circa fictè susceptum, & reviviscens baptisma.*

1. **F**Ictio est triplex, dicit D.R. *in* 4. *d.* 5. *q.* 2. *a.* 2. Una, qvando baptizandus perseverat in peccato: & hanc indispositionem, ordinariè Theologi vocant fictionem. Secunda, qvando est fictus in fide, puta non est de Societate credentiũ. Tertia, qvãdo baptizandus contradicit intentione. His suppositis

Fictio est triplex.

2. Casus est. Joannes prius est hæreticus, quàm baptizatus à Prædicatio hæresis; qværitur an per talem baptismum sit in eo peccatum originale extinctum? & qvid cum eo faciendum, ut peccatum originale tollatur in eo? *Resp.* Per susceptionem baptismi, in hoc casu non tolli peccatum originale: nam ita habetur *de consecr. cap. Tunc.* (a): imò de tali dubitat D. August. utrùm sit baptizatus: *de consecr. d.* 4. *cap. Solet.* (a). Sed modò post Florentinum non est dubitandum, cùm præter materiam, formam, & intentionem, in adulto, plus non reqvirat ad baptismum: qvapropter talis non debet rebaptizari, sed debet curare, ut reviviscat baptismus in charactere perseverans, hoc est obicem amovere; qvòd deest ponere, nempe fidem habere.

Pro discursu & solutione

(a) D. R. in 4 d. 5. q. 2. a. 2

3. Benè est: Ipse vult esse Catholicus; qvid cum ipso faciendum? An debeat confiteri qvòd indispositè susceperit baptismum, non habendo nec volendo fidem? Utrum debeat absolvi ab hæresi? qvandoqvidem ante baptismum non afficitur pœnis Ecclesiæ; cùm ipsi non sit subjectus per baptismum. *Resp.* Fidem qvam non habuit, habere debet. Vide *n.* 4. *Ser. præced.* Et si fidem culpabiliter non habuit, confiteri tenetur peccatum sacrilegii; aut per contritionem perfectam cum voto confessionis, tollere suam indispositionem, & obicem ad reviviscentiam baptismi (b). Probatur verbis *S.* Augustini: *Tunc valere incipit ad salutem baptismus,*

An absolvẽdus ab hæresi

(b) Suar. Lu. go. Gonet.

smus, *cùm illa fictio veraci confessione recesserit*: qvem locum allegat D. R. *in* 4. *d.* 14. *q.* 1. *a.* 4. *vers. Et fine.* Ratio est: qvia peccata post baptismum, sunt materia Sacramenti pœnitentiæ. Utrum autem debeat absolvi ab hæresi, seqventi *n.* dicam. Si inculpabiliter fidem non habuit, v.g. non scivit qvòd debeat talem habere, vel qvòd non advertit, in casu necessitatis &c. nullus reqviritur dolor, sed sufficit apponere fidem. Ita cõmuniter DD. (c): conseqventer confiteri non debet. Vide *n.* 4.*præc.Ser.*

(c) Garcia.

4. Sed qvid, Ille præter peccatum originale, habuit peccata actualia, & dolorem necessarium omisit. *Resp.* Vel illa peccata erant antecedentia, vel subseqventia baptismum? Si primum? Confiteri illa non debet, sed atteri supernaturaliter sufficit (d); qvia ponitur, qvod non erat positum:& sic amoto obice, Baptismus cujus materia sunt peccata præcedentia tollit. Si secundum? Confiteri tenetur: qvia peccata subseqventia, sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ. Ita DD. D. R. *in* 4. *d.* 5. *q.* 2. *a.* 2. *Vers. de hoc*, & paulò inferiùs *vers. Nota* (qvod dicam n. 6.) & *d.* 14. *q.* 1. *a.* 3. *in fine*, & *a.* 4. *vers.* & *fine* hæc habet: *Ad lavacrum fictè accedens, regenerationis Sacramentum accipit, non tamen in Christo renascitur; renascitur autem virtute Sacramenti qvod receperat, cùm fictio illa de corde ejus recesserit veraci pœnitentiâ.* D. Thom. *in* 4. *d.* 4. *q.* 3. *a.* 2. *qvæstiunc.* 3. *ad* 2. *Dicendum qvòd baptismus recedente fictione, habet illum effectum qvem priùs habuisset, si fictio non fuisset: & ideo peccata præcedentia baptismum remittit, & qvòad culpam, & qvòad pœnam; sed non qvantùm ad pœnam totaliter.* Et sic ad casum propositum n. 3. dico: qvòd debeat Joannes hæreticus absolvi ab hæresi: qvia licetsi ante baptismum non erat excommunicatus, cùm non erat Ecclesiæ per baptismum subjectus, censurari non potuit; post baptismum tamen, cùm per baptismum Ecclesiæ sit subjectus, censuratur, sicut alii hæretici: conseqventer ab excommunicatione afficiente hæreticos, absolvi debet, ut in eo reviviscat baptismus.

Præter originale habuit actuale.

(d) Bonæ Sp. Garc. Amic.

Debet confiteri.

5. Sed qvid ad hoc, Ille Joannes habuit etiam peccatum concomitans baptismũ, scilicet in actuali susceptione baptismi aspiciẽdo Bertã illum in baptismo tangentem, tenentem, in ipsa complacuit sibi, & consensit in fornicationem. *Resp.* Circa peccata concomitantia baptismum, utrũ pertineant ad Sacramentum pœnitentiæ, controvertunt Theologi. Affirmativæ (e) ratio est: qvia peccatum illud indignæ susceptionis, est naturâ posterius; priùs enim naturâ est baptizari, qvàm indignè baptizari. Negativæ Sententiæ (f) ratio est: qvia sicut dispositio, ita & indispositio prior est formâ: sed peccatum concomitans est indispositio ad baptismum; ergo. Ego verò breviter pro praxi dico, tutiùs esse talia peccata Sacramentaliter confiteri: tum qvia freqventer non constat baptiz

Circa concomitans controversio est.

(e) Card. de Lugo Amic. Gonet.

(f) Suar. Vasq. Gajet. Soto. Gabriel & Salmanticenses.

ptizato, utrum per aliqvod inſtans non fuerint baptiſmum ſubſeqventia; tum qvia ſi non ſunt materia baptiſmi, prout primæ ſententiæ Doctores volunt, tolluntur Sacramentô Pœnitentiæ; ſi ſunt materia baptiſmi, tolluntur per baptiſmum: confeſſio enim non impedit efficaciam baptiſmi. Attamen tali caſu Confeſſarius propter probabilitatem oppoſitæ ſententiæ, debet abſolvere ſub conditione, *Si ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ.*

6. Peccata ſubſeqventia baptiſmum, directè pertinent ad Sacramentum pœnitentiæ; qvidqvid dicant Paludanus & Sylveſter: nam Conc. Tridét. *Seſſ.* 6. *cap.* 14. hæc habet: *Etenim pro his qvi poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ* (g).

(g) Garcia

Subſeqvens peccâtum ad Sacramentũ pœnitentiæ

7. Caſus adhuc eſt. Ille Joannes mortuus eſt, qvi omnia impedimenta ad reviviſcentiam baptiſmi amovit; ſed venit hæreticus ipſius Patrinus, volens eſſe Catholicus, qvi ſub juramento aſſerit baptiſmum illius eſſe nullum, ob defectum qvem in nonnullis Provinciis hæretici committunt (de qvo N. P. Bonæ Spei v. g. defectum materiæ aut formæ); qværitur an iſte Joannes eſt ſepeliendus in cæmeterio? & utrum pro illo ùti mortuo, celebrandum eſt Sacrum? nam ſecundùm D. R. eſt in cælo; ſecundùm S. Thomam eſt in purgatorio. D. Reſolutus *in* 4. *d.* 4. *q.* 1. *a.* 2. *vers. notat*, dicit de qvodam Judæo habente Baptiſmum flaminis: *Si talis continuò diſceſſiſſet, ad patriam protinùs evolaſſet.* S. Thomas è contra 3. *p. q.* 68. *a.* 2. *ad* 2. dicit: qvòd *baptiſmus flaminis, culpam qvidem totam aufert*, ſed non totam pœnam; ſed juxta qvantitatem devotionis & contritiónis. *Reſp.* N. Garcia explicat D. R. aſſeritq; eum loqvi in hoc ſuppoſito, qvòd actus contritionis ad eum gradum perveniſſet meriti, qvi ad remiſſionem totius pœnæ temporalis erat neceſſarius & ſufficiens. Secundò D. Reſolutum verba recitare Innocentii III. qvi licetſi *cap. Apoſtolicam* aſſeruerit qvemdam Sacerdotem non baptizatũ, cunctanter ad cœlum evolaſſe, nihilominus tamen, pro illo preces & Sacrificium offerri jubet. Sed dico: aliud eſt de præfato Sacerdote, qvia dubium eſt, utrum non ſint baptiſmum flaminis peccata ſubſecuta, adeoqve juſtè eſt pro eo celebratum Sacrum; aliud de Judæo à D. Reſoluto, aut Joanne à me propoſito: qvia ſuppoſitum eſt, qvòd ille, & iſte, obtentô baptiſmô flaminis ſtatim mortuus ſit. Unde in ſalvo videtur remanere Sententia D. Reſoluti abſqve explicatione. De concedenda ſepultura dubium eſſe non debet, qvandoqvidem *cap. Apoſtolicam* dicitur talis evolaſſe ad cœlum, & Innocentius III. pro tali concedit celebrare Sacrum. Præterea Joannes firmiter, ſine ullo dubio credebat ſe baptizatum; jam autem talis, ſalvatur: conſeqventer corpus ipſius debet ſepeliri in loco Sacro. Qvòd verò talis ſalvetur, dicit D. R. *in* 4. *d.* 4. *q.* 1. *a.* 2.

Poteſt ſepeliri non baptizatus in Eccleſia.

q. 1. a. 2. Quodsi aliquis sine unda baptismatis, extremum diem clauderet, in fide S. Matris Ecclesiæ, credens se baptizatum, salvatur: prout habetur Rubricâ de Presbytero non baptizato cap. 1.

SERIES X.

An, quando, & quomodo possit Baptismus reiterari, & quæ rebaptizantium pœnæ?

Numquam absolutè alius

1. **R**Esolutio est Doctoris Resoluti *in 4. d. 6. q. 2. a. 1.* & est de fide ex Viennensi in Clementina *cap. unic. parag. ult. de Summa Trinit.* Et Lateran. Florent. Trident. *Sess. 7. can. 11. de baptismo*, qvòd baptismus neqveat iterari absolutè, maximè dum constat validè esse collatum. Ratio est: tum qvia baptismus est regeneratio, & homo semel nascitur; ergo semel regeneratur: tum qvia circumcisioni succedit baptismus: at circumcisio repeti non potest; ergo nec baptismus. Unde

Pœna capitis. (a) Castro-palaus tr. 18 punct. 9.

2. Jure Cæsareo *leg. 2. cod. ne S. baptisma iteretur*, si qvis adultus malitiosè, voluntariè, absolutè & publicè rebaptizaret, aut rebaptizaretur, pœnam capitis incurrit (a); jure Canonico verò, irregularitatem, juxta *cap. Eos, de consecr. d. 4.* qvod antea fuerat ab Alexandro definitum.

3. Dicitur *malitiosè & voluntariè*: qvia ignorantia Juris & facti, à tali censura excusat.

4. *Absolutè*: qvia secùs dicendum de conditionata ablutione.

5. *Publicè*: qvia hæc conditio in lege exprimitur, & *in pœnis non est facienda extensio.* Qvòd autem *cap. Qvibus, de consecr. d. 4.* censura illa etiam ad ignorantes extendatur, nihil refert: qvia caput illud, nullius est Pontificis, aut Concilii Generalis, sed ex pœnitentiali Theodori. Alibi autem statuitur *cap. Cum itaq., de consecr.* infantes rebaptizatos, prædictam irregularitatem non incurrere. Sed

6. Dices: *cap. Qvi in qvalibet* decernitur, in qvalibet ætate rebaptizatos, fieri irregulares. *Resp.* Debere id intelligi de qvalibet ætate doli capace, ut Glossa & DD. communiter intelligunt.

Non videtur iterari qvod non scitur factum.

7. Qvotiescumqve est rationabile dubium de collatione baptismi aut valore ejus, sive illud sit juris sive facti, sive positivum, sive negativum, post diligens examen baptismus sub conditione repeti debet. Ita communiter DD. cum D. Resoluto *in 4. d. 4. q. 1. a. 2.* colligunt ex Alexandri *cap. de baptismo & ejus effectu*, ubi statuitur: *De qvibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur, his verbis præmissis: Si baptizatus es, ego te non baptizo; sed si non dum baptizatus es, ego te baptizo* &c.

&c. *Non enim videtur iterari, quod non scitur esse factum.* Et ex Concil. Carthaginensi 5. *c.* 6. *Quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis; respondere placuit, absq; ullo scrupulo eos esse baptizandos.* Et D. R. loc. cit. dicit: *Si fuerit dubium, debet baptizari; quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum. De Presbytero non baptizato cap. Veniens, in fine.*

8. Dubium facti est, qvando dubitatur de facto, an sit baptizatus; dubium juris, qvando dubitatur de valore baptismi, eò qvòd disputent de hoc Theologi: dubium positivum est, dum pro utraqve parte urgent rationes; dubium negativum est, qvando pro una aut altera parte rationes non suppetunt. Unde: Dubium facti juris, positivum negativum.

9. Conditionatè baptizanda est proles, inventa sine schedula collati baptismi (b). 2. Baptizatus ab hæretico in ea Provincia, in qva constat tales hæreticos sæpè invalidè baptizare. 3. Baptizati ab obstetricibus, veneficis, præsertim si fassæ vel convictæ fuerint, aliqvando non rectè baptizasse (c). 4. Qvi rationabiliter dubitat de suo baptismo, tenetur illum petere, & minister illum conferre (d); & interea abstinere ab usu aliorum Sacramentorum. Dubium autem illud debet esse rationabile, ut sit sufficiens ad movendum virum prudentem. Doctor Resolutus *loc. cit. a.* 2. *Quodsi esset natus de Christianis Parentibus, & inter Christianos fideliter conservatus, pro baptizato debet se reputare, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur: & si esset deceptus, sufficeret sibi fides baptismi. Hoc habes rubricâ de Presbytero non baptizato, capite Veniens. Et per locum à contrario*, hoc est, si alibi aliter esset educatus, *& verisimiliter dubitaret an esset baptizatus, debet baptizari sub conditione* &c. *Ut habes de baptismo & ejus effectu, cap. De qvo dubium est, & de consecr. d.* 4. *cap. Baptismi.* Casus conditionatè baptizandi.

10. Si saltem unus sit testis oculatus, licèt fæmina (dummodo non suspecta) rebaptizari non debet (e).

11. At, licèt sufficiat solâ mente conditionem apponere; tutiùs est tamen exprimere illam, si aliqvid non obsit cogens ad omissionem (f). Qvaliter cõditio apponi debet.

12. Baptizans secundùm opinionem probabilem, tenetur rebaptizare eumdem conditionatè. Ita D. R. *in* 4. *d.* 6. *q.* 1. & *dub.* 5. *q.* 2. *a.* 1. *vers. Numqvid*, & *d.* 6. *q.* 1. *a.* 2. *vers. qværit* (g). Ratio est: qvia Baptismus probabilis, de jure habetur pro dubio, ut constat ex *cap. Dominus, de secundis nuptiis*: nam qvod est probabile, potest esse & non esse; ergo taliter baptizatus, tenetur iterum baptizari D. R. dicit *in* 4. *d.* 6. *q.* 2. *a.* 1. Probatur ex Clementina, ubi *parag. Item qvia* Pontifex ita loqvitur: *In his qvæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remor-*

(b) Qvintã communiter
(c) Laym. 5.
(d) Vasqv. Bonæ Spe Dubitans se baptizatum
(e) Layman Busembaum
(f) Laym. Tolet. Suar.
(g) Pasqv. Valent. Possevin. Aver. sa.

remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda. D. R. *In dubiis certior via est tenenda.*

Propositiones ab Innocentio VIII. *damnatæ ad hanc distinctionem pertinentes,*

19. Valuit aliqvando baptismus sub hac forma collatus, In nomine Patris &c. prætermissis illis, ego te baptizo.

30. Valet baptismus collatus à Ministro, qvi omnem ritum externum formamq; baptizandi observat; intùs verò in corde suo apud se resolvit, non intendo facere qvod facit Ecclesia.

DISTINCTIO III.

Qvâ comprehenduntur Ideæ Sacramenti Confirmationis.

SERIES I.

Qvæ, qvalis materia & forma hujus Sacramenti?

(a) S. Thom. 3. p. q. 72. a. 2. Scot. in 4. d. 7. q. 1. Suar. Bonæ Sp. Francis. à Jesu Laym. contra alios Confirmationis Sacramentum.

1. MAteria remota, est oleum balsamatum, seu Chrisma confectum ex oleo olivarum & balsamo benedicto, ab Episcopo consecrato: colligitur ex Trident. *Sess.* 7. *can.* 2. Florent. & aliis, D. R. *in* 4. *d.* 7. *q.* 1. *a.* 2. Explicatur. Utrumqve non tantùm de necessitate præcepti, sed & de necessitate Sacramenti est (a). Nam hæc doctrina Orthodoxæ fidei est ab Eugenio IV. tradita, à Concil. Florent. declarata: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia, est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; & balsamo, qvod odorem significat bonæ famæ.* Dicitur *ab Episcopo consecrato*: cùm hoc in eadem doctrina apponatur per hæc verba, *per Episcopum benedicto.* Additur ly *consecrato*: qvia donec consecretur, caret charactere Episcopatûs.

Error tollitur.

2. Si autem errore, non chrismate sed oleô deliniretur quis? *Respondet* Innoc. III. *in cap. Pastoralis officii*, & dicit: *Nihil iterandum, sed cautè supplendum qvod incautè fuerat prætermissum.* Et inde patet qvòd balsamum sit de necessitate Sacramenti; aliàs apponendum non esset: sicut qvando admixtio aqvæ in vino pro consecratione calicis omittitur, non debet apponi post cõsecrationem, qvia non est de necessitate Sacramenti, licèt de necessitate præcepti.

Materia valida licita.

3. Materia valida & licita, est hujus anni chrisma; valida sed illicita, anni præteriti, ob præceptum Ecclesiæ *cap. Si qvis, de consecr. d.* 4.

Materia proxima Sacramenti Confirmationis

4. Materia proxima, est unctio chrismatica in fronte confirmandi manu Episcopi, sive ministri confirmationis, permodum crucis; alioqui Sacramentum irritum. *In fronte*: qvia hoc semper reqvirunt Summi Pon-

mi Pontifices, & praxis non interrupta hoc ſervat. Licetſi Græci in aliis etiam partibus corporis conferant confirmationem, numqvam tamen omittunt hanc partem. *Permodum Crucis*: aliàs non verificaretur forma, *Signo te ſignô crucis*. *Manu*: qvia licèt ſit præceptum in Pontificali Romano, ut fiat pollice dextro Epiſcopi; non tamen invalidatur ſi aliô digitô, etiamſi manûs ſiniſtræ applicetur, cùm ſit manûs impoſitio.

5. Utrum autem valeret Sacramentum, ſi Epiſcopus mediante inſtrumento ungeret, non verò immediatè digitô attingeret? *Reſp*. Probabiliùs eſſe, in tali caſu non ſubſiſtere Sacramentum, qvia hoc Sacramentum dicitur ſimpliciter *manuum impoſitio* (b): qvare mortaliter peccaret miniſter, mediante inſtrumento conferens hoc Sacramentum, cùm Authores (c) oppoſitum tueantur communiùs. Hinc de valore meritò dubitatur.

(b) Bonæ Spei (c) Laym. Bonac. Granado.

6. Si dicas: Percuſſio Clerici ſimpliciter dicitur *manuum injectio*, licèt fiat medio fuſte aut baculô; ergo etiam unctio chriſmatica, ſimpliciter dicitur manuum impoſitio, licèt fiat mediante virgula. *Reſp*. Diſparitatem eſſe, qvia verbum *injicio*, non ſemper ſignificat contactum phyſicum ſive immediatum; aliqvando ſumitur pro eodem ac *jacio cum impetu*, ut legere eſt apud Calepinum: Et Genes. *cap*. 30. *num*. 7. dicitur: *injecit Domina ſua oculos in Ioſeph*. At verba *manuum impoſitio* ſtrictè ſignificant phyſicum contactum rei.

7. Forma hujus Sacramenti eſt, *Signo te ſignô crucis*, & *confirmo te chriſmate ſalutis*, *in nomine Patris*, & *Filii*, & *Spiritûs Sancti*. Ita Florẽtinum in Decreto Eugenii IV. (d). Utrum autem omnia verba ſint de neceſſitate Sacramenti? *Reſpondet* Stephanus à S. Paulo Prior Bruxellenſis, Paſtor in Boxmer, quòd ſint. Pater verò Bonæ Spei dicit eſſe illa, qvæ ſunt neceſſaria ad ſignificandam ſubſtantiam formæ Græcorum, qvæ eſt *ſignaculum donationis Spiritûs Sancti*, ſupplendo *eſt* ut ſenſus ſit, *hôc ſignaculô datur Spiritus Sanctus*; quam formam Eccleſia tolerat: imò in Concilio Conſtantinopolitano 1. *can*. 7. approbatur. Unde nec verba *ſignô crucis* (e), nec *chriſmate ſalutis*, ſunt de neceſſitate Sacramenti (f), cùm hæc verba non reperiantur in forma Græcorum, nec in forma qvam affert antiqviſſimum Rituale Romanum, dictum *Ordo Romanus*. De expreſſione Sanctiſſimæ Trinitatis, eſt major inter Theologos difficultas; qvam noſter Garcia per hoc facilitare vult, qvòd afferat in forma præfatâ Latinorum, neceſſariam eſſe explicitam Divinarum Perſonarum; in alia verò implicitam ſufficere, prout in forma Græcorum per invocationem Spiritûs Sancti habetur.

Forma.

(d) S. Thõ. hîc a. 4. D. R. l. cit. a. 3.

(e) Baſilius Pontius.

(f) Card. Bellarmin. Laym. Pontius.

SERI-

SERIES II.

Qvis sit Minister, Patrinus, & subjectum hujus Sacramenti?

Minister ordinarius.

1. MInister hujus Sacramenti ordinarius, est solus Episcopus. Ita D. R. *in 4. d. 7. q. 1. a. 4.* Probatione resolutio non indiget, cùm in Trident. *Sess. 7. can. 3. de Confirm.* ita habeatur: *Si qvis dixerit Sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum, non esse solum Episcopum, Sed qvemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.*

Extraordinarius.

2. Dixi *ordinarius*: nam ex dispensatione Summi Pontificis, potest validè & licitè Sacerdos simplex confirmare. Ita enim decretô Eugenii VI. in Concilio Florentino, *Legitur tamen aliqvando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Secùs dicendum de potestate Episcopi, cùm nullibi hoc concedatur, qvòd possint simplices Sacerdotes ad conferendam Confirmationem delegare (a).

3. Dices: Cajetanus, Sotus, Ledesma apud Leãdrum dicunt: hoc Episcopus potest in sua Diæcesi, qvod in toto Orbe Summus Pontifex. Subsumo: Sed summus Pontifex (ut D. R. deducit *in 4. d. 7. q. 1. a. 4.*) potest in toto Orbe concedere simplicibus Presbyteris, ut conferant omnes ordines præter Episcopalem, nam Ordinem qvem non habet, nullus potest conferre; ergo potest & Episcopus in sua diæcesi concedere simplici Presbytero, ut conferat omnes Ordines præter Episcopalem. Non valet. Dic aliter obsecro, & veritatē dices. Qvod potest Papa potestate Ordinis Episcopalis, hoc in sua diæcesi potest Episcopus; non autem qvod potest Papa potestate jurisdictionis universalis totius Ecclesiæ. Ita Petrus à S. Ioseph. Fuliensis, Sacri Ordinis Cisterciensis, & N. Garcia Strictioris Observantiæ, in suis Archiepiscopo dedicatoriis operibus.

(a) S. Thō. D. R. Bonæ Sp. Garcia.

Non potest in aliena, tamen alienæ in sua.

4. Licèt non possint Episcopi extra suam diæcesim conferre Confirmationem licitè, qvia in Conc. Trident. *Sess. 6. de reformat. cap. 5.* ordinatur, qvòd *nulli Episcopo liceat cujuscumqve privilegii prætextu, Pontificalia in alterius diæcesi exercere, nisi de Ordinarii Loci expressa licentia, & in Personas eidem Ordinario subjectas tantùm. Si secùs factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi*; tamen dum in sua diæcesi, alterius diæcesis Diæcesanos absqve disqvisitione confirmant, licitè id præstant: qvia propinqvi Episcopi licentia communiter præsumitur, cùm nullum incommodum inde alius Episcopus pati possit.

5. Abbates Regulares non Episcopi, qvi habent potestatem Episcopalem

lem, vel quasi Episcopalem, consecrati, ex privilegio Sedis Apostolicæ de consensu Episcopi Ordinarii loci, possunt sibi non subditis, tam Regularibus quàm Sæcularibus administrare Sacramentum Confirmationis, ut refert decisum Armendarix, apud Barbosam *in Coll. DD. in Trid. Sess. 7. de Confirm. n. 5.* vide *Barbos. p. 2. allegat. 30. n. 5. de Offic. & potestate Episcopi.*

Abbates possunt confirmare de licētia Episcopi alios; suos subditos Regulares sine licentia.

6. Patrinus (contrahens cognationem Spiritualem cum confirmato, Patre & Matre ejus) (b) de necessitate solùm præcepti adhibendus est, distinctus à Patrino Baptismi, nisi necessitas ad id cogat, *Cap. de Consecrat.* Baptizatus, confirmatus, *cap. In baptismate de consecrat.* Quare si non talis est, non contrahit cognationem spiritualem: & secundùm sententiam communem peccat mortaliter; secundùm Escobar & Quintanam venialiter: imò non peccat si adest necessitas (c). Non Monachus *cap. Monachi*, nisi sit Episcopus (d). Potest tamen Religiosus Religioso esse Patrinus, imò & aliis viris. Ita Castropalaus, Franciscus à JESU MARIA & alii. Unus vel una, non plures, *cap. Non plures de consecrat. d. 4.* Et D. R. loc. cit. *a 6. confirmatū non debent tenere plures, nisi unus.* Est contra Sanch. *lib. de matrim. d. 5. n. 9.* & Toletum.

(b) Conc. Trid. Sess. 24 de reform. c. 2. Doct. Resol l. c. a. 6.

(c) Pontius. Laym. Bonac.

(d) Garc. Dian. Castro palaus.

7. Si plures Patrini designati tangerent, tenerent, omnes contraherent cognationem spiritualem. Ita D. R. *confirmatum non debent plures tenere, nisi unus &c. sed si plures ipsum teneant, inter omnes contrahitur cognatio spiritualis.* Comprobatur *cap. final. de cognat. spirituali num. 6.*

Si plures

8. Si nullus esset designatus à parentibus aut Episcopo, & plures tenerent confirmatum, omnes contraherent cognationem spiritualem, juxta sententiam communiorem (e). Plura eodem modo sicut de Patrino baptismi dicenda sunt.

(e) Garcia.

9. Subjectum validæ susceptionis Sacramenti Confirmationis, est omnis homo baptizatus, nondum confirmatus, obicem Sacramento non ponens. Obex Sacramenti, est positiva nolitio Sacramenti. Qui non vult suscipere Sacramentum confirmationis, talis nec rem seu gratiam, nec Sacramentum recipit: patet ex *n. 4. ser. 6. sect. 2. Nondum confirmatus:* quia hoc Sacramentum iterari non potest. *Baptizatus:* (ut omnes Theologi volunt, & colligunt ex *cap. Omnes fideles de consecrat. a. 5.*) tum quia baptismus est janua omnium Sacramentorum; tum quia confirmatio vi suæ institutionis est complementum baptismi.

Subjectum validæ.

10. Licitæ verò susceptionis hujus Sacramenti subjectum, insuper debet esse in gratia: tum quia Sacramentum confirmationis, est Sacramentum vivorum, gratiam in subjecto exigit; tum quia (ut patet ex ipso nomine) est Sacramentum confirmativum in gratia. Quare si susciperetur ante baptismum in subjecto verè contrito, augeret gratiam in eo (f). Hoc subjectum haberet Baptismum in voto.

Licitæ.

(f) Petrus à S. Iosepho.

11. Licet si ordinariè in Ecclesia Romana non conferatur infantibus ante usum rationis Sacramentum confirmationis, sed expectatur septennium, tum propter uberiorem fructum, tum propter recordationem susceptionis, ne iterationem confirmatus exigat; attamen possunt confirmari in periculo vitæ, aut dum imminet persecutio, aut talem occasionem non sint habituri nisi post multos annos, ob penuriam præsentiæ Episcoporum : aliàs privarentur suo complemento baptismi (g).

(g) Bonæ spei Petrus à S. Ioseph.

Amentes confirmandi

12. Amentes qui habuerunt usum rationis, si non constet illos fuisse in peccato mortali tunc, quando in amentiam inciderunt, confirmandi sunt: quia *unusquisque præsumitur esse bonus, quamdiu non constat eum esse malum*. Alii verò qui semper caruerunt usu rationis, confirmari debent; cùm ratione gratiæ baptismalis quam non amiserunt, sufficienter sint dispositi, ad augmentum gratiæ recipiendum.

S E R I E S III.

Quæ necessitas & effectus hujus Sacramenti?

1. HOc Sacramentum, nec est necessarium necessitate medii, cùm multi salventur sine confirmatione; nec necessitate præcepti est per se necessarium (a), cùm nullibi tale reperiatur. Si esset obligatio suscipiendi hoc Sacramentum, tunc morituri obligarentur, sicut ad alia Sacramenta obligantur : at non obligantur; ergo.

(a) S. Thom. 3. p. q. 68. quæstiun. 4. d. 7. q. 1. a. 2. Bonæ sp. Navar. Granad. contra Scotistas.

2. Unde etiamsi tunc, dum debet quis profiteri fidem coram Tyranno, non suscipiat confirmationem, non peccat mortaliter, juxta communem sententiam, & doctrinam D. Thom. *q.65.a.4.* & *q.72.a.3.* Secundùm P. Bonæ spei, nec venialiter. Ratio est: quia vires, aliis mediis, scilicet orationib⁹, confessione & Eucharistiâ obtineri possunt. Ita D. Thomas ibidem.

3. Dummodo ex contemptu formali non omittat susceptionem. Pro quo

Contemptus duplex.

4. Nota, duplicem esse contemptum, positivum & negativum: positivus est, dum existimat Sacramentum non esse, ut hæretici, aut quid vile, puerile ; negativus, est negligentia, quòd negligat suscipere Sacramentum. Diana cum nonnullis, vult sufficere ,ad peccatum mortale contemptum negativum, si est notabilis negligentia suscipiendi Sacramentum. Noster autem Garcia cum Granado & aliis, judicat non esse peccaminosum contemptum, per se non velle confirmari : nam si omitteret opus bonum cùm adest opportunitas, esset contemptus negativus sufficiens ad peccatum: quicumque non daret eleemosynam dum posset, non diceret AveMARIA, peccaret; quod falsum est. Requiritur ergo ad contemptum formalem & peccaminosum, ut illud judicet esse puerile, parvi momenti, vel indignum se. Qui taliter non suscipit Sacramentum confirmationis dum potest, peccat mortaliter: quia injuriam irrogat Sacramento. Qui secùs omittit, non peccat taliter.

Quid requiritur ut sit contemptus formalis.

5. Di-

5. Dices: Urbanus Papa in *cap. Omnes de consecr. d.5.* sic loquitur: *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum, debent Spiritum Sanctum post baptismum recipere, ut plenè Christiani inveniantur. Resp.* Debent, hoc est, est ipsis necessarium secundùm quid, seu utile valdè ad uberiora auxilia roborantia in fide. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 68. *a.* 4. Gonetus & alii. Ita etiam explicatur Melchiades Papa *cap. Spiritus S. de Consecr. d.5.* quando ait: *Victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia.*

Pro discursu & solutione.

6. Licèt quicumque teneatur esse plenè perfectus quòad sufficientiam gratiæ, non tamen ad abundantiam: illa perfectio per baptismum, hæc per confirmationem obtinetur. S. Thom. *in 4. d. 7. q. 1. quodlib. 1. a. 1.*

7. Tenetur homo adhibere media necessaria ad augmentum Spirituale, concedo; sed nego confirmationem esse medium necessarium. Vide *n. 2. hîc.*

8. Urgebis: Saltem qui ordinandi sunt, tenentur Sacramentum confirmationis suscipere, juxta Trid. *sess. 23. de Reform c. 4. Resp. N.* Stephanus à S. Paulo dicit, hoc præceptum solos Episcopos obligare. Et si Episcopus conferat ordinē non confirmato, aut ipse non confirmatus ordinet, probabile est utrumque non peccare mortaliter (b): nam Trident. in prædicta decisione, nec fert censuram contra secùs facientes, nec utitur verbis significantibus rigorosum præceptum. Graviter tamen peccat Episcopus si longo tempore non confirmat: quia denegat augmentum gratiæ divinæ, qui vi charitatis paternæ tenetur illis conferre.

(b) Bonæ Sp. Garc. Step. Sot. Victor. Svar. contra Bonac.

9. Dixi suprà *per se*: nam aliquando per accidens ad susceptionem confirmationis tenetur; vel quia dictante conscientia prævidet, aut valdè timet, ne deficiat in tormentis sine Sacramento; aut sibi persvadet alium ex omissione scandalizari, putando omissionem esse ex contemptu, aut negatione Sacramenti; vel ratione alterius, scilicet ordinis suscipiendi.

Per accidens aliquando obligatur ad Sacramentũ Confirmationis.

10. Effectus hujus Sacramenti, est character animæ impressus, distinctus à charactere baptismi; ideoq; confirmatio nequit iterari: ille tamen qui bis confirmationem susciperet, etsi mortaliter peccaret, nullam irregularitatem incurreret; cùm nullibi sit in jure hæc pœna contra talem. Idem de Episcopo dicendum, qui bis eidem Sacramentum confirmationis conferret (c). Secundus effectus, est gratia roborans in fide, adjuvansq; ad extremam ejus confessionem: colligitur ex littera Melchiadis Papæ ad Episcopos Hispaniæ, Florent. Concil. & aliis.

Effectus Confirmationis.

11. D. R. adfert honores Cõfirmationis *in 4. d. 7. q. 1. a. 6.* 1. quòd conferatur à solis Episcopis confirmatio. 2. quòd debeat fieri per signum crucis. 3. quòd non sit iteranda, *de Consecr. d.5 cap. Dictũ.* 4. Quia tempore interdicti, sicut baptismus potest conferri, *ibid. 5. de sentent. excom. cap. Responso.* Plures jam dixi suprà. Ultimò dicit: & Episcopi & suscipientes, debent esse jejuni, exceptis infirmis. *De consecr. d.5. Vt Episcopi,* quod observabatur

(c) Petrus à S. Ioseph

tur usque ad sæculum 12. posteà invaluit usus post prandium hoc conferendi Sacramentum. Monet tamen Catechismus Romanus & dicit, laudabilem hanc consvetudinem, esse renovandam. Et Angelicus Doctor 3. *p.q.72.a.22. ad* 2. ait: *ubi congruè observari potest, convenientiùs est, ut à jejunis (*confirmatio*) detur, & accipiatur.*

(f) Navarrus

12. Quamvis peccent mortaliter Episcopi administrantes confirmationem non in Episcopali apparatu, pluviali, &c; tamen excusantur à mortali, si aliquid ex cæremoniis omittatur: v.g. si non detur candela, aut alapa (f), per quam significatur, confirmatum debere patienter ferre injurias pro fide, in cujus robur confertur hoc Sacramentum.

DISTINCTIO IV.

Respiciens Ideas Sacramenti Eucharistiæ secundùm se spectatæ.

SERIES I.

De Quidditate hujus Sacramenti.

SECTIO I.

Quid sit, à quo & quomodo institutum?

1. HOc Sacramentum pluribus appellatur nominibus. 1. Quia est institutum à Christo in ultima cœna, prout ex Sacra Scriptura *Matth.* 26. & Trid. *ses.* 13. *cap.* 1. vocatur *Cœna Domini.* Et quia sub speciebus panis latet quô pascuntur Angeli, nuncupatur *Panis Angelorum, Panis cœlestis.* Quia continet in se Authorem, fontem omnis gratiæ, dicitur *Eucharistia*, hoc est *Bona gratia. Communio*: quia per illud homines quodammodo moraliter unum fiunt cum Christo, seu Christiferi, ut dicit N. S. Cyrillus Episcopus Jerosolymitanus. *Viaticum*: quia præparat viam ad gloriam, & animam roborat, ut iter Sanctæ æternitatis perficiat. Omissis aliis appellationibus, definitivè sit: Compositum ex visibili elementorum specie, & invisibili Domini Nostri carne & sangvine. De quo sit

Definitur.

SECTIO II.

Quænam sit materia remota, proxima, & qualis?

1. REsp. & dico: Materia remota primæ consecrationis, est panis triticeus: constat ex Concil. Florent. *in decreto Unionis*, Lateran. *cap. Firmiter*, Trident. *Ses.*13.& aliis apud D. R. *in* 4.*d*.8.*q*.2.*a*.1. In pane enim consecravit Christus, ut docet traditio Ecclesiæ; & S. Scriptura memoriæ commendat, quòd *accipiens panem benedixit &c.* In triticeo: talis

Materia certa

tális enim erát panis in Palæstiná communis & usualis: & ille solus est panis simpliciter, cæteri secundùm quid, potiùs dicuntur panes animalium quàm hominum, inquit D. Hieronymus, Ezechiel, Angelus, cæteriq; communiter: & in tali instituit consecrare dicens, *hoc facite in meam commemorationem.*

2. Utrum pro necessitate possit confici panis ex spelta, fare, siligine, lolio &c. ad consecrandum? *Resp.* Non desunt DD. qui hoc admittunt. Et sic S. Thomas *q.74.a.3.* apud P. Bonæ Spei hîc *dub.1.num.8.* docet, panem ex siligine, materiam esse sufficientem pro consecratione. Cum quo idem docet Joannes Pontius dicens, hoc communiter admitti à DD. De spelta autem & fare, negat S. Thom. *in 4. d.1.q.2.a.2. quæstiunc.1. ad 3.* rationem dans, *quia ex grano tritici, ubicumq; seminetur numquam nascetur spelta, vel hordeum, vel aliquid hujusmodi per degenerationem, propter naturam terræ.* Cui opponit D. R. loc. cit. *Agricultores experti dicunt, de frumento* (quod est secundùm S. Thomam triticum; secundùm alios frumentum est quid genericum) *nascitur lolium & è converso.* & infrà, *bonum triticum inter avenas loliumq; degenerat.* Et negat panem ex siligine, spelta, esse materiam sufficientem consecrationis, quia sunt alterius speciei. Magis accedit spelta ad triticum quàm siligo; ergo si spelta non est pro sufficienti materia, neque siligo est: lolium verò, est per degenerationem, ut habetur *dis.56. cap. Nasci.*

Materia dubia.

3. Sed quid si grano tritici aliquid admisceatur, possitne inde confici? *Respondet* S. Tom. *dis.11.q.2.a.2.quæst.2.* de hoc: quòd si illud additum prædominetur, ita ut attrahat ipsum extra speciem suam, aut ita cum eo commisceatur, ut ex his tertia species constituatur; tunc panis inde confectus, non est materia sufficiens ad consecrandum, sed potiùs inepta. Si verò frumentum prædominetur, & maneat in sua specie; ex tali panis confectus, est materia sufficiens pro consecratione. Addit D. R. & ista debent cognosci per accidentia, colorem, saporem: quia accidentia conferunt magnam partem ad cognoscendum, quod quid est.

Materia inepta.

4. Secundùm omnes verò, est inepta materia consecrationis, panis ex oriza, avena, milio, pisis fabis &c. imò panis triticeus pulverizatus, propter nimiam alterationem, ratione cujus non conservat ampliùs rationem panis usualis.

5. Sed quid si panis sit confectus ex lacte, aut ex aquis artificialibus, ut rosacea &c. aut si piper addatur; estne materia sufficiens? *Resp.* Sunt pro & contra DD. Hugo apud D. R. & Joan. Pontius alibi, admittunt pro materia sufficienti. Ratio eorum est: quia est panis triticeus. Lugo admittit pro materia dubia. Alii verò absolutè negant: quia talis panis, non est panis usualis; jam verò Christus in usuali consecravit. Ego verò medium

dico: Vel præfati liquores in exigua quantitate affundantur, ita ut nihil ferè sui saporis, alteriusve sui effectus relinquant? Non vitiant materiam, & sufficientem ad consecrandum relinqvunt. Si secùs? Reddunt materiam insufficientem.

Materia probabilis huius Sacramenti semper est illicita.

6. Interim notandum, quòd licetsi probabiliter valida sit materia consecrationis; moraliter tamen loquendo dubia semper illicita: quia Eucharistia non est absolutè ad salutem necessaria, adeoque à peccato mortali excusare nequit, etiam propter moribundum ejus administratio, ex tali materia. An panis triticeus debeat esse azymus?

Qualis

7. *Resp.* Perinde est ad valorem, sive sit azymus seu non fermentatus, sive fermentatus. Ita definivit Trid. quia uterque est ejusdem speciei, D. R. loc. cit. Ad licitam tamen consecrationem, Græcis non solùm permissus, sed etiam præceptus est usus panis fermentati; sicut Latinis præceptus est usus azymi in Conc. Florent. Unde sicut Latinus in sua Ecclesia utens pro consecratione pane fermentato, ita Græcus in sua Ecclesia utens pane Azymo, peccaret mortaliter: nec necessitas moribundi excusaret eum à tali peccato.

8. Transiens tamen Latinus per Græciam, & è contra Græcus per partes Latinorum, ubi Græca Ecclesia non est, potest consecrare, ille in fermentato, hic in azymo; maximè si ibi domicilium fixerit. Ita Bonæ spei, de Rhodes, Ioannes Pontius & alii: quidquid dicat Rotarius, quòd Græcus possit, non Latinus; nullam disparitatem aut decisionem Sacræ Congregationis adferens.

Pro discursu & solutione.

9. Dices: Panis azymus non dicitur panis usualis, sed potiùs *Deuteronom.* 13. cum addito, panis afflictionis. *Resp.* negando assumptum: quia panes propositionis, erant azymi; & tamen verè panes usuales. 1. *Reg.* 21. sicut ille quem Christus benedixit ac fregit *Luc.* 24. qui tamen verè fuit azymus, utpote intra dies azymorum mensæ appositus, quibus sub pœna mortis, panis fermentatus in Iudæorum domibus esse non poterat, *Exodi* 12. Unde ex sensu totius Ecclesiæ Romanæ, panis azymus est panis usualis, licèt minùs salubris; quare dicitur in Deuteron. *Panis afflictionis:* & licetsi non sit usualis quantùm ad usum in domibus pro prandiis &c. est tamen usualis quantùm ad nomen & æstimationem communem, & usum in Ecclesia (a).

(a) Bonæ spei Pontius. 2dæ Cõsecrationis materia apta.

10. Quantùm ad materiam secundæ consecrationis nempe sangvinis Christi, debet esse vinum de vite. Ita definitum est in Concilio Lateranensi *cap. Firmiter de summa Trinitate & decretô Eugenii*, & Florent. patetq; ex S. Scriptura *Matth.* 26. & *Marc.* 14. perpetuoq; usu Ecclesiæ. D.R. loc. cit. Unde

Inepta.

11. Materia inepta ad consecrationem calicis est, aggresta, seu succus ex uvis acerbis & immaturis expressus: quia ut ait D.R. loc. cit. *est tantum*

via

via ad vinum, & nondum est vinum. Nec etiam de uvis potest confici, ait idē Doctor, *quia quamdiu sunt uvæ, non potest eis admisceri aqua*, ut habetur *Cap. Cum omne.* Nec est vinum potabile, sed potiùs de genere cibi. Hinc comestione uvarum frangi potest jejunium, si in notabili quantitate sumantur; & juxta multos etiamsi solus liquor exsugatur, pelliculis projectis. At dicit D. R. ibidem, *quodsi est defectus vini, uvæ maturæ possunt comprimi, & de vino extracto potest celebrari*, ut habetur *d. cap. Cum omne.* Similiter acetum ex vino (b), est materia inepta: quia est cadaver vini, non vinum usuale. (idem de hostia corrupta S. Thomas & alii communiter docent.) Quodsi post sumptionem, imò etiam ante eam post consecrationem calicis, dubium oriatur, est ne acetum an vinum? Esse *præsumendum quòd sit vinum*, docet Tamburinus. Vinum acinaceum, quod fit ex aqua superfusa uvis jam alias expressis, quod Ungari vulgò *lara*, Mediolani *posca*, Romani *aquato* vocant, est materia inepta. Ratio est: quia non est vinum ex vite, sed quid tertium, aqva vinô temperata: mixta enim seqvuntur naturam prædominantis. Secùs esset, si esset valdè parum de aqua, multum de vino; tunc esset materia apta ad consecrandum, docet P. Bonæ spei *tract.4. dis. 2. num.* 23. Similiter materia inepta est, liquor ex meris malagranatis expressus, sive dicatur sive non, vinum. Item vinum coctum ex aqua ardenti, sive vinum adustum &c. cùm non sit vinum de vite.

Apta.

Inepta.

(b) Doctor Resol. loc. cit.

Pro pacificatione conscientiæ.

12. *Sed numquid de vino confecto aliquo liquore, potest confici? ut de vino salviato, & ceresato, & nectare, & hujusmodi. Respondet* D. R. loc. cit. art. 2, *Primò est dicendum, quòd non debet de his confici, per decretum allegatum de consecrat. dis. 2. cap. Cum omne, in quo dicitur: quòd in Divinis Sacrificiis, præter panem & vinum aquâ mixtum, nihil debet offerri.* Dicunt tamen DD. *quòd si consecratio fiat super liquoribus mixtis, antequam vinum transmutaretur à sua specie, ut puta antequam ceresatû, vel salviatû corrumperetur vinum à sua specie, quod confectum esset, saltem quantùm ad illud quod est ibi de vino.*

Casus.

13. Materia probabilis, vinum acescens; eò quòd sit in via ad acetum. Si ita vergat ad acetum, ut dubitetur an sit verè acetum, & utitur eo quis, tunc quia exponit se periculo consecrandi in materia indebita & non sufficiente, peccat mortaliter. Ita Petigian. Angles. & alii.

Materia probabilis.

14. In defectu vini potest confici in musto (b). Justè addit D.R. *in defectu vini*: nam licetsi vinum mustum, seu recentissimè expressum, est materia apta Sangvinis Christi, quia juxta caput *Cum omne* est verè vinum; tamen illicita est materia, si fæculentum sit, aut impurum propter fæces. Quare extra casum necessitatis, non possumus uti eo: quam necessitatem adstruunt nonnulli, devotionem populi. Ita Bonac.

Vinum mustum aliquando est materia sufficiens

15. Non excluditur vinum miraculosè factum à materia consecrationis, quale fuit in Cana Galilææ factum ex aqua: quia fuit vinum per vitem, &

Vinum miraculosè factū.

vitis Authorem factum: perinde ergo fuit, ac si ex vite naturali factum fuisset. Sicut baptismus, aquâ miraculosè factâ ex alio liquore, posset conferri; ita ex vino miraculosè facto, Sacramentum sangvinis potest confici. Docent Bonæ spei. Henriquez & alii.

Congelatum

16. Quid de vino congelato, an validè in eo consecrari possit? *Resp.* affirmativè: quia est substantialiter vinum: patet inde, quòd sub congelata specie maneat sangvis Christi, aliàs deberet iterum consecrari, quod non fit, nec fieri debet: nam in Missali Romano præcipitur, ut speciebus congelatis applicetur linteum calidum, & sic liqvefiant ac sumantur (c).

(c) Bonæ spei num. 29.

Pro discursu

17. Dices: Aqva congelata non est materia Sacramenti baptismi, nisi priùs resolvatur. Concedo: ergo etiam vinum, Nego consequentiam. Disparitas est: quia baptismus est consistens in actuali ablutione, ad quam aqua congelata non est apta, quà talis; Eucharistia verò, est Sacramentum permanens.

18. Urgebis: Licetsi Eucharistia sit permanens, tamen materia sangvinis debet esse potabilis: at vinum congelatum quà tale non est potabile; ergo non est materia consecrationis sangvinis. *Resp.* Licetsi panis durissimus proximè non sit manducabilis, nisi liquore aliquo maceretur, tundatur &c. tamen est consecrabilis, quia ex natura sua est manducabilis: ita etiam, licetsi vinum congelatum, non sit proximè potabile; tamen est consecrabile, quia ex natura sua est potabile.

19. Peccatne Sacerdos mortaliter consecrans in vino congelato? *Respondet* cum Landero Diana, quòd sic, eò quòd adhibeat materiam dubiam, dum facilè certam habere potest. Secundùm nos verò distingvendum est: si fortiter est congelatum (d); Secùs si valdè debiliter, facileq; proximè potabile est.

(d) Bonæ spei num. 32

20. Notandum, quòd aut juxta Missale ut dixi num 16. aut manibus tenendo cuppam, aut aliô honestô modô sint resolvendæ species vini congelatæ; non halitu, præsertim notabili: quia hunc modum, rusticissimum esse affirmat Gobat; & non desunt Viri docti, ac magnæ dignitatis, qui inde scandalizantur, ob irreverentiam Sangvinis Christi, latentis sub speciebus consecratis.

SECTIO III.

De aqua admiscenda vino;

Utrum convertatur & quomodo in sangvinem Christi?

De præcepto gutta aquæ est admiscenda.

1. Quòd modicissima, scilicet una vel altera gutta sit vino consecrando admiscenda, est de præcepto Ecclesiastico, patet ex Concilio Florent. *in decreto Eugenii*, Trident. sess. 22. *cap.* 7. & Catechismo Romano *cap. de Eucharistia* §. 16. non de essentia Sacramenti: quia absqve illa, Sacramentum

mentum Sangvinis Christi constituitur: patet ex eo, quòd rubricæ prohibeant iterari, si Sacerdos advertat post consecrationem non fuisse admixtam; secùs si advertat ante consecrationem, etiamsi post oblationem (a). Hoc præceptum non extenditur ad faciendam mixtionem in ablutione digitorum post sumptionem: de hoc *in Missali Romano*. Laym. Bonac. & alii.

(a) Petrus à S. Ioseph

Quid significat admixtio aquæ.

2. Dicta admixtio aquæ cum vino in calice, denotat unionem populi cum Christo, & est in memoriam quòd de latere Christi fluxerit sangvis & aqua. Quare vera aqua est infundenda, quia vera fluxit de latere Christi Vide *cap. In quadam de celebratione Missarum.* Unde si naturalis aqua non esset, dum Sacerdos ante consecrationem advertit non esse infusam, artificialis non est infundenda: & si scienter locò naturalis infunderet artificialem, peccaret mortaliter. Ita docent communiter Doctores. His præmissis.

Artificialis aqua non est admiscenda.

3. Præmittendum adhuc, quòd hæc quæstio ab Anno 800. agitari cæperit: pro qua ab Innocentio III. *Lib. de Miss. cap. cum Marthæ* § *quæsivisti*, referuntur tres sententiæ: quarum una asserit, quòd aqua convertatur in aquam quæ fluxit de latere Christi; altera, quòd nullô modô convertatur in illam, aut sangvinem, sed maneat in propria sua specie; tertia, quòd convertatur in vinum, & mediante vino, in sangvinem Christi transubstantietur. Nunc à multis additur quarta, docens aquam vino mixtam, immediatè converti in sangvinem Christi: pro qua sunt Card. Lugo, Cardin. Alanus, Cardin. Toletus, Alexander Persatius, Ægidius, Layman, Baronius.

Sententiæ 4. de aqua admiscenda.

4. Doctor Resolutus *in 4. dist. 8. q. 4.* dicit: *Inter has elegit decretalis, quòd probabilior judicatur illa opinio, quæ asserit, quòd aqua mixta cum vino transeat in vinum, & sic transubstantietur in sangvinem. Hæc opinio ponitur de consecratione dist. 2.* Et S. Thom. *hîc quæst. 74. art. 8.* in corpore ait: *Et ideo, sicut ipse Innocentius tradit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in sangvinem &c.* Hanc sententiam tenent D. Bonaventura, Scotus & Scotistæ. E nostris præter D. Resol. Michaël de Bononia *quæst. 3. art. 3.* Lezana, Orlandus, Augustinus à V. MARIA & alii.

5. Probatur autem authoritate Catechismi Romani *tract. de Eucharistia cap. 4.* per hæc verba: *Illud autem Sacerdotibus advertendum est, quemadmodum in Sacris Mysteriis aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicam infundendam: nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententiâ & judiciô, aqua illa in vinum convertitur.*

Aqua convertitur in vinum.

6. Probatur ratione: tum quia Concilium Florent. *in decreto Eugenii IV.* dicit, materiam Consecrationis calicis, esse vinum de vite: non dicit & aquam modicissimam, quæ ipsi admiscetur; sed cui aqua modicissima admisceri debet: tum quia, si aqua esset materia consecrationis calicis, pos-

set sangvis Christi consecratus existere sub speciebus solius aquæ; quod negat Concil. Trident. *ses.*13. *de Eucharistia cap.*2. per hæc verba: *Si quis negaverit mirabilem illam & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini; anathema sit:* tum quia Concilia, Canones, dicunt materiam consecrationis esse vinum; non dicunt verò aquam: tum quia, si aqua esset materia consecrationis calicis, posset aliquando validè confici in sola aqua (sicut in solo vino); & non esset iteranda forma calicis, dum per errorem locò vini aqua deprehenderetur in sumptione, quod est falsum, quia rubricæ præscribunt oppositum.

Pro discursu & solutione.

7. Dices: Si aqua mediante vino converteretur in sangvinem Christi, vinum deberet in se transmutare aquam: atqui hoc non facit, non enim hoc facit per frigus, cùm illo careat ab intrinseco; neque per calorem virtualem, quia ille vim suam exerit, nisi excitetur à calore stomachi; neque per formalem, quia sicut sangvis separatus à jecore, destitutus est suo calore & sua activitate, ita ut nec minimam guttam aquæ valeat convertere in se, ita vinum separatum à vite: nam vinum est succus substantiæ viventis intra uvam elaboratus, per virtutem nutritivam vitalem, eô modô, quô sangvis elaboratur, in jecore animalis. *Resp.* et dico: quòd vinum conversionem aquæ in se, faciat per calorem. Ita enim Aristoteles apud S. Thomam *lib. de gratia cap.*5. *lect.* 14 & *cap.*10. *lect.*14. expresè docet, aquam posse à vino substantialiter transmutari. Quare S. Thomas infrà quæst. 77. art 8. ait: *Gutta aquæ vino permixta, transit in speciem vini.* Sangvis ob suam densitatem, activitatem amittit; secùs vinum.

An aqua à vino separari possit?

8. Urgebis, probando quòd vinum suam activitatem amittat, vel illam non habeat: quia multo tempore post commixtionem, aqua separari à vino potest, per immissionem medullæ junci, aut per spongiam oleô infusam. *Respondet.* D. Thom. *in* 4. *dis.* 10. *in exposit. liter.* dicens: id quod per artem chymicam extrahitur à vino, non esse aquam, sed aqueum quemdam humorem, qui ex puro etiam vino extrahi potest, qui licèt sit aqueus per similitudinem, est tamen substantialiter vinum non satis decoctum. D. Resol. *in* 4. *dist.* 4. *q.*1. admittit, quòd possit separari aqua, antequam convertatur in vinum; aut si est multum de aqua in vino debili, quod in se tantam copiam aquæ convertere nequit.

9. Superurgebis: Concedamus quòd vinum habeat suam activitatem in aquam, non potest tamen illam semper convertere in suam substantiam; ergo tunc consecrabitur immediatè aqua. Probatur antecedens per exemplum: quando vinum est debile, & aqua in notabili quantitate admiscetur; aut in parva, sed immediatè ante consecrationem, si advertat Sacerdos esse non infusam; aut ante offertorium immediatè, sed nimis citò Sacerdos devenit ad consecrationem, ut si citò absolvat defunctorum Sacrum

crum

crum. Consequentia patet, aliàs & forma consecrandi sangvinem non verificaretur: quia pronomen *hic*, significat totum calicis contentum, in sangvinem Christi conversum; quod verum non esset, si aqua in propria substantia maneret: & calix exponeretur in elevatione periculo idololatrandi, seu exponeretur adorandum, quod non est adorabile cultu latriæ, scilicet aqua: & post talem Missam in Nativitate Domini, alteram & tertiam non posset celebrare ille Sacerdos, quia jam non esset jejunus, ob sumptionem aquæ. *Resp.* Concedo antecedens, nego consequentiam. Probationes solvendo, Dico: Pronomen *hic*, non significat totum simpliciter calicis contentum, in sangvinem Christi conversum, aliàs essent & cineres, àér &c; sed significat totum respectivè calicis contentum, scilicet vinum in sangvinem esse conversum. Unde ad 2. *Resp.* negando assumptum: in cultum enim Latriæ exponitur totum id, quod est in calice contentum secundùm rationem Sacramenti; non verò totum secundùm omnia quæ in eo reperiuntur: nam neque pulvisculi, neque àér in calice inclusus, exponitur ad adorandum. Ad 3. similiter negando *Resp.* quia aqua consecrata cum speciebus vini, sumitur ex præcepto Ecclesiastico; non est autem credendum, quòd ita Ecclesia obliget ad sumptionem calicis, ut per illam sumptionem impediat illum ad alia Sacra de præcepto instituta. Si generoso vino admisceatur una & altera gutta aquæ, tunc citiùs quàm oblatio finiatur transit in vinum; si verò debili, aut in notabili quantitate aqua admisceatur, non convertitur in tali casu in vinum, neque in sangvinem Christi. Sed in hoc nullum est absurdum, quòd permaneat aqva cum speciebus consecrati vini; sicut nullum est absurdum, quòd cum vino maneat sangvis Christi, ut patet in die Nativitatis Domini, quando Sacerdos duo aut tria Sacra consequenter absolvit: post primum & secundum sacrum remanent aliquot guttæ sangvinis in calice, in quas fundit vinum Sacerdos. Et si intra consecrationem *v. g.* post pronomen *hic* prolatum, gutta aquæ transit in vinum, manet vinum. Nullum est absurdum quod aqua cum sangvine Christi maneat in eodem calice.

10. Quando verò SS: PP: dicunt converti aquam in sangvinem Christi, intelligendi sunt de conversione mediata.

Casus curiosi.

Pro discursu & solutione.

11. Petrus valdè distractus circa sumptionem sangvinis Christi, in qua distractione locò sumptionis sangvinis, calicem cum sangvine porrexit servitori; ipse, in calicem tunc affudit vinum; ex quo perturbatus, stabat notabili tempore, non sumens calicem. Quæritur in hoc & simili casu, an sangvis Christi in vinum, an vinum in sangvinem Christi convertatur?

12. Si dicas, quòd in tali & simili casu, sangvis Christi convertatur in vinum; Oppono 1. quòd substantia in substantiam non agit, nisi media qualitate: sic ignis mediante calore; aqua, humiditate &c: jam verò vinum non habet qualitates, quibus sangvinem Christi posset destruere, caret enim frigore; nec frigore destruitur sangvis Christi, patet ex hoc, quòd sit sub spe-

ciebus congelatis: calore etiam non destruitur sangvis Christi. 2. quòd species homogeneæ non destruant se mutuò, ut communiter docent Theologi: atqui species vini consecrati & consecrandi sunt homogeneæ, cùm sit idem ex eodem dolio vinum; ergo se non destruunt: jam verò sangvis Christi tamdiu manet, quamdiu species sub quibus continetur. Si autem dicas, quòd in tali & simili casu, vinum convertatur in sangvinem; Oppono 1. quòd sangvis Christi Sacramentaliter non ponitur, nisi per verba consecrativa. Christus Sacramentaliter in altari per alios adductivè, per alios productivè ponitur; vinum autem nec vim adductivam, nec productivam sangvinis habet. 2. Si vinum converteretur in sangvinem Christi, posset validè Sacerdos Sangvinem Christi consecrare, non proferendo formam consecrativam: nempe medium calicem semel consecrando, successivè parum de vino plus de sangvine infundendo; quod est absurdissimum dicere. Quare aliter, *Resp.* quòd in tali casu, nec vinum in sangvinem, nec Sangvis in vinum convertitur, sed vinum manet vinum; sicut aqva, quæ ob brevitatem temporis, aut suam debilitatem non converteretur in vinum, aut converteretur in vinum, sed intra consecrationem. Nec in dicto casu commiscetur Sangvis Christi vino, sed accidentibus prioris vini. Ita Noster Doctor Resol. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 1. *art.* 2. ait: *De celebratione Missarum cap. cum Marthæ post medium sic dicitur: Si post sangvinis consecrationem aliud vinum in calice immittatur, illud quidem non transit in sangvinem, nec sangvini commiscetur, sed accidentibus prioris vini.* Ex his,

Quamdiu maneant species?

13. Facilè solvitur casus, quô Svecus arripiens è manibus Sacerdotis sanguinem Christi, effunderet in dolium vini: quòd tale vinum ad mensam dari non potest, ob guttas sangvinis Christi, quæ in eo essent dispersæ, aut congregatæ in parte ignota; sed ad pios usus applicari debet. Ubi praxis est quòd detur vinum post sumptionem Corporis Christi sæcularibus, posset hoc vinum tunc dari; vel posset adhiberi pro consecratione, nam nisi consecrabile consecraretur, & intentio conditionata adhibenda esset, ne super idem iteretur forma, & applicetur subjecto incapaci. Optimè fieret, si Sacerdotes post sumptionem Sangvinis Christi, ante sumptionem ablutionis digitorum, illud successivè sumerent, etsi non simul & semel.

Casus de Sveco.

14. Casus adhuc est. Sacerdos ante sumptionem sangvins Christi, in hyeme resolvens species congelatas super ignem, patenâ cooperuit, ne ei in calicem aliquid cadat desuper, in qua, evaporationis aliquot guttulæ remanserunt, quas non tersit; quæritur utrum Subsacrista, sive Lajcus sive Subdiaconus, possit cum tali evaporatione patenam accipere & tergere?

De resolutione specierũ in hyeme.

15. *Respondet* Doctissimus Caramuel n. 2000. *Ille vapor exhalans non est vinum; ergo sub illius vaporis specie, Christi Domini Sangvis non manet.* Pater Bonæ spei verò dicit sic: *Ego autem oppositum puto probabilius, cùm manifesta experientia ollæ aquâ plenæ bullientis doceat, evaporationes è cooperculo*

tamquam

tamquam aquam manifeſtam defluere; idemq́, in caſu propoſito contingeret,ſi patenâ calici ſuperpoſitâ, longa evaporatio fieret: nec guttas ex ea defluentes auderem negligere, tamquam non conſecratas, cùm ſupponatur totum contentum fuiſſe validè conſecratum, & pars illius certò eſſe debeat. Ita ille de Euchariſtia *diſput.* 2.*d*.1.*reſol*.10.*num*.30. Non poteſt dici, quòd dictus vapor ſit ex calice aqua, aut vinum;cùm poſt conſecrationem non ſint. Si dicas eſſe accidentia vini: Ergo accidentia in ſe extra Sacramentum, & quidem naturaliter exiſtunt; quod dici non poteſt. Unde ſaltem quòad tutiùs, nec Subdiaconus, cum tali evaporatione patenam manibus tenere & tergere poteſt. Hic caſus eſt curioſus, ſed etiam utilis pro inſtructione Sacerdotum nonnullorum, ut in caſu evaporationis ad carbones, faciem non teneant ſuper calicem, halitu juvando.

SECTIO IV.

Quæ conditiones ad materiæ conſecrationem validam requirantur?

1. NOn requiritur ut materia conſecrabilis manibus tangatur, aut ut verborum formæ ſonus ad eam pertingat: nam formulæ ſive particulæ, in pixide aut calice conſecrantur, licèt eas aut pixidem, Conſecrantes hoſtias, non tangamus, nec halitûs ſono pertingamus; quod alii valdè indecenter, imò fœdè, cum nauſea ſpectantium faciunt, hoſtiam & vinum conſecrandum inhalantes (a). (a) Dicaſtillo num. 194.

2. Neque requiritur ut videatur materia, etiamſi ſit viſui expoſita: nam Sacerdos cæcus, ex diſpenſatione ſummi Pontificis, conſecrare poteſt panem, quem facilè tangere valet (b), & relatione moraliter certa ei præſens eſt. (b) Bonæ Spei Ioannes Pontius.

3. Nec ſufficit quòd viſu percipiatur: quia alioqui cùm materia ad longiſſimam diſtantiam tubô opticô percipi poſſit, ad plures leucas diſtans, conſecrari poſſet; (c) quod eſt falſum: nam ſic demonſtrari non poſſet per pronomen *hoc* vel *hic*, ſed ad ſummum per pronomen *iſtud* vel *illud*, quæ non ſunt de forma conſecrativa. Sed requiruntur hæ conditiones: (c) Bonæ Spei.

4. Prima conditio eſt, ut ſit materia ita præſens, ut poſſit independenter à quibuſcumque circumſtantiis, ſignis,nutibus, immediatè per pronomen *hoc* aut *hic* demonſtrari; hoc enim, pronomen demonſtrativum *hoc* vel *hic* exigit: alioqui Sacerdos exiſtens in Polonia, poſſet materiam exiſtentem in Italia conſecrare, & è contrà; quod eſt nimis abſurdum dicere. Unde (Quomodo materia debet eſſe præſens.)

5. Debet eſſe propè phyſicè,(ad quot paſſus non eſt certū interAuthores) coram Sacerdote: præſens phyſicè,hoc eſt in ſe;aut moraliter, hoc eſt ratione continentis (d), ſecundùm omnes ſui partes, pronomine Euchariſtico demonſtrabilis. (d) Bonæ Spei Petrus à S. Ioſeph.

6. Dixi *coram Sacerdote*:quia ſi hoſtia teneatur manibus *v.g.* à tergo, præſentia illa potiùs moraliter abſentia eſt, quàm præſentia,dicit P.Bonæ Spei.

Ratio est : quia quod est à tergo, moraliter abesse dicitur. Unde invalidè consecraret Sacerdos hostiam post se existentem, etiamsi illam videret in speculo (e), ob rationem datam : tum quia non potest eam (sic stans) demonstrare per pronomen *hoc*, sed dumtaxat similitudinem in speculo relucentem.

(e) Gonetius.

7. Ratione continentis, vinum in calice cooperto, vase, dolio, vel cantaro clauso; panis in canistro, hostiæ in pixide, aut ciborio, aut alio vase præsentato, validè consecrantur, etiamsi non detegantur; juxta Missale tamen detegi debent: possunt enim per pronomen *hoc*, *hic*, immediatè demonstrari, cùm sint moraliter immediatè ratione continentis præsentes: nam contentum & continens, censentur esse idem moraliter, dicit Augustinus Abbas, Konink & alii. Secùs ab opposito, hostiæ post parietem, aut in sacristia &c. cùm nihil horum, respectu hostiarum, rationem vasis continentis habeat.

8. De hostiis latentibus sub corporali aut mappa, variant Authores. Multi cum Bonac. affirmant, quòd sint sufficienter præsentes. Negant Augustinus Abbas, & N. Bonæ Spei, ob rationem immediatè datam.

9. Dixi quòd debeat esse *secundùm omnes sui partes pronomine Eucharistico demonstrabilis* : aliàs Sacerdos existens in littore Oceani in vinum conversi, posset totum consecrare; quod jam suprà n. 3. rejectum est. De hostia cujus medietas apparet, medietas tecta est corporali, difficultas non minor est. Negat Bonæ Spei. Ratio ipsius est : quia æquè unius sicut alterius præsentia requiritur: atqui pars tecta, non est præsens physicè, hoc est in se non apparet; neque moraliter, hoc est ratione continentis, quia sub corporali non est tamquam in continente. Alii cum Bonac. Reginald. admittentes sub mappa consecrabilem, & in hac hypothesi admittere talem debent.

De hostia cujus medietas apparet.

10. Aliud est de hostia super corporale posita, cujus medietas sub aliis, aut intra hostias habetur: talis enim absque ullo dubio consecrabilis est, cùm sit præsens moraliter; nam est præsens ratione continentis, nempe ratione totius, totum enim est continens respectu partis. Idem dicendum de parva hostia, latente sub magna, imò de magna sub magna (ut contingit quando quasi conglutinantur ob humiditatem notabilem): quia est pars totius consecrabilis objecti, & per pronomen demonstrabilis, propter propinquitatem tam magnam: quod non tenet de Oceano allato hîc n.9. sicut de hostia sub mappa; cùm nulla pars moraliter, hoc est respectu continentis totius, aut continentis vasis, sit præsens.

11. Quando alii communiter explicant præsentiam moralem essentialem, ut secundùm communem sensum censeatur designari materia, per ly *hoc* vel *hic*; quæro, quid est tale, in quo se fundat sensus communis? seu quod est tale, ratione cujus, sensu communi censeatur designari materia, per *hoc* vel

hic

hic? Non propinquitás, aliàs in piscina aut post altare hostia existens, posset consecrari, quod non docetur: ergo contentio est, ratione cujus contentum est præsens, ut dixi.

12. Secunda conditio secundùm alios (e) est, ut consecrans aliquo sensu ejusmodi materiam percipiat; vel ratione sui, vel ratione continentis: quod negant Bonac. Suar. Reginald. & Bonæ Spei dicens, novellos Sacerdotes cum Episcopo validè consecrare panem, quem nullo sensu externo percipiunt. Primæ sententiæ ratio est: quia aliàs consecrans, per pronomen demonstrativum non posset eam materiam designare: quomodo per pronomen potest aliquid demonstrare, quod non scit esse? Sed opponi potest, *v. g.* in pixide, aut corporali complicato, est hostia consecranda; si aliquis Sacerdos nullam habens notitiam ejus in tali vase, diceret: *Si est in hac re hostia consecranda, volo illam consecrare*, & proferret formam consecrationis super eam, defacto consecraret, etiamsi nullo sensu perciperet eam. Quare non admitto hanc conditionem, sed aliam pono: & hæc est secundùm me conditio secunda, quòd materia debet esse sensibilis, seu sensu aliquo perceptibilis, physicè vel moraliter, hoc est in se vel in toto: quare quælibet minima pars, dum apparet esse panis aut vini, est sufficiens materia; quæ verò est tam parva ut non appareat esse talis, separata ab aliis partibus, nec apparere potest, sufficiens non est ad consecrandum, (f) quia Sacramentum debet esse sensibile; conjuncta tamen aliis, est sufficiens (g): quia quando totum consecratur, consecratur & pars, aliàs non consecraretur totum.

13. Dices: Quælibet pars etiam minima & insensibilis, à toto consecrato separata, suam consecrationem retinet, quàmdiu subsistit; ergo potest similiter separatim consecrari. *Resp.* Nego Conseq. (h) plus enim ad acquirendam, quàm ad retinendam consecrationem, requiritur: exemplum est de anima, quæ nonnisi corpori conjuncta, consecrationem & gratiam Sacramentalem acquirere potest; eam tamen etiam à corpore separata retinet. Et disparitas est: quia ut in consecratione demonstretur per pronomē, debet esse sensibilis; secus verò post consecrationem, cùm jam non sit eam necesse per pronomen demonstrari.

14. Sed quid, si saltem ab alio quàm ab ipso consecrante sit sensibilis? *Resp.* Negat Cornejo cum P. Bonæ Spei eam esse consecrabilem à consecrante illo. Affirmant alii cum Pontio.

15. Quid si miraculosè consecranti fiat sensibilis, licèt naturaliter ei insensibilis censeatur? *Resp.* In tali casu esse consecrabilem: quia supposito miraculo isto, pronomen *hoc* vel *hic* verificatur.

16. Tertia conditio est ad licitam consecrationem, ut non sit major quãtitas, quàm tempore opportuno possit absumi. Dico *ad licitam*: quia ad validam non requiritur, sed sicut quælibet sensibilis pars quantitatis est con-

(e) Petrus à S. Ioseph. Non est opus ut materia sensu percipiatur.

(f) Communiter DD.

(g) Bonæ Spei Ioan. Pontius.

(h) Nostri Cornejo & Bonæ Spei.

conſecrata, ita talis poteſt conſecrâri. Et ſicuti pârva, ſic & magna pars quantitatis eſt conſecrabilis: quia eſt demonſtrabilis per pronomen *hoc* formæ Euchariſticæ. Ita communiter dicunt DD: contra Bonavent. & alios antiquiores.

17. Conditio quarta eſt, quòd materia debeat eſſe certa, & determinata per intentionem conſecrantis; cùm forma cadat ſuper materiam, ſecundùm intentionem Miniſtri.

18. Sed quæritur 1. Si Sacerdos intendat duás hoſtias conſecrare, & una tantùm reperitur; utrum eam ex tali intentione conſecret? *Reſp.* quòd ſic: niſi ſuam intentionem ita reſtringat, ut vel utramque vel nullam velit conſecrare. Ratio eſt: quia de præſenti verificatur forma.

Circa diſtantiam.

19. Quæritur 2. An validè conſecrari poſſit materia, paſſibus triginta à Sacerdote diſtans? *Reſp.* Videtur quòd ſic: ſed hoc faciens peccaret mortaliter, eò quòd Sacramentum profanationis & irreverentiæ periculo exponeret; cùm multi hoc negent.

20. Quæritur 3. Quando Sacerdos ex quatuor hoſtiis vellet in confuſo conſecrare duas; utrum eas conſecraret, ſaltem ſi adderet, *quas DEVS conſecrari vult*? *Reſp.* quòd non: quia non verificaretur pronomen *hoc*, quod cadere non poteſt in materiam confuſè determinatam à Sacerdote. Nec ratio eſſet, quare hæ duæ & non aliæ ſunt conſecratæ. Nec juvat voluntas DEI, niſi accedat voluntas conſecrantis determinata(i), cùm talis requiratur.

(i) Palao Suarez contra Konink.

21. Quæritur 4. Qui duas hoſtias præ manibus habet, putans ſe unicam habere; utrum utramque conſecret? *Reſp.* Vel Sacerdos intendit unicam & non aliam conſecrare? Tunc niſi hanc quam ante ſe habet, conſecrat. Vel intendit conſecrare totum quod præ manibus, vel ante ſe habet conſecrabile? Tunc utramque conſecrat(k): quia forma ſacramentalis juxta intentionem operatur.

(k) Præpoſitus Diana Suarez & alij.

22. Quæritur 5. Utrum in tali caſu conſecraret hoſtias Sacerdos, quô illas attuliſſet ad altare, aut vidiſſet apponi conſecrandas, tempore verò conſecrationis non recordaretur earum? *Reſpondent* multi apud Bonac. hîc. *diſp.* 4. *q.* 2. *p.* 50. *n.* 6. affirmativè, cum quibus & P. Bonæ Spei. Ratio ipſorum eſt: quia tuliſſe, aut vidiſſe ad conſecrandum oblatas, indicium eſt ſufficiens præcedentis illas conſecrandi intentionis, ſi non ſoleat talium conſecrationem recuſare; quæ cùm expreſsè retractata non ſit, virtualiter perſeverat. Attamen diſtinctè *Reſp.* Vel habuit Sacerdos intentionem eas conſecrandi, aut faciendi quod facit Eccleſia, aut faciendi id quod petitur, quando attulit, aut allatas vidit? Tunc valet conſecratio illarum, ob rationem datam immediatè. Vel non habuit? Tunc non valet: quia licèt ſi attuliſſe, aut allatas vidiſſe, ſit indicium intentionis factæ; non tamen non factæ. Et licèt virtualiter perſeveret facta ſaltem virtualis, nempe faciendi quod petitur; non tamen perſeverat quæ numquam facta eſt, etiam talis virtualis.

23.

23. Sacerdos in sacristia habuit præsentatas aut præsentandas hostias, intentionemq; consecrandi; postea præsentatæ ei super corporale, sed eas non vidit, nec in consecratione memor illarum erat; quæritur utrũ sint consecratæ? *Resp.* quòd sint: ita enim docent P. Bonæ Spei *n.*117. & Præposit. hic *q.*74.*a.*2.*dub.*3.*n.*19. Et ratio probat, quòd ad eas in sacristia intentio sit directa; quod non minùs sufficit, quàm si Sacerdos intentionem factam in Sacristia, non repeteret ad Altare.

24. Sed quid, si illæ sint modò post offertorium positæ super corporale? *Respondet* P. Bonæ Spei, quòd hoc non obest. Negat Tamburin. *de Missæ sacrific. lib.*2. *cap.*5. § 2.

25. Servitor attulit parvas hostias ad consecrandum, & posuit illas in altari ad cornu Epistolæ, ut eas suo tempore Sacerdos poneret super corporale, consecraretq; eas; quod Sacerdos videns intendebat facere, sed postea oblitus est, & in ipsa consecratione; suntne consecratæ? *Resp.* Vel habuit conditionatam intentionem, istam, *si oblitus fuero admovere, volo eas ibi consecrare?* Tunc sunt consecratæ; sed consecrando peccavit mortaliter: quia consecrare extra corporale, est peccatum mortale (l). Vel non habuit talem intentionem? Tunc non sunt consecratæ: quia non præsumitur voluisse absolutè consecrare peccando. (l) Bonæ Spei.

26. Sed quid, si sint ad corporale ipsô insciô positæ? *Resp.* In tali casu eas non esse consecratas; quidquid dicant Palaus, Candidus, Nugnus, & citati à Diana *p.*2.*tract.*17.*resol.*19.& *p.*9.*tract.*8.*resol.*60. quia deerat intentio: voluntas enim non fertur in incognitum.

27. Guttulæ vini quæ adhærent calici in latere, utrum debeant censeri consecratæ? *Resp.* Quæ exteriùs calici adjacent, tales non censentur consecratæ, cùm nullus Sacerdos censendus sit intentionem ad illas extendere, propter irreverentiam Sacramenti; quæ verò intra calicem parti calicis adhærent, vel facilè vino fundi uniri possunt? Ad tales videtur extendi intentio consecrantis: quia Sacerdos non intendit non consecratas consecratis miscere, cùm sine peccato id intendere non possit. Vel non facilè ei uniri possunt? Tunc habendæ pro non consecratis, cùm respectu illarum, ratio allata cesset; nisi suam intentionem & ad has consecrans extenderet. Ad removendum ergo omne dubium, expedit eas extergere post infusionem vini, aut ante consecrationem.

28. Quando Sacerdos consecrat hostias in pixide aut corporali, propter amovendam irreverentiam ne particulæ consecratæ confundantur cum non consecratis, consulitur ipsi, ut extendat intentionem ad particulas non consecratas.

29. Casus est. Sacerdos invenit hostiam parvam in corporali, putans esse consecratam, reposuit illam ad alias consecratas; quid est faciendum? Lugo & Ariaga svadent, illas omnes esse sumendas, aliasq; consecrandas. Casus curiosus & utilis.

 Sed

Sed contra est, sumptâ non consecratâ, jam Sacerdos non est jejunus, alias sumere non potest. Si dicas, esse consecrandam illam quæ non est consecrata. Contra est, non scitur quænam illa sit, an hæc, an illa, an alia? pronomen autem *hoc*, super materiam determinatam cadere debet, cùm sit determinativum; aliàs non verificaretur *hoc*: consecrare autem omnes, est iterare formam, & proferre super id quod non est consecrabile; non consecrare verò, est exponere periculo privationis gratiæ sumentes. Ergo verò

30. *Resp.* & dico: In tali casu vel omnes consecrandæ sunt sub hac conditione, *si non sunt omnes consecratæ, consecro eas*; cùm aliter pronomen *hoc* proferri non potest, quàm super materiam determinatam. Neque per iterationem Sacramenti, fit injuria Sacramento, cùm formam repetendi sufficiens sit ratio, videlicet communicantis utilitas, dicit P. Bonæ Spei. Instantia datur: *v. g.* si esset revelatum in confuso, aliquem nostrum Studiosorum Theologorum esse non baptizatum, omnes essent baptizandi sub conditione. Sed in oppositum

31. Dices: Licetsi possint omnes conditionatè consecrari in casu dicto hostiæ, quando sunt paucæ in pixide, quia non scitur quænam sit consecrata; tamen secùs est dicendum, quando pixis est plena hostiis, & hostia non consecrata est suprà inter superiores, non in medio aut in fundo: ergo hostiæ neque in medio neque in fundo pixidis aut calicis jacentes, sunt consecrandæ. Clarificat instantia: si esset revelatum, aliquem Religiosum nostrum de numero Sacerdotum, esse non baptizatum, tunc licèt omnes sacerdotes essent sub conditione baptizandi, non tamen Fratres Clerici & Fratres Lajci essent baptizandi; ergo similiter in proposito discurrendum. *Resp.* Sicut si esset revelatum, unum nostrum de numero Sacerdotum esse non baptizatum, non deberent baptizari Clerici, & Lajci, sed soli Sacerdotes; ita in proposito casu non deberent omnes hostiæ consecrari, sed extensivè solùm ad eam partem, ad quam certitudo consecrantis extenderetur, sic ad medium *v. g.* Quòd autem hoc possit esse, clarificat instantia, & argumentum à pari, quòd possit quis consecrare medium hostiæ, & non consecrare medium, ut multi admittunt.

Forma consecrationis poscit materiam determinatam.

32. Dices: Sufficit talem intentionem formare, *quod est consecrabile volo consecrare*, & non est opus facere talem difficultatem. *Resp.* Non sufficit consecrare quod est consecrabile, sed oportet consecrare hoc: quia forma non cadit super materiam indeterminatam. Clarificat instantia: si esset revelatum aliquem Studiosorum Theologorum esse non baptizatum, non sufficit intendere & dicere, *baptizo eum qui non est baptizatus*, etiamsi omnes Studiosos abluerem; sed oportet intendere & dicere, *te* vel *vos baptizo*: ergo similiter in proposito.

33. Vel

33. Vel potiùs binæ & binæ distribuendæ sunt hostiæ. Prudenter juxta praxim Bruxellensem carni miraculosæ, jungitur hostia consecrata; ergo etiam prudenter in dicto casu, jungeretur consecrata, non consecratæ. Prudenter ad tollendam necessitatem tempore pestis, datur hostia consecrata in non consecrata, aut in pane, & per necessitatem tollitur irreverentia; ergo etiam in casu posito, ad tollendam necessitatem, scilicet ad impediendam privationem gratiæ, prudenter daretur consecrata, in aut cum non consecrata, & per necessitatem tolleretur irreverentia.

SECTIO V.

Quæ nam sit forma Eucharistica, & quæ verba de essentia ejus?

I. R*Esp.* & dico 1. In fieri forma primæ consecrationis Eucharistiæ, sunt verba *Hoc est Corpus meum*, sive formaliter sive æquivalenter talia, omnia & sola essentialiter requisita ad consecrandum Corpus Christi. Hoc ultimum est contra Scotum & Angelum (a), qui volunt illa verba *qui pridie quàm pateretur*, esse de essentia formæ; & contra Græcos Recentiores, qui censent deprecationem Liturgicam subsequentem, & verba *quod pro vobis tradetur*, necessariò requiri ad valorem consecrationis; & non nullos existimātes per ly *accipite & manducate*, formam essētialiter integrari.

(a) de Rhodes.

2. Probatur: Illa est forma Eucharistiæ primæ consecrationis, quam Christus instituit & illâ consecravit: sed sola ista quatuor verba, *Hoc est Corpus meum* sunt talia; ergo sola verba *Hoc est Corpus meum*, sunt forma Eucharistiæ primæ consecrationis. Major est Concil. Florent. *in decreto Armenorum*. Minor probatur, quòd omnia ista quatuor sint forma Eucharistica: quia hoc declaratum est *de celebrat. Miss. cap. Cum Marthæ*.

Verba formæ 1mæ cōsecrationis.

3. Quòd sola, probatur: quæ enim prætereà? non particula *enim*, quia hæc nec apud Evangelistas, nec ullum Apostolum habetur; sed addita est à S. Petro, solùm ad connectenda verba consecrationis cum præcedentibus: nec deprecatio Liturgica subseqvens, tum quia Christus non consecravit per preces Liturgicas, cùm nondum fuerint, sed postea à Græcis compositæ; tum quia Latini non utuntur tali Liturgia, & tamen validè consecrant. Similiter dicendum de verbis, *quod pro vobis tradetur*. Neque verba *qui pridie &c.* ut vult Scotus; cùm non sint Christi, sed à SS. Alexandro addita sunt, cujus festum colimus 3. Maij: nec dicuntur in persona Christi, alioqui in prima persona pronuntiari deberent, sic: *qui pridie antequam passus sum &c.* sicut pronuntiatur *Hoc est corpus meum*. Nec ly *accipite & comedite*: quia sine his, per sola verba debitè prolata *Hoc est Corpus meum*, perfectè significatur & efficitur transmutatio panis in corpus Christi; non enim per hæc verba *manducate*, aut alia hoc fit.

4. Dico 2. Forma Eucharistica secundæ consecrationis calicis sangvinis, est, *Hic est enim calix sangvinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vo-*

2dæ Consecrationis.

pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ita dicitur *de celebratione Missarum cap. Cum Marthæ* circa medium: *credimus quòd forma verborum sicut in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis acceperunt eorum successores.* Apud D. Resol. *in 4. d. 8. q. 3. a. 2.* qui addit quod ibi *cap. Cum Marthæ post principium dicitur: quòd quamvis illa verba in nullo Evangelistarum contineantur, per hoc non habetur, quin Dominus dixerit Apostolis hanc formam, quâ utimur in canone Missæ: quia multa fecit Dominus, & multa verba dixit, quæ ab Evangelistis sunt omissa. Ioan. 21. & ab Apostolis postea expressè suppleta, prout Paulus in actibus Apostolorum cap. 20. sic ait: meminisse nos oportet verbi Domini JESV Christi qui dixit, beatiùs est magis dare quàm accipere: quod nullus quatuor Evangelistarum descripsit.*

Hæc forma est prolata à Christo.

5. Utrum verò omnia verba sint de essentia formæ? controvertunt Authores. Verior tamen & communior dicitur sententia, asserens, de essentia hujus formæ sola verba, *Hic est calix sangvinis mei*, sive *Hic est sangvis meus*, vel æquivalentia. Et sic Doctor Resol. *in 4. d. 8. q. 5. a. 4.* probat hac ratione: *quia per prima verba Hic est calix sangvinis mei, signatur ipsa conversio vini in sangvinem, eô modô, quô dictum est de forma consecrationis panis; per verba autem sequentia, designatur virtus sangvinis effusi in passione.* Præterea

6. Probatur: Tum quia multæ antiquorum Liturgiæ non habent addita illa verba, *novi & æterni testamenti &c.* tum quia omittunt ur in Missa Æthiopum, quæ creditur conscripta à S. Matthæo, approbataq; ab Ecclesia. Ita Fuliensis *p.* 131.

Pro discursu & solutione.

7. Dices 1. in Liturgiis S. Marci, S. Iacobi, Clementis, Basilii, & Chrysostomi, post prolata verba formæ, invocatur Spiritus S. ut descendat supra proposita, & mutet illa in corpus Christi, ita enim ibi habetur: *Emitte Spiritum tuum, & fac hunc panem, pretiosum corpus Christi tui; quod verò in hoc calice est, pretiosum sangvinem Christi. Resp.* In Liturgiis invocari Spiritum Sanctum ut mutet proposita, non conversivè, in se & quoad se, ut fiat ex pane Corpus Christi, & ex vino sangvis Christi; sed ut mutet quò ad nos, scilicet, ut productum, sit in remissionem & salutem, non in reatum & damnationem: taliter enim Græci in Concil. Florent. *ses. ult.* de sensu inquisiti, se explicârunt. Et quòd vocat Basilius proposita, post consecrationem, panem & vinum, antitypa, imagines, symbola, similitudines corporis & sangvinis Christi; non ideo quòd absolutè sit nisi antitypa, sed quia sacrificium incruentum, sacrificii cruenti typus est, & species panis & vini sensibiles, invisibilis corporis & sangvinis Christi, signa sunt.

8. Dices 2. Ut Sacerdos conficiat panem cælestem, requiritur ut verba consecratoria proferat in persona Christi, & designet per illa, esse corpus Christi, non suum: in hoc enim habetur differentia formæ Eucharisticæ à formis cæterorum Sacramentorum, quòd proferantur ex persona Ministri, sive per modum exercentis prout in Sacramento Ordinis, sive per modū

depre-

deprecantis ut in Sacramento Unctionis dicitur; forma verò Eucharistiæ proferatur ex Persona Christi ipsius loquentis, ut intelligamus, quòd Minister in perfectione hujus Sacramenti nihil agat, nisi quòd verba Christi proferat. Ita Doct. Angel 3.*p.q.*78.*a.*1.*in fin.corp.* Et Doctor Resolutus *in* 4.*d.*8.*q.*1.*a.*4 dicit, quòd panis convertatur in corpus Christi, & vinum in sangvinem ejus, *hoc fit potestate Divina. Resp.* Negando minorem, dico: sicuti ad hoc, ut Angelus in veteri testamento in Persona DEI diceret, *ego sum DEUS Patris tui, Exod.*3. non requirebatur ut præmitteret se velle loqui in Persona DEI, sed sufficiebat commissio ipsi data & intentio DEO conformata; ita in tremendo Sacrificio, ut Sacerdos dicat in Persona Christi *Hoc est Corpus meum*, non requiritur omninò ut præmittat se velle loqui in Persona Christi, sed sufficit potestas data, & intentio Christo (cujus personam sustinet) conformata. Sufficit quòd habeat implicitè intentionem proferendi in Persona Christi; quod contingit, dum vult facere secundùm intentionem Ecclesiæ, sive quod facit Ecclesia.

9. Non dicas: Sacerdos eodem ritu & modô, hoc est tenendo calicē in manibus, omnia hæc verba profert, & eodem charactere in Missali descripta sunt; ergo sicut de essentia sunt antecedentia *Hic est calix sangvinis*, ita subsequentia &c. Non dicas inquam: quia etiam particula *enim* eodē modô profertur, & charactere exprimitur, & tamen non est de essentia formæ. Non ideo taliter exprimuntur & proferuntur quòd sint de essentia, sed ideo, quia omnia erant prolata à Christo Domino simul, & eumdem sensum conficiunt Gramaticalem.

10. Ut objectionibus aliis obviem, dico: S. Thom. 3. *p.q.*78.*a.*3. addit, conversionem vini in sangvinem, significari præcisè verbis *Hic est calix sangvinis mei.* Si ergo his solis verbis significatur, ergo & efficitur: ergo sola sunt essentialia, & essentialiter requisita ad consecrationem calicis. Unde docet, subsequentia Verba esse de formæ substantia latè tali, non rigorosè tali; hoc est, docet illa esse de integritate sensûs locutionis Christi, non verò de substantia conversivorum verborum.

11. Ad hæc animadvertenda. 1. Validam licèt illicitam esse consecrationem, si consecrans dicat, *Hic cibus est Corpus meum; Hic potus est sangvis meus*; vel *hæc res*, vel *contentum sub his speciebus est Corpus meum, quod de Virgine sumpsi; Hic est Corpus meum*, hic sumendo pro hoc; vel *Hic est Corpum meᵘ*. Ratio est: quia subsistit adhuc eadem significatio. Ita Suar. Henriq. Bonac. de Rhodes & alij communiter. Similiter validam esse consecrationem dicendo, *Hoc est caro mea*: tum quia probabiliter creditur Christum his verbis consecrasse, ita enim sentit S. Noster Cyrillus Doctor Ecclesiæ *Serm.* 1. *in Cœna Domini*: tum quia perseverat eadem significatio; cùm etiam in scriptura, *caro* accipitur vel pro toto homine, vel pro toto corpore: *Verbum caro factum est. Caro mea requiescet in ipse.* Et licita alibi, scilicet

Verba consecrativa.

cet apud Maronitas: nam in Missali illorum habetur talis forma, *Hoc est caro mea, Hoc est sangvis meus*: quæ forma creditur à S. Matthæo esse, ideoq; dicitur S. Matthæi.

12. Secùs esset si locò pronominis *Hic*, diceret *illud*; vel *hic*, adverbialiter, *ecce*; vel locò *meum*, *Christi*, *Hoc est Corpus Christi*; quia tunc Sacerdos non loqueretur in Persona Christi. Ita S. Thom. *in* 4.*d*.8.*q*.2.*a*.2. Henriq. & alii.

Verba non consecrativa

13. Verbum *est*, neque taceri neque mutari debet: nam sublatô verbô, tollitur sensus verborum. Unde si dicat, *Hic panis convertitur in corpus meum*, *fit* vel *fit corpus meum*, consecratio est nulla: quia exprimitur consecratio in fieri; per verba verò formæ, exprimitur in facto esse. Ita Henriq. Konink, Bonac. & alii.

Verbum est neq; taceri neque omitti potest.

14. Si celebrans omittat voluntariè, *novi & æterni testamenti &c.* imò particulam *enim*, peccat mortaliter (b): tum quia præfata verba, præter particulam *enim*, sunt materia notabilis: tum quia non est omninò certum, illa non esse de essentia formæ, cùm alii DD. sentiant oppositum; & in materia Sacramentorum, eligenda est via tutior, ne nos periculo exponamus invalidè conficiendi Sacramentum. Ita communiter. De particula verò *enim*, ratio est: quia contra praxim Ecclesiæ, & connexionem verborum faceret.

(b) **Rotarius.**

15. Dato casu, quô celebrans prolatis verbis *Hic est calix sangvinis mei* moreretur, calix ille consecratus, adorandus esset saltem conditionatè, etiam ab ipsis docentibus omnia verba esse de essentia formæ; aliàs se exponerent periculo irreverentiæ SS. Sacramento Eucharistiæ; cùm sit valdè probabile, adesse Christi sangvinem sub speciebus vini, prolatis verbis *Hic est calix sangvinis mei*.

Casus.

16. Quid pronomen *hoc* demonstrat, quæ est hujus Sacramenti in facto esse forma, ad Theologiam speculativam remitto Lectorem.

17. Quòd sumptio Eucharistiæ non sit constitutiva ejus ut vult Lutherus, neque pars integralis, ratio probat: quia totum & verum erat Sacramentum, ante sumptionem in Cœna Domini; ergo & modò est totum & verum &c. Antecedens probatur: quia quando Christus dixit *Hoc est Corpus meum*, erat Corpus Christi, aliàs falsum dixisset Christus: atqui talia verba protulit ante sumptionem, ut patet ex Sacra Scriptura, & Lutherani cum Calvinistis admittunt; ergo.

Sumptio neque essentialiter neque integraliter cõstituit Eucharistiam.

18. Sumptio naturalis cibi & potûs, non constituit essentialiter vel integraliter ipsum cibum & potum; ergo etiam sumptio cibi supernaturalis, non constituit essentialiter vel integraliter eumdem cibum. Consequentia à pari sequitur. Antecedens probatur, cùm cibus ante sumptionem sit integerrimus; per sumptionem verò, fit non integer

19. Disparitas est inter Baptismum & Eucharistiam, quòd baptismus consistat

fiſtat in actuali ablutione; jam verò Euchariſtia eſt permanens ante ſumptionem: baptiſmus non eſt niſi in actuali ablutione; è contra Euchariſtia eſt verum corpus Chriſti ante, ut oſtendi *n.* 17.

SERIES II.

De admirabili præſentia Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento.

SECTIO I.

Vtrum Chriſti corpus & ſangvis verè & non in ſigno tantùm, realiter & non fide ſolùm, ſubſtantialiter & non per virtutem & energiam contineatur in hoc Sacramento?

1. PRo intelligenda quæſtione ſciendum, fuêre & eſſe multos Sacramentarios, ſcilicet negantes contineri verum corpus Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, ſolùm ejus eſſe figuram & imaginem: & ſic præſentem Chriſtum nobis non magis eſſe, quàm Regem ubi eſt imago ejus: imaginem verè realiter, Chriſtum verò ſolùm fide manducari. Hôc præmiſſô

2. Dico: Chriſti Corpus & ſangvis verè, realiter, ſubſtantialiter, continetur in hoc Sacramento. Eſt de fide contra Simoniacos, Menandrianos, Henricianos, Berengarium, Wicleffum, Zwinglium, Carolſtadium, Æcolampadium, Ochinium, Calvinum, Bezam, Calviniſtas hodiedum. Ita præter Concilia, Conſtantien. ſub Martino V. *ſeſſ.* 8. & 15. contra Ioannem Hus, Lateran. ſub Innoc. III. *cap. Firmiter de SS: Trinitate* contra Albigenſes, Vienen. ſub Clemente V. Florentin. Trident. *ſeſſ.* 13. *can.* 1. contra Calvinum, quod ita habet: *ſi quis negaverit in Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter & ſubſtantialiter corpus & ſangvinem, unà cum anima & Divinitate Domini noſtri JESV Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit tantummodo eſſe in eo ut in ſigno, vel figura aut virtute; anathema ſit.* Declarat veritatem Veritas Chriſtus *Ioan.* 6. dicens: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt.* Item, *Caro mea verè eſt cibus.* & *Matth.* 26. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſangvis meus.* Apoſtolus ad *Corinth.* 11. referens verba Chriſti *Hoc eſt Corpus meum*, dicit: *quod pro vobis tradetur*; jam verò nemo ſanæ mentis dicet, pro nobis figuram corporis eſſe traditam, & figuram ſangvinis eſſe effuſam.

3. Objectiones Calviniſtarum aliorumq; hæreticorum ſolvuntur, falſitasq; detegitur. Calvini eſt argumentum: Verba *Geneſ.* 41. *ſeptem ſpicæ ſunt ſeptem anni ubertatis*, id eſt ſignificant. Et *Luc.* 8. & *Marc.* 11. *Semen eſt Verbum DEI*, id eſt ſignificat. Ergo etiam hæc verba *Hoc eſt corpus meum*, exponi debent, *hoc ſignificat corpus meum. Reſp.* Retorqueo argumentum: *Septem ſpicæ ſunt ſeptem anni ubertatis*, id eſt ſignificant: *Semen eſt verbum DEI*, id eſt ſignificat: ergo etiam *Verbum Caro factum eſt*, id eſt ſignificat. Non admittit Lutherus & Calvinus, quia ex antecedentibus non ſequitur conſequens; ergo admittere non debet, quòd hoc conſequens, *Hoc eſt corpus meum* Pro ſolutione objectionum.

pus meum, significativè sumi debeat: disparitas enim est & ratio 1. quia verbum *est* tunc sumitur pro *significat*, quando ponitur in parabolis, aut apertissimis allegoriis: ut cùm dicitur, *semen est verbum DEI. Septem boves sunt septem anni. Ego sum vitis vera. Ego sum ostium &c.* 2. quando verbum est, est de significatione ipsa vocum; ut si dicerem, *amare est diligere*: & sic dicitur de agno paschali, *est enim Phase, id est transitus Domini.* Extra istos casus vocula *est*, non sumitur pro *significat*: sed hæc verba *Hoc est corpus meum*, sunt extra nominatos casus; ergo non sumuntur impropriè, ita ut vocula *est*, sit pro *significat*.

Fundamentum Calvini. 4. Ponit fundamentum suum Calvinus, & alii cum eo Hæretici: quia *Matth.* 24. habetur: *si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut ecce ibi, nolite credere.* Et *Matth.* 26. *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Ioan.* 16. *Relinquo mundum & vado ad Patrem. Resp. Psalm.* 78. habetur, *comederunt Iacob.* Unde ipsum cæperunt comedere, an à capite an à pedibus? *Psalm.* 35. *Homines & jumenta salvabis Domine.* Ergo boves erunt in cælo? Nequaquam. *Ioan.* 7. Christus dixit Apostolis, *ascendite vos, ego non ascendam;* & tamen ascendit. Ergo sicut verba Christi, ita & alia Sacræ Scripturæ non semper absolutè intelligenda sunt; sed plerumque cū grano salis, sub explicatione eorum: sic dum dixit Christus *non ascendam*, subintellige apertè, & ascendit occultè. Quare ad verba *si quis vobis dixerit &c.* dico: esse sermonem non de præsentia Christi, sed de doctrina Pseudochristi, ut communiter explicant SS. PP. quia novissimis temporibus multi Pseudochristi, seu veram Christi doctrinam jactabunt. Ad 3. & 4. dico: sermonem esse de præsentia naturali, circumscriptiva; non verò præsentia supernaturali, definitiva: patet ex verbis ejus, *Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi. Vado & venio ad vos.*

5. Adfert aliud fundamentum Calvinus, quod vocat æreum: Oratio ista *Hoc est Corpus meum*, est Sacramentalis, Sacramentum autem est species signi; ergo exponenda est Sacramentaliter, seu significativè: consequenter ut sensus sit, *Hoc est figura*, seu *signum Corporis mei. Resp.* ad hoc sophisma: Oratio ista *Hoc est Corpus meum* est Sacramentalis, hoc sensu quòd per eam perficiatur Sacramentum, Concedo; est Oratio Sacramentalis, hoc sensu quòd alicujus Sacramenti significationem tantùm contineat, aut sensum figuratum habeat, Nego. Et sic Calvini argumentum patet esse stramineum.

6. Ad alia breviùs Respondeo: Eucharistia post consecrationem dicitur panis, non quòd panis specialiter talis sit, sed quòd forma externa panis remaneat. Angeli in veteri fœdere absolutè viri dicebantur, quia in specie tali videbantur. *Genes.* 3. Eva dicitur absolutè os Adami. *Exod.* 2. Dracones, virgæ. *Matth.* 11. Cœci videre, quia tales fuerant. Similiter Respondere potero ad Verba Christi ab Hæreticis adducta, *Non bibam à modò de hoc genimine vitis.*

ne vitis. Et licèt in Luca pateat esse dicta ante consecrationem; secùs tamen apud Matth. & Marcum.

7. Quando S. Augustinus *lib.2. de peccator. merit. cap.26.* dicit: *Accipiunt quamvis non sit Corpus Christi, Sacramentum tamen est, quoniam Sanctum*; loquitur de pane catechumenis olim dari solito in Ecclesia, locò panis Eucharistici. Et dicitur ille panis Sacramentum, latè & minùs propria significatione, inquantum signum quoddam est unitatis fidelium.

8. Hoc fortius videtur esse argumentum, quod cùm dicitur, *Hic est calix sangvinis mei novi & æterni testamenti &c*, necessariò per tropum intelligendum est: quia neque calix est Christi Sangvis realiter, neque sangvis est Christi testamentum propriè. Ad quod *Resp.* Vox *calix* hîc non sumitur tropicè & figuratè, sed significat potionem: nam à duobus Evangelistis Matth. 26. & Marc.14. sic declaratur, per verba *Hic est sangvis meus.* Hac determinatione posita, sufficienter figurata locutio ablata est. Neque voce *testamenti* admittitur tropus: quia *testamentum* significat propriè instrumentum continens voluntatem Testatoris, vel ipsam voluntatem Testantis. In verbis Matthæi & Marci ubi dicitur, *Hic est sangvis meus novi testamenti*, testamentũ propriè significat voluntatem Testatoris; in verbis Luc. *Hic est calix novum testamentum*, propriè significat tale instrumentum authenticum, quô confertur nobis jus ad hæreditatem æternam.

9. Objiciunt absurdum Calvini. Numquid absurdum non est corpus Christi in ventrem mitti? &c. &c. *Resp.* & dico: sicut corpus Christi ratione specierum movetur, ita ratione specierum verè & corporaliter manducatur; absque eo quòd aut cibus corporalis sit, aut intra dentes masticetur: tenelli enim cibi absque masticatione manducantur, aut stomachi calore digeruntur. Christus post resurrectionem non digesturus manducavit: taliter etiam manducari potest. Neque mittitur aliquid corporis in secessum, cùm in stomacho non digeratur; sed quando species ita alterantur calore stomachi, ut forma panis si subesset conservari non posset, definit & corpus Christi esse, & introducitur forma aliti.

10. Magis standum punctuationi Evangelistarum, quàm punctuationi hæreticorum.

SECTIO II.

Vtrum totus Christus & quomodo sit sub utraque specie?

Corpus sub specie vini, & sangvis sub specie panis.

I. RESpond. & dico: Sub utraque specie Christum totum poni, ita ut vi verborum & formaliter, solum corpus sub speciebus panis, sub speciebus vini solus sangvis; per concomitantiam verò & indirectè, etiam sub speciebus panis, sangvis, anima, Divinitas; sub specie vini, corpus, anima, Divinitas; per communicationem tandem & circuminsessivè, Pater æternus cum Spiritu S. habeatur. Ita Trid. *sess.13.cap.3.* habet: *semper hæc fides in Ecclesia fuit, statim post consecrationem, verum Domini no-*

ni Nostri corpus, verumq; ejus sangvinem, sub panis & vini specie unà cum ipsius anima & Divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sangvinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem corpus sub vini specie, & sangvinem sub specie panis, animamq; sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini qui jam ex mortuis resurrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porrò, propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem.

2. Et sess. 13. *can.* 3. *Si quis negaverit, sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.*

3. Probatur ratione: Illud dicitur formaliter esse & ex vi verborum consecrationis sub speciebus Eucharisticis, quod verbis consecrationis expressè designatur; illud indirectè & per concomitantiam, quod realiter conjungitur cum eo, quod sic exprimitur; illud circuminsessivè & per communicationem, quod identificatur ei, quod est realiter conjunctum cum taliter expresso.

Quomodo Christus est sub speciebus panis.

4. Dico 2. quòd Christus sub speciebus panis & vini sit unitivè ad species, sed sine adhærentia; definitivè ad locum, sed sine restrictione; indivisibiliter & inextensè respectu corporis & sangvinis sui, sed divisibiliter & extensè respectu specierum & spatii; tamdiu, quamdiu duraret panis & vinum; definit, quamprimum species desinunt.

Unitivè.

5. Explicatur & probatur. *Unitivè*: tum quia Eucharistia est unum Sacramentum, constans intrinsecè ex Corpore Christi & speciebus; unum autem ex eis, non potest esse sine unione: tum quia aliàs nec portaretur corpus Christi, nec per illas demonstraretur. Licèt DEUS sit præsens localiter Angelis, & speciebus separatis; per illas tamen demonstrari nequit. Qualis autem est unio? Dico, quòd non sit physica, qualis est inter materiam & formam; nec effectiva, qualis reperitur inter magnetem & ferrum ab eo attractum; sed est moralis, prout inter contentum & continens (a), sine adhærentia & informatione: nam non in hoc succedit corpus Christi substantiæ panis, ut sustentet accidentia, aliàs non sustentaretur quantitas miraculosè; sed in hoc ut sit contentum sub speciebus. Nec est capax corpus Christi existens Sacramentaliter, sustentare accidentia; cùm sit indivisibiliter existens. Quare quia non inhærent ipsi species, nec informant, non potest ab illis denominari corpus Christi album, sapidum &c.

(a) Petrus à S. Ioseph Fuliensis.

Definitivè.

6. *Definitivè ad locum*: ita ut sit totum in toto, & totum corpus sub qualibet parte minima. Clarificat instantia de anima rationali, quæ est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte minima corporis humani. Rationem dat Doct. Resol. *in* 4. *d.* 8. *q.* 5. *a.* 3. *Quia corpus non numeratur ad numerationem specierum continentium: quia unum est corpus in quod omnes partes & omnes hostiæ convertuntur, sicut unum est corpus quod est natum, passum &c, sicut unus DEUS in omnibus rebus. De hoc habes in cap. Singuli, & cap. Qui manducat, & cap. Quid sit.*

7. Sin

7. *Sine restrictione:* quia non ita est ut anima rationalis solùm in corpore, sed etiam extra hanc & illam & aliam hostiam; quia ita est sicut unus DEUS in omnibus rebus, inquit Doct. Resol. Sed DEUS ita est in quacumque re, ut sit etiam extra eam; ergo etiam corpus Christi, ita est in hac & illa & alia &c. hostia, ut sit etiam extra eam. Sine restrictione.

8. *Ratione sui indivisibiliter & inextensè:* quia totum & integrum manet sub qualibet particula fracta, prout citatis locis, & in Concilio Trid. *sess.* 13. *can.* 3. declaratum est. Ratione sui indivisibiliter.

9. *Divisibiliter ratione specierum:* quia illæ unà cum quantitate divisibiliter existunt. Clarificat instantia de anima rationali, quæ in corpore humano ratione sui indivisibiliter existit, prout in se indivisibilis, nisi virtualiter, æquivalenter, eminenter, divisibilis dicatur; ratione verò corporis, aliter est ad cerebrum, aliter ad pedes: ibi ut intelligat, sciat &c; hîc ut ambulet. Ultimæ partis Resolutionis declaratio: quia Christus ex institutione ipsius Sacramenti, succedit in locum panis; ergo tamdiu debet manere sub speciebus, quamdiu species conservantur. Ita S. Thom. *q.* 80. *a.* 3. Henriq. & alij. Ratione specierum divisibiliter.

10. Ex dictis collige, quòd (quia corpus Christi est veluti contentum, species ut continens,) possit Sacerdos per accidens, ad motum specierum movere corpus Christi localiter, seu de loco ad locum, qui motus quotidianus est in celebratione Missarum, & sumptione ipsius corporis, prout Conc. Trident. *sess.13.cap.3.can.8.* declarat; independenter verò à speciebus, tangere & movere corpus Christi nequit Sacerdos, cùm indivisibiliter sit existens. A DEO autem moveri potest: & sic relictis speciebus in altari, transferri in cælum; cùm DEUS sit infinitæ potentiæ.

11. Utrum possit moveri ab Angelo? disputant Theologi. Certum est quòd Christus in Sacramento existens, non possit se ipsum localiter motu progressivo movere, cùm ibi indivisibiliter existat; jam verò motus progressivus fieri non potest, nisi una pars corporis sit ante aliam, & consequenter diversum locum occupet, ut experientia ostendit in motu progressivo animalium.

12. Quomodo corpus Christi Sacramentaliter existens videtur, & videri potest? Doctor Resol. *loc. cit. q.5.a.3.* & *q.6.a.1.* dicit: quòd *ratione continentiæ verificatur confessio Berengarij, ad quam Concil. Generale compulit, & Papa coram centum & tredecem Episcopis fecit confiteri, corpus Christi in rei veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & dentibus atteri: quia licèt corpus sit impassibile, tamen ut continetur sub speciebus, manibus Sacerdotum tractatur, frangitur & dentibus teritur.* Addit idem Doctor, *qua ratione conceditur dente corporali atteri, & manibus sensualiter tangi, & hoc ratione continentiæ sub speciebus (ut jam dictum est); eadem ratione videtur concedendum, quòd oculo corporali videtur sub speciebus: & sicut ad has quæstiones, respondetur per continentiam* Ratione specierum.

tinentiam ſub ſpeciebus; ſimiliter poterit ad alias ſimiles. Et infrà *q.6.a.2.* hæc habet : *Et videtur quòd Eccleſia hoc determinavit tenendum, per capitulum Ego Berengarius : ſicut enim ibi utrumque concedit, quòd ſpecies franguntur, & corpus frangitur, & non ſolùm Sacramentum id eſt ſpecies; imò quòd corpus verè frangitur, ſed ſub Sacramento tantùm, ut exponit Magiſter ſententiarum illud Ego Berengarius 4.l.d.12.* Sed ſic ſub ſpeciebus videtur. Quæritur autem utrum in ſe, ſive ratione ſui videri poſſit?

13. *Reſp.* Chriſtum Sacramentaliter exiſtentem, oculô corporeô naturaliter videri non poſſe (a). Ratio eſt : quia modô inextensô exiſtit, mittere ſpecies in oculum nequit. Poteſt tamen videri ſupernaturaliter (a). Ratio eſt : quia poteſt DEUS ſupplere defectum extenſionis naturaliter requiſitæ ad viſionem, producendo ſpecies in oculo, vel etiam efficere ut oculus videat ſine ſpeciebus.

Caſus notabilis.

14. Quid quando caro apparet aut ſangvis in Euchariſtia? *Reſp.* Quando locò ſpecierum panis apparet caro, aut locò ſpecierum vini ſangvis, valdè probabile eſt, illam carnem quæ apparet non eſſe corpus Chriſti; illum apparentem ſangvinem, non eſſe ſangvinem Chriſti (b): tum quia non decet carnem Chriſti in fruſta diſſectam, & ſangvinem ejus extra venas effuſum: tum quia ad fidelium conſolationem & devotionem, infidelium autem confuſionem, fideique noſtræ conſervationem & confirmationem, poteſt aliter res apparere in oculis, quàm in ſe eſt, prout patet in factis miraculis, quibûs nonnullis apparuit parvulus, aliis verò nonniſi hoſtia conſecrata apparebat : tum quia hoc contingere poteſt, quòd in oculo miraculosè producatur ſpecies carnis ipsô immutatô objectô, vel quòd ſpecies Euchariſticæ convertantur in carnis, ſangvinis, aut pueri perfecti accidentia ac ſpecies, aut corpus (ſimiliter ſangvis) ex àëre formetur; quæ omnia facilè DEI Omnipotentiâ fieri poſſunt.

(b) Bonæ Spei Petrus à S. Ioſeph.

15. Si appareat aliis caro aut forma pueruli, Sacerdoti verò niſi hoſtia, tenetur eam hoſtiam adorare prout continentem verum corpus Chriſti, & eam (ſi hoc fit tempore ſacrificii, & ejus eſt ſacrificii) devotè ſumere; adhibitâ tamen priùs debitâ diligentiâ & certitudine aliquorum, quòd & eis appareat hoſtia. Si verò Sacerdoti appareat caro, aliis hoſtia vel etiam caro, expectare cogitur. Si diſpareat, & ſpecies ad priſtinum ſtatum redeant, ſumenda eſt ab eo, juxta *cap. Relatum de Conſecr d.2.* quod & S. Gregorius fecit: niſi accedat horror (c) gravis eam ſumendi; tunc aliam hoſtiam ſi habet, conſecrare obligatur ad perficiendum ſacrificium. Et ſi ſecundò & tertiò appareat in forma carnis, iterum ſecundò & tertiò aliam hoſtiam propter præceptum Eccleſiæ *cap. Relatum* conſecrare oportet, inquit D.R. *in 4. d.*10. *q.*1. Si non habeat aliam hoſtiam, nec acquirere valet, hanc ſumere non tenetur: quia hoc caſu cenſetur DEUS in ſacrificii integritate diſpenſare, inquit noſter Bonæ Spei. *Nec propterea non ſumens eſt ſuſpenſus: quia leges reſpi-*

(c) Bonæ Spei.

ciunt

ciunt ea quæ frequentiùs accidunt, non ea quæ rarò, dicit Doctor Resol. *loc. cit.* Si verò caro illa non disppareat, illam veluti reliquiam notabilem pro veneratione & excitatione devotionis populi asservare tenetur, & idem facere, quod faceret si dispareret.

16. Dices 1. Si valdè probabile est, carnem quæ apparet non esse verum corpus Christi, multùm probabile est miraculum hoc seu carnem quæ apparet, esse non ad confirmationem fidei, sed ad deceptionem: nam qui putat esse corpus Christi, decipitur. *Resp.* Nego sequelam, seu esse in hoc deceptionem: sive mutatio fiat in speciebus modô dictô, sive iis non mutatis tota mutatio fiat in oculo videntis, ut docet S. Thom. 3.*p.q.*76.*a.*8. ejusmodi apparitio fit in figuram veritatis, scilicet ad ostendendum corpus & sangvinem Christi, verè esse in Eucharistia: quod confirmatur ex S. Aug. qui *l.*2.*de quæst. Evang.cap.ult.* ait: fictionem nostram quando refertur ad aliquam significationem, non esse mendacium, sed figuram veritatis. pro discursu & solutione.

17. Dices 2. Saltem quando Christus apparet sub specie pulcherrimi pueri, admittendum quòd Christus appareat; aliàs esset error in adoratione, committeretur enim idololatria. *Resp.* Probabiliter non esse admittendum: nam sub specie pueri potest apparere Christus, ut apparuit multoties Sanctis; aut non Christus, ut legimus in probatione resolutionis. Ad probationem verò objectionis dico: sicut error in adoratione, ita & periculum committendi idololatriam, facilè caveri potest: quia adoratio debet tendere ad ipsum Christum, vel sub forma illa latentem, si adhuc est, vel ad existentem in cælo, si non est ampliùs sub specie quæ apparet.

18. Quomodo talis caro miraculosa divinitùs conservata, adorationi exponenda? *Respondet* P. Bonæ Spei, quòd *tamquam vera reliquia; cui hostia consecrata prudenter jungetur, ubi à populo tamquam verum corpus Christi colitur, juxta laudabilem Bruxellensium praxim in Sacramento miraculosô. loc. cit. n.* 235.

19. Christus sub speciebus panis existens indivisibiliter, qualiter operari queat? *Resp.* Christus existens in Sacramento, operationes sensuum naturaliter elicere non potest; sic nec audire, nec videre potest (d): quia sensus sunt quædam potentiæ organicæ & materiales, quæ naturaliter operari non possunt, nisi recipiendo species ab objectis externis; nec recipere eas, nisi modô extensô coëxistant, spectato cursu naturali: cùm species non sint indivisibiles, sed extensæ, prout & objecta ipsa. Potest tamen id præstare de potentia extraordinaria: quia potest DEUS efficere ut species intentionales in illo recipiantur modo indivisibili, aut etiam ejusmodi specierum defectum omninò supplere, ait Petrus à S. Ioseph Fuliensis, decus S. Ordinis Cist. *de Eucharist.c.*5.*resol.*6. Utrum autem per assistentiam supernaturalem, Christus sub speciebus panis existens hoc præstet, scilicet Sacerdotem videat, audiat, ut nonnulli piè credunt? Incertum est, inquit P. Bonæ Spei. Admittitur tamen communiter, quòd Christus existens in Sacra-

(d) Bonæ Spei de præsentia Christi d.4. num. 223.

Sacramento indivisibiliter, possit elicere actus independentes à concursu objectorum externorum; & sic intelligere, velle (a): & de facto vult, intelligit, beatificè; aliàs cessaret esse beatus, quod dici non potest.

Quantitas est extra omne subjectum.

20. Dico 3. Quantitatem Eucharisticam panis & vini in qua cætera accidentia remanent, extra omne subjectum sensibile esse; non per modum perseitatis ipsi intrinsecum, sed per manutenentiam creativam illi extrinsecam, conservari.

21. Quatuor sunt quæ in hac resolutione unica afferimus cum communi Theologorum sentimento. 1. accidentia cum quantitate remanere, quæ erant antè, eaque conservari absque omni supposito substantiali: hoc fides docet in Trid. *Sess.13. Can.2.* his verbis: *manentibus dumtaxat speciebus panis & vini.* 2. in quantitate cætera remanere ut antè: est S.Thom. *q.77. a.2.3.* quòd accidentia quæ post consecrationem remanent, nullum gradum perseitatis recipiant, quô per seexistant more substantiarum. Ratio est: quia vel ille modus esset accidentalis, vel substantialis? Non accidentalis, nam potiùs accidentis est esse in alio, non esse in se. Non substantialis, quia sicut rationale bruto, ita perseitas accidenti, cujus esse essentiale est alietas, communicari nequit. 4. quòd dicta quantitas conservetur per manutenentiam creativam: quia sicut creatio est productio ex præsupposito nullo subjecto, ita conservatio seu manutenentia quantitatis, est independenter à quocumque subjecto: est enim actio, quâ ponitur quantitas extra omne subjectum.

SERIES III.

Quibus & qualiter necessaria sit Eucharistia?

Non est necessaria necessitate medij.

1. Resp. & dico: Eucharistiam, tam parvulis quàm adultis, tam in re quàm in voto, non esse necessariam necessitate medii. Ita S. Thom. *3.p.q.73.a.3.* cum pluribus aliis, & nostris Gvidone, Perminiano, Waldensi hîc *c.19.* contra Græcos, omnes Schismaticos, qui propterea parvulis tribuunt Eucharistiam; & nonnullos Catholicos.

2. Probatur quòad parvulos: In Conc. Trid. *Sess.21.c.4. de communione, S. Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem; siquidem per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt.* Et ibidem *can.4. si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.*

3. Ratione quòad utrosque probatur: Illud ad salutem est necessarium necessitate medii, sine quo numquam etiam inculpabiliter omisso, salus obtineri potest: sed sine Sacramento Eucharistiæ, tam in re (id est in se) quàm in voto, desideriô tali, inculpabiliter omisso, tám à parvulis quàm ab adultis obtineri potest salus; nam si parvulus ante usum rationis, aut adul-

dultus statim post baptismum moriatur, sine mora ejus anima evolat ad cœlum. Primum patet ex Trident. Secundum expresse declaratur in Rubrica *de Baptismo cap. Debitum.*

4. Dico 2. Sacramentum Eucharistiæ necessarium esse necessitate præcepti, tam Divini quàm Ecclesiastici, ita ut omnes adulti baptizati, præceptô Divinô ad susceptionem ejus teneantur, non solùm semel in mortis periculo, verùm etiam aliquoties in vita; ex præcepto autem Ecclesiastico semel in anno, & quidem sub tempus Paschatis.

Sumptio Eucharistiæ ex præcepto.

5. Explicatur & probatur resolutio. Quòd sit necessarium necessitate præcepti Divini, declaratur: Quando aliquid præcipitur sub minatione pœnæ, perditionis gratiæ necessariæ ad salutem, est aliquomodo necessarium: susceptio Eucharistiæ ita præcipitur *Luc.* 22. *Accipite & manducate. Hoc facite in meam commemorationem. Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* *Joann.* 6. Eucharistiæ sumptio est necessaria, non necessitate medij ut vidimus; ergo necessitate præcepti Divini, cùm à Christo qui est Deus præcipiatur.

6. Hoc præceptum respicit nisi adultos, cùm infantes sint incapaces præcepti; & adultos nisi baptizatos: nam licèt posset Christus omnes obligare, cui omnes ut Deo subsunt, noluit tamen; quia se voluit accomodare cursui naturali, in quo priùs debet quis nasci, quàm manducare. Si compelleret Christus per suum præceptum ad sumptionem Eucharistiæ non baptizatos, tunc ille compelleret ad sumptionem indignam, quod dici nequit.

7. In articulo mortis juxta Conc. Nicænum I. *can.* 13 Carthaginense IV. *can.* 77. & 78. Arausicanum I. *can.* 3. hoc est in periculo vitæ, quod prævidet quis & meritò timet, v.g. in gravi morbo, aut ante conflictum, aut alium similem casum, tenetur sumere Eucharistiam permodum viatici: tunc enim maximè est necessaria, ut homo Deo uniatur, vires acquirat ad superandas tentationes. Quare

In articulo mortis.

8. Licèt secundùm communiorem sententiam non teneatur sumere Eucharistiam ille, qui paulò ante diem secundum aut tertium (non audeo extendere ad octavum) sumpsit; consulendum tamen ei, ut iterum sumat, si fieri potest commodè: quia per illam accipiet augmentum gratiæ, magisque corroborabitur contra insultus animæ adversarii, disponeturque ad felicem transitum de hac vita.

Quid si citiùs?

9. Quoties (præter periculum mortis) de præcepto sumenda sit Eucharistia? cùm Christus non determinaverit, sed Ecclesiæ determinationi reliquerit. *Resp.* Ecclesia quæ priùs *Act.* 2. quotidie, postea quater in hebdomada & diebus festivis (teste Basilio *ep. de communione*), postea semel qualibet hebdomada, quemlibet ad hoc Sacramentum sumendum adducebat, postea magis tepescente populo & spiritûs ardore deficiente, Fabianô

Papâ

Papâ ad ter in anno, in Paschate, Pentecoste, Nativitate adstrinxit, *ut cap. Etiamsi non frequentiùs, de consecrat d.2.* videre est. Tandem in solemni Concilio Lateran. habito sub Innocentio III. præceptum in hæc verba statuit:

Semel in anno.

Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reverenter adminus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum; nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio, propter rationabilem aliquam causam, ab hujusmodi perceptione ad tempus duxerit abstinendum: alioqui & vivus ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & mortuus Ecclesiastica careat sepultura. Unde Confessarius ex justa causa suspendere potest pœnitentem ad aliquot, imò plures dies post tempus Paschale; cùm ei id concedat Concilium Lateran. ut immediatè legimus. Item colligitur ex eodem Concilio, quòd non debeant Parochi suos Parochianos ob omissionem Paschalis communionis excommunicare, absque declaratione Consistoriali; cùm non declarentur tales ipsô factô.

10. Qui non communicavit tempore Paschali, an translapso tempore illo teneatur Eucharistiam sumere? *Resp.* Ante declarationem oportet scire & præmittere, duplicem Theologorum circa hoc esse sententiam: unam quæ demonstrat, quòd in hoc præfato immediatè lecto Lateranensi, non sit nisi unicum stringens præceptum quemcumqve adultum ad Paschalem communionem sumendam, ita ut nec virtualiter aliud contineatur. Ita volunt Sot. Valen. Armil. Sa & alii. Secundam quæ docet, in hac Lateranensi decisione virtualiter duplex præceptum esse: unum vi cujus jubemur semel in anno Sacram Eucharistiam sumere, cui præcepto satisfit quocumque anni tempore peragatur communio; secundarium & alterum, vi cujus jubemur saltem adminus in Paschate, sive tempore Paschali suscipere eam. Ita sentiunt NN. Urbanus ab Ascensione Domini, Bonæ spei, Elisæus à S. Ioan. Baptista, & alii. His præmissis.

11. Dicendum: quòd sicuti qui ante Professionem præmisit preces, aut in Villa ubi non est festum Sacrum audivit, in alio loco illa die in qua est festum non tenetur repetere; ita qui communionem ùti annuam tempori Paschali præmisit, non tenetur illam post Pascha ùti talem repetere: secùs verò ut annuam, si Paschali non præmiserit. Communionem Paschalem præmittere non magis potest, quàm auditionem Sacri in vigilia; nec tempore subsequenti Paschale suscipere eam tenetur magis, quàm jejunium Ecclesiasticum sequenti die adimplere: quia sicut præceptum de jejunio, diei; præceptum de communione annua, anno; ita præceptum de communione Paschali, tempori Paschali affixum est.

12. Per communionem indignam non satisfit Ecclesiæ præcepto: patet ex propositione 55. ab Innocentio XI. damnata. Neque per casualem: ut si existens in gratia, putans hostiam consecratam esse non consecratam, eam ut talem sumeret (a): quia præcipitur ut sumatur humanô modô, id est scien-

(a) de Rhodes.

ſcienter & liberè. Plura ſpectantia ad hanc quæſtionem locis in aliis dico.

13. Euchariſtia nec in ſacellis Nobilium, nec intra ſepta Regularium ſervari poteſt. Ita ordinat Tridentinum (b). (b) Rotarius pag. 367.

Propoſitiones damnatæ ad hanc ſeriem ſpectantes.

Ab Innocentio XI. Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem. 55.

Ab eodem. Frequens confeſſio & communio, etiam in his qui negligenter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

Ab Alexandro VIII. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint. 24.

Ab eodem. Similiter arcendi ſunt à Sacra communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers. 25.

SERIES IV.

Quis Euchariſtiam conficere, & quis confectam diſpenſare, & qualiter poſſit?

R*Eſpond.* & dico 1. quòd ſolus & omnis Sacerdos ritè ab Epiſcopo ordinatus, poſſit validè conficere Euchariſtiam. Eſt de fide, definitum in variis Conciliis, Nicæno *can.* 14. Lateran. ſub Innoc. III. *cap.* 1. Florent. *in Decreto Eugenii*, & Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. Interim Vide diſt. 5. ſer. 4.

2. Explicatur ex probatur Reſolutio. Lutherus cum ſuis ſequacibus exiſtimat, omnem cujuſcumque conditionis hominem, ex vi baptiſmi habere poteſtatem conficiendi Euchariſtiam; verùm ob vitandam confuſionem, intendit, ad id neminem ſe debere ingerere (excepto caſu neceſſitatis), niſi vocatum à publica Principis aut Magiſtratûs authoritate. E contra Orthodoxa fides Catholica innixa Sacris Scripturis, docet & clarè oſtendit, Deum poſuiſſe in Eccleſia primò Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores; non omnes Apoſtolos, non omnes Prophetas, non omnes Doctores: ſed quemadmodum omnia corporis naturalis membra non eumdem actum, munus, functionem habent; ita vera membra corporis Eccleſiaſtici, non eamdem poteſtatem, facultatem, vim habere. *Rom.* 2. & 1. *Cor.* 12.

3. Ratione probatur, quòd ſolus Sacerdos ab Epiſcopo ritè ordinatus: Lex enim Evangelica, excellentiores Sacerdotes habere debet Sacerdotibûs Legis antiquæ, ùti ipſa excellentior (a): ſed Sacerdotes Legis Moyſaicæ, nec conſtituebantur ex vi circumciſionis acceptæ, nec per Principem aut Magiſtratum ad id officium deputabantur, Sacerdotium enim tunc ſoli Tribui Levi erat alligatum, & in Levitas à ſolo Pontifice conſecrante ordinatum; ergo. (a) Clemens à S. Pontiano.

4. Quòd omnis talis, ſive excommunicatus, ſive hæreticus, imò degradatus,

datus, validè conficere Euchariſtiam poſſit, ita docet S. Thom. contra Magiſtrum Sententiarum & Gratianum in *cap. Quodquidam.* 1. *p.* 1. Ratio eſt: quia character eſt indelebilis. Quapropter Trident. *ſeſſ.* 23. damnat eorum ſententiam qui aſſerunt, *novi teſtamenti Sacerdotes, temporaneam tantummodo conſecrandi poteſtatem habere, & ſemel ritè ordinatos, iterum lajcos effici poſſe.*

Qualem intentionem habere tenētur novelli Sacerdotes.

5. Quando novelli Sacerdotes cum Epiſcopo conſecrant eamdem hoſtiam, attendere debent ut ſimul cum Epiſcopo proferant formam: nam ſi unus citiùs eam finiret, hic conſecraret, non alii aut Epiſcopus, ob defectum materiæ. Quare ne Epiſcopum impediant (qui cùm ſit Principalis celebrans, impediri non debet), talem intentionem formare tenentur, ut ſimul cum Epiſcopo verba proferant, & conſecrare intendant ſi ſimul cum ipſo ea abſolvant; ſi fecùs, materialiter tantùm & recitativè, hoc eſt hiſtoricè ea proferre intendant. Ita docent Bonæ Spei, Præpoſitus, Wigers: & colligitur ex Innocentio III. *l.* 4. *Myſter. Miſſæ cap.* 25. ut refert S. Thom. *Sive priùs ſive poſteriùs proferant Sacerdotes, referri debere eorum intentionem ad inſtans prolationis Epiſcopi, cui principaliter celebranti concelebrant; & tunc omnes ſimul conſecrant & conficiunt.* Non eſt tamen omninò neceſſaria talis explicita intentio, ſed ſufficit implicita, quam habet quilibet novellus Sacerdos qui intendit verba conſecrativa proferre ſecundùm intentionem Eccleſiæ, & ſecundùm ejus intentionem conſecrare cum Epiſcopo (b).

(b) Bonæ Spei.

6. Addidi in Reſolutione ly *validè*: quia plura ad eſſe liciti requiruntur, ſcilicet abſentia cenſuræ, aut ſimilis impedimenti canonici, locus, tempus, apparatus debitus: quæ cùm ſe teneant ex parte ſacrificii, ibi de illis inferiùs dicam. Modò

7. Dico 2. Secluſa neceſſitate, ſolum Sacerdotem poſſe adminiſtrare Euchariſtiam. Ita Doctor Reſol. *in* 4. *d.* 9. *q.* 2. *a.* 2. dicit: *Non debet Euchariſtia ſumi, niſi de manu Sacerdotis, de conſecrat. d.* 2. *can. Prævenit.* Comprobatur verbis hymni feſti corporis Chriſti: *Cujus officium cōmitti voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit ut ſumant & dent cœteris.*

Diaconus in neceſſitate adminiſtrare Euchariſtiam poteſt.

8. Addidi *ſecluſa neceſſitate*: nam ſi neceſſitas cogat, ex commiſſione Epiſcopi, aut Sacerdotis curati legitimè impediti, poteſt Diaconus miniſtrare: patet hoc ex *cap. Habetur d.* 93. *can. Diaconos*, & ex Conciliis, *can.* 14. Concilii Nicæni, & *cap.* 18. Conc. IV. Carthaginenſis.

9. Quæ autem ſufficiens neceſſitas? *Reſp.* Rotarius dicit: ſi eſt Sacerdos fatigatus, vel occupatus in alio Sacro miniſterio, quare hoc non poteſt adminiſtrare. Bonæ Spei: ſi populus communionem petat, & Sacerdos non adſit qui eam diſtribuere poſſit. Petrus à S. Ioſeph & alii: ſi ipſe Sacerdos ægrotet, & aliquis in extremis poſitus Euchariſtiam poſtulet, neque adſit alius Sacerdos à quo eam recipere poſſit.

Caſus.

10. Sed quid ſi Sacerdos adſit, ſed hæreticus eſt; adeſt etiam Diaconus, ſed hoc ipſi commiſſum à Parocho non eſt ut Euchariſtiam adminiſtret; & mori-

moribundus Euchariſtiam petit, peccataque confitetur Sacerdoti hæretico? *Reſp.* & dico: In tali caſu licèt poſſit Sacerdos hæreticus audire confeſſionem moribundi eumq; abſolvere, cùm ſit Sacerdos; non tamen poteſt in hoc caſu communionem ei dare: quia communio non debet ſumi de manu Sacerdotis hæretici, dicit *Can. Cœpit d.*24.*q.*2. apud Doct. Reſol. *loc. cit.* Econtra licèt Diaconus eum non poſſit Sacramentaliter abſolvere, cùm non ſit Sacerdos; poteſt tamen communicare: quia ipſi *cap. Fures* hoc conceditur, ut videbimus infrà *d.*7. *ſer.*1. *ſect.*2. *n.* 2. Item quia in tali caſu Diaconus præſumpta commiſſione gaudet, ut patebit ſtatim.

11. Dico 3. Ut licitè Sacerdos adminiſtret Euchariſtiam, etiam extra tempus Paſchale, debet habere juriſdictionem, ut colligitur ex Concilio Carthaginenſi *cap.*7. Vel ordinariam, qualem habent Pontifices, Parochi, quia paſcere oves eſt munus Paſtoris; vel delegatam, qualem habent alii de licentia Epiſcopi, aut Parochi, & Regulares Privilegiati, ut ſunt Mendicantes, & cum eis communicantes, qui à ſupremis Paſtoribus id eſt ſummis Pontificibus id privilegium habent; à Nicolao V. & Sixto IV. Minores, à Iulio II. Minimi, à Pio V. omnes Mendicantes, excepta communione Paſchali & permodum Viatici: hoc enim ſemper reſtringitur in Privilegiis eorum. Vel rationabiliter præſumptam, interpretativam (c), quòd ſi ſciret proprius Sacerdos ſeu Parochus, concederet libenter. Difficulter tamen talis intentio haberi poteſt quòad Paſchalē communionem, cùm ferè ſemper in tali, præſumuntur eſſe inviti Sacerdotes proprii. Quare niſi magnæ circumſtantiæ præbeant fundamentum judicandi proprium Sacerdotem non eſſe rationabiliter invitum, communio non eſt danda.

(c) de Rhodes Rotarius & alii.

12. Unde ſi præſumpſerit id facere Sacerdos non habens ullam juriſdictionem, peccat mortaliter: quia in re gravi præſumit exercere juriſdictionem, quam non habet; & jus alterius violat. Et ſi Religioſus etiam privilegiatus, Paſchalem vel permodum viatici ſecluſa neceſſitate ut talem dare præſumat, incurrit ipsô factô excommunicationem Papæ reſervatam, per Clementin. *Religioſi.* Ratio eſt primi: quia hoc in Clementin. quæ incipit *Religioſi* habetur, *Si præſumpſerint adminiſtrare Clericis aut ſæcularibus &c.* Ratio ſecundi eſt: quia Paſchalis communio & permodum Viatici, quòad Religioſos Privilegiatos excipitur; ergo Privilegiati talem dare præſumentes, ab excommunicatione incurrenda non eximuntur.

Paſchalem communionem & per modum viatici ſolum proprius Sacerdos dare poteſt.

13. Dixi *ſecluſa neceſſitate*: nam in articulo mortis abſente Parocho, ſicut non Regularis Sacerdos ſimplex, ita Regularis privilegiatus quilibet, conſtituto in tali neceſſitate poteſt adminiſtrare Euchariſtiam, docent Lezana *v. Euchariſtia n.* 4. Lugo hîc *d.*18. *ſect.*2. *n.*53. Tolet. *l.*6. *c.*17. Bonac. hîc, & alii. Et meritò: quia in tali caſu præſumitur conſenſus Parochi; & quamvis is non præſumeretur, præſumitur tamen Eccleſiæ conſenſus-

Contradicente Parocho Regularis viaticum dare potest.

14. Unde si Parochus malitiosè negaret sæcularibus Eucharistiam, confessis Mendicantibus, aut sine rationabili causa, aut illam administrare differret, tunc quicumque Mendicantium Sacerdos posset illam ministrare talibus; dummodo negatio illegitima quòd sit talis, testimoniô vicinorum sit probata, aut coram Notario publico manifestata. Ita enim habet Leo X. in Bulla *Dum infrà* in tom. Bullar. inter Bullas ipsius *n.* 22. de quo Mirand. Nald. *v. Eucharistia n.* 15. & *v. Religiosus n.* 33. Valentia addit, quòd etiam præsente Parocho in tali casu possit administrari Eucharistia infirmo, à quocumque Regulari. Sed notandum, quòd malitia Parochi debeat esse evidens & certa, ita ut non sit locus dubitandi, quòd eam neget ex justo motivo.

Excusantia ab excommunicatione.

15. Ad intimatam prohibitionem animadvertenda. 1. Sacerdotem Sæcularem id præsumentem facere, non incurrere excommunicationem dictam: quia Clementina solùm de Religiosis facit mentionem; *in pœnis autem non est facienda extensio.* 2. Religiosum non incurrere dictam excommunicationem, si id non præsumat, sed ex ignorantia etiamsi crassa (d) excommunicationis faciat (cùm excommunicatio quæ ponitur in Clementina, sit solùm contra præsumentes, ut patet ex verbo *præsumpserint*) aut rationabiliter gratum id fore Parocho existimet; aut non Sæcularibus, sed aliis Religiosis eam administret: quia dicta Bulla loquitur tantùm de sæcularibus. 3. Excusari quemcumque Regularem à dicta excommunicatione, communicantem infirmum moribundum, in extrema necessitate constitutum quòad ipsum. Ratio jam est data suprà *n.* 13. Addo *in extrema necessitate quòad ipsum Regularem:* quia si facilè posset haberi proprius Sacerdos, aut alius ab eo deputatus, moribundus non est in extrema necessitate quòad Regularem hunc. Quapropter si præsumeret illi dare, daretque Eucharistiam, non ignorans esse prohibitionem sub pœna excommunicationis, incideret in eam ipsô factô.

(d) Præpositus Diana.

16. Possuntne tamen aliqvando Regulares infirmis moribundis & quibus, Eucharistiam etiam permodum viatici sine licentia Parochi & Episcopi administrare? *Resp.* & dico: Quodsi ægrotus necdum pervenerit ad statum quô infirmus ad recipiendum viaticum obligatur, potest ipsum Regularis quicumque communicare; aut pervenit quidem ad eum statum, sed satisfecit præcepto de viatico, docet communissimus P. Busemb. Ratio est: quia Regularibus prohibetur administratio Eucharistiæ permodum viatici, non verò aliô titulô administrandæ. Numquam tamen à Regularibus non Parochis publicè deferenda Eucharistia per plateas; cùm id juri Parochorum consvetudine obtento deroget. Ita Dian. Svar. & alii.

Maximè familiaribus.

17. Quòd permodum viatici possint Regulares suis familiaribus, nempe servis qui intra septa dormiunt & sunt commensales, administrare Eucharistiam, privilegia adferunt Doctores. Leonis X. Lezana *de Confratribus c.* 16.

c. 16.*n.* 11. Bullam quæ incipit *His quæ*, Anno 1513. editam in hæc verba: *Ut Fratres Ordinis Minorum* &c. Dian. *p.*5. *tr.*3. *resol.*25. Pii IV. & Pii V. pro omnibus, in Bulla quæ incipit *Ad immarcescibilem* &c. *tom.* 2.Bullar. inter Bullas ejusdem Pii *n.* 51.

18. Aliqua potest esse difficultas de famulis mercenariis, seu eis qui ad breve tempus Regularibus inserviunt, ad fodiendum, fabricandum &c. Sed tollitur per Bullam Pii V. *Ad immarcescibilem*, in qua Religiosis Patribus Theatinis hoc idem conceditur (e). Imò & Mercenariis.

19. De hospitibus Sæcularibus, infirmantibus & commorantibus intra septa Monasterii, difficultas inter Theologos movetur. *Respondent* affirmative, & adferunt, Peirinis *tom.*1. privilegium Iulii II. Minimis concessum. Peregrinus 1.*p.* sui compend. tit. *communicare n.* 3. privilegium Pii IV. & Pii V. Theatinis concessum. Alii rationes, paritates, ut sunt Diana *p.*5.*tr.* 3. *resol.* 52. & *p.* 10. *tr.* 11. *resol.* 31. v. *Et tandem.* Caßianus à S. Elia *in arbor. opin. moral.* v. *articulus mortis* § 4.*n.*81. Bordon. *tom.*2.*resol.*20.*n.*18. & alii. In oppositum apud Octavium *interrogat.* 429. est Mathæncius, qui *in Officio curiæ Regul.* *c.*29.*n.*20. docet, Sacram Congregationem Concilii die 27. Septembris Anno 1670. declarasse, non licere Regularibus absque licentia Episcopi aut Parochi, hospitibus infirmis intra septa suorum Conventuum, Monasteriorum, Domorum &c. Sacramenta administrare: neque eos mortuos in suis Ecclesiis aut cæmeteriis sepelire posse. Sed commune est Theologorum sentimentum, quando non constat de Authentica Congregationis declaratione, parum refert ejus allegatio. Et cùm Mendicantes sint in possessione vi Privilegiorum, oportet ostendere novam declarationem authenticam, tollentem privilegia hâc in causa.

(e) Lezana de hospitibus.

Difficultas.

De Administratione Paschalis Communionis.

20. Dico: Licet si in Paschate (quod intelligitur à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè, prout declaravit Eugenius IV. in Bulla quæ incipit *Fide digna* (f), apud alios à Dominica Passionis, apud alios ab initio quadragesimæ inchoatur, prout consvetudo ostendit) juxta caput *Omnis fidelis*, debeat quicumq; sæcularis sumere Eucharistiam de manu proprii Sacerdotis, id est Pastoris sive proprii Parochi; non tamen hoc tempore omnem: aliàs in festo S. Iosephi apud Carmelitas, in festo Annuntiationis apud Jesuitas, in festo S. Ioannis de DEO apud Bonifratres, in festo S. Thomæ Aquinatis apud PP. Dominicanos, Sæculares non possent communicare: & sic illis diebus à Sede Apostolica concederetur Sæcularibus indulgentia non assequenda; quod dici non potest.

(f) Bonæ Spei d. 7. d. 4. n. 109.

21. Quamvis Regulares privilegiati die Paschatis quocumque titulo Sæcularibus Eucharistiam administrare nequeant, si eis Episcopus hocce tempore prohibeat, cùm hoc præstare possit, ex declaratione Sacræ Congregationis Anni 1644. quæ infrà *d.*7. *sect.*3.*n.*3. de verbo ad verbum ponitur;

tamen quando non prohibet, etiam diebus Resurrectionis Domini aliô titulô petentibus, qui jam satisfecerunt præcepto Ecclesiæ communicando in Parochiali Ecclesia, aut de manu Parochi, aut ejus Vicarii, possunt distribuere hanc Sacram Eucharistiam: quia licèt S. Congregatio declaret id posse prohiberi Regularibus, non tamen prohibet. Et licetsi Gavant. adferat declarationem Sacræ Congregationis de Anno 1586. & 1615. quibus declaratur non posse Regulares Privilegiatos in suis Ecclesiis Sæcularibus administrare Eucharistiam die Paschatis; quia tamen adfertur posterior declaratio de Anno 1619. quam adfert Barbosa *de Offic. Paroch. c.* 20. *n.* 10. & *in collect. Bullar. v. Eucharistia*, in qua solùm dicitur, *Fratres non posse in die Paschatis administrare populo Eucharistiam, stante quòd in Privilegio Eugenii IV. hoc eis expressè interdicitur pro illa die*: Atqui à summis Pontificibus interdicitur administratio communionis formaliter Paschalis, non materialiter talis, ut docent Suar. *tom.* 3. *in* 3. *d.* 72. *sect.* 2. §. *censeo igitur*, & *tom.* 4. *de Relig. tr.* 10. *l.* 9. *c.* 3. *n.* 7. *Rodriq. tom.* 1. *quæst. Regular. q.* 56. *a.* 3. Barbosa *de Officio Paroch. c.* 20. *n.* 10. Navar. Lezan. *v. Eucharistia n.* 2. Sa, Filliuc. Laym. & alii. Imò etiamsi nondum satisfecerint, sed postea intra idem tempus Paschatis satisfacturi sint, docent iidem Doctores. Addit tamen Laym. nisi constaret Parochum esse invitum, ac rationabiliter prohibere, v. g. quòd aliàs rationem communicantium habere in sua Parochia non possit; tunc enim ad Parochialem Ecclesiam remittendi. Idem docet Lugo *d.* 8. *sect.* 2. *n.* 50. Bonac. *l.* 5. Lezan. dicit, *ad minus tamen consvetudini legitimæ standum est in casibus prædictis.*

Et Paschalem Regularibus.

22. Licèt Regulares privilegiati extraneis Sæcularibus ordinariè nequeant communionem Paschalem formaliter talem in suis Ecclesiis administrare, possunt tamen Religiosis extraneis etiam die Resurrectionis, quando absunt à loco ubi sunt ipsorum Prælati. Ratio est: quia in hoc non fit Parochis injuria, cùm non sint ipsorum subditi, & præsumitur licentia esse Prælatorum eorum. Nec talis administratio est contra Clementinam: quia ea solùm est ad favorem quoad subditos Parochorum. Ita Navar. *in Manuali c.* 27. *n.* 102. Sanch. Facund. Lezan. & alii. Imò & Sæcularibus Sacerdotibus si vellent apud eos eam sumere, impotentes ob infirmitatem, aut aliam causam celebrare. Ratio probat à pari: Sacerdotes ut se communicent cõmunione Paschali, possunt celebrare apud Regulares privilegiatos, quia sic consvetudine est receptum, prout docent Nald. *v. Eucharistia*, Henriq. Lezan. & alii; ergo etiam per alios apud eos communicari possunt. Imò & lajcis quà Paschalem communionem suis familiaribus distribuere possunt, cùm hoc expressè eis concedatur à Leone X. ut vidimus hîc *n.* 17. Declaratio autem Sacræ Congregationis quam adfert Gavant. in oppositum, in qua dicitur, *famulos Sæculares in Monasteriis degentes ad Parochiam in Paschate ire debere*, intelligitur de famulis Regularium non habentium privilegia quoad hoc.

Sæcularibus Sacerdotibus

& Laicis suis familiaribus.

Ita

Ita dicit celeberrimus Lezan.loc.cit.*n*.8.Et fundamentum hujus eſt: quia eſſet hoc maximè ad hunc finem, ut ſciant Parochi an ſatisfecerint Eccleſiæ præcepto: atqui(prout videbimus infrà de pœnit.*d.7.Ser.2.Sect.1.n.8.*)oppoſitum eſt deciſum à S.Congregatione, ut ſcilicet *ad Superiores Regulares, & non ad Epiſcopos pertineat exquirere ab eis an præcepto Eccleſiæ ſatisfecerint;* ergo.Idem dicendum de mercenariis ad breve tempus intra ſepta Monaſterii degentibus, dummodo in ipſis à Leone X. conditiones ſuprà *n*.17.ſpecificatæ reperiantur: ſecùs ſi aliqua deſit. Ita Lezan. Ratio eſt: quia ſunt verè familiares, licèt ad breve tempus. Mercenarijs

23. Poſſunt Regulares privilegiati per accidens adminiſtrare Euchariſtiam, non tantùm ſuis familiaribus, ſed etiam aliis Sæcularibus, ſcilicet eis qui ad ſuas Parochias commodè accedere nequeunt: & ſic Peregrinis, advenis, aut aliô titulô in ea Patria degentibus. Ita docent Laym. *tom.2.l.5.tr.4.c.7.n.3.* Dian.*p.3.tr.2.reſol.12.*Lezan.*tom.1.p.1.c.21.n.8.*& *tom.2.v.Euchariſtia n.*6.Sanchez *de Matrim. l.3.d.23.n.17.* Mancinus, Lugo, Facund. & alii; quidquid dicant Suar. Bonac. & Paſſerinus: quia prædicti, aliorum Parochorum ſunt ſubditi, non ſpectant ad hos: & pro Regularibus adfert privilegium Iulii II. Minimis conceſſum Peirinis, quo privilegio alii cum eis communicantes uti poſſunt. Pro hoc videndus eſt Lezan. loc. cit. n.6. Nec facienda eſt extenſio in odioſis. Peregrinis advenis.

24. Utrum quis poſſit ſeipſum, & lajcus alios communicare? *Reſp.* imprimis, quòd ſecluſa maxima neceſſitate, in periculo aut articulo mortis, neque lajcus, neque Clericus, neque Subdiaconus, hoc præſtare poſſit. Omnes in hoc DD. conveniunt. Et probo taliter: Diaconus ſi adminiſtret alicui Euchariſtiam ſine licentia & neceſſitate, ſive ſit irretitus aliquâ cenſura ſive non, peccat mortaliter, & efficitur irregularis; ergo à fortiori Subdiaconus & Lajcus. Conceſſo antecedente, ſequitur conſequens; antecedens verò eſt Laymani l.5.tr.4.c.7. n.3. §. *Porrò irregularitatem*, Naldi. v. *Euchariſtia* n.18.Lezanæ ſub eod.verb. n.14. Ratio eorum eſt: quia exercet actum ordinis, quem non habet. Secluſa neceſſitate cõmunicans diaconus incurrit irregularitatem.

25. Poſita verò neceſſitate, v.g. quia aliquis eſt in articulo mortis conſtitutus, & non eſt Sacerdos, neque Diaconus qui Euchariſtiam adminiſtret, docent multi quòd in tali caſu poſſit etiam lajcus, imò lajca, Euchariſtiam infirmo aut ſibi in tali neceſſitate exiſtenti, adminiſtrare.Ita Lezan.loc.cit. n.15.BonæSpei d.8.dub.unic.reſol.3.n.14.Suar.Valent.Konink.Diana & alii. Negant verò Vaſq.Bonac.Facund.Lugo & alii.Ego autem ſic dico: Lajcus, imò lajca ſi lajcus non eſt aut non vult, S.Euchariſtiam, ſicut projectã in terrã ab hæreticis recipere manibus ſuis, ita ſi eſt periculum gravis irreverentiæ Sacratiſſimæ Euchariſtiæ, ne malè ab hæreticis tractetur, poteſt eam ſumere, & aliis eam diſtribuere ut citiùs ſumatur, ſi eſt v.g. plena hoſtiarum pixis (g). Secluſa hac neceſſitate, poſita alia, quòd aliquis ſit in periculo mortis

(g) Ioan. Pontio

(h) IoannesPontius, Petrus à S. Ioseph. Lajcus Lajcum communicare nequit

tis morali aut physico, licitum non est tam Lajco quàm Clerico, quàm Subdiacono eam administrare, etiamsi nec Sacerdos nec Diaconus adsit (h): colligitur ex cap. *Pervenit* de consecr. d. 2. Et probatur: tum eò quòd jura Ecclesiastica concedant in necessitate Diaconis distributionem Eucharistiæ, non Subdiaconis & Lajcis: tum eò quòd sine hoc Sacramento possit salvari homo: tum consvetudine Ecclesiæ, permittente potiùs multos mori sine hoc viatico, quàm communicari à Lajco aut Subdiacono, in defectu Sacerdotis & Diaconi (g): tum solutione fundamentorum oppositæ sententiæ.

Objectiones solvuntur.

Dicitur: Nulla lex hoc prohibet. Dico: altera lex est consvetudo, quæ est nunc. Multa antea erant licita, quæ modò non licent: antea Lajci ordinariè ad manus accipiebant, & domum portabant communiones sacras; modò hæc non possunt facere. Et sic in illo tempore Maria Regina Scotiæ Martyrium subitura, sumpsit Eucharistiam quam penes se habebat, ut scribit Tertulianus l. de orat. n. 133. Id ante fiebat; modò fieri non potest, nisi in allato casu.

Diaconus in periculo mortis seipsum communicare potest.

26. Ad primam partem quæstionis quòad Sacerdotem, dico: In periculo mortis, si non sit alius Sacerdos, aut saltem Diaconus qui ipsum communicet, potest se ipsum communicare more Lajcorum: admittunt Suar. Lezan. Bonæ Spei, de Rhod. Pont. Petrus à S. Ioseph & alii communiter. Colligiturq; hoc ex Can. 14. Concilii Nicæni, in quo conceditur Diacono, ut absente Sacerdote possit sibi & aliis ministrare Eucharistiam (g). Si hoc conceditur Diaconis, ergo à fortiori Presbyteris. Imò ex sola devotione hoc facere potest, si inde non oriatur scandalum: docent Lezan. Bonæ Sp. Suar. & alii. Idem dicendum de Diacono, si neque Sacerdos aliquis, neque Diaconus alter adsit. Imò P. Bonæ Sp. n. 17. dicit, etiamsi sit alius Sacerdos aut Diaconus præsens, potest seipsum Sacerdos more Lajcorum communicare, seclusô scandalô.

Quibus & quomodo danda Eucharistia?

(i) Communiter.

27. *Resp.* Doctor Resolutus in 4. d. 9. q. 2. dicit: *Licèt neganda sit pueris carentibus usu rationis* (i), *tamen incipientibus discretionem habere & actualem devotionem, potest dari ante perfectam ætatem, puta si sint decem vel undecim annorum.* Imò Diana p. 10. tr. 15. resol. 6. ait, eam permodum viatici posse dari puero, de quo dubitatur an ratione utatur, quod potest fieri circa ætatem septem annorum. Sed consvetudo est in oppositum, dicit P. Stephanus à S. Paulo.

An dandum viaticum puero?

28. Neganda est perpetuò amentibus; potest tamen dari furiosis, & amentibus in lucidis intervallis, sicut & stolidis, qui mentem habent debilem, modò aliquomodo sint docibiles eorum quæ ad fidem & devotionem pertinent (k). Et ei qui in infirmitatem, amentiam seu phrænesim incidit, potest dari permodum viatici, si existimatur esse in periculo mortis, & testimonium habeatur pro hoc quòd petierit Sacerdotem, & præsuma-

(k) S. Thomas Doctor Resolutus.

ſumatur poſſe accipere ſine periculo expuitionis vel vomitûs, & hujusmodi; aliàs non. Ita Doctor Reſol. loc. cit. Quod totum colligitur ex Conc. Carthaginenſi IV. cap.76. cuius rei experientia capi poteſt, dando illi priùs hoſtiam non conſecratam. Ita Laym. l. 5. t. 4. c. 7. Dian.p. 2. tr. 14. reſol. 44. Gobat. & alii.

Caſus.

29. Quid faciet Sacerdos vocatus ad ebrium, qui ob læſionem eſt in urgente periculo mortis? *Reſp.* Vel eſt ebrius imperfectè, quòd licetſi habeat lingvam impeditam, & in pedibus ſtare nequeat, compos eſt tamen rationis, inter bonum & malum diſcernit? Tunc ſi det ſigna aut dedit doloris, communicari poteſt. Vel eſt ebrius totaliter perfectè? Tunc ſcire oportet, utrum ebrietas illa ſit voluntaria, utrum involuntaria? Si primum? Non ei dandum viaticum: quia non eſt mittendum canibus, ut canit Eccleſia. Si ſecundum? Poteſt & debet dari ei. Ita docent Gobat caſ. 13. n. 196. Monochius conclus. 579. Ratio eſt: quia involuntaria ebrietas, non eſt peccatum.

30. *Non debet dari excommunicatis, ſuſpenſis, interdictis, propter ſignificationem Sacramenti, quæ eſt unio cum Chriſto & Eccleſia* (l), *de celebrat. Miſſ. cap. Cum Marthæ circa medium, tales enim ſeparantur ab unitate Eccleſiæ; tamen eis ſatisfacientibus, in morte non eſt neganda. lib.* 3. *de ſepult. cap. ult.*

(l) Doct. Reſol in 4. diſt 9. quæſt. 2.

31. Quòd peccatori publico, ſivè publicè ſive privatim petenti neganda ſit Sacra Euchariſtia, jam dixi de Sacramentis in gen. Ser. 8. n. 1. Hîc tantùm magis veritatem rei enucleo. Doctor Reſol. loc. cit. dicit: *Hoc Sacramentum non eſt dandum publicis peccatoribus, hiſtrionibus, aut magicis, Scenicis, Apoſtatis &c, de conſecrat. d.2.cap. Pro dilectione. Publico*: ſubintellige in eo loco, in quo eſt delictum publicum: nam ſi delictum eſt publicum Cracoviæ, poteſt ei dari communio Gedani (m); quia in quantum eſt occultus in eo loco, retinet ibi bonam famam.

(m) Lezana n. 23 Sotus Henriquez Petrus à S. Ioſeph.

32. Similiter dum dubitat Sacerdos utrum peccator ſit publicus (n): quia tamdiu quis præſumitur bonus, quamdiu non conſtat illum eſſe malum; neque in loco publico poteſt Sacerdos negare communionem, niſi certò ei conſtet eum eſſe talem. At poſtquam fuerit converſus, non eſt ei neganda gratia communionis, habetur de conſecr. d. 2. cap. *Scenicis*. Et ſi publicè conſtet eum eſſe emendatum, communio ei publicè adminiſtrari debet; ſi verò privatim innoteſcat emendatio, privatim dari poteſt. Ita Petrus à S. Ioſeph. Et quod dictum eſt de publico peccatore, idem dicendum de eo qui publica ſuſpicione ſuſpectus eſt: publica enim ſuſpicio moralem certitudinem inducit. Talis ſuſpicio ferè æquivalet manifeſto crimini, inquit Petrus à S. Ioſeph. Quando peccatori occulto danda, quando neganda eſt Euchariſtia, ſufficienter dixi de Sacramentis in gen. Ser. 8. n. 2.

(n) Lezan. v. Dubia Regul n. 15. Ochagalia.

33. Deferenda eſt in habitu Eccleſiaſtico, proportionato ſtatui Sacerdotis,

Quomodo deferenda Euchariſt.

dotis, ita ut eam Parochus cum ſuperpelliceo & ſtola lumine præcedente, Regularis in pallio; Parochus publicè aut privatim pro exigentia loci & neceſſitatis, Regularis numquam publicè portet, ſi non eſt Parochus. Ita Suar. Dian. & alii. Et deferendo debet pias preces ad Deum fundere, modeſteq; properare, ſive in equo modeſto ſive aliter (o). Præſtat ægrum non communicatum mori, quàm Sacerdotem cum SS. Sacramento velut puerum aut fugientem currere, docet Bonac. ex S. Thom. Poſſevinus & alii.

(o) Rotarius.

34. In ſtola ſemper tribuenda; niſi neceſſitas petentis & periculum tribuentis excuſet, prout inter hæreticos contingere poteſt.

Chiragram patiens communicat.

35. Licetſi juxta Bonaveturam & Poſſevinum, aliter non eſt danda Euchariſtia quàm indice & pollice, quare ob chiragram omittenda cenſetur communio; oppoſitum tamen cum Tolet. pro articulo mortis admitto, præſertim ſi tunc chiragram patiens adminiſtret duobus indicibus, cùm nullibi hoc prohibeatur.

Tempore peſtis communicatur.

36. Plures quidem docent cum Bonacina non poſſe tempore peſtis porrigi Euchariſtiam mediô aliquô inſtrumentô, à fortiori deponi in ſcutelam ut ab ægro ſumatur, ſed omninò manu ipſa dandam eſſe; pauciorum tamen ſententiam oppoſitam multi ſeqvuntur, in caſu quô neque ſcandalum, neque periculum lapsûs in terram adeſt: cur enim non poſſit particula Euchariſtiæ imponi fruſtello panis, ut ex eo devotè peſte infectus lingvâ eam recipiat, & illud fruſtellum immediatè decomedat? Et ſi non poteſt traijcere hoſtiam ægrotus, poteſt illi dari ea aut ejus particula in cochleari cum vino. Hoc admittunt Præpoſit. in 3. p. q. 80. a. 5. du. 6. Eſcobar tom. 7. c. 6. Dian. p. 4. tom. 4. reſol. 104.

(p) Rotarius.

37. Conſecratione facta, poſſuntne particulæ conſecratæ tribui alteri Sacerdoti, ut expeditiùs populum expectantem communicet? *Reſp.* quòd non (p): ſicut tunc ſuam hoſtiam pro ſe conſecratam Sacerdos ſumere non poteſt, ita alias hoſtias ipſe aut alter diſtribuere nequit; cùm omnes ad unam eamdemq; victimam ſpectent, circa quam nondum omnia peracta ſunt. Quare diſtribuens eas, peccaret mortaliter (q): dempto tamen caſu, quô quis eſſet in extremis & alia non eſſet hoſtia ad eum communicandum. Ita Tamburin. de Sacrific. Miſſ. cap. 6. Quòd omnes hoſtiæ hac conſecratione conſecratæ, ad unam eamdemq; victimam pertineant, patet ex verbis conſecrationis & orationum.

(q) Lugo.

(r) Sa verb. Euchar. nũ. 22. & praxis Eccleſiæ

38. Utrum poſſit Sacerdos in defectu minorum hoſtiarum, magnam hoſtiam, non pro ſe conſecratam, ſed v. g. pro expoſitione, dividere in partes & diſtribuere aliis? *Reſp.* quòd poſſit, dummodo non dividat in valdè parvas (r). Exemplum eſt Chriſti, qui fregit & diſtribuit.

39. Utrum celebrans Miſſam poſſit particulam ſuæ hoſtiæ dare petenti communionem? *Reſp.* Vel ſunt aliæ hoſtiæ conſecratæ pro communione?

nione?

nione? Tunc hoc facere non potest (s); cùm hoc sit contra praxim Ecclesiæ, & cæremonias Missalis. Vel nõ sunt? tunc si petens sit in periculo, sive physico sive morali mortis, potest ei concedere particulam suæ hostiæ (s), cùm Rubricæ Missalis & praxis Ecclesiæ, non respiciant casum extraordinarium, & per amissionem talis partis sacrificium non desinit esse perfectum; aut causâ devotionis, lucrandi indulgentiam, petat; & sive sit notabilis persona ut vult Lezana, sive etiam non notabilis ut vult Diana p. 1. tr. 14. resol. 37. p. 3. tr. 4. resol. 34. & p. 10. tr. 11. resol. 70. Burghaber centur. 1. cas. 37. Stephanus à S. Paulo & alii. Dixi *vel sunt aliæ hostiæ pro communione*: nam una semper hostia, aut ejus particula relinqui debet in pixide pro adoratione, & secunda hostia pro majori necessitate moribundi.

(s) Lezan. verb Euch. num. 22. & praxis Ecclesiæ.

40. Ex his infero: in casu quo non esset altera major hostia ad exponendum populo v.g. pro Parasceve in sepulchro, posse Sacerdotem parvã pro se consecrare hancq; sumere, majorem relinquendo pro expositione; aut majorem pro se consecrare & pro expositione, dummodo ejus particulam in eo sacrificio sumat: cùm sicut per amissionem partis minoris sacrificium non desinit esse perfectum, ita per amissionem partis majoris, ob eandem rationem; et non exponat totam, nulla ejus sumpta parte: quia sic mutilaretur sacrificium, ut habetur cap. *Relatum* de consecrat. 1. Unde maximè cavere debet Sacerdos exponens SS. Sacramentum, ne suam exponat, quam unicam consecravit in suo sacrificio, monet Stephanus à S. Paulo.

41. Casus est. Sacerdoti communicanti mulieres aulicas, nudas ad medietatem pectoris, hostia cecidit inter ubera unius; quid faciendum cum ea? cujus manu illa hostia est recipienda? *Resp.* Vel illa hostia remanet inter ubera superiùs apparens Sacerdoti, ita ut illam commodè recipere possit? Tunc Sacerdos illam recipere tenetur. Vel cecidit inferiùs? Tunc consulendo puritati Sacerdotis, decentiùs est ut eam ipsa mulier sua manu recipiat, & reddat Sacerdoti. Ita Rotarius. Et quid si particula intra barbam, aut gutta sangvinis Christi intra eam Sacerdotis Barbati, cadat? *Resp.* eam esse saltem bis lavandam, aquamq; in piscinam projiciendam. Ita docent Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. punct. 10. n. 10. Dicastillo de Sacram. tom. 1. tr. 5. d. 4. dub. 15. n. 301. Octavius interrogat. 1038. quod praxis in similibus comprobat. Unde non est opus eam abradendam & comburendam, ut vult Bartholom. ab Angelis dial. 5. §. 713. Casus.

42. Casus 2. est. Sacerdos distribuens communionem, videt mulierem flectentem, hostiam sacram in strophium emittere; quid faciendum cum ea? *Resp.* Sacerdos videns hoc, publicè non potest eam hostiam eripere, nisi ita possit ut nullus advertat; nec eam corripere aut confundere, cùm possit aut in sensu falli (potest enim illa deponere potiùs flegma in strophium, ut alii faciunt ob reverentiam non adeò laudabiliter) aut in

suppoſito errare: nam poteſt contingere quòd illa non ad inhonorandum eam, ſed ne inhonoretur per ſubitum vomitum pro tempore, ex neceſſitate tali extrahat eam de ore, mittatq; in ſtrophium; præſumptio autem non debet ullum de bona fama extrudere. Obſervare illam mulierem tenetur, ut eam ſi poteſt privatim moneri moneat, quatenus Deum non offendat; ſi non poteſt, Deo oportet illam commendare. Ita docent Burghaber centur.1.cas.56. & N.Stephanus à S.Paulo.d.4.dub.8.n.44. Vtrum tempore interdicti poſſint communicari Fideles? vide d.ſeqv. ſer.7. n.56.

43. Quòd adminiſtrans Euchariſtiam Sacram debeat eſſe in gratia, aliàs peccet mortaliter, dixi de Sacram. in gen.ſer.5.n.11. Quòd autem ſe diſponere ad gratiam debeat per confeſſionem, aut actum contritionis, dixi in aliis locis, & infrà dicam. Nunc adhuc proponuntur caſus, in quibus Sacerdos peccat mortaliter, adminiſtrando Euchariſtiam.

44. Primò, quando adminiſtrat infantibus ante uſum rationis.

Caſus in quibus Sacerd. adminiſtrans Euch. peccat mortaliter.

45. Secundò, quando miniſtrat extra mortis articulum amentibus, qui aliquando quidem ſunt uſi ratione, ſed ea actu carent dum communicantur; aut in mortis articulo ijs amentibus qui numquam uſi ſunt ratione. Ita Tolet. l.6.c.17.n.2.

26. Tertiò, quando miniſtrat ſub utraque ſpecie, in locis in quibus non diſpenſavit Summus Pontifex: hoc enim prohibitum eſt in Concil. Conſtantien. ſeſſ.13 ſub pœna excommunicationis.

47. Quartò caſus eſt, quando probabile eſt periculum vomitûs & irreverentiæ, & tamẽn tali adminiſtrat Sacram Euchariſtiam.

48. Quintò, adminiſtrans excommunicato etiam minori excommunicatione, ſcienter tali, aut ignoranter craſsè. Item adminiſtrans peccatori, cui non eſt adminiſtranda.

SERIES V.

De ſubjecto ſeu ſuſcipiente Euchariſtiam.

Subjectum hujus Sacramenti capax, eſt homo viator: nam qui eſt extra viam merendi, non eſt capax augmenti gratiæ. Baptizatus: quia priùs eſt eſſe in janua, quàm in cænaculo: & ſicut, utquis ſit capax nutrimenti corporalis, debet eſſe corporaliter natus, ita ut ſpiritualis nutrimenti ſit ſuſceptivus, oportet quòd ſit primò ſpiritualiter natus. Ad talẽ verò ſuſceptionem fructuoſam hujus Sacramenti, requiruntur diſpoſitiones aliæ ex parte corporis, aliæ ex parte animæ. De quibus ſit

SECTIO I.

Quæ diſpoſitiones ex parte animæ requirantur?

1. Reſp. & dico 1. Ad fructuoſam ſuſceptionem Sacræ Euchariſtiæ, requiritur fides: accedentem enim ad Deum oportet credere.

2.Di-

2. Dico 2. Extra periculum mortis, requiritur intentio actualis sumendi Eucharistiam, aut virtualis; in periculo mortis, sufficit interpretativa seu præsumpta. Probationes habentur de Sacram. in gen. ser. 6. sect. 2. Unde si quis comederet hostiam ut simplicem talem, ad sedandam famem, aut inadvertenter hoc faceret, non sumeret spiritualiter ac fructuosè Eucharistiam (a). (a) Rotarig.

3. Dico 3. Ut quis dignè & fructuosè sumat Eucharistiam Sacram, ordinariè prærequiritur in eo status gratiæ; aliter sumens eam peccat mortaliter, nisi putet se esse in gratia, & sit saltem attritus de commisso; vel id faciat ut impediatur irreverentia exhibenda Sacramento ab Hæreticis, aut alius similis casus eum justè excuset.

4. Explicatur & probatur Resolutio. Imprimis *ut quis sumat fructuosè, requiritur in eo status gratiæ:* priùs enim debet se examinare, utrum sit in statu gratiæ: nam dicit Apost. 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Ratio verò est quòd prærequiratur status gratiæ: quia hoc Sacramentum est institutum permodum cibi spiritualis; ergo sicut cibus corporalis præsupponit vitam corporalem, ita cibus spiritualis Eucharisticus præsupponit vitã spiritualem, nempe gratiam primam. Dixi *ordinariè*: nam ut intimavi hâc d. ser. 3. sect. 1. n. 3. per accidens potest contingere casus, quòd quis de mortali peccato attritus, putans se esse contritum, postea illius peccati oblitus, bona fide, putans se non esse in mortali, accedat ad sacram communionem; in tali casu bona fides excusat à peccato novo: & cùm Sacramentum juxta decisionem Tridentini nõ sit otiosum, adeoque (ut in cit. n. multi admittunt) in tali casu, in subjecto producit gratiam. Addidi *attritum*: quia (ut pluries in tract. de pœnit. repeto) non dimittitur peccatum, nisi de eo peccator doleat. Unde admitto talem infructuosè sumere Eucharistiam, qui bona fide accedit putans se esse in gratia, & de illo peccato commisso mortali nullô modô dolorem elicuit. Quòd sumens in peccato mortali hoc SS. Sacramentum, novo mortali peccato offendat Deum, patet ex irreverentia tanti Sacramenti, nisi putet se esse in gratia, nam bona fides semper à novo mortali excusat; vel hoc faceret ut impediretur irreverentia &c: sic enim præstaret reverentiam SS. Sacramento. Sed hoc intelligendum, quando non posset se disponere per contritionem ad gratiam: quia si posset & non disponeret, gravissimè peccaret sumens irreverenter, qui posset reverenter.

Eucharistia per accidens producit primã gratiam.

5. Dico 4. Conscius peccati mortalis tenetur præmittere confessionem; nisi desit copia Confessarii & urgeat necessitas, aut urgente necessitate immineat periculum vel scandalum populi; vel est Sacerdos & jam incepit mysterium Sacramenti: de hoc in summ. Confess. lib. 3. tit. 24. q. 70. Doct. Resol. in 4. d. 9. q. 2. a. 1.

Conscius Peccati mortalis quando potest communicare nõ præmissa Confessione.

6. Explicatur & probatur Resolutio: Sic enim habetur in Concilio Trid.seff.13.c.7. *Ecclesiastica consvetudo declarat probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad S.Eucharistiam accedere debeat. Et ne tantum Sacrum indignè, atque adeò in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eô ipsô excommunicatus existat.*

Quādo quis sine confessione potest accedere ad S. Communionem.

7. *Nisi desit copia Confessarii, & urgeat necessitas* : tunc enim sufficit contritio, docet Doctor Resol. loc.cit. & habetur in Glossa de celebrat. Missar. cap. *De homine* in fin. & communiter à Theologis ex Trident. cit. ita docetur.

Copia Confessarii deest physice.

8. Copia autem Confessarii deest, vel Physicè vel moraliter: physicè, quando physicè abest Confessarius, quando absolutè non est: sic Parochus cōscius peccati mortalis, quando non est Cōfessarius nisi post duo v.g. milliaria polonica aut ruthenica, & ad ipsum accedere non potest, vel propter debilitatem, senectutem suam, vel difficultatem in via magnam, vel propter audiendas confessiones domi, aut propter Missam celebrandam, pro qua si tardè rediret murmuraret populus, celebrare potest præmisso actu contritionis. Ita Bonac. Bonæ Sp.Steph. à S.Paul. Ioannes à Conceptione.

Moraliter.

Moraliter, quando moraliter abest Confessarius acsi non esset: sic quando adest quidem Confessarius, sed ignarus idiomatis, vel non est ignarus idiomatis, sed probabile periculum est ne peccatum revelet, aut pœnitentem ad simile peccatum pertrahat; attamen si habet alia peccata ex quibus nullum tale periculum timet, debet illa subijcere clavibus Ecclesiæ, iis omissis de quibus timet. Ita Petrus à S.Ioseph.

Necessitas communicādi sine confessione.

(b) Petro à S. Iosepho.

(c) Lugo Suares.

9. Necessitas autē in qua posset quis communicare non præmissa confessione dum abest Confessarius, est 1. quando versatur in periculo mortis: tunc enim elicito actu contritionis, potest à Diacono Eucharistiam accipere (b); vel si est Sacerdos, seipsum communicare. 2. quando Sacrificium aut communio non potest omitti absque gravi infamia, aut scandalo (c). 3. quando Sacerdos debet celebrare ex Officio, ut populus audiat Sacrum, adestque populus.

10. Quando urget præceptum de annua communione, & quando Sacerdos non potest audire Sacrum nisi celebret, probabiliùs est quòd seclusô scandalô & infamia, ille cōmunionem, iste celebrationem intermittere tutâ conscientiâ possint. Ita docent Henriq. Sot. Dian. Suar. Sa. & alii. Ratio est: quia hæc præcepta non obligant, quando impleri convenienter non possunt.

11. Urgente

11. Urgente necessitate, si immineat periculum vel scandalum populi, v. g. alias æstimaretur aliquid gravissimum commisisse, si ipse è loco communionis, à suscipientibus Sacram communionem, occurrente sibi peccato mortali recederet, aut per suum recessum esset sibi causa ruinæ, in fama, fortuna, potest non recedere & Eucharistiam sumere non præmissa aut repetita confessione. Ita Navar. Filliuc. Reginald. Seclusô verò periculô, scandalô, tenetur recedere è loco communionis, quando sibi commemorat aliquod peccatum mortale non esse confessum, etiamsi immediatè sit confessus; quidquid dicant Tamburin. Bonac. Reginald. Busemb. Escobar: quia scandalum, infamia, non obest; & conscius peccati mortalis, tenetur præmittere confessionem Sacræ sumptioni. Opposita sententia nec valet pro scrupulosis: quia Dian. p. 11. tr. 1. resol. 40. adducit celeberrimos Doctores, censurantes oppositam sententiam, & in Supremo Tribunali scilicet Inquisitionis Hispanicæ, eam oppositam sententiam, expunctam esse (d).

(d) Stepha. n9 à S. Paulo

17. *Vel Sacerdos jam inceperit mysterium Sacramenti*: Vel enim Sacerdos post consecrationem unius, aut utriusque speciei recordatur peccati mortalis non confessi? Tunc omnium Theologorum consensu debet sacrum prosequi, eò quòd tunc sit magis periculosum dimittere sacrificium, quod est contra perfectionem ejusdem, quàm non contritè pergere (d). Attamen cùm in multorum sententia, brevissimo tempore possit elici actus contritionis, obligatur ad contritionem. Vel recordatur ejus peccati ante consecrationem, & præsertim ante canonem? Tunc tutiùs est deserere missam inceptam, nisi timeretur grave scandalum. Ita Bachonius d. 10. q. 1. Steph. à S. Paul. Dian. contra Sot. Henriq. qui dicunt, Sacerdotem vix posse sine nota aliqua recedere & confiteri. Imò in frequentia populi, Sacerdos potest adhibere remedium opportunum, tempore Concionis aut *Credo* recedere ad Sacristiam, confiteri , & sedere pro confessionibus audiendis aliorum.

13. Ex his collige, conscium peccati mortalis, urgente necessitate non absente Confessario, nec adveniente causa aliqua ex superiùs recensitis, non præmissa confessione, aut absente Confessario & necessitate, sumentem Sacram Eucharistiam, peccare mortaliter.

Qualis Sacerdos quam primum tenetur confiteri.

14. Utrum tenetur talis quam primum confiteri? *Resp.* Nec aliquis lajcus, nec omnis Sacerdos, ex eo quòd conscius peccati mortalis sumpserit Sacram Eucharistiam, tenetur quamprimum habuerit copiam Confessarii, confiteri; sed ille Sacerdos tantùm, qui necessitate urgente, absque prævia confessione celebravit. Non lajcus, quia Concilium dicit de solo Sacerdote; & non de omni Sacerdote, sed de celebrante urgente necessitate: ita enim dicit: *Quodsi necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Unde Sacerdos more lajcorum urgente necessitate se communicans, conscius peccati mortalis, non contrahit hanc obligationem; neque celebrans in mortali, qui ex malitia omisit confessionem.

nem. Sed de his inferiùs de pœnit. tráctans ser. 7. de necessitate confessionis, dicam.

Nulliter excommunicatus potest cōmunicari.

15. Qui nulliter excommunicatus est, utrum possit communicari? *Resp.* quòd possit secretò si absit scandalum, si non videatur censurarum contemptor: imò & publicè in loco ubi ignoratur excommunicatio. Ita docent Allar. Navar. Suar. Rotar.

16. Quid dicendum de eo qui ad S. Communionem accedit cum venialibus, aut veniali? *Resp.* Licetsi sumens Sacram Eucharistiam existens in peccatis venialibus nullô modô peccet quando ipsi non occurrunt, maximè si præmiserit circa ea examen; peccat tamen venialiter ille, qui conscius peccatorum venialium, aut unius venialis, nec præmissâ confessione, nec elicito dolore sublativo talium, hoc Sacramentum suscipit: quia cum aliquali irreverentia suscipit, & aliquomodo effectum hujus Sacramenti impedit; majorem enim in eo fervorem excitaret hoc Sacramentum si non essent venialia (e). A fortiori tunc peccat quando communicat ob vanam gloriam, vel voluntariè distrahitur, garrit &c. vel actu habet affectum peccandi venialiter.

(e) Nostri Cornejo Stephanus à S. Paulo contrà Vasquez.

SECTIO II.

Quæ dispositiones ex parte corporis requirantur?

1. RESP. Dispositiones ex parte corporis, sunt mundities à macula pollutionis, jejunium naturale, & libertas ab impedimento deglutiendi ac retinendi.

2. Mundities à macula pollutionis, est dispositio non necessitatis sed congruitatis, ad fructuosam susceptionem Eucharistiæ: nam pollutio nocturna, vel ortum habet (ut vult S. Thom. & D. Resol. in 4. d. 9. q. 2. a. 1.) ex infirmitate potentiæ, aut superfluitate naturæ, aut illusione dæmonis? Sic non impedit à fructuosa susceptione: hoc habetur d. 6. c. *Testamentum.* Similiter potest sumere mulier tempore menstruorum: d. 5. c. *Ad ejus.* Item patiens fluxum sangvinis vel seminis: de hoc in summ. Confess. l. 3. tit. 24. q. 76. Ratio horum est: nam quando non est culpa, non debet esse & pœna. Vel provenit ex excessu in potu aut cibo (multo, sive non multo, sed immoderatè sumpto) ac crapula, (quæ est secundùm Hugonem immoderata voracitas cibi; crapula enim qvasi cruda epula, cujus cruditate gravatur stomachus, & cibus efficitur indigestus)? Tunc licèt secundùm Doct. Resol. loc. cit. *Si dormiens ex crapula polluatur, & concussus fuerit turpi imaginatione, non debet percipere nec celebrare; sed si turpis concussio non intervenit, percipere potest, licèt non celebrare eadem die, si alius adsit qvi celebrare possit, nisi dies festus exigat, aut necessitas ipsum compellat exhibere ministerium*: tamen non simpliciter, sed cum moderamine vult hoc intelligi, qvia pro modo crapulæ culpa crescit; ergo pro modo culpæ expianda pollutio: expiata, magis obesse

Ex qvibus causis oritur pollutio.

esse communioni non debet, quàm alia peccata jam per dolorem deleta antecedenter.

Objectiones solvuntur.

3. Ut talis differat communionem in aliam diem, si pollutio fuerit mortalis, sententia communis svadere potest, non præcipere; cùm nulla lex Ecclesiastica ita ordinet.

4. Regula Carthusianorum p.1. c.24. prohibens ne quis nocte pollutus celebret mane, etiamsi citra culpam pollutus sit, est potiùs propter majorem custodiam lata, & à summo Pontifice approbata.

5. Vel ex consensu in lascivas sive cogitationes sive operationes oritur? Tunc cùm mortalis sit, per pœnitentiam tollitur.

Copula conjugalis quando non impedit communionem?

6. Copula verò conjugalis, vel assumitur sive prolis generandæ, sive debiti reddendi gratiâ? Tunc nec culpam includit, nec communionem excludit. Ita Doctor Resol.loc.cit. & habetur hoc c. *Vir cum propria* d.33.q.4. Vel merè voluptatis gratiâ assumitur? Tunc non plus obest, quàm peccatum veniale attritione supernaturali delendum. Utraque demum vel notabilem mentis perturbationem ob turpem recordationem ac delectationem relinquit, vel non? Si non? Nihil præjudicat. Si secùs? Tunc etiamsi secundùm communem sententiam, semper post culpabilem differenda sit sub veniali, in aliam diem communio, ob præstandam reverentiam; tamen svadente justa causa, etiam eò quòd Sacramentum Eucharistiæ sit singularissimum remedium ad extingvendam libidinem (ut multi experti sunt), potest & absque veniali culpa eadem die sumi hoc Sacramentum.

7. An debeat conjux ante communionem abstinere à copula? *Respondet* D. Resol. loc. cit. quòd debeat abstinere 3. aut 4. aut 5. aut 8. diebus: hoc habetur *de consecr.d.2.c.Omnis homo.* Quod intelligendum (inquit idem D. R.) nisi aliter conjugum debitum exigat: tunc reddens communicare potest.

Modus optimus in tentationibus.

8. Remedium verò compescendi perturbationem mentis intrinsecamq; corporis extingvendi libidinosam delectationem, sive ortum habeant ex turpi imaginatione à Dæmone in somno causata, sive ex lectis, aut auditis turpibus in confessione, est præsentia Christi Crucifixi, & dolor de similibus: nam sicut non potest quis esse simul conversus & aversus respectu ejusdem, nec simul duo objecta habere in mente, duasq; intellectiones; ita qui habet in mente Christum crucifixum, non habet tunc objectum turpe.

9. Jejunium naturale differt à jejunio Ecclesiastico per hoc, quòd Ecclesiasticum, præscribendo abstinentiam à cibo, non excludit sumptionem potûs, & modicum cibi, maximè medicinæ admittit; jejunium verò naturale, importat à media nocte abstinentiam à qualibet re etiam modica, voluntariè sumpta permodum cibi, aut permodum potûs, ut habetur c. *Nihil.* §. *nullus* 7.q.1.in Concil Braccan. Non illud, sed hoc, disponendo subjecto ad dignè suscipiendam Sacram Eucharistiam, præcipit Ecclesia: de consecr. d. 2. *Liquido.* Doctor Resol. loc. cit. a. 1.

10. Explicatur, & casus declarantur, quibus solvitur jejunium naturale. Jejunium naturale importat à media nocte abstinentiam à qualibet re etiam modica: intelligendum est de cibo & potu ab extrinseco sumibili. Ita Ostien. Doct. Resol. & alii. Unde quæ interiùs geruntur, sic eructationes, deglutiones salivarum (g), Sangvis, aut humor ex capite defluens (h), non impediunt, si casualiter deglutiantur.

(g) Ostien. Doct. Res. (h) Facund. Lugo n. 39.

11. Ut jejunium naturale solvatur, & communicandus impediatur, debet res sumi permodum cibi vel potûs: quare tenens dentibûs aromata, ad repellendum aërem noxium, non frangit jejunium naturale, dummodo nihil eorum deglutiat (i) voluntariè: nam si casu fiat, non impedit; sed si ex proposito, sic: hæc Ostient. l. 3. tit. de Consecr. Eccles. c. *Qualiter*. Doct. Resol. loc. cit. & communiter post eos DD. Unde si quis permodum respirationis attraxerit & deglutierit aliquid pulveris, vel aliquã pluviæ guttã, vel muscã in os intrantem (k); aut explorando saporem, guttula jusculi (l), aut lavando os, permodum salivæ ei admixta aquæ gutta (m) una vel altera (n). sive aliquid aquæ (o), aut reliquiæ cibi dentibus adhærescentes (p), casu traijciantur in stomachum, non impediunt (q).

(i) Petrus â S. Iosepho. (k) Lezana. (l) Facund. Lugo. (m) Doct. Resolutus (n) Rotar. (o) Lezana. (p) D. Ref. Petrus à S. Iosepho. (q) Sot. Suar Dianá.

12. E contra frangitur jejunium naturale, si quis ante somnum immittat in os saccharum, & totum ante mediam noctem trajectum non sit: quia Ecclesia hoc cavet, ut nihil post mediam noctem in stomachum priùs traijciatur, quàm corpus Christi suscipiatur. A fortiori si post mediam noctem aliquid, etiam minimum voluntariè sumatur & deglutiatur; sive illud habeat rationem cibi, nutrimenti, ut est unio seu cæpæ genus capitatum (r), sive non habeat rationem nutrimenti, ut sunt papyrus, creta, lignum, ossiculum (quod difficulter probatur). Ita Henriqu. Nald. Lezan. contra Dian. Rotar. nam sive habeant sive non rationem nutrimenti, sufficit quòd sumantur permodum cibi. Nec juvat etiamsi evomantur. Ita Nald. Bonac. d. 4. q. 6. punct. 2. n. 10. Sed hoc excusare potest, tiamsi non sit vomitus, si inadvertenter deglutiverit (s): cùm sic præter intentionem esset casus. Dixi *quod difficulter probatur*: scilicet quòd ossiculum non habeat rationem nutrimenti, eò quòd sicut venit, ita per secessum exit, ut probat Rotar. Sed perperàm probat, nam ova habent rationem nutrimenti, & tamen in valde infirmo stomacho, corrupto, non digeruntur aliquando, sed indigesta per secessum exeunt; sic & vinum & alia.

(r) Rorarius

(s) Tabiena Reginaldo.

De Tabaco quid ?

13. *Respondet* Lezan. & dicit: sive sumatur in fumo sive in folio, sive per os sive per nares, (nisi sit in tam parva quantitate, ut moraliter certum sit, nihil ipsius substantiæ ad stomachum pervenire,) impediri communionem. Quam sententiam à Conciliis Provincialibus, Limensi & Maxicano, Sacraq; Congregatione Cardinalium, approbatam deducit. Rationem dat, nam tabacum verè est nutrimentum, ut patet ex hoc, quòd multi ex eo

susten-

ſuſtententur; & ſumptio per nares, licèt non ordinaria comeſtio ſit, tamen extraordinaria eſſe poſſet: patet inde, quòd ſi per nares alicui daretur liquor aliquis, non potenti per os, ut inde perveniret ad ſtomachum; ille verè nutriretur. Licèt in multorum ſententia aqua non nutriat, tamen jejunium naturale frangit; ergo etiam quamvis tabacum in aliorum ſententia non nutriat, jejunium naturale frangit, ad ſtomachum perveniens.

14. E contra Tamburin. opuſc. 2. c 2. §. 6. n. 23. docet, quòd ſumptio tabaci per nares, ſive in folio ſive in pulvere, ſive in fumo, non ſolvat jejunium. Cum eo Dian. p. 5. tr. 13. reſol. 1. Lugo dub. 9. Burghaber centur. 3. cas. 45. Ratio eſſe poteſt: tum quia ſumptio tabaci non eſt comeſtio vel potatio: tum quia ſi tabacum frangit jejunium, eò quòd aliquid ejus ſubſtantiæ deſcendens ad ſtomachum nutriat, frangent etiam odores, quia etiam nutriunt: & etiamſi non nutrirent, ſufficit quòd deſcendant ad ſtomachum; quòd autem deſcendant, inde patet, quòd fætores deſcendant; de fætoribus autem inde conſtat, quòd qui diu eſt in fætoribus, flegmata denigrata eijciat: & ſic in Eccleſia ubi multa lilia ſunt, homines poſt unam horam, vel mediam, non poterunt (ùti non jejuni) communicare. Similiter Vinopola ob odorem vini, coqvus ob odorem ciborum &c. &c. Odorans nō frangit jejunium.

15. Utraque ſententia eſt probabilis; tutior tamen P. Lezanæ. Non facilè odores cadunt in ſtomachum, cùm ſint qualitates alleviatæ; ſecùs tabacum, cùm ſit ſubſtantia non carens ſua gravitate. Quòd autem quis ob fætorem provenientem ex fornace, eijciat flegmata denigrata, hoc provenit ex fumo ei fætori adjuncto; qui fumus cùm ſit ſubſtantia habens ſuam gravitatem aliqualem, mirum non eſt quòd cadat in ſtomachum. Maximè cavenda eſt ſumptio tabaci in folio, ne alteretur ſaliva, & cum ea deſcendat ſubſtantia tabaci in ſtomachum.

Caſus in quibus non jejunus S. Euchariſtiam ſumere poteſt.

16. Licèt teneatur Fidelis ex præcepto Eccleſiæ communicare jejunus jejunio naturali, ut patet ex c. *Liquido de conſecr.* d. 2. & ex uſu Eccleſiæ; poteſt tamen ſumere Euchariſtiam, tam celebrans quàm lajcus non jejunus urgente neceſſitate Sacramenti, aut ſumentis. Unde non ſolùm Sacerdos, ſed & lajcus abſente Sacerdote, ſi periculum eſt ne Euchariſtia pereat, aut malè tractetur ab hæreticis, non jejunus poteſt illam ſumere. Ita communiter.

17. Secundò, qui locò vini aquam conſecravit, & non advertit niſi in ſumptione; tunc non debet expuere illam, propter periculum ejiciendi particulam hoſtiæ & irreverentiam. Ita Tambur. Lug. Bonæ ſp. Et ſi totum non ebibit, ebibere poteſt, ob vitandam ſui & adſtantium perturbationẽ: fortiùs enim jus naturæ ad vitandum gravem notam aut ſcandalum obligat, quàm jejunii præceptum Eccleſiaſticum. Bonæ Sp. Imò varii, remanente hoſtiæ conſecratæ particula in fundo calicis poſt illius ſumptionem, Quid ſi quis conſecraret aquam?

ſvadent, eſſe decentiùs aliquid vini aut aquæ infundi, & ſic ſumi, quàm digitô irreverenter extrahatur. Sumpto calice hoc in caſu, conſecrare aliud vinum tenetur; niſi valdè dubitet (t), aut non advertat niſi in Sacriſtia poſtmodum: majus enim eſt præceptum de integritate Sacrificij, cùm ſit Divinum, quàm de jejunio naturali, cùm ſit Eccleſiæ. Quomodo autem aliud vinum tunc eſt conſecrandum, dicam de defectibus, in fine.

(t) Tamburinus.

18. Tertiò, ob eandem rationem, ſi celebrans peracta alterutra conſecratione deficiat, nec adſit alius præter Sacerdotem non jejunum; tenetur Sacerdos non jejunus, exiſtens in gratia perficere Sacrificium. Ita communiter DD. Secùs eſt, ſi deficiat ante conſecrationem.

19. Quartò, quando celebrans peracta conſecratione utraque aut una, advertit ſe non eſſe jejunium; jam recedere non poteſt, quia tenetur perficere ſuum ſacrificium. Si verò ante utramque conſecrationem, tunc vel poteſt recedere abſque gravi nota infamiæ, vel non? Si primum? Tutiùs eſt ut Sacrum relinquat, docet cum multis S. Thom. 3. p. q 83. a. 6. ad 2. Si ſecundum? Non tenetur ſacrificium inchoatum relinquere, ſed illud perficere poteſt: quia ex communi ſenſu DD. præceptum Eccleſiæ de jejunio ſervando, non obligat cum tanto incommodo.

20. Quintò, quando aliquis non jejunus cogitur communicare vel celebrare; tunc ſi aliter vitare ſcandalum nequit, poteſt communicare vel celebrare: tunc enim præceptum Eccleſiæ cedit naturali conſervandi famam. Ita docent Suarez. Laym. & Lezana.

21. Sextò, quando poſt ablutionem advertit aliquam hoſtiæ particulam in patena; poteſt illam ſumere etiamſi notabilis ſit, dummodo ab eodem in eadem Miſſa ſit conſecrata; cùm ſit pars ejus Sacrificij, ad illius ſumptionem pertinet (u). Ita timoratæ conſcientiæ virorum conſvetudo retinet. Et hoc tamdiu, quamdiu ad altare eſt facere poteſt. Secùs ſi non advertat niſi in Sacriſtia; tunc ſervare debet, ut poſt à jejunus commodè ſumere poſſit. Si autem commodè ſervari non poſſet, prout ad Aulam tranſeunti Sacerdoti aliquando contingit, tunc ſtatim ſumi debet (w). Idem etiam ob datam rationem dicendum, quando particula adhæret palato. Secùs dicendum de particulis conſecratis ab alio, aut de hoſtia parva ab eodem Sacerdote conſecrata: quia formula hæc ſeu hoſtia, reliquiæ rationem non habet, cùm pro aliis eam conſecrârit. Dices: Ergo etiam particulas duas aut tres, ſumere non poteſt Sacerdos, tunc advertens: quia forſan ſunt parvarum hoſtiarum ſive formularum, quas pro aliis conſecravit. *Reſpondet* P. Bonæ Sp. *praxis docet, illam in ſacrario reponi, has autem ſumi.*

(u) Suar. Henriq. Lezana.

(w) Petrus à S. Ioſepho

Non iejuno poteſt dari viaticum.

22. Septimò, quando alicui non jejuno imminet mors, ſive ex infirmitate ſive ex vulnere, ſive in pœnam, & expectare commodè non poteſt; talis in tanta neceſſitate ſumere Sacram Euchariſtiam non jejunus poteſt: quia hoc privilegium eſt conceſſum infirmo *c. Liquido, c. Sacramenta.* Et Rituale Romanum tit. de commun. infirm. ſic dicit: *Poteſt viaticum brevi morituris*

dari

dari non jejunis. Nec circa dandum viaticum non jejunis, debent esse Sacerdotes scrupulosi, monet Bonæ Sp. cum aliis Doctoribus; eò quòd Rituale Romanum sine nota scrupuli dicat, *dandum*. *Vnde meliùs dare viaticum vesperi* (inquit idem Bonæ Spei) *quàm media nocte post duodecimam ad hoc Pastorem vocare, si æger sine incommodo ultrà expectare non possit.*

23. Quid dicendum de eo qui manè sanissimus communicavit, vespere autem aut post prandium incidit in infirmitatem extremam; teneturne iterum communicare ratione præcepti viatici? *Resp.* (x) talem jam satisfecisse præcepto de sumendo viatico, ac proinde eadem die nec posse communicare. Ratio est: quia articulus mortis, sumitur à tempore vicino(x): patet inde, quòd non agonizanti, sed proximo agoni detur viaticum: tum quia præveniendo articulum mortis, potest Fidelis prævenire periculum mortis sumptione viatici: imò aliquando tenetur, ut dicam de pœnit. Et sicut audiens die festo Sacrum manè, putans esse feriam, satisfacit præcepto de audiendo Sacro, non obligatur ad audiendum secundum Sacrum, ita in dicto casu sumens Sacram Eucharistiam, non sciens se esse proximum morti, satisfacit præcepto de sumenda Eucharistia ante mortem: imò non potest eadem die secundò eam sumere, propter contradictionem Ecclesiæ, quæ opposita praxi non permittit, etiam die Nativitatis, laicos bis eadem die communicare.

(x) Bonæ Sp. contra Hurtad. Lezan. Mendos.

24. Utrum possit quis articulū mortis sumptione viatici anticipare? *Resp.* Potest quis periculum mortis Sacramentô pœnitentiæ anticipare, ut legimus de pœnitentia; ergo etiam sumptione viatici.

Laicus bis in die cōmunicare non potest.

25. Quid de illo dicendum, qui intra eamdem infirmitatem jam semel Sacrum Viaticum recepit; an secundò, tertiò, & quartò, non jejunus recipere possit? *Resp.* affirmativè; sive ille modò benè, modò malè, aut æqualiter, tamen ægrè valeat. Ita docent Lug. Dian è NN: Lezan. Bonæ Sp. Colligitur ex Pauli V. Rituali, ubi sic legitur: *Si æger, sumptô Viaticô dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evasit, & communicare voluerit, eius pio desiderio Parochus non deerit.* Attamen spectata tutiori sententia, id fieri non debet, nisi trium aut quatuor dierum positô intervallô, aut nisi adsit ex una parte impedimentum servandi jejunium, & periculum mortis; ex alia, extraordinaria devotio: in talibus enim circumstantiis, dandam non jejuno, docent Palaus, Baunius, Escobar, Quintadvenas, & alii.

26. Utrum Sacerdos non jejunus possit celebrare, ad consecrandam hostiam pro communione moribundi? *Resp.* Negant Sot. Navar. & alii. Affirmat Laym. Suar. Granad. & alii. Ego medium dico: vel moribundus aliquando in vita sua communicavit, vel numquam? Si primum? Pro eo non potest non jejunus Sacerdos consecrare: quia obest mens Ecclesiæ, quæ dispensat ut æger non jejunus Sacram Eucharistiam sumat; non dispensat autem ut Sacerdos non jejunus, propter communicandum infirmum celebret: ut patet

patet ex absentia talis legis, & praxi non interrupta. Si secundũ? Celebrare potest, ut hostiam pro eo consecret: quia ex una parte utilitas & necessitas communicandi eum qui numquam Sacram Eucharistiam sumpsit, ex altera benignitas Ecclesiæ excusat, quòd illa casus ordinarios respiciat, hic verò casus est extraordinarius (y).

(y) Bonæ Spei.

27. Quid si moribundus hostiæ particulam deglutire nequeat, possitne ei sangvinis gutta una & altera administrari? *Resp.* & dico: Priùs probandum esse, an possit particulam hostiæ deglutire in vino; & tunc danda est particula hostiæ consecratæ cum vino: quod præstandum est etiam iis infirmis, qui laborant horrenda siccitate oris, ob quam aliter hostiam consecratam deglutire non valent, nisi cum vino. Nec refert quòd priùs aliquid vini descendat. Ita Suar. Rotar. Si autem nec cum vino particulam hostiæ valeat deglutire, nec umquam antea communionem Sacram sumpsit, videtur ei administrandus sangvis Christi ob datas rationes. Ita sentiunt Ochagav. Nugn. Bonæ Sp. & alii.

28. An sit necesse, ut suscepturus Eucharistiam, dormiat post sumptionẽ cibi, propter digestionem, ut dicatur jejunus? *Resp.* negativè, cum S. Thoma q. 70. a. 8. & Doct. Resol. hîc: quia nullo jure hoc cautum est. Imò in Rubrica Missal. Rom. de defect. §. 9. n. 2. sic habetur: *Si ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit Sacerdos, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat.* Ob turbationem tamen mentis, consulitur abstinendum.

29. Si quis probabiliter dubitet, quòd media nox proximè transacta fuerit tunc, quando ultimò aliquid comedit aut bibit; potestne talis ea die Sacram Eucharistiam sumere? *Resp.* & dico: Circa hoc non parvam esse controversiam inter DD. Pro affirmativa sententia sunt Dian. Laym. Sancio & alii. E contra pro negativa Sanch. cum aliis. Ego verò dico: Vel majorem combinationem & probabilitatem habet, quòd nondum tunc fuerit media nox? Communicare potest. Vel è contra, aut æquè probabile utrumque ei videur? Tunc communicare nequit. Ita Rotar. ex Allar.

De vomitu post sacram communionem.

30. Licitum quidem est sequi sententiam probabilem, relictâ probabiliori exceptîs excipiendîs; non est tamen licitum celebraturo aut communicaturo, ad sonum posterioris horologii comedere aut bibere, nisi prio horologium manifestè currat nimis citò, ac malè. Ratio est: quia sententia probabilis, semper rationibus magis roboratur; jam verò horologium, in suo cursu ex multis occasionibus deterioratur, fallitur, & fallit.

31. Quid si evomerit post susceptionem Sacramenti? *Respondet.* D. R. in 4. d. 10. q. 1. dub. 10: *Si appareant species corporis, debet evomens illas lambere, & pars vomitûs quæ his speciebus fuerat conjuncta, igne comburatur, & cinis juxta altare recondatur. Si verò lambi non possit, vel propter abominationem vel aliam causam, tunc species accipiantur cum aliqua parte materiæ vomitûs, & servẽtur quousq; adsit Sacerdos, qui eas abluat: quia tractare hoc Sacramentum solius*

li us Sacerdotis est, de consecr.1.d.2.c.Pervenit. Et tunc illas sumat evomens jejunus, vel Sacerdos, aut alius qui est sine peccato (si fieri potest), alioquin inter reliquias ponantur; pars verò vomitûs speciebus magis propinqua, juxta altare recondatur. Hoc habes per simile de consecr.d.2. Si per negligentiam : & necesse est respondere per simile. Quia ibi c.Si qui per ebrietatem, ponitur casus de vomitu, & non docetur ibi quid fieri debeat cum speciebus.

32. Utrum ille qui à fide digno certificatus est sibi datam hostiam consecratam, esse venenô infectam, posset statim post sumptionem ejus, procurare vomitum? *Resp.* quòd possit, ne vitâ periclitetur : nam nec Ecclesia, nec DEUS eum obligat ad hoc, ut Eucharistiam Sacram venenô infectam, intra se pro amissione vitæ retineat. Casus de venenô infecta hostia.

33. Quamdiu consecratæ durent species in stomacho? *Resp.* Ad summum per horam, & non ultrà durant in eo. Ex sententia Medicorum ordinariè in sexagesima parte unius horæ, hostia parva; major verò cũ speciebus vini, intra semiquadrantem, vel saltem quadrantem corrumpitur. Ita Lugo de Euch.d.10. sect.3.n.54. Steph.à S. Paulo & alii.

34. Utrum licitum sit statim post communionem spuere? *Resp.* Decens quidem est aliquamdiu expectare, sed tamen illicitum non est statim, postquam nulla pars in ore remaneat, spuere; cùm nulla lege caveatur, neque inde periculum irreverentiæ SS. Sacramenti fit : nam sputum juxta Medicos, ex capite in os defluit, species verò in stomacho continentur. An post cõmunionem liceat spuere statim?

35. Quid laudabiliùs, an frequenter celebrare, communicare, an raro? *Resp.* Spectata subjecti dispositione, necessitate, laudabiliùs est frequenter celebrare, communicare, juxta illud de consecr.d.2.c. *Si quotiescumque dictum: qui semper pecco, debeo semper accipere medicinam.* Et probatur ratione D. R. *Licèt celebrans & abstinens, ambo DEO reverentiam exhibeant, tamẽ magis celebrans; igitur magis laudandus. Probatur assumptum: quia abstinens ex reverentia, unit se DEO per gratiam; celebrans quotidie, se unit non solùm per gratiam, sed per Sacramentum, & per rem Sacramenti quæ est corpus Christi, & per virtutem Sacramenti quæ est unio charitatis, ut habetur de celebr. Miss.cap. Cum Marthæ* §. *distingvendum.* Quando laudabilius est frequenter cõmunicare?

SERIES VI.

De effectibus Eucharistiæ.

SECTIO I.

Qualem gratiam producit?

I. RESolutioni præmitto, certum esse apud omnes, hoc Sacramentum semper causare Sanctitatem, quoties suscipiens non apponit obicem; si enim alia Sacramenta conferunt gratiam, à fortiori hoc in quo fons gratiæ continetur : quare extra dubium est, quòd hoc Sacramentum producat gratiam. Sed qualem nam, an semper nisi secundam, an aliquando primã,

primam? dubium inter DD. proponitur. Ad quod *Resp.* & dico 1. Eucharistia ex vi institutionis suæ per se primo, per se, hoc est ordinariè non confert primam gratiam, hoc est gratiam in primo gradu, sed gratiam secundam, hoc est augmentum gratiæ; quod nemo negat Catholicorum: quia Eucharistia instituta est permodum cibi, & cibus non vivificat mortuum; ergo Eucharistia per se non dat vitam animæ mortuæ, hoc est primam gratiam.

Eucharistia qualem gratiam causat?

2. Confirmatur: nam si Eucharistia per se produceret gratiam primam, esset Sacramentum per se mortuorum, quod omnis Theologia negat: neque Ecclesia repelleret à communione eos qui peccati mortalis conscii sunt; sicut non repellit eos à Sacramento baptismi & pænitentiæ.

3. Dico 2. Eucharistia aliquando per accidens seu ex accidenti, confert primam gratiam; quod accidens sive casus est, quô quis oblitus est se commisisse peccatum mortale, de quo tamen antea attritus est. Ita sentire videtur D. Ambrosius lib. de benedictionibus Patriarch. c. 9. dicens: *Panis hic, remissio peccatorum est.* S. Chrisost. hom. 45. in Ioan: *Hic animarum nostrarũ salus est, hôc lavatur anima, hôc ornatur.* S. August. l. de Eccles. dogmatibus c. 53. Scot. cum suis in 4. d. 9. & alii. Oppositum docent Bonæ Spei Vasq. Lug. & alii. Dices: Cibus corporalis numquam confert vitam primam corporalem; ergo etiam cibus spiritualis vitam primam spiritualem. *Resp.* Disparitatem asse: quia cibus corporalis non continet in se vitam, primam; è contra cibus spiritualis, nempe Eucharistia, continet in se vitam primam nempe gratiam: cùm in se habeat fontem & Authorem vitæ talis.

SECTIO II.

Quandonam & quamdiu producat Eucharistia gratiam?

(a) Bonæ Sp. Pontius & alii.
(b) de Rhodes.

I. RESP. & dico: (quod est contra Vasq. d. 203. n. 17.) Eucharistia non producit gratiam existens in ore, dum species ejus sunt contritæ, & nihil earum adhuc trajectum in stomachum (a). Ratio est: quia ad productionem gratiæ Eucharisticæ, requiritur tamquam conditio, manducatio Eucharistiæ (b): patet ex eò quòd Christus dixit Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, habet vitam æternam.* Jam verò sicut ille simpliciter non bibit, nec jejunium naturale solvit, qui valdè diu vinô sine illius in stomachum trajectione os abluit; ita nec simpliciter manducat, & jejunium solvit, qui cibum valdè diu sine illius trajectione in stomachum, dentibûs terit: alioqui satisfaceret præcepto, qui corpus Christi dentibus tritum ex ore ejiceret; quod dicendum non est. Neque etiam ad veram manducationem omninò est necessaria dentium attritio, cùm & senes, & columbæ careant dentibus, & tamen verè manducare dicuntur, ob solam cibi degluitionem: imò indecens est ut hostia dentibus teratur. Dicitur quidẽ mandu-

manducare, qui cibum mâſticat, ſed impropriè & præparatoriè; niſi jam ſit aliquid ejus trajectum in ſtomachum. Requiritur ergo ad veram manducationem degluitio, non tamen irrevocabiliter (c), ut volunt Suar. Lug. & de Rhod. quia alioqui Sacerdos ſi ſumeret aliquid manè, & ſtomachus ejus hoc totum ejiceret, poſſet celebrare; quod & à citatis Doctoribus non admittitur.

(c) Bonæ Sp.

2. Quid ad caſum, quô corpus Chriſti miraculosè per ventrem ſine comeſtione in ſtomachum perveniret? Conceptuoſus Bonæ Spei putat probabile non eſſe, quòd corpus Chriſti miraculosè trajectum in ſtomachum, cauſaret gratiam. Attamen ego hoc non admitto: tum quia S. Auguſt. tr. 26. in Ioan. dicit: *Manducare Chriſtum, eſt illum remanentem in ſe habere:* tum quia Chriſtus inſtitutor hujus Sacramenti, poteſt diſpenſare in conditione, & aliter venire quàm per trajectionem in ſtomachum per guttur. Ad quid ergo per viſcera S. Bonaventuræ ferè agonizantis, qui jam ore non valebat hoc Sacratiſſimum viaticum ſumere, penetrato pectore ſub ſpeciebus panis conſecrati, venit? (de quo ſcribit Lucas Vadineus in vita S. Bonaventuræ) niſi ad magis & magis augendam gratiam, quandoquidem adhuc erat capax augmenti.

Hoſtia penetrat pectus.

3. Neque tunc toto tempore cauſat gratiam Euchariſtia, quô à gutture ad ſtomachum demittitur: quia cibus per guttur tranſiens, nondum nutrit. Sed

4. Dicunt DD. communiter (d), quòd producat in inſtanti quô pervenit ad ſtomachum. At ſi ob viſcoſos humores intrare ſtomachum Euchariſtia impediretur, nulla produceretur ab ea gratia: quod, quia in multis talis diſpoſitio reperitur, non admittendum. Quare

(d) Bonæ Spei. Ioan. Pôtius Petrus à S. Ioſep & alij.

5. Dicendum: quòd tunc cauſet gratiam, quando aliqua pars pervenit ad ventriculum ſive ſtomachum, (ſtomachum ſumendo pro ventriculo in quo cibus decoquitur, non autem pro fiſtula quâ tranſmittitur, cùm ſic ſumendo eſt guttur;) & ſive immediatè eum attingat, ſive mediante viſcoſo humore, de quo n. 4. quia ita totus eſt Chriſtus in una minima parte, ſicut in toto; & Euchariſtia eſt cibus efficaciſſimus, qui in uno momento nutrire poteſt animam: nec digeſtione indiget, quia non convertitur in formam aliti, juxta illud Divi Auguſt. *non tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me.*

6. Quò ad 2. partem quæſtionis, *Reſp.* Probabiliùs eſt quòd ſucceſſivè, ſecundùm majorem & majorem diſpoſitionem ſubjecti, majorem & majorem gratiam producat Euchariſtia quamdiu manet in eo. Ita Bonæ Spei Cajet. Suar. de Rhod. Gabriel, Major, Lugo, Dian. contra Vaſq. Petrum à S. Ioſeph, Thomiſtas & Scotiſtas communiſſimè. Et è NN. Cornejô, Orland. Philip. à SS: Trinit. Auguſt. à Virgine MARIA. &c. Probatur: tum quia Euchariſtia eſt inſtituta per modum cibi: at cibus materialis nutrit ſecundùm

dùm diſpoſitionem ſubjecti quamdiu manet in ſtomacho; ergo etiam cibus ſpiritualis Euchariſticus, ſecundùm diſpoſitionem ſubjecti nutrit animã, producendo gratiam, quamdiu manet in ſtomacho. Et ſic producto gradu gratiæ ſecundùm diſpoſitionem ſubjecti, ſi magis per actus devotionis, humilitatis, aut fidei, aut amoris &c. ſe diſponat ſuſcipiens, majorem juxta diſpoſitionem ſubjecti, Euchariſtia producit in eo gratiã: non eſt enim ratio, cur alia cauſa neceſſaria v.g. ſol, poſita majori & majori diſpoſitione in ſubjecto, majorem effectum producat, hoc eſt magis illuminet äërem; & cur poſita majori & majori diſpoſitione in ſuſcipiente, ſucceſſivè Chriſtus exiſtat otioſus?

Admonitio Sacerdoti.

7. Colligitur ex hoc n.6. & anterioris ſeriei n.34. quòd multum devient Sacerdotes illi, qui vix per duo *Pater* & *Ave* perſeverãt in gratiarũ actione; ſtatim obliviſcuntur præſentis in viſceribus Majeſtuoſiſſimi Chriſti Domini, ad cachinationes, garritiones ſe applicant, quod in præſentia Regis, aut Epiſcopi facere non auderent, qui nullius comparationis ſunt ad Chriſtum Dominum, qui eſt DEUS. Et hæc eſt ratio SS. PP. quòd multi frequenter celebrent aut communicent, & non evadant perfectiores in vita ſpirituali, fortiores contra vincendas tentationes, ſed debiliores, & in vita ſpirituali deteriores.

8. Neque dicas, ſi potuit in prima ſumptione conferre gratiam Euchariſtia ſine actuali devotione, poterit & ultrà abſque ea conferre. Nam primo inſtanti dedit totum quod ſine actuali devotione conferre poterat; non dedit verò totum, quod poterat dare cum tali gradu devotionis.

Pro diſcurſu & ſolutione.

9. Dices: Ex hac ſententia ſequi multa abſurda. 1. in fine Miſſæ non poſſet ſumere ablutionem; à fortiori infirmus ſtatim poſt communionem ſe refocillare non poſſet, propter nondum digeſtas ſpecies Sacramenti. 2. quòd felicioris conditionis, eſſet debilioris ſtomachi, quàm ille qui eſſet robuſtioris; quia ille diutiùs in ſtomacho retineret ſpecies ſacramentales, conſequenter auctiorem gratiam ſuſciperet. Et magis pium eſſet majorem hoſtiam quàm parvam, calicẽ vinô plenum potiùs quàm fundô tectum ſumere: faceretq; injuriam Sacerdoti Miniſter, mediam ampullam vini adferendo. Unde damnari non poſſent illæ mulieres, quæ in cõmunione poſtulant plures ſibi dari hoſtias. Et tamen Hiſpaniæ Inquiſitores, praxim & copioſioris materiæ uſum, quàm ſit ille quem ſervat Eccleſia, tamquam ſuperſtitionem damnârunt, teſte Franciſco Bonæ Sp. 3. quòd ille qui immediatè poſt ſumptionem Euchariſtiæ, offenderet Deum peccato mortali, peccaret peccatô ſacrilegij, & teneretur ſtatim confiteri ſi commodè poſſet, vel ſaltem conteri, non minùs quàm Sacerdos, qui poſt ſumptam unam partem hoſtiæ ante alteram, peccaret mortaliter, teneretur confiteri antequam alteram partem ſumeret; et ſi non poſſet, tunc conteri. *Reſp.* & dico: nullum abſurdum ex hac ſententia ſequi. Imprimis non ſequitur, Sacerdotem

cerdotem

cerdotem non posse sumere ablutionem in fine Missæ, aut infirmum se non posse refocillare: quia Ecclesia ad sumptionem Eucharistiæ jejunium naturale requirit, non verò ad ulteriorem productionem gratiæ Eucharisticæ. Neque per se sequitur esse feliciorem qui est debilis stomachi, eô qui est robustioris: quia hic qui est robustioris stomachi, potest esse magis dispositus in susceptione Sacramenti, & plus gratiæ, quàm ille qui est debilis stomachi recipere, quia languidus potest absolutè se non disponere ad majorem gratiam in se causandam; sed solùm per accidens, sequitur esse felicioris conditionis, si se postea disponat, quo tempore in stomacho robustiore non sunt species Sacramẽtales. Similiter per accidens sequitur aliquando, utiliùs sumere majorem hostiam quàm minorem; quod idem dicendum de speciebus vini. Non sequitur verò per se utiliùs, quia potest quis majorem dispositionem præmittere minori, quàm alter majori. Quare & ob multos abusus Inquisitores Hispaniæ, praxim & copiosioris materiæ usum, quàm sit ille quem servat Ecclesia, damnârunt, præscindendo à nostræ sententiæ veritate. Ad 3. dico: sine absurdo admittit Suar. cõmitti sacrilegium, etiamsi Christus ultrà in stomacho non operetur, modò adhuc in eo persistat in eo instanti, quô tale peccatum committitur. Ratio est: nam portare actu Christum, & committere simul peccatum mortale, tale peccatum, sacrilegij est. Non tenetur tamen tunc statim confiteri, quia Ecclesia in Concil. Trident. sumptioni Eucharistiæ jubet præmitti confessionem, dum habetur conscientia mortalis; non autem ulteriori productioni gratiæ, cùm ad eam recipiendam nullo instante Ecclesiæ præcepto obligetur: sufficere potest contritio, quæ omninò in tali casu est habenda, ne peccatum mortale irreverentiam existenti Christo inferat, & productionem gratiæ impediat. De Sacerdote & partibus hostiæ, disparitas est: quia, ut inquit Lugo §. 62. secunda pars hostiæ Sacramentum est, independenter à prima. Unde qui post sumptam primam partem incidit in peccatum, tenetur conteri; non tantùm ne impediat efficaciam Sacramenti, sed etiam ne reddat Sacramentum, signum falsum gratiæ. Perseverantia verò sola hostiæ, non est diversum Sacramentum à prima sumptione.

Eandem gratiam causat hostia minor quam major

10. Quidquid sit, quòd utraque sententia sit valdè probabilis; ut tutissimum tamen svadendum recipientibus Sacram Eucharistiam, ut omni conatu quô possunt, se disponant per actus humiliationis sui, fidei, spei, charitatis &c, ad augmentum gratiæ: nam casu quo non recipiant vi Sacramenti ex opere operato illud augmentum, tunc recipient tamen ipsum meritoriè, propter ipsammet talem dispositionem.

SECTIO III.

Quales reliqui effectus Eucharistiæ sint?

1. RESP. & dico: juxta Trident. effectus reliquos Eucharistiæ esse, non solùm præservationem à mortalibus & venialibus, & remissionẽ pecca-

Præservatio à peccatis.

peccatorum venialium; ſed etiam reſtrictionem, non tamen extinctionem fomitis, ſeu paſſionum & propenſionis ad malum: quatenus intuitu communionis præteritæ, conferuntur ſuſcipienti auxilia, illuminationes, inſpirationes ſpeciales ad vincendas tentationes, & auferuntur occaſiones ad peccandum.

2. Non ſemper tamen, nec omnes hos effectus obtinet ſuſcipiens; eò quòd illos Euchariſtia non cauſet immediatè ex opere operato, ſicut gratiam primam & augmentum, ſed nonniſi mediatè, mediantibus ſcilicet gratiis actualibus, quibûs homo reſiſtere poteſt, & defacto reſiſtit.

SECTIO IV.

An Euchariſtia ſub utraque ſpecie plus conferat gratiæ quàm ſub una tantùm?

1. RESP. & dico: probabilius eſſe, quòd Euchariſtia ex opere operato non plus conferat gratiæ ſub utraque ſpecie, quàm ſub una tantùm. Probatur: Tres hoſtiæ ſumptæ ſimul, eamdem gratiam non majorem conferunt quàm una, ſumenti; ergo etiam Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſimul ſumpta, non majorem gratiam, quàm ſub una ſpecie confert. Antecedens eſt Adverſariorum, quod facilè probari poteſt ex eo, quòd partes hoſtiæ ſimul ſumptæ, non majorem gratiã producant, quàm ſi una tantùm ſumeretur, major quàm minor hoſtia, aliàs majores faciendæ eſſent; ſumptio calicis uno hauſtu, quàm aliquot hauſtibus; hauſtus aliquot trajectionibus. Quod ſequentibus, ùti & conſequentia, probatur: quia efficax cauſa gratiæ, non eſt ſymbolum externum, ſcilicet ſpecies, ſed contentum ſcilicet Chriſtus; ſed ille, idem eſt ſub utraque ùti ſub una ſpecie. Quare datur diſparitas, quòd cibus plus cum potu nutriat, quàm ſolus aut è contra; & magis duo fruſta, quàm unum: quia fruſtum cibi non continet in ſe, quod continet potus, aut ſecundum fruſtum cibi; cibus verò Euchariſticus, totum continet quod & potus, nec plus in eo invenitur aut minus, quàm in potu.

Ratio quare non majorẽ gratiam ſub utraque quã una ſpecie cauſet Euch.

2. Sicut triplex ablutio baptiſmalis, clariùs oſtendit animæ ablutionem, non tamen majorem gratiam producit; ita licèt refectio Euchariſtica, perfectiùs videatur ſignificari ſub utraque ſpecie, quàm ſub una, non majorem tamen gratiam producit ſub utraque ſpecie quàm ſub una. Et ratio eſt: quia licèt Sacramentum ſub una tantùm ſpecie, non ſignificet tam perfectè ex parte modi refectionem ſpiritualem, ſicut ſub utraque; nihilominus ſignificat ex parte rei contentæ. Tam ſimul ſumptæ ſpecies, quàm ſeorſivè, ſignificant eamdem gratiam; ſed ſimul ſumptæ, ſignificant expreſſiùs & clariùs.

Solvitur objectio.

3. Nec tamen Sacerdos fruſtra ſumit ſpecies vini; quia perſonam non ſolùm communicantis, ſed etiam ſacrificantis ſuſtinet. Licèt ad communionem Sacramenti præciſam ſufficiat, ſpeciem alterutram ſumere, quia

&

& per Christum Ioan. 5. absolutè pronuntiatur : *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* & 1.Cor.11. disjunctivè exprimitur: *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem indignè,* & Trid.sess.21.c.3. declarat, quod Lajci non defraudentur fructu ullo, aut gratiâ ad salutem necessaria; Tamen ad communionem Sacrificii integrativam, utraque sumptio requiritur : quia alioqui incruentum sacrificium, nec sacrificio typico (quod continebat panem & vinum) adæquatè correspondеret ; nec Sacrificium cruentum (quod directa separatione sangvinis à corpore peragebatur) perfectè repræsentaret.

4. Clemens Papa concessit Regi Galliarum sumere sub utraque specie, propter augmentum gratiæ, in sententia ita opinantium; in nostra verò, propter augmentum causatum ex diversis actibus sumentis.

DISTINCTIO V.

Respiciens ideas Sacramenti Eucharistiæ ut est sacrificium.

SERIES I.

De quidditate Sacrificii.

SECTIO I.

Quid sit Sacrificium propriè dictum, & quomodo dividatur ?

1. SAcrificium latè, est quodcumque opus in obsequium DEI, cultum, aut honorem oblatum : sic contritio, eleemosyna, martyrium &c. Strictè verò tale, secundùm S. Thomam, est oblatio externa, quâ res permanens cum aliqua sui destructione, per ministrum legitimum, soli DEO in protestationem supremi dominii, & signum nostræ servitutis, offertur. Sacrificium.

2. Exdividitur ratione materiæ , in victimam, quæ fiebat ex rebus animatis; in immolationem, quæ fiebat ex inanimatis, solidis tamen; in libamen, quod fiebat ex inanimatis liquidis, puta vino , sanguine &c. Exdivisio Sacrificij multiplex.

3. Ratione formæ, in holocaustum, in quo res oblata totaliter comburebatur ad sacrificandum, sic in thure; in hostiam pro peccato; in hostiam pacificam.

4. Ratione finis exdividitur, in lautreticum, seu summè adorandum, quod consistit in protestatione summæ Excellentiæ DEI & humanæ subjectionis, major enim est subjectio Regis quàm rustici, summa Christi ; in propitiatorium, quod culpæ aut pœnæ remissionem spectat; in Eucharisticum, quô gratias pro beneficiis à DEO acceptis referrimus ; & impetratorium, quô nova beneficia à DEI misericordia postulamus.

Vtrum Christus in ultima cœna, verum & propriè dictum sacrificium obtulerit; & Missa quæ hodie in Ecclesia celebratur, tale sit Sacrificium?

I. RESpondet S. Synodus Trid. sess.22. can.1. *Si quis dixerit, in Missa non offerri DEO verum & proprium Sacrificium; anathema sit.* Primum continetur in secundo; ergo utrumque est de fide.

Missa est verum Sacrificium.

2. Probatur contra Acatholicos sic: Oblatio panis & vini à Melchisedech DEO facta, fuit verum Sacrificium, & figura oblationis quam Christus fecit, instituens Eucharistiam in nocte Cœnæ, & quam quotidie facit in Missa per Sacerdotes; ergo à fortiori oblatio panis & vini, quam Christus fecit in Cœna Domini, & hucusque facit per Sacerdotes, fuit verum, & est Sacrificium: cùm figura & figuratum sint correlativa; & figuratum est præstantius figurâ. Item quia omnia spectantia ad essentiam sacrificii, competunt sacrificio Missæ, ut videbimus infrà.

Objectiones hæreticorum solvuntur.

3. Objiciunt Acatholici, & dicunt ex cap.7. epist. ad Hæbr. Christum seipsum obtulisse nisi semel, unicoque sacrificiô peccata expiasse; ac proinde nec verum sacrificium in pane Christus obtulit, nec per Sacerdotes offert. Nec Scripturæ notum est nomen *Missa*, aut cæremoniæ ejus, sed non pridẽ à Papistis *Missa* excogitata est. *Respondetur:* Christus se semel obtulit sacrificiô cruentô; non semel incruentô, per quod, illud applicatur. Illô quidẽ expiavit omnia peccata quòad sufficientiam; hôc verò incruentô, applicatur, virtus illius. Quare non est superfluum hoc sacrificium; imò valdè congruum fuit, inter alia media instituti aliquod sacrificium, quod sit memoriale sacrificii cruenti in cruce peracti: sicut Agnus Paschalis, erat verum sacrificium, & simul repræsentatio sacrificii in cruce peragendi. Ad argumentum autem, in quo maximè se fundant in multis Acatholici, & falluntur, *Resp.* imprimis retorqueo ipsorum assumptum: In Sacra scriptura non est nomen *Trinitas*; ergo *Trinitas* non est: non sequitur. Similiter in proposito, nomen *Missa* incognitum est Sacræ Scripturæ; ergo *Missa* non datur: non sequitur. Quia licet si non esset nomen, reperitur tamen res hôc nomine significata, scilicet oblatio: Missa enim non tantùm dicitur à missione, sed etiam ab hæbræo *Misach*, id est *oblatio*, eò quòd non tantùm in ea à Patre æterno ad nos mittitur per consecrationem Christus, sed etiã à nobis ad DEUM pro populo preces & oblatio Christi, mittuntur. Quare dum finitur, populo in ea dicitur: *Ite Missa est*; id est, *ite missio oblationis ad DEUM, facta est.* Quòd verò Missa non sit quid novum, patet: quia reperitur in Lithurgia S. Iacobi, qui (ut testatur Baronius) Lithurgiam suam, Missam vocavit. Invenitur etiam apud Clementem Pontificem Romanum, annô 102. epist. 3. ad Evaristum; annô 112. Alexandrum I. qui post Petrum fuit VI. Pontifex Episcopus 1. cap 4. Sixtum I. Alexandrum successorem; & Thelesphorum ex Ordine nostro Papam annô 142. (a). & apud alios.

(a) Vide Sebast. à S. Paulo p. 214 Speculum Ordinis tô. 1. n. 2957.

SE-

SECTIO III.

In qua parte sive actione Missæ, essentia Sacrificii consistat?

1. ANte Resolutionem oportet præmittere, actiones principales de quibus præsens quæstio agitatur, esse quinque: scilicet oblationem panis & vini ante consecrationem, ipsam consecrationem, oblationem corporis & sangvinis Christi post consecrationem, fractionem hostiæ in tres partes & commixtionem in calice, sumptionem à Sacerdote fieri solitam, & communionem aliorum. His præmissis,

2. Dico: Essentia hujus Sacrificii, neque in oblatione ante (a) vel post consecrationem tali (b), neque in fractione hostiæ & commixtione in calice (c), neqve in sumptione, sive adæquatè (d) sive inadæqvatè (e); à fortiori nec in distributione Eucharistiæ populo adhibita, consistit. Ita communiter. Ratio primi & secundi est: quia oblationes illæ non legũtur à Christo usitatæ. Ratio tertii: quia si hostia priusquam dividatur, in calicem cadat, ad fractionem extrahi non debet, juxta Missale Romanũ. Ratio quarti: quia de fide est, Christum in ultima cæna sacrificasse; non est tamen de fide, eum corpus suum sumpsisse. Ratio adjecti sexti est: quia Conc. Trident. Sess. 22. can. 8. definit, *Missas in qvibus Sacerdos solus Sacramentaliter communicat, esse licitas*: & quotidiana praxis deducit. Ratio omnium partium est: quia in nulla præfatarum actione, est destructiõ victimæ, quæ est Christus; sed in 4.5. & 6. est immutatio specierum tantùm. Quare

(a) Contra Gabrielem. (b) contra Vasq. Lessium Perez. (c) contra Canum. (d) Contra Sotum Ledesma. (e) Cõtra Bellarminum Lugonem.

3. Dico 2. totam essentiam Sacrificii Missæ, in sola consecratione consistere. Ita D. Thom. hîc q. 81. a. 1. 4. & 10. Suar. Bonæ Spei & alii.

4. Probatur 1. quòd die Parasceves, omnes actiones memoratæ, præter consecrationem persolvantur; & tamen secundùm omnes, non sacrificatur illa die, nec potest sacrificari: Conc. enim Tolet. *Sess.* 16. *can.* 8. ait: *Feriã sextâ in Parasceve, nullum omnino Sacerdotem posse Missam celebrare.*

5. Probatur 2. ad rationem veri Sacrificii non plus essentialiter quàm hoc requiritur, ut sit oblatio victimæ, & destructio: (Vasq. quidem admittens in Sacrificio absoluto cruento, negat in Sacrificio commemorativo & incruento, debere necessariò intervenire destructionem. Sed perperàm dicit, cùm contra definitionem Sacrificii. Si sit solùm repræsentatio destructionis (ut ille vult), non magis sacrificabitur tali sacrificatione, quàm Christus in tragedia sacrificaretur, in qua mors ejus repræsentaretur. Pater Bonæ Spei cum Suar. Konink. & aliis, vult sufficere destructionem termini à quo; & sic in præsenti, destructionem panis & vini. Sed immeritò id cõtra definitionem Sacrificii admittunt, & plus admittere coguntur, scilicet quòd possit quis sacrificare generando, cùm in generatione habeatur destructio termini à quo): sed per consecrationem est oblatio victimæ, & destructio aliqualis ejusdem; ergo. Major est S. Thom. Minor declaratur per hoc, quòd licèt non sit oblatio explicita verbalis, ac in actu signato; est

tamen implicitâ, & in actu exercito, quod sufficit ad rationem veri Sacrificii: in lege enim veteri, ovis jugulatio facta ad cultum Dei, erat vera realis oblatio, exercita, licèt non verbalis (f); cur & hæc non sit verè propriè talis? Quòd sit destructio ejusdem, deducitur sic: nam est mactatio mystica in hoc consistens, quòd Christus qui est vivens, exhibeatur quodammodo mortuus per consecrationem; eò quòd vi verborum, quantùm ex ipsis, ponatur corpus Christi seorsim à sangvine, & sangvis Christi seorsim à corpore, ex quo in cruenta morte effluxit, & suô effluxu mortem causavit. Quòd autem in corpore Christi Sacramentaliter posito, sit sangvis animatus, hoc habetur per accidens, ratione naturalis concomitantiæ, quæ si Divinitùs non conservaretur, essent corpus seorsim, & sangvis seorsim.

(f) Clemens à S. Pontiano.

Pro discursu & solutione

6. Gratiâ claritatis & utilitatis, Dices: In omni externo propriè dicto Sacrificio, res oblata realiter destrui debet: sed per consecrationem, res oblata realiter non destruitur; ergo in illa Sacrificium Missæ essentialiter non consistit. Major ex dictis patet. Minor verò probatur: Christus secūdùm fidem destrui non potest, immortalis enim est, impassibilis; *post resurrectionē jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur*. Rom. 6. *Resp*. Dist. maj. Res oblata realiter destrui debet, quantùm ex parte actionis immutativæ, exigitivè, Concedo maj. quantùm ex parte ipsius rei, subdistingvo: debet destrui totaliter & physicè, Nego; aliquomodo, sive virtualiter sive moraliter, Concedo. Sed per consecrationē res oblata realiter non destruitur, ex parte actionis exigitivè, Nego minorem; non destruitur ex parte sui, subdistingvo: totaliter & physicè, concedo; mysticè, virtualiter, moraliter, Nego. Ly *debet*, potest cōsiderari vel ex parte actionis, vel ex parte sui, vel ex parte utriusque: ex parte actionis, destrui debet exigitivè; hoc est tali actione offerri debet, quæ ex se exigit destructionem ejus; quòd autem non sequatur destructio uti mors, si percutiatur gladiô collū ovis, hoc aliunde venit, v. g. quòd Deus miraculosè mortē impediat. Ex parte sui, res totaliter non omninò debet destrui, sufficit etsi virtualiter sive moraliter, modô humanô destruatur, ita ut non valeat ad usus priores, & sit in via ad corruptionem: ut patet in libamine, quô vinum olim solebat libari & sacrificari, effundēdo in terram; quod defacto non corrumpebatur per hoc, sed destruebatur modô humanô, quia reddebatur per hoc inutile ad priores usus. Unde ad minorem dico: Res oblata in consecratione non destruitur totaliter physicè, ut patet consideranti; destruitur tamen, & quantùm ex parte actionis, exigitivè, quòd verba exigant separationem corporis à sangvine & è contra, & ex parte sui, quòd vi verborum (secundùm multos pro priori naturæ), ponatur Corpus Christi secundùm esse, sive permodum mortui. Quòd corpus Christi Sacramentaliter existens, sit vivens, est hoc aliunde, quòd per connexionem connaturalem, & conservationem ejus in posteriori signo, sequatur anima, sangvis &c. ut dixi suprà. Et destruitur mora-

liter,

raliter, quatenus per poſitionem ſui ſub ſpeciebus, redditur connaturaliter inhabilis ad uſus ſibi proprios ſenſitivos, ut dixi ſuprà d. 4. Ad probationem dico: Chriſtum ſecundùm ſe deſtrui non poſſe cruentè, concedo aſſumptum; incruentè, ſubdiſtingvo: ob miraculosè conſervatam naturæ concomitantiam, concedo; ex vi verborum, de ſe corporis à ſangvine ſeparationem exigentium, nego. Chriſtus immortalis eſt ſimpliciter, ſi loquamur de morte phyſica, cruenta, in propria ſpecie, propter dotem impaſſibilitatis; Si loquamur verò de morte myſtica, ut explicavi, immortalis eſt in actu ſecundo, ſecùs tamen in actu primo.

Chriſtus eſt mortalis myſticè.

7. Inſtabis 1. In ſacrificio propriè, res oblata debet deſtrui ex parte actionis, ut dictum eſt; & patet, ſi agnus vivus poneretur, & non deſtrueretur ex parte actionis, nullum eſſet ſacrificium: ſed in conſecratione, res oblata, Chriſtus, non deſtruitur ex parte actionis; ergo ratio ſacrificij non conſiſtit eſſentialiter in conſecratione. Minor probatur: quia quantùm eſt ex parte actionis, producitur Chriſtus Sacramentaliter; ergo quantùm ex parte actionis non deſtruitur: tum quia non poteſt eadem res, ſimul produci & deſtrui; tum quia actio deſtructiva, ſupponit productivam. *Reſp.* Producitur Chriſtus actione deſtructivo-productivâ, Concedo; non deſtructivo-productiva, Nego. Actio deſtructivo-productiva eſt, quæ ſimul aliquid producit & deſtruit: ut ſi v.g. DEUS Divi Eliſæi produceret corpus Varſaviæ ſeorſim à ſangvine, & ſanguinem Poſnaniæ: eadem numerô actio, eſſet eatenus productiva, quatenus produceret partes; deſtructiva verò, quatenus illas produceret ſeorſim, non unitim. Sic in præſenti, conſecratio eſt actio productiva, inquantum producit corpus Chriſti; & ſimul deſtructiva, inquantum producit ſeorſim à ſangvine, & ſangvinem ſeorſim à corpore. Item, eſt deſtructivo-productiva, quia per conſecrationem, Chriſtus, qui eſt vivus, vi verborum accipit eſſe mortui; per concomitantiam autem, eſſe vivi. Unde in Sacramento, ſecundùm multos, priùs naturâ eſt mortuus, poſtea vivus, non è contra; niſi ſic intelligatur, quòd priùs ſecundùm eſſe naturale quod habet in cælo, ſit vivus.

8. Inſtabis 2. Ita ſe habet conſecratio ad victimam & ſacrificium incruentum, ſicut incarnatio ad victimam modô cruentô: ſed incarnatio non eſt victimæ deſtructiva, ſed ſolùm præparatio; ergo etiam conſecratio, non eſt deſtructiva victimæ, ſed præparatio. *Reſp.* eſſe diſparitatem in majori: quia Incarnatio eſt non deſtructio, ſed productio viventis; conſecratio verò eſt deſtructio myſtica viventis.

Incarnatio non eſt conſecratio.

9. Si dicas cum P.Bonæſpei: Si Apoſtoli in triduo mortis Chriſti conſecraſſent, non ſacrificaſſent; admitto utrumque: primum, propter poteſtatem conſecrandi habitam; ſecundum, propter defectũ vitæ rei oblatæ, non enim mactatur victima, niſi vivens.

10. Concludo, quòd sacrificium Missæ consistat in sola consecratione: nam Christus consecrando panem & vinum in ultima cæna, verè sacrificavit, ut dixi *hac* d. supra & Tridentinum declaravit, ut seqv. sect. n. 1. habetur: sed illud sacrificium non fuit nisi consecratio sola; sic enim erat Missa, primò à Christo Domino per solam consecrationem, postea addebatur Oratio Dominicalis, postea successivè plures & plures cæremonias, preces, adjunxit Ecclesia; ut majori cum reverentia & fructu, Sacerdotis & adstantium, celebretur: de quo scribit Gvilelm. Durand. Donat. de celebr. Miss. q. 10.

SECTIO IV.

An de essentia hujus sacrificii sit consecratio sub utraque specie?

1. Quòd consecratio sub utraque specie non sit de essentia huius Sacrificii, ratio est: quia in una consecratione, omnia essentialia sacrificii superiùs recensita, reperiuntur. Unde qui propter nimiam distractionem & oblivionem, omitteret alterius speciei consecrationem, non privaret fructu dantem pro Sacro; nec teneretur ad restitutionem. Sed est necessaria utraque consecratio necessitate præcepti, tam Ecclesiastici, quàm Divini: nam Christus quando consecravit sub utraque specie, sic præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Verba enim Tridentini sunt: *Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, se in æternum constitutum declarans corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini DEO Patri obtulit; ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit: & eisdem, eorumq; in Sacerdotio Successoribus ut offerent præcepit, per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem. Uti semper Catholica Ecclesia* (nota) *intellexit & docuit.* Quare.

Quando Christus instituit Sacrificium Missæ.

2. Non desunt alia præcepta & ordinationes Ecclesiæ: ut si Sacerdos post factam primam consecrationem moreretur; alter etiam non jejunus ei subrogetur, qui Sacrificium absolvat. Si locò vini aquam, aut vinum consecratum, venenô infectum esse resciat; aliud vinum apponat & consecret. Unde

Quale scandalum contemnendum.

3. Solvendo objectiones, Dico: non excusat timor scandali, dum quis per errorem & suam inadvertentiam, consecravit aquam locò vini: quia secundùm rubricam, debet ita supplere errorem, ut non oriatur scandalum; & si vitari illud non possit, considerandum, quale illud sit scandalum. Si Pharisæorum, quod ex malitia & perversitate circumstantium sequitur? Tunc ex consilio Christi Domini Math. 15. tale simpliciter est contemnendum. Si verò illud sit pusillorum, quod ex ignorantia & infirmitate simplicium pullulat? Tunc ratio de obligatione non mutilandi Sacramentum, populo reddenda (a). Neque excusat præceptum Divinum, quod infirmus existens in articulo mortis, debeat recipere Eucharistiam: quia hoc præce-

(a) Clemens à S. Pontiano.

præceptum est affirmativum,quod obligat infirmum quando recipere cō-modè potest; & Sacerdotem aliud præceptum Divinum stringit, ut sub utraque specie consecret. Attamen excusaretur à culpa Sacerdos, in una specie consecrans, v.g. si post primam factam consecrationem, adverteret vinum esse infectum venenô, & aliud acquiri non posset; aut post primam consecrationem incideret in periculum vitæ, nisi recederet: nam præceptum, cum tanto dispendio non obligat. Excusatur à culpa consecrans in una specie.

SERIES II.

De valore, efficaciâ, & fructibus sive effectibus huius Sacrificii.

SECTIO I.

Valor Sacrificii Missæ an sit infinitus?

1. Resolutioni præmitto 1. nomine Missæ duo intelligi: unum orationes, preces, cæremonias, aliasque pias actiones quæ in Missa fiunt, aut dicuntur, quas Ecclesia addidit, & additas praxi conservat. Ita S. Thom. in 4. d. 5. q. 2. a. 3. Bonac. de sacrific. Miss. Lezana & alii. Alterum, ipsam immolationem, nempe actionem consecrativam, quam Christus constituit, & persolvit in cæna Domini. Nomine Missæ quid intelligitur.

2. Præmitto 2. in sacrificio Missæ rem oblatam & principalem offerentem, esse ipsum Christum: colligitur ex Sacrificio cruento, in quo principaliter offerens & res oblata, erat Christus; & ex Conc. Trident. sess. 22. cap. 2. ubi dicitur: *Vna enim eademq; est hostia, idem nunc offerens Sacerdotū Ministeriô, qui seipsum in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* His præsuppositis.

3. Dico: Valor Missæ dictô primô modô spectatæ, est finitus; secundô verò modô sumptæ, est infinitus quò ad sufficientiam & efficaciam in actu primo, non in actu secundo. Ita nostri Ioannes de Baccone cognomen ô Doctor Resolutus, Michael de Bononia alias Author incognitus, Ioan. Beetz, Guido, Lezana, & Stephanus à S. Paulo.

4. Probatur & explicatur. Valor oblationis cuiuscumque sumitur ex dignitate offerentis & re oblata, juxta illud Gen. 4 v. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*: Sed in Missa primô modô spectata, offerent s scilicet Sacerdotis, dignitas nempe sanctitas, & res oblata, est finita; in Missa verò secundô modô spectata, & dignitas offerentis, & rei oblatæ propter unionem hypostaticam, est infinita: ergo valor Missæ primô modô spectatæ, est finitus secundô modô sumptæ, est infinitus quo ad sufficientiam, non quò ad efficaciam in actu secundo. hoc est, quòd quantum ex se, posset producere infinitum, & infinitos effectus sive fructus causare, si da-

 rentur subjecta infinitè capacia: juxta suam devotionem & dispositionem; idcirco finitum, minorem aut majorem effectum, in eis causat.

5. Disparitas est inter candelam lucentem & Sacrificium Missæ, sive Missam causantem effectus: quià candela ardens, est causa necessaria absolutè, quare æquè omnibus lucet; Missæ verò sacrificium, ex institutione & placito Christi, juxta capacitatem subjectorum, in eis necessariò producit effectus.

SECTIO II.

Quinam sint effectus sive fructus Sacrificii, & quomodo ab eo producantur?

I. RESolutioni præmitto: ab aliis Theologis, valorem cum effectu & è contra confundi; ab aliis distingvi valorem ab effectu, ut actum primum à secundo. Hôc præmissô.

Missæ fructꝰ 2. *Resp.* & dico 1. Fructum Missæ, alium provenire ex opere operantis, alium ex opere operato: ille, est correspondens orationibus, precibus, cæremoniis Missæ à Sacerdote factis, commensuraturq; merito, bonitati, & dispositioni Sacerdotis, ac Ecclesiæ offerentis; iste, est correspondens ipsi operi operato: quare etiamsi Sacerdos celebret in peccato mortali, Missa eo fructu non caret.

Generalis. 3. Dico 2. Fructum Missæ ut sic, dividi in generalem, specialem, & specialissimum, quem alii medium vocant. Generalis est, qui toti Ecclesiæ debetur, quem Ecclesia omnibus fidelibus juxta eorum dispositionem applicat: ut patet in canone Missæ, *quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel ipsi offerunt.* Sic juxta Christi determinationem, propriamq; cujuscumque dispositionem, & ad Sacrificium cooperationem, eis communicatur. Quànta autem unicuique portio contingat, DEUS novit non nos; nisi hoc, quòd ille qui plures titulos habet ad majorem portionem recipiendam, & magis dispositus est, plus gratiæ obtineat: ut si non solùm inter sit, verùm etiam cantet, aut inserviat sacro. Patet ex similitudine passionis Christi, de cujus fructu fideles magis vel

Specialis. minùs, juxta quantitatem fidei & devotionis, participant. Specialis fructus est, qui applicatur ipsi Sacerdoti offerenti; Specialissimus est ille, qui

Specialissimus. applicatur ei pro quo offertur sacrum. Ita Angel. Navar. Bonac. Lezana & alii.

4. Dico 3. Fructus isti specificati, in re, sunt collatio gratiæ & remissio peccatorum venialium; quare hoc sacrificium vocatur, & est *propitiatorium:* remotio pœnæ temporalis; quapropter nuncupatur, & est *satisfactorium* Exemplum à S. Hieronymo ponitur, quòd pro qualibet Missa devotè celebrata plures animæ exeant de purgatorio. Est etiam in hunc modum

modum pœnæ remotio, quòd animæ quæ in purgatorio torquentur, dum pro illis Missa celebratur, nullum eo tempore tormentum sustineant, asserente S. Hieron. prout hoc videre est in Missali Romano parvo circa finem. Impetratio omnium bonorum, sive spiritualium sive temporaliũ; ob quam causam sacrificium Missæ, dicitur & est sacrificium *impetratorium*. Quomodo autem causantur?

5. *Resp.* & dico 4. Sacrificium Missæ, nec gratiam primam (a) nec augmentum gratiæ (b) consequenter nec remissionem culpæ mortalis (c) nec venialis (c), causat immediatè: aliàs celebrans in peccato mortali, per solã consecrationem justificaretur; & quilibet peccator, datô stipendiô pro Missa, eâ auditâ cum sola attritione, mundaretur à peccatis; & quando celebraretur Sacrum pro dormientibus, in illis tunc augeretur gratia; item qui in peccato mortali audiret Sacrum, peccaret mortaliter, non minùs quàm ille, qui in peccato mortali suscipit Sacram Eucharistiam. Sed causantur mediatè, in quantum Sacrificium Missæ causat inspirationes, auxilia, quibus homo disponitur ad pœnitentiam, & obtinendam gratiam sive augmentum gratiæ & in ea conservatur. Et hæc, Sacrificium Missæ, sicut bona temporalia, pluviam, sanitatem & alia, causat impetrando. Reatum verò pœnæ temporalis purgatorij, tollit immediatè (d): colligitur ex Trident. sess. 22. can. 2. & sess.

(a) Omnium ferè. (b) Suar. Bonac. contra Sotum Cordubam Henriquez. (c) Contra Cordubam Sotum.

(d) S. Thomas quæst. 79. art. 5.

SERIES III.

Quoad subjectum

SECTIO I.

Pro quibus hoc Sacrificium offerri possit, & quid in eis requiratur ut eis fructus conferat?

1. RESpondeo. & dico: hoc Sacrificium primò posse offerri pro celebrante.

2. Secundò pro omnibus fidelibus, ab Ecclesia non præcisis, seu nominatim denuntiatis, excommunicatis aut publicis percussoribus Clerici. Primum & secundum Hæbr. 5. declaratur his verbis: *Sacerdos debet quemadmodum pro populo, ita & pro semetipso, offerre pro peccatis.* Et canon Missæ: *Imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta.* Nomine fidelium, intelligimus non tantùm justos, sed etiam peccatores: quia etsi peccator quamdiu versatur in peccato mortali, remissionem pœnæ obtinere non possit; per Sacrificium tamen, possunt illi impetrari auxilia, gratiæ, per quæ disponatur ad justificationem. Nec tantùm ad ultos, sed etiam infantes baptizatos, quibus potest impetrari sanitas, vitæ prorogatio, protectio à periculis externis &c. Addidi *ab Ecclesia non præcisis*

Quibus poss. applicari Sacrum.

Ab excommunicato stipendium Missæ.

cisis seu nominatim denuntiatis &c. quia pro illis Sacrificium offerri, graviter prohibet Ecclesia *cap. à nobis & cap. Sacris ed sent. excom.* Potesttamen pro tali privatim orare Sacerdos in *memento*, ut resipiscat. Ita Rotarius. Secus de excommunicatis non nominatim, aut privatim; cùm nullibi lex prohibeat.

3. Tertiò pro paganorum, infidelium, & Cathechumenorum conversione. Tum quia 1. Timoth. 2. Apostolus jubet orare pro Regibus infidelibus; & in libris Machabæorum legitur, Sacrificium oblatum pro Dario & Heliodoro infidelibus: tum quia Ecclesia die parasceves pro infidelibus orat. A fortiori potest offerri pro hæreticis; cum licetsi non sint per fidem & charitatem, tamen per baptismum & characterem, sunt membra Christi: nec Ecclesia pro illis orare prohibet.

4. Quartò potest offerri pro existentibus in purgatorio ut à pænis liberentur. Probatur 2 Machabeorum 12 legitur Iudas curasse offerri non solùm preces, sed & Sacrificia pro illis, qui in prælio ceciderunt. Sic enim ibi vers. 43. habetur: *Duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolimam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans. (Nisi enī eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluū videretur & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis salvantur.* Unde Concilium Trid. *sess. 22. cap. 2.* hæc habet: *Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus; sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis ritè juxta Apostolorum traditionem offertur.* Et *ses. 25. de purgatorio* definitur, *purgatorium esse: animasq; ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari.*

Non Sanctis sed DEO offertur Sacrificium Missæ

5. Pro Beatis ut ipsis prosit sacrificium offerri non potest. quia ibi nulla re indigent; possumus tamen in gratiarum actionem pro gloria, aliisq; beneficiis in eos collatis, sacrificare DEO. Nec umquam Ecclesia offert Sacrificium Missæ Sanctis, sed soli DEO; cùm sit actus latriæ, soli DEO Creatori debitus. Unde numquam dicitur *offero tibi S. Petre*; sed solùm imploratur patrocinium Sanctorum.

6. Neque potest offerri pro damnatis, cùm in inferno nulla sit redemptio. Quòd autem refertur ex Damasceno de anima Traiani Imperatoris, eam esse precibus S. Gregorii Papæ ab inferno liberatam; fabulosum esse, tradunt communiter Theologi, inquit Petrus a S, Ioseph. Quòd verò in vita S. Angeli Martyris Carmelitæ, resuscitatus, se precibus S. Angeli ab utraque morte esse liberatum dicat; intelligitur, quòd ab æterna damnatione, non autem ab inferno: potuit enim esse in via æternæ damnationis, & nondum in inferno, ob preces futuras S. Angeli.

Requiritur applicatio.

7. Ut autem cui prosit Sacrificium Missæ, requiruntur alia ex parte Sacer-

cerdotis, alia ex parte eius pro quo offertur. Ex parte Sacerdotis, requiritur applicatio fructus specialissimi, saltem per intentionem habitualem. Ratio primi est, quia fructus præfatus, non est determinatus ad certam aliquam Personam; debet ergo determinari. Ratio secundi, est, quia ut dixi de Sacramentis in genere, applicatio est donatio; sequi proinde debet conditionem donationum, ad quarum valorem sufficit voluntas habitualis. Unde non tantùm ante consecrationem fieri potest, sed etiam die præcedenti, vesperi aut manè, pro die sequenti; valeret eo die, non facta alia applicatione, dummodo illa retractata non esset: tempus enim applicationis, est ante consecrationem non post consecrationem. Unde deficiente Sacerdote post consecrationem utramque, non potest Sacerdos secũdus Sacrificium applicare; secùs ante secundam: attamen eam facere debet, secundùm intentionem primi Sacerdotis. Molfes. Vasqv. &c. Benè potest Sacerdos, Sacrificium suum applicare ad intentionem Superioris, quam habet, aut habuit; non autem ad intentionem quam habebit: patet ex dictis & dicendis, nec non ex decreto Urbani VIII. Dixi *fructus specialissimi*: nam fructum generalissimum applicat Ecclesia, ut dixi hîc Ser. 2. Sect. 2. n. 3. Quare si Sacerdos velit excludere aliquem, ab impetratione fructus Sacrificii, revera non excludet. Suar. Konink, contra Lugonẽ. Licetsi mediante Sacerdote, Ecclesia offerat Sacrificium non tamen mediante eo applicat. Fructus verò specialis, confertur semper Sacerdoti; nisi alteri expresse eo cedat.

Quando.

Tempus consecrationis.

Fructus specialissimi.

8. Si autẽ quis obliviscatur applicare fructum specialissimum, tunc fructus Sacrificii remanet in thesauro Ecclesiæ, ut vult Suarez. d.79. Sect.5. vel cedit Sacerdoti, ut prætendit de Rhodes: vel illis, pro quibus tenetur specialiter offerre, ut docent Lug. Laym. Idem dicendum quando applicatur incapaci: v.g. ei qui est damnatus, aut jam est Beatus.

Quid si obliviscatur.

Valetne applicatio sub conditione?

9. *Resp.* Sub conditione de futuro, non valet: quia fructus Sacrificii suspendi nequit, prout dixi de Sacramentis in genere. Valet autem sub conditione de præterito, puta: *offero juxta intentionem, quam habuit Superior.* Ita Rotarius.

10. Quid si Sacrista cum Superiore applicent Sacrum Eliæ, celebrans verò Petro; cui tunc Sacrum, fructum conferat? *Resp.* tunc fructuosum esse Sacrificium ei, cui celebrans applicat: quia applicatio, est actus potestatis celebrantis. Peccat tamen mortaliter, taliter celebrans Regularis. Ita Laym. Dian. Lugo.

11. Ut Sacrificium Missæ ex opere operato sit alicui simpliciter (e) aut, magis (f) fructuosum, non requiritur in Sacerdote status gratiæ. Ita S. Thom. 3. p. q. 82. a. 5. & 7. S. Augustinus in cap. *intra Catholicam Ecclesiam*

(e) Omnes
(f) Multi contra Henriquez de Rhoden.

 ſam 77. q. 1. hæc habet: *In myſterio Corporis & Sanguinis Domini, nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbis perficitur Creatoris, & virtute Spiritus Sancti.* & Trident. ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ Can. 1. ſic dicit: *Hæc quidem munda illa oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt.* Ratio eſt, quia hoc Sacrificium, non tam eſt Miniſtri ſacrificantis, quàm ipſius Chriſti.

12. Ut verò ex opere operantis ſit ei fructuoſum, requiritur omninò ſtatus gratiæ. Ita S. Thom. cap. *Ipſi Sacerdotes* q. 1. dicit: *quantò digniores fuerint, tantò faciliùs pro neceſſitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur.* Valent tamen eius orationes, etiamſi ſit in peccato mortali; quia illas etiam ex Perſona Eccleſiæ dicit: quare non tenetur ad reſtitutionem. Donat. de celebr. Miſſ. q. 30.

Ex parte illius, pro quo offertur.

13. Ut obtineat ex opere operato fructum ſatisfactorium, requiritur præter devotionem in eo ſtatus gratiæ: quia nulli exiſtenti in peccato mortali, remittitur pœna purgatorii, quin primò remittatur pœna æterna; cùm hæc, actu exiſtenti in peccato mortali, ſit debita. Item ut aliquomodo ſit in via, & indigens: quia nec damnatis remittitur ulla pœna, nec in Beatis reperitur.

14. Ut verò per impetrationem, ex opere operato obtineat fructum, nec requiritur ut ſit baptizatus, patet ex Conc. Trident. ſeſſ. 22. can. 3. Nec ut ſit in gratia, cùm conſtet offerri Sacrificium Miſſæ *pro omnibus orthodoxis*, ut dicitur in Canone Miſſæ; nec ulla intentio, aut actualis devotio, cùm ſe habeat paſſivè, ſicut ille, pro quo alter jejunat. Sed ut majorem eum percipiat, actualis devotio prodeſt & requiritur, propter dicta ſuperiùs.

SECTIO II.

An aliquis adhuc vivens, poſſit Officium defunctorum, & Miſſam pro defunctis celebrari, & ſibi applicari, facere?

Vivens Miſſam defunctorum pro ſe facere celebrari poteſt. (g) Contra Layman & Rotarium.

1. Reſpondent. Lezana v. *Miſſa.* n. 54. dicit: *optimum conſilium, id facere.* Bonæ Spei n. 96. aſſerit: *omninò tutius eſſe, ut quisque adhuc vivens, potiùs ſibi provideat de Sacris ſibi ad libertatem è purgatorio neceſſariis, curando ea per participationem celebrari* (g) *quàm dilatè poſt mortem: ne hæredes (quod ſatis frequenter contingit) plus ament pecunias in ſtipendia Sacrorum dandas, quàm parentum aut amicorum defunctorum animas.* Unde Gregorius *l.* 4. *Dial. c.* 58. *tutior eſt via, ut bonum quod quisque poſt mortem ſuum ſperat agi per alios, agat ipſe dum vivit per ſe; beatiùs quippe eſt liberum exire, quàm poſt vincula libertatem quærere.* Ita etiam ſentiunt Dian. p. 9. tom. 2.

tractatu 2. *resol.* 27. Navar. Facund. Homob. Peirin. Barbos. in collectan. DD. ad Trident. sess. 22. can. 3. n. 8. Donat. de celebr. Miss. q. 90. & alii. Itaq; fecerunt, Albertus Magnus, referente Ferdinando de Castello, in Historia Generali S. Dominici p. 2. l. 3. c. 46. Henricus Comes de Ratenec Episcopus Ratisponensis. *Quod etiam imitati sunt plures alii ex Doctorum consilio, nostris temporibus pietate & devotione insignes*, inquit P. Lezana Doctor celeberrimus. Imò Lucas Pinellus de Missa p. 2. c. 7. v. *Missa*, dicit: hunc usum vigere in Lotharingia. Bartholom. à. S. Fausto & alii. Ratio svadet: tum quia sciens aut certò sperans se captivandum, potest curare sibi applicari Sacrum, ut DEUS eum liberet è captivitate; ergo etiam ut DEUS eum liberet è purgatorio: tum quia, sicut DEUS suspendit auxilia actualia Sacramentis annexa per hoc Sacrificium impetrata, in tempus necessitatis & capacitatis; ita etiam huius fructum satisfactorium.

2. Limitant tamen aliqui: *dummodo non dicantur orationes, quæ supponunt decessum ex hac vita, v. g. oratio Inclina Domine &c.* ne mendacium cõmittatur. Quam limitationem non admittunt Faust. Facud. Lezan. suprà: nam quando celebratur Sacrum pro pridem defunctis, & dicitur in oratione offertorii *Domine JESV Christe: ne cadant in obscurum, ne absorbeat eas tartarus*, non committitur mendacium: quia Ecclesia hoc dicit repræsentativè, repræsentãdo Christo illas animas, ac si tunc è vita essent discessuræ, & quasi adhuc agonizantes; ergo etiam in nostra hypothesi, non committitur mendacium, eò quòd Ecclesia, Sacerdos, vivum Christo Domino repræsentet, ac si jam vitam cum morte commutaverit. Unde sic, sacrum aut Officium defunctorum offertur non pro vivo simpliciter, sed pro mortuo; siquidem applicatur vivo, pro tempore quo mortuus fuerit.

SECTIO III.

Vtrum Sacrificium Missæ pluribus applicatum, æquè prosit cuilibet, ac si pro ipso solo applicaretur?

1. RESP. & dico: Sacrificium Missæ sumptum secundùm adjuncta Ecclesiæ, ut sunt orationes, cæremoniæ, Gloria in excelsis, Epistola, Evangelium, Credo, Offertorium, Elevatio, genuflexiones, &c. applicatum, plus prodest uni, si pro uno solo offeratur, quàm si pro pluribus: cùm effectus, sicut & valor Missæ hôc modô sumptæ, finitus sit; omne autem finitum, quò magis dividitur, eò plures, minùs de eo participant. Sumptum verò pro eo in quo essentialiter ratio sacrificii consistit, æquè pluribus ac uni prodest. Huius sententiæ inventor, non est Cajetanus ut aliqui putant; cùm ante ipsum per ducentos circiter annos, eamdem tenuerint nostri Doctores, Ioannes de Baccone nuncupatus Doctor

Missa sumpta secundum Orationes, plus uni quàm pluribus prodest; secus ut est sacrificium.

 ctor Resolutus in 4. d. 20. q. 3. a. 2. Michaël de Bononia cognomentô Author incognitus, Ioannes Beetz, Gvido; nunc è Recentioribus tenent Lezana v. Missa n. 8. Bonæ Spei, Stephanus à S. Paulo. Extra scholam Carmelitanam Petrus Sot. Navar. Peirinis & alii.

2. Colligitur hæc sententia 1. ex can. 23. *non mediocriter* de conscer. d. 5. 2. ex exemplo passionis & meritorum Christi: ex eo enim quòd valor illorum infinitus sit, possunt pluribus applicari sinè detrimento alicuius; & pluribus applicata, æquè prosunt unicuique, ac si pro illo solo applicarentur: ergo similiter, cùm valor Missæ sit infinitus, potest pluribus applicari Missa sinè detrimento alicujus; & pluribus applicata, æquè prodest unicuique, ac si pro illo solo applicaretur. 3. Colligitur ex similitudine Sacramentorum: si enim baptismus vel pœnitentia pluribus (etiam infinitis si essent) applicarentur, singuli eorum qui absolverentur vel baptizarentur tantum fructum reciperent ac si unus illorum esset.

SERIES IV.

De stipendio Missæ, & obligatione Sacerdotis.

Pro Missa non tamen pro re oblata stipendiũ

1. DIco 1. Licetsi Sacerdos absque labe simoniæ recipere non possit stipendium, tanquam pretium rei oblatæ; potest tamen titulô sustentationis, sive pauper, sive dives, sive Pastor, justum stipendium exigere pro Missa, spectatâ secundùm actiones perficiendas ejus: nam labor, est pretiô æstimabilis.

2. Dices: Satisfaciet Sacerdos petenti Sacrum, applicando ei laborem & tempus, non applicando Sacrum. *Resp.* negando sequelam: quia non emitur labor & tempus quà tale simpliciter, sed quà taliter insumendum, sub conditione sinè qua non. Qui non vult emere eqvum nisi Rex veniat, aut calicem nisi consecratum; nec adventum Regis, nec consecrationem emit, sed eqvum & calicem, sub conditione sinè qua non. Pro oblatione rei oblatæ cùm sit pretiô æstimabilis, non pro re oblata cùm nõ sit pretiô æstimabilis, potest Sacerdos stipendium exigere.

3. Dico 2. Absolutè loquendo, non potest Sacerdos plura stipendia pro uno eodemq; Sacro accipere, seu pro pluribus stipendiis, uno eodemq; Sacro satisfacere: nam decretum est de celebr. Miss. Sacræ Congr. Concilii, SS. D. Urbani VIII. Authoritate editum 21. Iulii 1625. ut *absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ, præscriptæ fuerint; ita ut alioqui ii ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Ratio est: quia defraudarentur dantes stipendia: nam licetsi fructus ex opere operato, correspondens ipsi sacrificio, non minuatur per hoc, sive uni sive pluribus applicetur; fructus tamen proveniens ex opere operantis, correspondens oratio-

tionibus, precibus, cæremoniis, & aliis piis actionibus, quæ in Missa fiunt, cùm sit finitus, quò magis inter plures dividitur, eò magis minuitur. Iam verò dantes stipendia pro Missa, omnem fructum Missæ, tam eum qui est ex opere operato, quàm eum qui provenit ex opere operantis petunt sibi applicari: applicatione enim rei, venit simpliciter res tota, & non pars tantùm, ut habent DD: communiter *in cap. final. de verb. signif.* & nemo præsumitur juri suo renuntiare, nisi hoc exprimat: *leg. uxore §. legaverat ff. si servitus vendicetur. leg. prædiis §. balnea de legibus.*

4. Nec paupertas Sacerdotis, ad plura stipendia pro uno Sacro recipienda suffragatur ei: nam Ecclesia sanxit, ut nullus pauper ordinetur *cap. non liceat, cap. Episcopus, cap. tuis, & cap. cùm secundùm.* Imò *cap. Clericus victum d.* 61. decernitur, quòd Sacerdos in paupertatem incidens, aliqua arte, sive agriculturâ, sibi victum quærat (a). Ratio exigit: tum quia rationi consonum non est, ut Sacerdos pro labore semihoræ, totum diei alimentum exigat; tum quia Sacerdotis paupertas, sicut non auget pretium rei vendendæ, ita non dat ei jus ad recipiendum ultra justum, seu taxatum stipendium. (a) Lezana.

5. Neque potest ita duo stipendia accipere, ut pro uno applicet Sacrũ & fructum ei debitum; pro secundo, alteri, fructum Sacerdoti debitum (b): nam licet si sit probabile, quòd Sacerdos sibi competentem fructum, possit alteri applicare, ut admittit Lezana cum Molfesio, Bartholomæo ab Angelis, contra Suarem, Lugonem, & Bonacinam; tamen quia incertum est, quantus sit ille fructus correspondens celebranti (cùm alii cum Filliucio dicant, solùm esse tertiam ejus partem, qui applicatur ei pro quo offertur Missa, alii verò majorem paulò, quasi divinando asserunt) non potest pro eo stipendium accipere. (b) Rodriquez, Naldus, Pejrinis, Bonac. Non potest Sacerdos pro suo fructu accipere stipendium.

6. A fortiori non potest Sacerdos accipere unum stipendium pro applicatione Sacri, secundum pro applicatione indulgentiæ altaris privilegiati, cui est concessa liberatio animæ à pœnis purgatorii: quia qui petit Sacrum pro defuncto ad tale altare dici, petit ei applicari indulgentiam: tum quia mens est summorum Pontificum, ut ei defuncto applicetur indulgentia, cui & Sacrum; quia qui dat stipendium, valorem certũ & non dubium, intendit sibi applicari. Nec pro indulgentiæ applicatione

7. Maximè patet inde, quòd ab Alexandro VII. damnata sit hæc propositio: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem; idq; post decretum Vrbani VIII.*

8. Dixi *absolutè loquendo*: Nam dantur aliqui casus, in quibus sinè præjudicio Decretorum Sacræ Congregationis, licitè possunt Sacerdotes plura stipendia pro una Missa recipere. 1. Si plures dantes talia æqua- Casus in quibus plura stipendia pro una Missa licitum est accipere.

æqualia ſtipendia adæquata pro uno Sacro, conſentiant,ut unum tantùm abſolvatur: quia ceſſante fine legis,ceſſat & lex obligare; in hoc verò caſu, ceſſarent omnes fines, quibus mota eſt Sacra Congregatio ad condenda præfata decreta. Ita Navar. Filliuc. Bonac. Lezan. & alii. Notat Bonacina ex Poſſevino, hunc conſenſum non poſſe dare,hæredes, legatarios, aut alienæ voluntatis executores, cùm iſti non ſint Domini, ſed Miniſtri. Solùm ergo eum præſtare poterunt ii, pro quibus Miſſa debet offerri. 2. Sacerdos habens obligationem vi erectionis, fundationis, celebrandi certis diebus, ſi ibi ſit expreſſum, quòd non teneatur, pro eo ſcilicet Fũdatore ſive datore, applicare Sacrum, ſed libero arbitrio Sacerdotis applicatio relinquitur; tunc poteſt ſecundum ſtipendium recipere pro applicatione alteri. Ita Lezan. Suar. Vaſqv. Alphonſ. de Leone, Homob. Ludovicus à Cruce, Lugo, & alii. Ratio eſt quòd poſſit: quia utriuſque intentioni ſatisfit. Quòd non aliter niſi ibi ſit expreſſum quod non teneatur &c, quia ſic cautum eſt Decretô S. Congregationis, *in una Aretina* 28. *Aprilis* 1629. quam refert Barboſa *in Collectan. Bull. verb Miſſ. eleemoſyna* 3. ubi ſic: *Miſſâ unicâ ſatisfacere non poteſt Sacerdos duabus obligationibus, duplicem eleemoſynam recipiens; niſi in fundatione expreſsè cautum ſit, quòd non teneatur Sacrificium applicare.*

Vide ſer. 3. ſect. 2. num. 1.

9. Notandum, quia decreta S. Congregationis prohibent plura ſtipendia accipere pro una eademq; Miſſa, non tamen prohibent, unam eamdemq; pro pluribus offerre, eiſq; eam applicare; poteſt Sacerdos acceptô ſtipendiô pro Miſſa, pro eo, & aliis offerre, eisq; applicare: non quidem Miſſam ſumptam pro orationibus,cæremoniis, Epiſtola, Evangelio, & aliis adjunctis ab Eccleſia, quia ſic defraudaret eum qui dedit ſtipendium; ſed ſumptam pro eo, in quo eſſentialiter conſiſtit ratio Sacrificii, ſcilicet ipſam conſecrationem & victimam ejus, innitendo ſententiæ probabiliſſimæ de valore infinito (de qua dixi ſuprà), ſaltem ſub conditione veritatis illius ſententiæ, ſi & inquantum illa ſententia eſt vera, ſi & inquantum ſinè præjudicio ejus qui dedit ſtipendium, poteſt offerri pro aliis, eiſque ſic ſumpta Miſſa ſive ſacrificium applicari.

10. Addit inſignis Lezana: *quod maximè notandum pro Regularibus: quia ipſi ſæpiùs in Conventibus Pauperibus, tenentur pro aliquibus propter ſtipendia accepta, ſemper celebrare; & tamen ſæpiùs occurrunt cauſæ, propter quas debeant etiam pro aliis, ſaltem ex charitate, & ex conſtitutionibus Ordinum, aut præceptis Superiorum, offerre: ut contingit ſi moriantur, aut in gravi aliqua neceſſitate conſtituti ſint eorum Parentes, conſangvinei, Fratres ejuſdem Religionis, Amici, Protectores, Patroni, Benefactores &c: tunc enim offerre poſſunt pro illis, etiamſi pro aliis ex ſtipendiis acceptis ſimul offerant.* Hurtad. *de ſacrific. Miſ. d. 4. diffic.* 15. *ex Ægidio, Konink.* Et clariſſimè colligitur, ex forma applicandi Sacrum, quæ ponitur in Miſſali Carmelitarum, prout ſequitur: 11.

11. *Ego indignus Christi Sacerdos, offero hanc Missam Omnipotenti Deo, Patri, Filio, Spiritui Sancto, ad gloriam ipsius, Jubilum & exultationem totius curiæ triumphantis, & utilitatem militantis. Generaliter quidem pro summo Pontifice N. & omnibus Orthodoxis atque Catholicæ fidei cultoribus, tam vivis quàm defunctis. Specialiter autem & particulariter, pro me misero peccatore & parentibus meis. Specialiter quoque pro eo, qui stipendium pro hac Missa celebranda dedit. Inhærens maximè probabilitati & pietati sententiæ de infinitate valoris Missæ quoad fructum ex opere operato, ex institutione Christi, ab ipsa provenientem: illum applico ea devotione & intentione quâ possum pro omnibus aliis obligationibus meæ Religionis, & hujus Monasterii; ad majorem honorem & gloriam ejusdem SSmæ Trinitatis, amen.* Et sicut hîc ponitur *pro omnibus obligationibus*, potest poni *pro Petro, Paulo, Joanne &c.*

Forma applicandi & offerendi Sacrū.

12. Duo aut plura stipendia accipere pro Missa cantata, non est duo, sed unum accipere justum pro tali Missa, ut praxis ostendit. Ratione majoris laboris & temporis, majus stipendium exigere quisque potest; ergo & Sacerdos. Genuinè dicendo, non sunt duo, sed unicum majus stipendium quod datur pro Missa cantata: similiter dum quis nimis procul debet ire pro Missa; majus ordinariô, stipendium exigere potest.

13. Quando Sacerdotibus absque stipendiis mandantur, aut authoritate incompetenti imponuntur Sacra absolvenda, quæritur utrum possint appromittere, & aliis ea applicare? Resolutioni præmitto ex Lezana & aliis apud eum n. 12. promissionem, aliam esse obligantem in conscientia, aliam non obligantem: illa est, quæ est cum intentione se obligandi; hæc, non animô se obligandi. Item præmitto seu suppono, ex una parte imponi onus Missarum non secundùm obligationem, aut secundùm obligationem præsumptam, quia imponens onus, præsumit Sacerdotes debere celebrare, & tot Sacra; ex altera parte Sacerdotes prævidere subsecuturas turbationes, si se declaraverint non absoluturos imposita Sacra. His præsuppositis, *Respond.* & dico: in proposito casu possunt Sacerdotes (seclusa intentione) promittere se absoluturos imposita Sacra, & aliis qui stipendia dederunt ea applicare: quia ex una parte promissio eos non obligat in conscientia; ex altera parte obligant stipendia. Similiter potest facere Sacerdos, dum petitur sacrum applicari ad intentionem, & de solutione danda non constat: imò è contra contingit, quòd non rarò sic decipiantur Sacerdotes. Et quamvis quis liberaliter, animô se obligandi, promittat alicui applicare Sacrum; non peccat tamen mortaliter non absolvendo unum Sacrum, nisi venialiter. Ita docent Lezan. Sanch. Portel. Dian. Rodriq. & alii: nisi occurrat circumstantia, quòd erat paratus solvere; & qui promisit, noluit accipere: vel aliô titulô, absolvere tenetur.

Pro Missa promittere & non applicare.

Liberaliter cum intentione se obligādi promittēs tenetur.

14. Sacerdos accipiens liberaliter pingve ſtipendium pro Miſſa, utrum poſſit dare alteri ordinarium, ſibi retenta parte? *Reſpondet* S. Congregatio: *debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe.* Unde executor teſtamenti, non tantùm Capellaniam minori ſalario quàm eſt in teſtamento inſtituere (c); ſed etiam de induſtria ſua, in alio loco, in quo minora ſtipendia dantur pro Sacris, nequit curare abſolvi Sacra, ſibi retenta parte pecuniarum deſtinatarum teſtamentô, vel aliter pro miſſis: v. g. in uno loco datur ordinariè florenus pro Miſſa, in alio groſſi 18. & teſtamentô ordinatum eſt, ut abſolvantur Miſſæ 100. pro eis dati floreni centum; Executor teſtamenti, non poteſt in alio loco curare Sacra abſolvi pro groſſis 18. ſibi retentô quod ſupereſt: quia turpe eſt lucrum, & negotiatio ſcandaloſa. Quare meritò hæc opinio Pellizarii, eſt damnata à S. Congregatione Indicis, teſte Diana *p.* 10. *moral. tr.* 16. & 6. *Miſcellan. reſol.* 68. *verſ. ſed prorſus.* Sed debet & ibi dare per florenum: quia talis eleemoſyna, non minor, eſt legata teſtamentô.

(c) Portellus.

15. Attamen Lugo *ſect.* 2. *n.* 32. dicit: quòd ſi aliquis Sacerdos ſpontè, nullô modô coactus, contentus ſit parte ſtipendii, poſſit illi alter, qui majus ſtipendium accepit, partem eius dare, hoc eſt ordinarium, ſibi reliquô retentô: cùm volenti nulla ſit injuria, & Sacra Congregatio videtur hoc non prohibere. Sed nec hoc faciendum ſvadeo: quia multa dicuntur ſpontanea & libera, quæ talia non ſunt: & ille forſan libenter plus reciperet, ſi ei daretur; quia licèt non ſummè pauper, tamen aliquomodo indigens. Quare cautè procedendum in hoc, ſvadet Gavant. 3. *p. thes. tit.* 12. *oblig. Sacerd. circa Miſſam n.* 15. ne detur locus fraudi, & mens Sacræ Congregationis defraudetur. Alius eſt caſus, quô hoc facere poteſt: ſi ſtipendium majus, detur ex benevolentia erga perſonam talem, quia eſt Provincialis, vel Conſangvineus; quod ex eo colligitur, quòd tale ſtipendium non dat illa perſona aliis. Ita Dian. *p.* 2. *tr.* 4. Sed nec hoc ſvadeo practicandum: quia intentio dantis videtur eſſe, ut hæc perſona abſolvat.

Capellanus minus dare poteſt.

16. Certum autem eſt, quòd Capellanus habens pingvem capellaniam, aut Rector beneficii, non tenetur alteri Sacerdoti celebranti, dare ſtipendium pro miſſis, proportionatum ad rationem redditũum beneficii; ſed ſufficit quòd ei det eleemoſynam congruam, ſecundùm morem ejus loci: niſi in fundatione beneficii, aliud cautum ſit. Ita declaravit S. Congregatio teſte Lezan. *Tom.* 1. *c.* 21. *n.* 7. Ratio eſſe poteſt: quia ſtipendium affixum beneficio, non tantùm eſt ratione Miſſæ, ſed etiam ratione beneficii.

17. Notandum, quòd in eodem decreto *de Celebr. Miſſ.* à S. Congregatione

tione præcipiatur, ut pecuniæ, ac bona mobilia Regularibus relicta, cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel Personam fide & facultatibus idoneam, ad effectum illa quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa mentione oneris, quod illis annexum reperitur. Et quodsi eadem bona immobilia deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna deponi, & in aliis bonis stabilibus etiam fructiferis, cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat. Quis autem à tali pæna absolvere queat? De hoc legendus est Lezan. *tom.* 1. *c.* 10. *n.* 34. De quo Deo dante & ego dicam *de censuris*.

Securitas Legati.

18. *Insuper præcipitur Regularibus, ne in posterum prædicta onera perpetua suscipiantur Missarum, sine Generalis vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis & gratis concedenda; sub pœna privationis officiorum quæ tunc obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisq; activæ ac passivæ, absque alia declaratione.* Sunt Verba Sacræ Congregationis.

Sine Provinciali non acceptantur onera perpetua Missarũ.

19. Ad hæc animadvertenda. 1. Quia Sacra Congregatio loquitur de oneribus perpetuis; aliter est dicendum de onere imposito ad 30. aut 40. annos, aut ad vitalitia tempora alicuius: cùm talia onera, sint non perpetua: *leg. Iurisperit. FF. de excusat.* Bordonus *n.* 36. 2. Quia Sacra Congregatio præcipit ut prædicta pecunia, aut bona mobilia, investiantur in bonis immobilibus fructiferis; investiri non possunt in bonis mobilibus quantumvis pretiosissimis, aut bonis immobilibus non fructiferis: mens enim est Sacræ Congregationis, ut ex fructibus talium bonorum sustentari possint Sacerdotes, celebraturi tales Missas.

20. Quæritur, utrum talis pecunia relicta in censum perpetuum possit expendi in fabricam Ecclesiæ? *Respon.* circa hoc controvertere Doctores. Sed ego dirimam causam sic: vel certum est, quòd ex re fabricata, sive Ecclesia, sive sepultura, sive fornice, crescant reditus sive Eleemosynæ ad æqualitatem census? Tunc expendi potest summa, in fabricam talis rei. Ita Peirin. in suo formali *tit. A. cap.* 11. *n.* 2. post Martam *in suis decis. voto* 24. *n.* 2. Donat. *de Celebr. Miss. q.* 88. Vel è contra? Tunc dicendum quòd non possit expendi in eam. Ita Bordonus 1. *p. consil. resol.* 25. *de celebr. Miss. sub q.* 24. *n.* 34. Dian. *p.* 10. *tr.* 16. & 6. *Miscellan. resol.* 72. Tamburinus *in opusc. de Sacr. Miss. lib.* 3. *c.* 1. § 6. *n.* 9. Secùs tamen dicendum, si ob rem non fabricatam v. g. mansionem pro Religiosis, cogeretur illa communitas aliam domum, similiter locò vineæ, aliam vineã conducere; posset in tali casu, summam sibi oblatam in perpetuum censum, in illam rem fabricandam, aut ipsam emendam expendere. Ita sentiunt Lezan. 4. *p. summ. verb. Miss. n.* 37. Donat. *de celebr. Miss. q.* 88. *n.* 4.

Summa data pro censu perpetuoquãdo potest expendi in fabricam?

21. Quærit P. Lezana, utrum sufficiat investire talem pecuniam super aliqua

Quando relinqui in bonis Monasterii?

aliqua bona immobilia Monasterii? *Respondetq;* negativè: quia per eam pecuniam, oportet acquirere de novo aliquam proprietatem, seu possessionem fructificantem novos fructus ac reditus, ut colligit ex eadem Sacra Congregatione Bordonus & alii. Secùs dicendum, si ex tali censuali pecunia, efficiatur novum bonum stabile, fructiferum Monasterio; v. g. taberna, aut domus pro censu fructificans: tunc enim extinctio illius census, esset quædam virtualis investitio illius pecuniæ, in bono stabili fructifero.

22. Obligatio absolvēdi Missas, non currit à die acceptationis, receptionis pecuniæ; sed à die implicationis, seu investituræ. Lezan. *Verb. Miss. n.* 37. Ratio est: quia solùm ab hoc tempore incipit dicta pecunia esse fructuosa. Marchinus *dub.* 5. Lezana *loc. cit. n.* 37.

De reductione Missarum ad minorem numerum.

Quando sūma sine culpa Monasterii perit, non tenetur ad absolvendas Missas.

23. Inprimis certum est inter Doctores, quòd quando sive fundus, sive capitale, sive aliud quodcumque pro celebratione Missarum legatum, datum, sine culpa Monasterii deperit, non tenentur Religiosi ad eas celebrandas: v. g. Dominus N. inscripsit super Palatium decem millia Religiosis N. quod Moschi combusserunt; fundus verò propter argillam est destructus; Dominus nihil vult dare, cujus erat Palatium: ergo Patres præfati, pro Domino N. ad nullam celebrandam Missam obligantur (idē dicendum de Parocho & Capellano). Ita Fraxinel. Perez, de Lara Bordon. Lezan. *Verb. Missa n.* 37. Ratio est: quia beneficium datur propter Officium; cessante ergo beneficio, cessat Officium.

Secus si ejus culpa.

24. Additur *sine culpa Monasterii*: quia ea subsistente, remanet obligatum Monasterium, ad celebrandas tales Missas: injustum enim est ut propter culpam Monasterii, institutor damnum patiatur, & in purgatorio adhuc uratur. Si verò prædicti fructus, usu temporis, etiam sinè culpa Monasterii valdè sint diminuti, v. g. decem millia in Palatio sunt inscripta, Palatium est combustum, pro fundo nec duo millia dantur; vel bona data sunt in censum perpetuum, illa sunt totaliter devastata, nec est spes restaurationis, nec modus unde: non propterea licet Religiosis propria Authoritate numerum Sacrorum diminuere; sed recurrendum est, ad quem de jure spectat.

Quis reducere potest onus Missarū ad Minorem numerum?

25. Penes quem authoritas hæc est, & potestas, minuendi numerum Sacrorum? *Resp.* Vel sunt Missæ impositæ post Concilium Tridentinum, aut in limine fundationis Ecclesiæ aut Capellæ, sive post sive ante Tridentinum? Tūnc pro reductione illarum ad minorem numerum, omninò oportet recurrere ad Sedem Apostolicam, nempe ad Sacram Congregationem, propter Decretum ipsius. Vel sunt impositæ ante Concilium Tridentinum, & non in limine fundationis Ecclesiæ aut Capellæ, sed aliô

modô

modò sunt impositæ? Tunc tales reducere ad minorem numerum possunt Episcopi in Diœcesana Synodo, Abbates & Generales in Capitulis Generalibus; attendendo ad verba Concilii Trident. *sess.* 25. *c.* 4. ubi Sacra Synodus *facultatem dat Episcopis, ut in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus & Generalibus Ordinũ, ut in suis Capitulis Generalibus re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis quas hac provisione indigere cognoverint statuere.* Et non aliter, quàm nunc dictum est: cùm ita declaraverit Sacra Congregatio, ut solet legi ad Mensam.

26. Unde etiamsi plures asserant, id Episcopos extra Synodum facere posse, ut docent Navar. Rodriq. Henriq. Mirand. Ricc. Molfes. & Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. alleg.* 29. *n.* 15. eò quòd quòad illos Concilium Trident. non statuit novum jus, sed jubet observari antiqvum, idq; sit ex consvetudine receptum in aliquibus Episcopatibus; Prælati tamen Regulares, Generales, cùm pro illis statuat Concilium jus novum, & statuat formam quomodo & quando sit facienda reductio, nec sit consvetudo in contrarium, non poterunt id facere, nisi in dictis Capitulis Generalibus. Ita Barbosa suprà *n* 15. Diana *de celebr. Miss. Resol.* 1. & 2. *tr.* 14. Utrum in præfatis Capitulis Generalibus, potest fieri reductio aliorum suffragiorum? Dicit Sorbo quòd non: quia sic declaravit S. Congregatio. Oppositum tamen dicunt alii cum Diana. Videndus est Lezana *verb. Missa n.* 32. & *tom.* 1. *cap.* 21. *n.* 6.

27. Quando verò sive à S. Congregatione, sive à Capitulo Generali, sive ab Episcopo, reducuntur Missæ ad minorem numerum, & additur clausula, *quòd eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute, legata ea ad pios usus reliquerunt,* sufficit quòd fiat commemoratio, vel in *Memento* vel in *Collectis*. Ita enim declaravit Sacra Congregatio, testibus Lezanâ, Moretâ, Fraxinellô, & Barbosâ *n.* 11.

28. Quando Episcopo conceditur privilegium à Sede Apostolica, reducendi onera Missarum suæ Diœcesis, potest tali privilegio uti etiam ad favorem Regularium. Ita Bordon. Pellizar. Lezana *loc. cit. n.* 31. Ratio est: quia Ordinarius loci, etiam à Regularibus exemptis, exigit rationem de executionibus testamenti, juxta Clement. de testamentis; ergo multò fortiùs poterit in favorabilibus eis prodesse: gratiæ enim sunt ampliandæ, juxta Regul. juris; odia restringenda. Nisi ejus privilegium restringatur ad onera solùm Clericorum Sæcularium. Gratiæ ampliandæ.

29. Quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire; & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderamine oneris, totum aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? *Respondet* S. Congregatio: *Etsi legatum sit adeò tenue, nihilominus pro reductione oneris ut suprà impositi ab iis ad quos pertinet, Sedem Apostolicam*

licam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino esse judicaverit; verumtamen si in ipsa beneficii erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum opus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam & observandam.

30. Quid si expenderit multum pro posta, procurando reductionem Missarum ad minorem numerum? Similiter quid dicendum de eis, qui diu litigant in Tribunali, & vix medium censum recipiunt; utrum possunt uti compensatione expensarum pro via, & Sacra pauciora respective ad expensas absolvere? *Respondeo:* Vel agitur de Missis oblatis vi simplicis obligationis ad tempus? ut si casus esset (dicit P. Lezana) v. g. quòd aliquis Sæcularis commendasset alicui Monasterio 100. Missas, eæque celebratæ essent, nihilominus pro recuperando stipendio ipsarum, aliquas expensas fecerit Monasterium, eò quòd qui ipsas commendaverat, nolebat illud solvere; si postea idem sæcularis alias Missas 100. eidem Monasterio commendasset, posset Monasterium compensare damnum sibi illatum, diminuendo in his 100. Missis id, quod consumpserat in stipendio aliarum recuperando. Ratio est: quia in obligationibus justitiæ datur compensatio; ergo & hîc, Sacerdos potest sibi damnum compensare præcisè certum & liquidum. Ita Pejrin. Henriq. Navar. Vel agitur de Missis absolvendis vi pii Legati in perpetuum? Nego locum compensationi: quia pia legata in perpetuum, Fundatores extendunt ad superabundans stipendium, ut ratione alicujus detrimenti Monasterii v. g. litis expensarum, non priventur suffragiis, & non patiantur detrimentum v. g. existentes in purgatorio. Ita sentiunt Ascanus, Tamburin. Dian. Donat. & alii.

Quando potest compensatione uti ratione expēsarum Sacerdos?

31. Quid si Sacerdos deceptus sit? v. g. recipiens stipendium 10. Missarum chartâ involutum, putans esse justum; si postea illud inveniat esse non justum, an teneatur ad integrum numerum 10. Missarum? *Respondeo* quòd non: tum quia Sacra Congregatio præcepit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: eleemosyna in dicto casu non est pro 10. Missis; ergo. Nec ipse consensit pro injusto stipendio, cùm non sciverit; non tenetur dicere 10. Missas. Ita tenent Megalius, Peregrin. Fraxinel. Dian. & alii.

32. An Prælatus Monasterii teneatur ad restitutionem, si ejus prædecessor non curavit celebrari Missas, ad quas Monasterium tenebatur ex legato, vel stipendio? *Respondeo* & dico quòd teneatur, aut Sacra non absoluta curare absolvi, aut ad restitutionem obligatur. Sicut Prælatus Monasterii tenetur solvere debita legitimè contracta à suo Prædecessore ita & onera Missarum non satisfacta, cùm sint debita: qui enim sentit commodum, debet sentire & incommodum. Monasterium sensit commodum reci-

recipiendo stipendia; ergo debet sentire & incommodum, nempe onus Missarum.

33. Sed quomodo ipsi debet probari, quòd remaneant Missæ non absolutæ? *Respondeo*: Debent probari per librum Sacristiæ. Ita Gvido Papa *decis*. 514.

34. An Regulares aucta re sibi legata cum onere Missarum, teneantur etiam ipsi numerum Missarum augere? *Resp*. Vel tale augmentum provenit non ex re ipsa simpliciter, sed ex industria, labore, & expensis ipsorum Regularium? Sic nullam inducit obligationem majoris oneris. Vel augmentum fit ex aliquo casu fortuito, ut si fundus assignatus pro Missis, notabiliter augeatur ex alluvione fluminis, vel territorium fit magis reddititium? Tunc in tali casu inducit obligationem ad augendum majorem numerum Missarum, in utilitatem animæ Testatoris Ita docent Navar. Pellizar. Quidquid sit de Missis addendis dubium, hoc tamen certum est, quòd augmentum debeat in Ecclesiam expendi, si non augeatur numerus Missarum: nam *cap. final. de verb. signific.* dicitur: quodsi fructus præbendarum creverit, debet augmentum converti in utilitatem Ecclesiæ, non autem dividi inter Canonicos, ut ibi dicit Glossa in fine casûs.

35. An Regulares, sive Sæculares, in Ecclesia in qua continuatur magna devotio & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio ac concursus fidelium minuatur? Sacra Congregatio *Resp*. non posse, nisi de consensu eorũ, qui eleemosynas tribuunt. Nec tutus est consensus præsumptus. Ita Donatus.

An Sacerdotes causâ devotionis non minuendæ possint stipẽdia pro Missis accipere quamvis nisi post longum tempus satisfacere valeant?

36. Peccatne mortaliter Sacerdos, & teneturne ad restitutionem, si notabiliter differat satisfacere? *Respondeo* affirmativè, propter damnum spirituale aut temporale, quod patitur dans stipendium, ex eo quòd Sacerdos ei Missam non applicuit. Ita Petrus Navar. Bonac. Fraxinel. & alii communiter. Maximè in his duobus casibus peccat, quando quis dedit stipendium Sacri pro valdè infirmo, & non est absolutum Sacrum nisi post mortem: quamvis illi prodesse potest quòad satisfactionem in purgatorio, non tamen prodest quòad impetrationem, quam intendit, quando tradidit eleemosynam. Secundus Casus est, quô Missam pro defuncto (qui in purgatorio gravissimas pœnas patitur) differt in tempus ultrà & ultrà; tandem absolvit, quando anima jam est liberata è purgatorio. Quòad 2. *Resp*. negativè: quidquid dicant Bonac. Navar. & Rodriq. quia forsan prodest multum, absolutione & applicatione Sacri (juxta dispositionem Divinam) sangvine junctis.

37. Quænam dilatio intelligitur per breve sive modicum tempus, quô

quô propter mandatum Sacræ Congregationis, omninò oportet Sacerdotem satisfacere danti stipendium? *Resp.* Sumendo tempus breve sive modicum, intra quod aliæ Missæ omninò sunt absolvendæ, judiciô celeberrimi Patris Lezanæ, arbitrio prudentis relinquendum definiendum, pensatis circumstantiis loci, temporis, Missarum dicendarum, & Sacerdotum qui illas dicere debent: cum non definiatur in jure: ad quod allegatur *L. ab hostibus §fin.* Lugo 3.*p. de Euch. disp.*19. *sect.*2. *n.*34. intelligit tempus illud, quô quinquaginta vel sexaginta Missæ dici possunt. Thesaurus, spatiū 8. aut 10. dierū & non ultrà. Donatus, spatium trium mensiū; ex causa rationabili tamen, ut in simili declaravit *Trid. cap.* 12.*sess.* 24.*de reform.* ad finem de sententia dignitatum dicens: *non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consvetudinis, ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius tempus servitii requirunt.* Ergo Ecclesia, tres menses existimat tempus breve; longum verò ultra tres menses. Diana verò, tempus unius mensis. Barbosa pro hoc decisionem Sacræ Congregationis adfert; sed Donatus respōdet non esse Authenticam: vel si dicit Sacra Congregatio, dicit exempli gratiâ, non permodum decisionis. Attamen, si Missa sit dicenda pro aliqua necessitate, quæ moram non admittat, v. g. pro præsenti infirmitate, tribulatione, expeditione alicujus litis, vel negotii instantis; tunc nullô modô differri potest. Ita Lezana, Menochius, & alii.

Tempus pro Missis breve.

Quæ Missæ non sunt differendæ.

38. Utrum licitum sit anticipatè celebrare? *Resp.* Vel intendit quis celebrare pro eis qui nondū dederunt, sed daturi sunt? Sic non est licitū: quia oppositum damnatum est à Paulo V. die 15 Novembris 1605. alias digna risu esset res, *applicabo tibi tria Sacra, quæ jam absolvi ante duas hebdomadas.* Vel intendit quis celebrare pro eo qui jam dedit stipendium, v. g. Capellanus tenetur qualibet hebdomada dicere tria Sacra? & vel est Statutum, ordinatum, sinè ulla restrictione & absolutè ut tot Sacra in hebdomada, mense, aut anno absolvat? Tunc potest anticipatè illa absolvere: v. g. in una hebdomada sex, tria pro hac, & tria pro sequenti hebdomada. Ita Cened. Facund. Ledesm. Barbosa *alleg.* 24. *n.*14. Gavant. Lezana *verb. Missa.* Ratio est: quia anticipata solutio, non præjudicat Creditori. Imò animæ in purgatorio magis prodest anticipatio Missarum. Et sicut licitum est tales Missas anticipare, ita pariter ex justa causa differre in sequentem hebdomadam, vel mensem, si Missæ lunares sint; dummodo non obsit voluntas Testatoris, aut Synodi Diœcesanæ. Pellizarius *tom.* 1. *tr.* 5. *cap.* 9. *sect.* 9. *sub. q.* 26. *n.* 29. *in fine.* Vel legatum aut statutum est, ut hac & hac die dicatur Sacrum? v. g. feriâ 2. ad majus altare, quia pro hac die est privilegium; & feriâ 6. ad S. Crucem, in venerationem Passionis Domini; tertia ubicumq; in Ecclesia hac; die Sabbati in

ti in honorem B. MARIÆ V. Tales Missas illis diebus procuratas Sacerdos absolvere tenetur, nec anticipare potest: quod aliquomodo habetur *cap. Decernimus* 32. *q.* 7. & iidem immediatè citati Doctores ita docent.

39. An obligatus celebrare quotidie, possit semel qualibet Septimana quiescere? *Respon.* Vel Capellanus fundatione instituitur ita, ut quotidie per se, vel per alium celebret? Tunc sive sanus sit sive æger, celebrare tenetur per se, aut per alium (c). Vel sinè hac restrictione, absolutè, in fundatione capellaniæ obligatur tantùm sic, ut quotidie celebret? Tunc inprimis si ægrotet per breve tempus, non obligatur ad celebrandas Missas per alium (d), sive sit sæcularis sive Regularis, dummodo institutio Capellaniæ sit pro persona particulari, v. g. Priore, Regente, Lectore &c: nam si pro toto Conventu, ut regulariter contingit, tunc Missæ prætermissæ ab uno Religioso ægrotante, per alios suppleri debent. Breve autem tempus infirmitatis, existimat Ioan. de Cruce, esse duos aut tres dies; Molfes. Graff. Fraxinel. Barbos. esse spatium 8. vel 10. dierum; Bonacina 15. dierum; Concilium Provinciale Mediolanense, extendit ad unum mensem, accedente consensu Episcopi; Lugo vult extendere ad duos menses. Sanus verò Capellanus, non adstrictus ex institutione ad celebrandum per alium, potest intra annum ad sexies celebrare pro se, aut sãgvine junctis (e), sive sit sæcularis sive Regularis, si pro tali in particulari persona est Capellaniæ fundatio. Imò sive Sæcularis sive Regularis particulariter institutus, potest semel in hebdomada à celebrando vacare; non voluptatis, curiositatis, itineris, aut alterius impedimenti gratiâ, sed solùm ut propter malam dispositionem vel indigentiam, novum peccatum mortale vitetur: nam fundamentum aut consvetudo nonnullorum Capellanorum, originem habet *ex cap. Significatum* 11. *de Præbendis*, ubi dicitur, *quòd Sacerdos prædictus, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assiduè debeat impendere obsequium suum Ecclesiæ memoratæ, & quantò frequentiùs potest, salva honestate sua, & debita devotione:* id est sinè peccato mortali, ut explicat Glossa ibidem *salva honestate* (f). Unde cessante causa peccati, indevotionis, aut indispositionis, tenetur juxta decisionem Concilii Provincialis, & Synodi Diœcesanæ ejusdem Provinciæ, per se aut alium celebrare. Ita Bonac. Fraxinel. Nald. & alii: quidquid dicat Rotarius. Multò magis illa die nequit pro stipendio celebrare. Attamen qui obligatus est quotidie celebrare pro aliquo, non tenetur in die Nativitatis Domini tres illas Missas pro eo offerre (g); neque feriâ sextâ hebdomadæ sanctæ, cùm ea die non sacrificatur; neque feriâ quintâ, die Sabbati ejusdem hebdomadæ, propter consvetudinem non celebrandi privata Sacra: nisi ejus sit obligatio Missam cantatam celebrare. Et in die comme-

(c) Fraxinellus Ioan. de Cruce Rodriquez Lugo.

(d) Graffius Barbosa Fraxinellus Pejrinis.

(e) Naldus Diana resol. 28.

In corp. Iur. Can. lib. 3. tit. 5. pag. 140.

(f) Lezana nũ. 42.

(g) Fraxinel. n. 2. & 22.

memorationis omnium fidelium defunctorum, satisfacit dicendo Missam pro omnibus defunctis in genere, eisq; eam applicando (g). Illa die licitum est applicare Sacra ad libitum: scilicet in genere pro omnibus, tum in specie pro aliquibus defunctis. Ita declaravit Sacra Congregatio 4. *Augusti* 1663.

Die animarum licitum est applicare Sacrum alicui in particulari.

40. Tenetur Sacerdos celebrare in loco, Ecclesia, Oratorio, Capella, vel Altari in quo promisit, aut obligatus est vi fundationis, contractûs, solutionis. Ita communiter. Secùs faciens, videtur mortaliter peccare (h), quia in re magni momenti infidelis est; nisi eum justa causa excuset: qualis est, si Ecclesia, Capella, Oratorium, vel Altare, impedita sunt violatione, eversione, vel aliô modô (i); vel si Sacerdos ad tales Missas dicendas obligatus, ob urgentē causam ex eo loco discederet (k).

41. Utrum in casu violationis, eversionis, aut alterius impedimenti legitimi, Ecclesiæ, altaris &c. Sacerdos sit liber ab obligatione; aut utrum tenetur alibi celebrare? *Resp.* Vel Sacerdos certus est de mente Institutoris, sive ex ipso, sive ex scriptis, seu inscriptione, quòd solùm intendat celebrari in tali loco? tunc deobligatur. Vel constat ei, intendere fructum Sacrificii pro anima sua, vel cultum DEI, vel aliqvid aliud simile? Tenetur alibi celebrare. Vel dubius est? tutiorem partem eligere tenetur, nempe ad intentionem Institutoris Missas in alia Ecclesia, altari, dicere. Ita docent Lezana, Steph. à S. Paulo & alii.

42. An Sacerdos non Episcopus, possit ea die qua celebravit Ordinarius Loci, Missam in eodem altari celebrare? *Resp.* Spectandam esse consvetudinē, an ibi soleant alii celebrare: secùs, habendus est consensus; nisi superveniat necessitas id faciendi, ut exponit Glossa *cap. fin. de Consecr. d.* 2. Ita Lezan. *verb. altare n.* 11. Octavio *pag.* 177. *n.* 238. Idem Cistercienses debent observare respectu sui Abbatis.

43. Quando horæ cantantur ante majus altare, Missa ad altare majus nō debet tunc celebrari. Ita ordinavit S. Congregatio, ut habetur apud Barbosam *in collectan. Bullar. ver. Missa*: quod intelligi debet de Ecclesia magna.

44. Qui quotidie in eodem altari Missas dicere tenetur, utrum possit saltem aliquoties intra annum in alia Ecclesia eas dicere, gratiâ lucrandi indulgentiam plenariam, non dicendo eas in eo altari per alium? *Resp.* quòd possit quinquies aut sexies (l), non pluries: nam in re gravi contraveniret menti Institutoris.

45. Utrum obligatus celebrare in altari privilegiato, satisfacit celebrando in alio non privilegiato, cum corona, calculo sive numismate ad animā è purgatorio liberandam indubiè benedicto? Leander tenet quòd sic, si petens Sacrum non determinavit in particulari altare privilegiatum. Contra eum *Resp.* negativè. Ratio est: tum quia indulgentia pro defunctis

quæ

(h) Navarrus Diana Rodriquez Graffius Homobonus & alii.

(i) Fraxinellus Riccius.

(k) Facundez Lezana.

(l) Stephanus à S. Paulo.

quæ applicatur altari, solet esse magis certa; nam de numismate esse dubium potest, utrum jam anni non transierint, & utrum summus Pontifex concesserit numismati hoc privilegium cum præjudicio altaris privilegiati, quod dicendum non videtur: estque magis Authentica illa indulgentia concessa altari privilegiato: tum quia Testator non solùm vult indulgentiæ applicationem, sed & Missam talem, cui à Papa indulgentia altaris est applicata. Ita Lug. Dian. Lezana *verb. Missa.*

46. Utrum tenetur Sacerdos ad restitutionem, eò quòd in alio altari celebraverit? *Resp.* Vel obligatus erat celebrare in altari non privilegiato? Tunc non tenetur ad restitutionem: nam non privavit fructu Institutorem. Vel obligatus erat celebrare in altari privilegiato? Tunc in casum restitutionis incidit, eò quòd subtraxerit suffragium petenti. Ita Lezana *loc. citat.*

47. Notandum, quòd Patres Carmelitæ habeant à Clemente X. ubique in Ecclesiis suorum Conventuum altare privilegiatum pro defunctis; hoc autem est altare Beatissimæ Virginis MARIÆ. *In Bullar. Ord. pag.* 574. *p.* 2.

48. Missa in altari privilegiato quæ non est de Requiem, utrum reportet indulgentiarum indultum? *Resp.* quòd non, nisi sit Duplex. Primum multoties est declaratum à S. Congregatione, etiamsi id in indulto non exprimatur. Ita Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. altare,* & *verb. Missa defunctorum.* Dian. Rotar. Secundum declaratum est à S. Congregatione 22. *Ianuarii* 1667. & 23. *Septembris* 1669. ne minuatur gratia concessa animabus, dum rubricæ obsunt in Duplici.

49. Utrum magis proficuum sit animabus Sacrum de Requiem, quàm de festo? *Resp.* Qualem quis Missam promisit, talem dicere tenetur: quia ex virtute fidelitatis tenetur promissionem de re justa & honesta adimplere, magisque de Requiem; quia quantùm ad preces & orationes, magis prodest defunctis, quàm aliæ, ut S. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 5. & alii Theologi communiter: quia ejus preces, ad animarum liberationem directè funduntur. In festis tamen Duplicibus, aut Dominicis, ac per consequens in illis diebus, in quibus festa duplicia celebrari non possunt (scilicet infra octavam Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, feriâ 4. Cinerum, & majori hebdomada) dici non possunt Missæ Votivæ, & de Requiem, sicut & infra Octavam SS. Corporis Christi, propter Decretum S. Congregationis 5. *Martii* 1603. Et durante expositione SS. Sacramenti, non potest dici aut cantari Missa de Requiem, licèt currat Officium hujusmodi Missas admittens. Ita ordinavit S. Congregatio 2. Decembris 1684. Ratio est quoàd Missas de Requiem in altari privilegiato &c. quia licetsi quoàd preces & orationes

Plus prodest animabus Missa de Requiem.

Quando celebrari non potest?

ones magis proficuæ sint, ut dixi; tamen devotione Sacerdotis, & ex intercessione Sancti de quo Missa dicitur, & cujus suffragium imploratur, hoc suppleri potest (m). Nec obstat promissio: quia intelligitur & intelligi debet, quatenus non obsunt Rubricæ. Ita Fraxinel. & alii. Attamen prædictis diebus (seclusô scandalô) dicere Votivam, aut de Requiem, plus non est quàm veniale. Ita Peir. Facund. Lezan. Unde

(m) Sylv. Sa. Facund. Dian.

50. *Missæ votivæ à Testatoribus relictæ, non sunt acceptandæ de cætero, nisi in illis diebus, in quibus secundùm regulas Missalis, celebrari possunt. De Missis verò jam acceptatis, petenda est à SS. D. Papa dispensatio, pro transferendo in dies in quibus liceat.* Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Missa.* Quare vide Rubricas Missarum.

51. Die verò quô non est Duplex, juxta intentionem dantis & promissionem suam, tenetur Sacerdos absolvere Sacrum, sive Votivam sive de Requiem. Ita colligitur ex *cap. Quidam de celebr. Miss.* & ex declaratione Sacræ Congregationis, quam adducit Lezana *verb. Missa.*

52. Sed v. g. Ioannes petit Missam celebrari Drohobicii in Parochiali Ecclesia de S. Angelo Carmelita, cujus Reliquia est ibi apud Carmelitas: potestne celebrari? *Resp.* Vel petitur à Carmelita, vel ab alio Sacerdote Celebratio? si à Carmelita, dubium non est, quòd ille, etiamsi non sit in ea Civitate Reliquia S. Angeli, potest (& non tantùm in ea Parochiali, sed & ubicumque, die non impedito Duplici) celebrare Votivam de S. Angelo: cùm sit pro Carmelitis Missa approbata, & nullibi prohibita. Vel petitur ab alio Sacerdote? Tunc sciendum est, vel asservatur insignis Reliquia, sive apud Carmelitas, sive in alia Ecclesia, in ea civitate? (insignis, scilicet caput, brachium, crus, aut illa pars corporis in qua passus est Martyr, modò sit integra & non parva, legitimèque ab Ordinario approbata): tunc in ea in qua talis Reliquia requiescit, potest quicumque Sacerdos de tali S. Martyre celebrare Missam; non tamen in alia Ecclesia, etiam de consensu Episcopi. Ita de Mandato Urbani VIII. Sacra Congregatio *die* 8. *Aprilis* 1628. ordinavit. Et si secùs est, quòd nec sit insignis, aut non approbata ab Episcopo Reliquia, à fortiori si non est, nequit ullus Missam (præter Carmelitam) de S. Angelo Carmelita dicere, etiam in eorum Ecclesia: sicut etiam Missam Rosarii, propter eamdem declarationem S. Congregationis *die* 8. *Aprilis.* 1628. sed potest dici & dicenda est vi promissionis, aut devotionis causâ, de communi. Ita Gavantus *in Rubr. tom.* 1. *p.* 4. *lib.* 17. Lezan. tom. 1. cap. 21. n. 26.

Reliquia principalis.

Quomodo Missa dicenda apud Regulares in festo Ordinis?

53. Eodem decretô Sacræ Congregationis nunc intimatô prohibentur Missæ pro vivis & defunctis S. Gregorii 15. Auxiliatorum, & de Patre Æterno. Non tamen prohibentur Missæ 30. S. Gregorii, ab ipso pro defunctis institutæ 4. *dialog. cap.* 55. ut dicantur per 30. dies continuos ab uno. Oratio propria in Missali, *DEUS qui nos Beati Gregorii &c.*

Quæ Missæ prohibentur.

54.

54. Unde Rotarius ex Gavanto dicit, eum non integrare institutionem Divi Gregorii, qui consequenter non dicit eas Missas, sed discontinuatè. Contra hos Lezana dicit: *ab uno sive pluribus successivè Sacerdotibus. tom. 1. cap. 21. num. 22.*

55. Sed quid quando occurrit Parasceve, & feria quinta in Cœna Domini, discontinuantes illas Missas? *Resp.* Pater Lezana: *Imò etiamsi ob rationabilem & honestam causam discontinuentur prædictæ Missæ, non perdent suum valorem; non solùm ut quædam Missæ sunt prout est certum apud omnes, sed etiam prout sunt tales Missæ, à Divo Gregorio institutæ*: quia sic est explicanda mens huius Sancti. Ita Lezana *loc. cit.* Bonacina *tr. 14. de celebr. Miss. resol.* 32. De Missis 30. S. Gregorii.

56. Missæ de Requiem possunt dici in Duplici, quod non est de præcepto; non quidem ad arbitrium Sacerdotis, aut petentis, sed ut impleatur voluntas defuncti. Ita Gavantus *in thesauro S. Rit. tom. 1. p. 1. lib* 5. Barbosa & alii. Imò in Dominicis & Festis de præcepto, Missa solemnis potest celebrari, quando corpus defuncti est præsens, & insepultum. In die autem Paschæ, & diebus primæ classis, non convenit hoc fieri, colligunt ex Rituali Romano Gavantus, Lezana *loc. cit.* De Requiem.

57. Adfero pro Capellanis aliquas declarationes Sacræ Congregationis, quas ex variis Authoribus collegit Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Capella*, & *verb. Capellania*, & *verb. Capellanus.* Quarum prima est: *Capellam obtinentem compellere non potest Episcopus, ut ipsemet celebret, licèt in ejus fundatione disponatur, quòd Capellanus celebret: nam istis oneribus Missarum, ritè per substitutum satisfit.* Extant etiam pro hoc Rotæ decisiones, apud eundem Barbosam *de Offic. & potestate Episcopi alleg. 24. num.* 29. Secunda est: *Capellæ fundatio si esset sub verbis Testatoris, quòd Capellanus deberet celebrare Divina officia noctu diuq; sicut cæteri faciunt, non inde infertur necesse, ut Capellanus debeat esse Presbyter.* Tertia: *Capellaniam habens non tenetur ad Sacerdotium, nisi in fundatione cautum sit, ut Capellanus per seipsum Missas celebret; sed debet curare ut per alium Missæ celebrentur: neque erit satisfactum oneri, si Missæ in alia Ecclesia celebratæ erant.* Nec personalē residentiā requirit, nisi aliter cautū esset. Quarta: *Capellani Sæculares Monialium, possunt ex gratia celebrare Missas occurrentes de Sanctis ipsius Ordinis, cujus est Monasterium, etiamsi ipsi non sint ejus Regulam professi.* Capellanus compelli nō potest.

58. An Sacerdos Regularis tenetur sub mortali celebrare in die festo ut populus Missam audiat, alias non auditurus ob carentiam Sacerdotis? *Resp.* negativè, etiamsi esset consecranda hostia pro moribundo. Ità quoad 1. Pellizarius; quoad 2. Donatus: patet ex praxi, quòd Regulares custodiant suos Conventus, non Plebanias relictas, devastatas. Si Re-

gulares obligarentur sub mortali, ad celebrandas Missas propter populum in pagis &c. minùs adhuc curarent Parochos Domini, quàm modò.

De Missa Conventuali.

59. Quid de Missa Conventuali? Utrum Prælati Regulares tenentur sub mortali, Missam Conventualem dicere, vel dici facere? *Resp.* quòd sic: *quia cap. Cum creatura ii de celebr. Miss.* sic dicit: *Mandamus, quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus & pro anniversariis defunctorum, & pro Festo vel feria, secundùm temporum congruentiam, Missarum solemnia conventualiter celebretis &c.* Non debet tamen illa Missa applicari pro populo, sive pro Benefactoribus vivis & defunctis, ut vult Rodriquez; quia oppositum declaravit S. Congregatio *die* 10. *Martij* 1681. nisi sit consvetudo applicandi, quæ non est introducenda, ubi non est, docet Diana cum Rotario. Utrum autem debet cantari hoc Sacrum Conventuale? deducit Donatus quòd debeat, ex Clementina ex verbis *psallatur Divinum Officium*, nomine cujus venit Missa Conventualis, quæ solet esse finis officiorum. Ego dico: spectanda est consvetudo, quæ est altera lex. Unde ubi est consvetudo cantandi Missas Conventuales, peccat Superior mortaliter, omittens sinè justa causa facere cantari Sacrum, docent Peregrin. Donat. & alii. Excusat tamen à mortali, licèt non à veniali Diana 3. *p. tr.* 2. *de Dub. Regular. resol.* 8. quod & ego puto, pro una & secunda vice, seclusô scandalô. Et licetsi feriis Quadragesimæ, quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, in quibus Festum novem lectionum occurrit, duæ Missæ sint celebrandæ, una scilicet de feria, altera de Sancto; non tamen omninò cantandæ in Ecclesiis Regularium, dempta obligatione fundationis. Imò adveniente rationabili causâ, ambæ legi sufficiunt: quia Decreta Sacræ Congregationis dicunt, *ut dicantur duæ*; non autem dicunt, *ut cantentur*. Ita Pejrin. *tom.* 3. *privil. cap.* 1. *num.* 19. Vericel. Donat. & alii. Ex Congregatione comprobo meum sentimentum, quòd Missa Conventualis legi præcipiatur, non cantari. Legenda, non cantanda est, seclusa consvetudine eam cantandi, aut fundatione fructifera.

De Ternario.

60. An Regularis Sacerdos sub mortali teneatur ad celebrandum Sacrũ ternarium? *Resp.* quòd non, nisi Regula aut statuta sub tali culpa obligent. Ita Pellizar. *tr.* 5, *cap.* 9. *q.* 7. Bonæ spei *n.* 99. *pag.* 162. Donat. *q.* 96.

61. Quis Sacerdos, quando teneatur applicare Sacrum pro populo? *Resp.* Ex Decreto Congregationis Concilii, emanato Romæ *Die* 10. *Maij* 1681. Parochi tenentur pro Parochianis Sacrificium applicare singulis diebus, si redditus pingues sunt; si verò tenues, saltem diebus festivis. Missa autem cantata in Collegiatis, & Conventualis in Monasteriis, ex nullo præcepto

cepto est pro populo applicanda; nisi adsit legatum tale, aut consvetudo, quæ non est introducenda. Ita Rotarius ut suprà.

62. Sacerdotes qui ordinantur ab Episcopo, dum celebrant cum eo, singuli applicare Missam possunt; quia singuli sunt causæ sufficientes totius sacrificii. Dum ordinatur Sacerdos potest applicare.

63. Casus est: Sacerdos multa stipendia pro Missis accepit, & expendit; restituere, aut alteri dare ut pro eo absolvat, non habet unde det; est valdè pauper; absolvere etiam ipse illa Sacra non potest; quia ratione Capellaniarum quotidie juxta intentionem Fundatorum, applicare obligatur: quæritur quid facere debet? *Respond.* Debet quotidie offerre sacrum pro eis, pro quibus offerre obligatur; pro aliis verò, pro quibus debitor est, & satisfacere nequit, debet etiam pro eis offerre Missam, juxta doctrinam datam hîc *num.* 9. & *ser.*3. *sect.* 2. *num.* 1. Deinde debet eisdem applicare fructum sibi celebranti debitum: insuper tenetur illis applicare opera sua satisfactoria; jejunium, orationes &c: ac denique debet audire Missas, applicando fructum iis, provenientem ex Sacrificio Missæ, sive ex Missa ipsa. Hæc omnia teste Lezana in simili consuluit Reverendissimus Stratius Nostri Ordinis Generalis. Casus.

Propositiones damnatæ ad hanc sectionem reducendæ.

Ab Alexandro VII. 8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimi fructûs, ipsimet celebranti correspondentem, hocq; post decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani, potest Sacerdos cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collatô illi minori stipendiô, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramentô firmata danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus, quàm per decem annos.

SERIES V.

Quò ad locum in quo celebrandum est Sacrum.

SECTIO I.

Quinam locus sit pro licita celebratione destinatus, aut destinari possit?

R*Espond.* & dico: Seclusô privilegiô & necessitate, non alibi nisi in Locus celebrandi.

in consecrata ab Episcopo, aut simpliciter ab alio benedicta Ecclesia, aut Capella, sive adjuncta Ecclesiæ sive seorsiva, publica, quæ habebatur aut habetur pro Ecclesia, qualis est Gedani Regia; non polluta aut interdicta, celebrandum est: *cap. Nullus de consecr. d.* 1. & Tridentinum *sess.* 22. *cap. de evitandis in celebr.* D. Resol. *in* 4. *d.* 10. *q.* 2. *a.* 1.

2. Explicatur & probatur: Dixi *seclusô privilegiô:* nam secùs dicendum accedente privilegio: & sic PP. Societatis ob privilegium Gregorii XIII. in Bull. *Usum altaris* eis concessum, possunt (non al ter tamen, quàm in Missionibus, quas faciunt ubique gentium, modò loca tuta sint, & honesta, de licentia Generalis aut Provincialis) Missæ Sacrificium celebrare; dummodo in altari viatico seu portatili. Similiter alii Religiosi Mendicantes per communicationem privilegiorum. Ita Pejrin. *tom.* 1. *Privil. Minim. in Constit. num.* 28. Lezan. & alii multi contra Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 81. *sect.* 3.

3. Extra Missionem verò, nec in domibus, privatis Oratoriis, & Capellis in eis domibus sive Aulis habitis, si Episcopus contradicat, celebrare valent: quia licetsi olim obtenta sunt multa privilegia celebrandi, pro Carmelitis Urbani V. & Sixti IV. *in Spec. Ord. fol.* 69. & 89. pro Prædicatoribus & Minoribus *cap. In his de Privil.* & pro Minimis Iulii II. in quocumque loco honesto, cum altari portatili ac viatico; hæc antiqua, jam per Trident. *sess.* 22. antiquata sunt *in Decreto de observand. & vitand. in celebr. Miss.* per sequentia verba: *Neque patiantur in privatis domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium peragi.* Ubi additur in fine: *non obstantibus privilegiis & exemptionibus.* &c.

Non facile danda licentia in Capella privata celebrandi.

4. Nec facilè Episcopi, erigenda Oratoria privata seu Capellas tales, in domibus privatis seu Aulis, concedere possunt: quia multi hanc potestatem in eis DD. non agnoscunt. de Rhodes *ex Epist. quadam* Pauli III. *ad Cardinales*, & Naldus *verb. Miss. n.* 31. & 32. Sacræ Congregationis declarationem adfert, non posse Episcopos dare licentiam, celebrandi in privatis Oratoriis; sed hoc spectare ad Sedem Apostolicam. At oppositum est in praxi, & pro hoc habetur Canon *de Consecr. d.* 1. *cap. Missarum* apud Doctor. Resolutum *loc. cit.* qui ibi dicit: *Potest tamen in loco non Sacro Missa celebrari, ex licentia seu permissione Episcopi.* Hoc idem docent communiter alii DD.

Non contradicente Episcopo.

5. Non contradicente autem Episcopo, possunt Regulares in domibus, Oratoriis, uti præfatis privilegiis: quia Tridentinum absolutè ea non tollit, hoc est non prohibet Regularibus; sed præcipit Episcopis, *ne patiantur ibi Sanctum hoc Sacrificium peragi.* Ita Lezana *verb. Altare num.* 13. Bonæ Spei *tr.* 4. *d.* 9. *num.* 106. Attamen hoc fieri debet sine præjudicio

Paro-

Parochialis Ecclesiæ, prout *in cap. In iis* declaratur. Ius autem Parochiale (ut habetur in quodam privilegio Gregorii IX. quod incipit *Nos attendentes*) circa tria consistit: scilicet oblationes, decimas, & primitias. Ita Lezana *ibid.* Sylvester *verb. altare.* Ioan. à Cruce & Noster Reverendissimus Stratius *in instruct. pro Carmelitis cap. 6. n. 8.*

6. Sæculares verò Sacerdotes, qui etiam non obstante prohibitione Episcopi, in domibus privatis celebrant, ostendere aliquod privilegium tenentur, quod nullum hucusque reperio in Authoribus; sed potiùs prohibitionem in Concilio Aurelianensi *cap. 3.* apud Burchardum *lib. 3. cap. 86.* Ivonem *p. 3. cap. 76.* apud Pannorm. *lib. 2. cap. 39.* invenio. Jam verò, sicut aliud est dicendum de inferiore quàm Superiore; ita de illis, quàm de Episcopo: Episcopus enim habet hoc privilegium, quòd iter faciens (n) in quocumque loco honesto celebrare potest. (n) de Rhodes.

7. In Oratoriis verò, quæ sunt intrà septa Monasterii, in dormitorio sive Conventu, infirmariis, possunt Regulares de licentia sui Prælati celebrare Missas, propter privilegia adducta: cùm quoad hoc non videntur esse revocata per Concilium Tridentinum locô adductô: cùm ibi solùm sit prohibitio, *ne in privatis domibus, omninò extra Ecclesiam, patiantur Episcopi Sanctum hoc Sacrificium peragi*: prædicta verò loca, nec sunt privatæ domus, nec omninò extra Ecclesiam; nam nomine Ecclesiæ, veniunt etiam Religiosorum Claustra ut colligitur ex *cap. Abbati §. hoc autem d. 54.* & *cap. Alma Mater de sen. Excom. in 6.* Ita Glossa *verb. Monasterium.* Rodriq. Pejrin. qui adfert Privilegium Gregorii XIII. concessum Societati Jesu *in Bull. Decet Romanum Pontificem* Anno 1575. scilicet, *quòd in Oratoriis & Capellis, quæ ipsius Societatis Provinciales per se, in domibus, Collegijs, & aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, & ad Divinum cultum deputaverint, Missæ & alia divina Officia celebrari possint.* Hôc privilegiô possunt etiam uti aliæ Religiones, propter communicationem privilegiorum. Ita Reginald. Pejrin. Lezana *tom. 1. cap. 21. num. 14.*

Regulares celebrare possunt intra septa in dormitorio.

8. Item valdè probabiliter dicendum de infirmis, quòd etiam contradicente Episcopo, possint in suis cameris celebrare (dummodo sint honestæ) dum exire non possunt, & dies solemnis adest, aut multæ obligationes urgent: quia prædictæ cameræ, non sunt domus privatæ, sed ad Ecclesiam pertinentes, ut jam dixi *num. 5.* hîc. Pro hoc etiam extat notabile Privilegium Pii IV. pro Canonicis Regularibus Sancti Salvatoris Lateranensibus: quod refert Peirin. *tom. 1. privil. Minim. num. 34.* ex Peregrino *in compend. privil. Congregationis Regularium tit. infirmi §. 2.* *Notabile*: nam concessum 18. *Maij.* 1565. post Concilium Tridentinum, & cum derogatione ipsius. Secùs dicendum de cameris sæcularium: quia sunt privatæ.

In cellis suis infirmi.

9.

In prædiis Monasteriorum.

9. Possunt (etiam contradicente Episcopo) Regulares Superiores, in prædiis Monasteriorum, erigere Oratoria, in iisq; Missas celebrare, cùm pro hoc sit Privilegium Gregorii XIII. *num.* 5. positum; & alia, quæ refert Rodriquez *tom.* 2. *q.* 75. *art.* 1. Ioannes à Cruce *conclus.* 2. Pejrinis *tom.* 1. *Privil. Minim. in constit. num.*30. & 31. Maximè favet Privilegium Alexandri VI. pro Cistercienfibus, de quo *in Bullario Rodriquez tom.* 1. *in Alexandri VI. Bullâ* 14. & ratio est: quia prædia Monasteriorum, non sunt domus privatæ: nam non sunt domus privatarum personarum, aut sæcularium, de quibus Concilium Trident. sed communitatum Religiosarum. Ita citati DD.

Omnes sub dio &c. celebrare possunt.

10. Necessitate urgente, non tantùm Regulares Privilegiati, sed & Sæculares quicumque, sinè licentia Episcopi, non tantùm in Oratoriis aularum, sed & sub dio seu sub aëre, aut in tentoriis, celebrare possunt: prout colligitur ex *can.*1. & *can. concedimus de consecr. d.*1. apud D. R. *loc. cit.* Et sic in exercitu (o), & in longo itinere, quando Ecclesia non occurrit post aliquot dies (p), vel Ecclesia multitudinem capere non potest. Ita communiter.

(o) Cõmuniter (p) de Rhodes.

11. In mari, ex Privilegio concesso Clementis VIII. & Pauli V. Lusitani in magnis navibus (alterô Sacerdote aut Diaconô calicem tenente, ad vitandum periculum effusionis) celebrant (q) quod tamen Dian. Hurtad. Trul. nolunt, nisi sit magna tranquillitas, sinè ullo tempestatis indicio. Possunt tamen in quacumque tempestate, & in quacunque parte maris, omnes quicumque Sacerdotes celebrare Missas siccas, ut habetur in Nostro cæremoniali *lib.* 2. *Rubricâ* 55: quia in illis nec consecratur, nec Sacrificium offertur; sed solummodo à Sacerdote vestibus Sacris induto, legitur Introitus, Epistola, Evangelium, & aliæ Orationes, ad navigantium consolationem. Imò in fine istius Rubricæ additur: *hôc etiam modô, Missâ sicca coram infirmis dici poterit, si pro devotione illam audire volunt; cùm Missa cum Consecratione, in eorum domibus non possit celebrari.*

(q) Lezana Bonæ Spei Facund. Henriquez. Portelius.

In Ecclesia non polluta.

12. Dixi *in Ecclesia, aut Capella* &c, *non polluta, interdicta, prohibita jure Ecclesiastico:* quod in ea, ob tale crimen in ea commissum, nec Sacrum, nec Divina Officia celebrentur. Et cùm hæc præcepta sint in re gravi, obligant graviter. Ita Laym. Suar. & alij. Non incurritur tamen per hoc censura aliqua v. g. irregularitas, cùm in nullo jure sit imposita. Ita immediatè citati. Et polluitur Ecclesia non tantùm consecrata, aut simpliciter benedicta; sed etiam nondum benedicta, dummodo fuerit ad Sacrificium destinata. Idem dicendum de Capella publica. Secus dicendum de Oratoriis privatis: Oratoria enim privata, non violantur per crimina ac casus recensendos infrà (r). Ratio est: quia lex Ecclesiastica, de Ecclesiis & cæmeteriis, non de Oratoriis privatis loquitur.

Quæ Ecclesia polluitur

(r) de Rhodes.

SECTIO II.

Quæ sunt crimina & casus, quibûs polluitur Ecclesia & cæmeterium?

1. **R***Esp.* Primus casus, est homicidium publicum intrà eam voluntariè, injuriosè commissũ, juxta *cap. Proposuisti de consecr. Ecclesiæ*, & *cap. Si motum de consecr. d.* 1.

2. Explicatur, probatur, & multi casus solvuntur. *Homicidium*: sive sit suspendium rei de mandato Judicis, quia est injuriosum loco Sacro; sive sit martyrium, *cùm sit sceleratiùs, justum & Sanctum occidere* quàm iniqvum, inquit Doct. Resol. *in* 4. *d.* 11. *q.* 1. *a.* 3. adhærens *d.* 23. *q.* 5. *cap. Si non licet.*

3. Et quia in lege exprimitur homicidium, & pœnalia non sunt extendenda, verberatio quâ ossa frangerentur, absque effusione sangvinis, dũmodo non sequeretur mors, non obesset celebrationibus Missarum (a). Et quia in lege dicitur *intrà eam*, non polluitur Ecclesia per hoc, si quis supra tectum aut sub Ecclesia occidatur, aut ubicumque extra eam vulneretur, in Ecclesia moriatur (a): *in sum. Confess. tit. de consecr. q. quid si in Ecclesia.* Ratio est Doct. Resoluti: *quia hæc extra Ecclesiam committuntur.* Secùs è converso, *si aliquis in Ecclesia vulneratus, extra moriatur* (a): *quia ictus vulnerum attenditur*, habetur *de Clerico percussore cap.* 2. *de consecr. Ecclesiæ.* Imò *si aliquis ante Ecclesiam occisus, mox intra Ecclesiam infertur, occisor verò vel alius, mortuum fore non credens, corpori adhuc calido plagam infligit, ex qua sangvis fluit, reconcilianda est Ecclesia: tum propter horrorem & abominationem, tum propter violentiam, & peccandi voluntatem, & injuriam quæ ipsi cadaveri irrogatur. FF. de sepult. viol. l.* 3. §. *non propè*, & §. *adversùs ideo.*

4. Et quia additur *voluntariè*, propterea etiamsi intrà Ecclesiam committatur homicidium, si involuntariè (ut contingit in amentia, aut ebrietate, quæ sunt involuntaria b), aut casu quis lapide vel lignô cadente, vel fulmine, in Ecclesia occiditur (quia non factum est homicidium propriè (c) *de consecr. Eccles. si Ecclesiam*) non obest celebrationi Missarum; aut voluntariè, sed non injuriosè (ut contingit ex pura defensione d) tale homicidium non violat Ecclesiam: *Vbi non est voluntas mala hominis ad aliquam violentiam, non est necessaria reconciliatio*, inquit Ostiensis. Et quod alii omittunt, Dico: debet esse publicum (d), factô aut manifestatione: quia *nisi publicum per famam*, non impedit celebrationem Missæ *cap. significasti de adulteriis.* Ita Ostiensis *in Glossa quadam*, & ponitur in *sum. Confess.* Dicit tamen in summa, *quod tutiùs videtur quòd reconcilietur, etsi non sit publica fama, propter confusionem peccatoris: sed ita cautè hoc fiat, ne etiam signô pœnitentia denudetur.*

(a) D. R. l. c. Bonæ Spei & alij.

Solvuntur casus.

(b) Lezana.

(c) Gvido cap. Ecclesia de Consecratione.

(d) D. Resolutus Lezana Bonæ Spei.

Violatio Ecclesiæ debet esse publica.

5.

5. Secundus casus, est effusio sangvinis humani intrà Ecclesiam, graviter injuriosa & publica: *cap. Si Ecclesia de consecr. Ecclesiæ* (d).

6. Explicatur & probatur. Quia dicitur *effusio*, debet esse copia sangvinis, non aliquot guttulæ; cùm sic potiùs stillatio quàm effusio esset. *Intrà Ecclesiam*: etiamsi ex vulnere non incipiat fluere sangvis, nisi post Ecclesiam, *cap. 2. Extra de Clerico percussore.* Doctor. Resol. & alii communiter. Requiritur ad violationem Ecclesiæ, ut illa effusio sit injuriosa: quia caput citatum loquitur de sangvine humano injuriosè effuso, dicit Doct. Resol. *loc. cit.* Attamen quòad effusionem injuriosam ex naso copiosam, controvertunt DD. Negant illâ pollui Ecclesiam, Diana, Marchino, Emansa; eò quòd nasus sit organum nimiùm facile ad effusionem sangvinis. Alii verò communiùs affirmant, excipiendo pueros rixantes: cùm in eis non sit graviter peccaminosa effusio. Ita tenent Grassius, Bonacina, Octavius & alii. Effusio naturalis, casualis, non violat Ecclesiam.

(e) Lezan. v. Eccles. n. 12 & Card Lugo de Sacr. Euch. d. 29 n. 55.

7. Tertius casus, est effusio seminis sive viri sive fæminæ (e) intrà Ecclesiam, illicita, seu voluntaria; modò sit manifesta: *cap. unico de consecr. Eccl. in 6.* & *cap. Ecclesiis de consecr. d.* 1.

(f) Lezana Bonæ Spei.

8. Explicatur & probatur. Per effusionem excluditur stillatio, sive modica humectatio (f). Additur *illicita*: nam si per somnum emittitur, talis non obest; secùs voluntaria, quomodocumque fiat, sive per actum adulterii, sive per fornicationem, sive per simplicem pollutionem, sive aliter: reconcilianda est Ecclesia. De copula conjugali dicendum (ut ipse Doct Resol. *loc. cit.* cum Gvidone dicit) *quòd licèt in Ecclesia regulariter non debeat reddi uxori debitum, ut jura loqvuntur, regulariter* 31. *d. quoniam* & 33. *q.* 4. *cap. penultimo; si tamen petat & reddatur, non cōmittitur illicitum.* Lezana addit: *propter necessitatem, & probabile periculum incontinentiæ.* Additur etiam quòd debeat esse *manifestata*, propter datam rationem suprà. Cavendum tamen, ne manifestetur; quia tunc violata censeretur Ecclesia, juxta communem sententiam Doctorum.

De copula conjugali in Ecclesia.

9. Quartus casus, est sepultura excommunicati vitandi, juxta *cap. Consuluisti*; idem dicendum est de Clerici publico percussore: quorum corpora, sunt ante reconciliationem extra Ecclesiam proijcienda, juxta *cap. Sacris de sepult. si ab ossibus fidelium discerni possunt: alioqui si discerni non possunt commodè, meliùs est relinquere ipsa, unà cum ossibus fidelium, quàm ossa ipsorum fidelium exhumari.* Ita Doct. Resol. adferens pro hoc caput *Super quodam*, & *de sepulturis Sacris.*

(g) Bonæ Spei Diana & alii

10. Casus quintus, est sepultura pagani, seu infidelis, non baptizati: juxta *cap. Ecclesiam* 1. & 2. *de consecr. d.* 1. Comprehende sepulturam parvulorum non baptizatorum (g), quorum Parentes sunt baptizati; quid-

quid

quid dicat Ugolinus: nam tales parvuli, sunt saltem negativè infideles, hoc est non habentes fidem habitualem. Secùs dicendum de sepultura parvulorum, in utero Matris mortuorum, dum Matres mortuæ cum eis sepeliuntur (h), *nam fœtus pars viscerum est*, dicit Hugo; & de sepultura Catechumenorum, si præsumantur decessisse cum Baptismo flaminis. Idē etiam dicendum de sepultura Hæreticorum, non declaratorum excōmunicatorum, juxta cap. *Omnis utriusque sexûs* de pœnit. & remiss. (i): *quia ob fidem in Baptismo acceptam, nomine fidelium veniunt.*

(h) Ostiensis Doct. Resolutus Bonæ spei.

(i) Bonæ Spei d. 9. de Sacr. Miss. d. 7. n. 110. Lugo l. c. num. 47. Donat. de sepult. q. 39. Oppositum tenet Lezan. de sepult. n. 23.

11. Sextus est (quem adfert Ostiensis *tit. de celebr. Miss.* super *cap. Consuluisti*) Si Ecclesia vel cæmeterium, vel aliud quodcumque Sacrum, ab Episcopo publicè excommunicato, consecretur vel benedicatur; procul-dubio talia reconciliatione indigent, antequam fideles utantur talibus, tamquam Sacris. Rationem dat ibi: *nam si corpus excommunicati mortui, Ecclesiam vel cæmeterium execrat, & necessaria est reconciliatio* (ut dicit *cap. Consuluisti*); *multò fortiùs, ubi ista consecratio perficitur per os & manus excōmunicati. Secùs tamen in Sacramentis, quæ intrinsecùs operantur.* Ita ille in Glossa ibi. Sed hoc non videtur Lezanæ verbō *Ecclesia num.* 12. Layman *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 5 *num.* 6.

12. Septimus casus est, *si funditùs est destructa & de novo reparata Ecclesia; sive ex iisdem lapidibus sive ex aliis* : *de consecr. d.* 1. *de fabrica.* Et ratio est, inquit Doctor Resol. *in* 4. *d.* 10. *q.* 2. *art.* 2. *in his duobus casibus : quia Consecratio Ecclesiæ, maximè consistit in unctione exteriori, & conjunctione, & dispositione lapidum, de consecr. Eccles. Si Ecclesia. Secùs autem esset, si parietes non funditùs, sed successivè essent mutati : tunc enim non esset reconsecranda, vel reconcilianda : de consecr. d.* 1. *Si motum.* Ita similiter, si exusta est Ecclesia, & nova ædificetur. Secùs *si solummodo tectum, vel aliqua pars Ecclesiæ combusta est, & parietes manent integri; non est consecranda.* Si Ecclesia diu absque tecto & januis, spurcitiis animalium hominumq; locus diversorii passim patuerit, talem Ecclesiam reconciliari, fore honestum, sed non necessarium, dicit Gvilelmus *tit. de Consecr. Eccl.* apud Doctorem Resolutum *loc. cit.*

13. Quid si major pars Ecclesiæ combusta aut destructa sit ? *Resp.* Si major pars parietum sit destructa, ita ut de novo ædificari debeat; est reconcilianda Ecclesia illa, *cap. Ecclesiis de consecr. d.* 1. & *cap. Ligneis de consecr. Eccles. vel altaris* (k). Ad hæc animadvertenda nonnulla:

(k) Lezana

14. Primò, quando violatur Ecclesia, violatur cæmeterium ei contiguum, non è contra. Ratio est Doct. Resol. *quia accessorium, non trahit ad se principale* : *in* 6. *tit. de consecr.* c. 1. Secundò quando violatur Ecclesia, violantur & Capellæ ejus, & è contra : quia capellæ, sunt partes Ecclesiæ. Ita Suar. Layman. Idem dicendum de choro, propter eamdem ratio-

Quando violatur capel-pella ?

(l) Naldus verb. Euch. num. 29.

rationem. Lezana ibidem. Secùs dicendum de Sacriftiis, cameris (l): quod idem intelligo de Capellis, choro, quæ non ſunt in Eccleſiis; niſi ſint illæ, quæ erant, aut habentur pro Eccleſiis. 3. quòd licèt ad violationem Eccleſiæ in tribus prioribus caſibus requiratur actio culpabilis, ut dictum eſt; in caſibus tamen poſterioribus, non eſt neceſſaria culpa, ſed ſufficit factum ipſum. Ita Layman ſuprà. 4. quòd Eccleſia vel cœmeterium occultè violata, quamdiu violatio eſt occulta, non indigeant reconciliatione: quare poteſt in illis celebrari. Ita Oſtienſis, Doct. Reſol. Navar. Lezana. Requiritur ergo ut res manifeſta ſit, vel per facti evidentiam, vel juridicam confeſſionem, vel probationem. Imò P. Bonæ Spei. *d.* 9. *de Sacrif. Miſſæ dub.* 7. *num.* 110. docet, quòd ſicut excommunicatus, non eſt vitandus ante denuntiationem Iudicis, ita Eccleſia non eſt cenſenda violata, ante declarationem Judicis: cùm violatio, ſit veluti cenſura, & Eccleſiæ excommunicatio. Ita & Diana poſt multos *p.* 6. *tr.* 6. *reſol.* 27. Sed oppoſitum probat Romana praxis, ubi ante ſententiam Judicis, dum factum incipit eſſe notum, reconciliatur Eccleſia. Ita Lugo *de Euchariſt.* Lezana & alii. Unde ad quæſtionem, utrum per celebrationem Miſſæ bona fide factam in Eccleſia polluta, ſit Eccleſia reconciliata? *Reſp.* quòd non: aliàs etiam non eſſet jam neceſſaria conſecratio hujus Eccleſiæ nondum conſecratæ. Oppoſita ſententia quidem eſt probabilis, hæc tamen tutior, dicit P. Lezana.

15. Quid ſi tempore Miſſæ polluatur Eccleſia? *Reſp.* Vel tunc nondum Sacerdos incepit Canonem? Recedere debet ab altari. Vel jam incepit Cnonem? Continuare tenetur usque ad ſumptionem incluſivè; reliqua verò finire in ſacriſtia. Ita communiter DD.

SECTIO II.

Quomodo debeat Eccleſia, aut cæmeterium pollutum, purificari?

Conſecratio & ſimplex benedictio.

I. Ante reſolutionem præmitto, differentiam eſſe inter ſimplicem benedictionem, & conſecrationem, *quòd conſecratio ſit cum oleo Sacro, vino, & cinere, (cap. Propoſuiſti de conſecr. Eccleſiæ) & cum Miſſa,* ut dicit Oſtienſis *tit. de Conſecr. Benedictio verò ſit ſinè oleo, & Miſſa, ſinè vino & cinere.* D. R. *in* 4. *d.* 10. *q.* 2. *a.* 3. Hôc præmiſsô

Eccleſia polluta quomodo reconcilianda?

2. Dico: Eccleſia polluta, vel eſt conſecrata, vel non conſecrata, ſed ſolùm ſimpliciter benedicta? ſi non conſecrata? Talis polluta poteſt à quocumque Sacerdote ſimplici, aqua luſtrali, ſeu communi benedictâ, reconciliari. Ita docent DD. D.R. ſuprà, Sylveſter *verb. conſecratio* 2. *q.* 4. & 5. Sotus *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *a.* 3. Navarrus *in manuali cap.* 27. *num.* 256. Avila *de cen-*

ſuris

furis p.5. d.7. dub.4. Barbosa *de potestate Episcopi allegatione 28. num.87.* Lezana *loc. cit. num.* 15. contra Toletum.

3. Deducitur hoc ex cap. *Si Ecclesia non consecrata, cujuscumq; semine fuerit aut sanguinis effusione polluta, aquâ protinus exorcizatâ lavetur, ne divinæ laudis organa suspendantur:* illud enim *aquâ protinus exorcizatâ lavetur,* satis denotat, non esse expectandum ad id Episcopum, aut quòd aqua ab ipso benedicatur, aut benedicta mittatur. Decentiùs tamen est, ut sic per Prælatum reconcilietur, si hoc fieri commodè potest, ut statim videbimus. Imò & quòd de eadem re admoneatur Episcopus, prout consvetum esse refert Layman *suprà num.* 2. § *addendum* 3. Nisi casus esset quòd Ecclesia pollueretur inceptâ Missâ: tunc enim poterit ab ipsomet celebrante reconciliari, docent Suar. Laym. Lezana suprà. Aqua?

4. Si verò Ecclesia polluta, est consecrata, seclusô speciali privilegiô, & licentiâ Summi Pontificis, non potest reconciliari nisi per ipsum Episcopum, aquâ ab ipso solo, cum vino & cinere benedictâ. Ita Doct. Resol. *in* 4. *d.* 11. *q.* 1. *a.* 3. colligit ex *cap. Aqua, de consecr. Eccles.* quem sequitur Lezana & alii multi. Ratio est in eo capite: *quia licèt Episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt, quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest Clericis inferioris Ordinis demandare, secundùm Ostiensem in summa tit. de consecratione.*

5. Dixi *seclusô privilegiô &c:* quia Leo X. in Bulla *Religionis honestas* concessit Generalibus, Provincialibus, Vicariis, Custodibus, & Gvardianis Ordinis Minimorum, ut possint Ecclesias suas *quoties opus fuerit* (inquit Pontifex) *aquâ per vos (præsertim in locis remotis, ubi Episcopum aquam benedicentem, per duas dietas distantem adire non poteritis) benedictâ, reconciliare liberè & licitè.*

6. Dieta continet viginti milliaria (puta Italica) seu circiter septem leucas, prout colligitur ex Glossa *in cap. Nonnulli, de rescript. verb. duas dietas.* Miranda, Barbosa.

7. Dices: Barbosa *in collectan. Bullar. verb. Ecclesia* & *verb. Episcopus,* adfert declarationem Sacræ Congregationis in una Placentina 19. *Maij* 1607. Secundam *Maij* 19. 1617. in qua habetur: reconciliationem Ecclesiæ pollutæ, non posse fieri per simplicem Sacerdotem, sinè licentia Sedis Apostolicæ. *Resp.* has declarationes intelligi de Ecclesia consecrata, ut dixi; non de simpliciter benedicta. Pro discursu & solutione.

8. Promovebis oppositum: In alia Galtillensi 24. *Septembris* 1606. conceditur Vicario Generali, in absentia Episcopi; & in alia Rothomagensi 23. *Iulij* 1601. dicitur: id committi posse Abbati seu Decano, vel Sacerdoti in dignitate constituto. *Resp.* Sed additur ibi, *aquâ priùs tamen per Episcopum benedictâ:* per quod sufficienter intimatur, sermonem esse de

Ecclesia consecrata, ut dixi; non de non consecrata, ut aliquid fit contra propositum nostrum. Nec obest, quòd in alia Rhemensi 9. *Maij* 1609. conceditur reconciliatio Ecclesiæ non consecratæ, cuidam Archidiacono; & in alia Hydruntina 15. *Decembr.* 1632. id videatur committi Vicario Capituli. Nam decet ut aliquis Prælatus hoc faciat, ut dixi. Ita solvit Lezana *verb. Ecclesia num.* 17.

Eisdem casibus cæmeterium quibus Ecclesia polluitur & reconciliatur.

9. Quòd cæmeterium, sicut eisdem casibus polluitur quibus Ecclesia, ita eisdem reconcilietur, extant de eis duæ declarationes Sacræ Congregationis. Una Cameracensis 9. *Februarij* 1608. *Hujusmodi cæmeterii Consecrati reconciliatio, non est committenda alteri quàm Episcopo; Presbytero autem in Ecclesiastica dignitate constituto, committi potest simplex benedictio cæmeterii.* Secunda Pratensis 21. *Iulii* 1632. *Cæmeteria consecrata, non nisi per Episcopum reconciliari possunt.* Inferes: Ergo à Regularibus Prælatis cæmeteria consecrata (à fortiori Ecclesiæ) reconciliari non possunt. *Resp.* hanc declarationem intelligi, seclusô speciali privilegiô Papali: cùm in ea non dicatur, *non obstantibus quibuscumque.*

10. Notandum ex D. R. *loc. cit.* differentiam esse inter celebrationem in loco polluto, & loco interdicto, quòd celebrans in Ecclesia polluta, non fit irregularis, sed in interdicta. Et hæc est opinio Innocentii III. *in* 6. *tit. de sentent. excom. Is qui*, ubi expressè id habetur. Nisi super hoc privilegiatus existat. Sed de hoc infrà. Nunc sit

SERIES VI.

Quòad Tempus.

SECTIO I.

Quoties celebrandum?

(a) Sylv. verb. Missa. Sotus in 4. d. 13. q. 1. a. 10. Lezana tom. 1. c. 21. num. 1.
(b) de Rhodes.

I. RESP. & dico 1. Omnis Sacerdos legitimè non impeditus aliquâ censurâ Ecclesiasticâ, aut infirmitate, aut aliâ justâ excusante causâ, Regularis per se ordinariè (a) ob vitandum scandalum, & propter stipendia accepta; Sæcularis verò habens beneficium, per se vel per alium, toties, quoties subditi Missam audire tenentur (b); Capellanus aliusque, respectivè ad suas obligationes fundationis, erectionis, habitas; alii verò Sacerdotes quicumque, vi Sacerdotii saltem quater in anno, maximè in solemnioribus festivitatibus, quibus Laici communicant, per se celebrare tenentur: juxta *cap. Dolentes de celebr. Miss.* quod arguit Sacerdotes delicti, qui vix quater in anno celebrant. Ita Chameroта, Navarrus, Reginaldus, Miranda, Stephanus à S. Paulo & alii.

2. Dico 2. Præter diem Nativitatis (in qua cuilibet Sacerdoti licet tria Sacra celebrare) licitum est diebus festivis, de licentia Episcopi, Parochis duas

duas Parochias habentibus, propter raritatem Sacerdotum vel paupertatem Ecclesiarum bis in die celebrare. Ita D. R. *in* 4. *d*. 9. *q*. 1. *a*. 2. Ostiensis & alii. Ad quod adducitur *summa confes. lib*. 3. *tit*. 34. *q*. 126. Sed spectanda est consvetudo, ac praxis Diœcesis. Ita D. R. post ipsum Lugo, Suarez, & alii.

3. Quare non est admittendum, quòd Sacerdos possit secundum Sacrum celebrare, in ordine ad consecrandam hostiam pro moribundo; aut illud applicare pro recenter defuncto.

SECTIO II.

Quonam die, & quâ horâ licitum sit celebrare?

1. RESP. & dico 1. Omnis Sacerdos legitimè non impeditus censurâ Ecclesiasticâ, aut aliqua infirmitate (ut sunt vertigo capitis, dispositio ad vomitum &c.) potest in Ecclesia ubi asservatur Sanctissimum Sacramentum, celebrare quacumque die, exceptô absolutè die Parasceves, & respectivè Sabbatô Sanctô. Impedimenta celebrandi.

2. Explicatur & probatur. Dico *in Ecclesia ubi servatur SS. Sacramentum*: nam quò ad feriam 5. in Cœna Domini, declaravit Sacra Congregatio in una Neapolitana sub die 24. *Iunii* 1659. non licere celebrare in Ecclesiis, in quibus non servatur SS. Sacramentum (a). Item in Oratoriis privatis in Natali Domini, Epiphania, Sabbatô Sanctô, prima die Paschatis, Pentecostes, Annuntiationis, Assumptionis B. M. V. in festo SS. Apolorum Petri & Pauli, in Solemnitate Omnium Sanctorum, Sacrum celebrari prohibuit 17. *Novembris* 1607. (a) Rotarius — Quibus festis non licet celebrare in Oratoriis aularum?

3. *Exceptô absolutè Parasceves die*; cùm de eo extat prohibitio per *cap. Sabbato*, & quidem sub peccato mortali. Potest tamen illa die dari cômunio infirmis, ex declaratione Cardinalium.

4. Et *respectivè Sabbatô Sanctô*: quia illa die licèt non possit quilibet dicere Missam lectam, potest tamen ille vel ille cantare eam, si ei commendetur cantanda: nam Decretum Sacræ Congregationis emanatum sub *die* 11. *Martii* de Anno 1690. est in hæc verba: *Prima in reliquis remanente prædictô Decretô die* 11. *Februarii, nempe quòd in Sabbato Sancto celebrationes Missarum privatarum, omninò prohibeantur in quibuscumque Ecclesiis & Oratoriis privatis, non obstante quacumque contraria consvetudine: & unica tantùm Missa Conventualis, unà cum Officio ejusdem Sabbati Sancti celebretur.*

5. De feria 5. in Cœna Domini controvertunt DD. utrum possint dici ea die Missæ privatæ? Communior tamen est sententia, quòd plures Sacerdotes in Cœna Domini, ex justa causa, sive publicè (seclusô scandalô), sive privatim (quod tutius est), dummodo sinè præjudicio Ecclesiæ Pa- De Missi Cœnæ Domini controversia

rochialis, & de licentia Parochi sive Rectoris Ecclesiæ ejus, possint Missas celebrare. Nec obest (dicunt hujus sententiæ defensores) Rituum Sacræ Congregationis opposita decisio; cùm non sit usu recepta. Attamen congruentiùs est, ut ea die unus celebret cantatam Missam, Cæteri de manu ejus suscipiant Sacram Eucharistiam, tamquam de manu Christi, ad imitationem Apostolorum.

Tempus celebrandi Sacrum.

6. Dico 2. Tempus in quo ordinariè (seclusâ consvetudine) licitè celebratur Sacrum, juxta Regulas Missalis à Pio V. approbatas, incipit ab Aurora, & durat usque ad meridiem ipsum circiter.

(b) Rotarius.

7. Spatium autem quô antecedit aurora ortum solis, secundùm multorum opinionem, est spatium unius cum dimidio horæ (b). Sed notandum, quòd aurora non in æquali cursu sit cum sole: nam aliquando præcedit horâ & quadrante, ut in Martio; aliquando duabus horis & quadrante, ut mense Iulio; aliquando sesquihorâ, ut Februario.

Etiam pro Mendicantibus.

8. Multa privilegia pro Mendicantibus adferuntur; sed his temporibus qvò ad hoc, jam non valent: nam Sacra Congregatio declaravit, *quòd ante diem, & horis indebitis, celebrare non liceat, etiam vigore privilegiorum ante Concilium Tridentinum concessorum.* Concessio autem quæ à Gregorio XIII. facta est pro Jesuitis, parum aut nihil continet privilegii, dicit P. Lezana *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 2. Rodriquez *t.* 1. *q.* 43. *a.* 2. *ad* 5.

9. Unde juxta communem sententiam, quicumque Sacerdos potest ante Auroram uno & altero, imò juxta Bonacinam & tertio quadrante inchoare Missam; similiter post meridiem tardiùs: tamen ad horam protrahens, aut anticipans, secundùm plures peccat mortaliter: sicut enim spatium horæ sufficit ad contrahendum mortale peccatum, quoties opera servilia in die festo exercentur; ita si quis per horam post meridiem expectat, & non inchoat Sacrum (c), aut horâ anticipat auroram, seclusa consvetudine, necessitate, aut speciali privilegiô: de quibus statim.

(c) Bonacina.

10. Addidi *ordinariè seclusa consvetudine:* nam spectata consvetudine aliter est dicendum: & sic ubique in die Nativitatis Domini potest dici Missa circa mediam noctem; dummodo saltem consecratio non sit ante mediam noctem (d), & idem Sacerdos non celebret alias duas successivè post eam cantatam, nec in eis exhibeat communionem fidelibus, illam petentibus, juxta decretum Congregationis Sacræ *die* 7. *Decembris* 1641. & de anno 1653. *die* 9. *Augusti.* Item in Gallia, Germania, Belgio, Polonia, hyemis tempore, Missæ celebrari solent tribus vel quatuor horis ante solis ortum: monstrat hoc praxis. Item urgente necessitate, g. v. quia est consecranda hostia pro moribundo; tunc quicumque Sacerdos potest propter hanc causam celebrare Missam, docent Laym. Vasq.

(d) Rotarius.

Vi consvetudinis aut necessitatis ante aurorâ 3. vel 4. horis.

Vasqv. Diana & alij. De licentia Episcopi quicumque, aut de licentia sui Prælati Regularis, quando est necessariò itinerans ipse, aut alius petens ob similem causam Sacrum (quia dies festus est), potest similiter anticipare: nam Sacra Congregatio revocans privilegia Regularium, quò ad hoc ac talem casum non videtur revocasse; sed solùm quò ad libertatem & abusum. Similiter de meridiano tempore dicendum, cùm sit par ratio. Et sic ex adveniente justè excusante causa, v. g. tardè inchoatur devotio expectando populum, postea adest magnus concursus, Concio, & Processio solemnis, longa, Sacerdotum multitudo, sive ex consvetudine, (prout in Polonia) retentâ in solemnioribus funeribus, ubi magnus fit Sacerdotum concursus, aliquando ad duas horas post meridiem & ultrà, licitè protrahitur celebratio Sacrorum; illicitè tamen post tertiam: quia Pius V. in sua Bulla quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater*, prohibet in virtute S. Obedientiæ, ne quis sub pœna perpetuæ suspensionis à Divinis, præsumat quovis prætextu, etiam licentiarum, in vesperis celebrare.

11. Et si ratione itineris occurrat in die Festo tardiùs ad Ecclesiam pervenire, poterit itinerans celebrare aliquo tempore post meridiem. Ita Lezana *tom. 1. cap. 21. num. 2.* Vasquez *n. 37.* Laurentius Pejrinis *de Privilegiis.*

SERIES VII.

Quòad modum celebrandi.

Qualiter hoc tremendum Sacrificium celebrandum?

1. Imprimis quòd debeat Sacerdos esse jejunus, non suspensus, non excommunicatus aut irregularis, nec cum conscientia peccati mortalis alicujus celebrare, jam dixi. Similiter ut habeat intentionem celebrandi, applicandi, *hâc distinctione* & *anteriore*; pluraque quò ad modum celebrandi spectantia explicui. Nunc alia illis adjungo, & claritate quâ possum propono.

2. Primò, quòd Sacerdos debeat se præparare aliquibus precibus ad celebrandum, & colligendum animum pro reverentia tanti Sacramenti. Quare licèt ex justa causa licitum sit dicere Missam non dictô Matutinô, quia id concessit Iulius III. (a); tamen qui id facit sinè justa causa, non excusant eum à veniali, Lezana *tom. 1. cap. 21. num. 3.* Sotus, Laymañ & alii: quia in Missali Sacerdos monetur, ut priùs recitet Officium. Imò Gavantus, Henriquez & alii dicunt, talem peccare mortaliter. Sed sinè fundamento, cùm nullibi reperiatur tam grave præceptum, sub comminatione mortis æternæ.

(a) Steph. à S. Paulo d. 13. n. 77.

3. Causa sufficiens esse potest, officium pietatis erga proximum exer-

cen-

cendum, puta ire cum Viatico ad infirmum, audire confessiones, catechizare: maximè adimpletio obedientiæ, quando Prælatus jubet inferiorem hîc & nunc exire cum Sacro propter populum: hæc enim opera, sunt dispositiones & præparationes ad celebrandum. Unde bona est talis præparatio: *Domine DEUS etiamsi ego flem, & me parem ad diem judicii, semper tamen indignus sum; accedo ergo ad tantum Sacrificium ex obedientia, in unitate obedientissimi Christi, quia tu per Superiorem jubes me venire ad te & consecrare &c. &c.*

Extra altare lapideum celebrare est mortale; & quotuplex est altare.

4. Secundùm *cap. Altari de consecr. d.* 1. omninò necessarium est altare lapideum fixum, aut portatile sive portabile, consecratum, non execratum: quia dicto capite graviter prohibetur Sacerdoti, ne extra illud tale consecret hostias: quare secùs faciens, peccat mortaliter. Altare fixum seu stabile, aliquando est consecratum, communiter non; altare verò portatile, quod aliter nuncupatur *viaticum, tabula consecrata, ara Sacra*, ordinariè est consecratum: nam licèt sinè hoc, si illud est consecratum, possit Missa celebrari; secùs tamen, si illud non est consecratū.

Quando execratur altare fixum?

5. Execratur verò altare fixum, sive amittit consecrationem, si separetur à pedibus quibus nititur, seu si ille lapis principaliter contractus in altari, fit motus à conjunctione lapidum, cum quibus compaginatur, & constringitur in altari: consecratio enim altaris fixi, in illa conjunctione intelligitur, dicit Raymundus, & Doct. Resol. *in* 4. *d.* 11. *q. unic. a.* 1. *coll.* 3. Quare non tantùm execratur, quando ille lapis penitùs destruitur, vel enormiter læditur; *sed etiam si aliquis de lapidibus stipitis tangens mensam illam, esset motus.* Doct. Resol. & hoc habetur *can. Extra de consecr. Eccles. cap. Ad hæc.* & *cap. Quod in dubiis.*

6. Si totum altare sinè motione juncturæ quæ adhæret stipiti, artificiò moveatur de loco ad locum, vel eôdem locô in circuitu, & sursum vel deorsum, non execratur ob hoc altare, dicit idem Doctor.

Quando polluitur Ecclesia polluitur & altare fixum.

7. Licèt quando polluitur Ecclesia polluatur & altare fixum, quia violatâ Ecclesiâ, violantur altaria (b); non tamen execratâ Ecclesiâ, execratur altare eô ipsô: *quia alia est consecratio Ecclesiæ, & alia altaris; & sæpè fit hæc sinè illa, & è converso*, dicit Doctor Resolutus *loc. cit.* Unde si comburatur Ecclesia, aut evertantur parietes, & altare integrum remaneat sinè motione juncturæ & fractione enormi, non amittit consecrationem. Addidi *altare fixum*: nam pollutâ Ecclesiâ, non polluitur altare portatile, quod potest accipi ad celebrandum. Ratio est: quia hoc altare, cùm sit portabile & mobile, non habet tantam connexionem, quantam habet fixum, cum Ecclesia; ac proinde non violatur, licèt violetur fixum. Ita Lezana suprà.

(b) Panormitan. Sylvester Lezana verbo altare fixum.

Pollutâ Ecclesiâ non polluitur altare portatile. Quando altare portatile execratur?

8. Altare portatile, execratur per enormem fractionem, ita ut non remaneat

maneat tantum in eo spatium sinè scissura, quod hostiam cum pede calicis capere possit. Ita Lezana, Petrus à S. Ioseph & alij communiter. Imò & parvas hostias consecrandas, capere debet; cùm sint eadem victima. Lugo. Item execratur quando anguli ipsius in quibus Chrisma ponitur, franguntur, dicit P. Lezana *verb. altare num.* 22. Item tunc, quādo locô movetur repositorium reliquiarum. Ita declaratum est à S. Congregatione 5. *Martii* 1603.

9. Pro reverentia altarium sunt aliquæ decisiones Sacræ Congregationis. Prima: Non esse consecranda altaria, sub quibus recondita sunt cadavera mortuorum. Gavantus *in manuali Episcop. verbô altare num.* 9. Secunda apud eundem *verb. sepultura num.* 6. Cadavera non reponantur sub altaribus, neque sub gradibus. Tertia: Quòd in iis altaribus non celebrandum, in quibus, in medio aut superiùs continentur cadavera sive Lajcorum, sive Clericorum; de hoc Naldus *verb. Missa num.* 33. Quarta, approbante SS. D. N. Urbano, ponitur in initio Missalis Romani novi, scilicet: *quòd paramenta non debent sumi de altari pro celebratione Missarum, cùm id competat tantùm Episcopis, sive solemniter sive privatim celebrent; inferioribus verò habentibus usum Pontificalium, nonnisi quando in Pontificalibus celebrant.* Secùs tamen dicendum ob angustiam loci, in Capellis v. g. Aularum, propter necessitatem & servatam consvetudinem.

Paramenta non debent sumi de altari.

De Mappa.

10. Secundùm multos quidem (c) sufficit una mappa duplicata; tamen secundùm Missale Romanum, Authoritate Clementis VIII. & Pii V. editum, & ùti colligitur ex *cap. Si per negligentiam, de consecr.* tribûs altare cooperiri debet: ita ut duæ breviores sive una plicata totam aram, tertia verò totam mensam cooperiat (d); non necessariò benedictæ (e). Unde in necessitate, vulgaris adhiberi potest, & aliis usibus reddi. Ita Layman, Bonacina. Et sufficit una in necessitate. Extra necessitatem cum una celebrare, non est mortale, docet de Rhodes.

(c) Sa Azor Layman.

(d) Bonæ Spei.

(e) Sylvester Petrus à S. Ioseph.

De Cruce.

11. De cruce notandum quòd requiratur, sive sola sive cum crucifixo erecta; non sub mortali, sed sub veniali, secluso contemptu. Ita docēt Suarez. *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 81. *sect.* 6. §. 4. Bonacina *de Sacram. Euch. d.* 4. *q. ult.* Lezana *verb. Crux.*

De calice.

12. Requiritur etiam & quidem omninò calix cum patena consecrata, ac Chrismate peruncta: *cap. unic.* §. *Vngitur præterea de S. Vnctione*, Sylvester *verb. Missa*, Lezana *verb. calix.* Et debet esse saltem quoad cuppam de auro vel argento, vel ob magnam paupertatem ex stanno: *cap. Vasa*, & *cap. Vt calix, de consecr. d.* 1. Ita nostri Gvido *in summa de hæresi in* 21. *errore Armenorum*, Lezana *loc. cit.* & alii. Dixi *saltem quoad cuppam*: quia non obest quòd pes sit ex alia materia. Ita docent de Rhodes, Petrus à S. Ioseph & alii. Unde qui utitur calice ligneo, aut non consecrato, non

tantùm peccat mortaliter, ſed etiam contra eum ſtatuta eſt pœna depoſitionis ab officio & beneficio *cap. ult. de celebr. Miſſ.* Bonacina *de Sacram. d. 4. q. ult. punct 9. n. 16.*

De pixide.

13. Idem dicendum de pixide. Et ſi eſſet ex plumbo, tunc deberet intùs apponi linteum benedictum, ut illud, hoſtias immediatè contingat.

Quando amittunt conſecrationẽ?

(f) Contrarium Bartholomæus ab Angelo & Paludanus.

14. Calix & patena amittunt conſecrationem, quando notabiliter franguntur, ita ut non valeant ad uſus, ad quos ſint deſtinata: & ſic ſi cuppa, ſive in ſe notabiliter frangatur, ſive à pede, integra per fractionem pedis ſeparetur. Bonacina, Lezana, de Rhodes, Petrus à S. Ioſeph (f). Secùs quando calix tornatilis à pede ſeparatur. Ita Suarez, Naldus *verb. calix*, Tamburinus & alii contra Sylveſtrum. Ratio eſt: quia nulla eſt deſtructio calicis; ſed ad hoc taliter eſt calix paratus & conſecratus, ut commodè ſervari, & iterum pro uſu aſſumi poſſit: quod uſu & praxi Eccleſiæ receptum eſt. Bonacina, Lezana. Licèt calix & patena non amittat conſecrationem, quando paulatim amittitur aurum (g), quia licet ſi immediatè verſatur conſecratio circa ſuperficiem, tamen eâ ſimpliciter totus calix & patena conſecrantur, quæ adhuc manẽt; amittunt tamen conſecrationem, quando de novo deaurantur: quare de novo conſecrari debent (h), eò quòd auri ſubſtantia de novo addita ſit, quæ à ſpeciebus ſangvinis immediatè contingi debet. Utrum autem per aliquos ictus à fabro inflictos, calix, ſive patena, conſecrationem amittat? De hoc controvertunt DD. Negativam ſententiam tenent Armilla, Bonacina. Affirmativam Lezana, Hurtadus *verb. calix*. Ratio horum eſt: quia ita conſvetudine receptum eſt, quòd amittant conſecrationem.

(g) de Rhod. Lezana verb calix num. 6

(h) Sylveſter Lezana Azor contra Lugonem.

Per celebrationem Miſſæ non conſecratur calix.

15. Utrum per celebrationem Miſſæ bona ſive mala fide factam, conſecretur calix? *Reſp.* Multi quidem reſpondent affirmativè, ita Bordon. Tamburinus, Diana, Layman & alii. Ratio ipſorum eſt: quia Chriſtus qui eſt tota ſanctitas, ſuo immediato contactu conſecrat. Attamen probabilius eſt oppoſitum, inquit Lezana *ſuprà num.* 8. quia Eccleſia formam cõſecrationis calicis, verbalem ſolùm aſſignavit. Facundez *in 1. Eccleſiæ præceptum lib. 3. cap. 21. num.* 10. Lugo *de Euchariſtia d. 20. ſect. 2. num.* 92.

Ubi pixis cõſecranda.

16. Utrum etiam pixis debeat conſecrari? *Reſp.* quòd debeat, in iis partibus ubi eſt conſvetudine introductum quòd pixis chriſmate conſecretur; in aliis verò partibus ubi nondum hoc conſvetudine eſt introductum, ſufficit ſimplex benedictio. Lezana *verb. benedictio num.* 11.

De Lunula.

17. Lunula quæ Sacram hoſtiam immediatè tangit, quamvis videtur conſvetudine receptum quòd non conſecretur, tamen valdè decens eſt, ut ſaltem benedicatur. Ita Durandus *lib. 1. de ritibus Eccleſ. cap.* 16. Ioan. de cruce *in directorio conſcientiæ de ſacrific. Miſſ. q. 3. dub.* 3. Et ſi conſecrata non eſt, poteſt tangi à Laicis; non ſolùm antequam ad contactum Corpori.

poris Christi adhibeatur, sed & post. Lezan. *verb. vasa sacra num.* 4. Layman *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 6. *num.* 22. A quibus autem calix, patena, pixis, consecrari possint? Dicam infrà. Modò ultrà dico:

18. Requiritur juxta *cap. Consulto de consecr. d.* 1. corporale repræsentans Syndonem quâ Christus involutus erat, necessariò benedictum; quod debet esse ex lino vel canapo, saltem in ea parte quâ continet calicem & hostiam: circacircum ornari aurô non prohibetur, docent Suar. Facundez. Hîc notât Lezana, Bonacina, Suarez, Reginaldus & alii multi, peccare mortaliter Sacerdotem, qui valdè immundo utitur corporali: facit enim contra reverentiam SS. Sacramento debitam. Necessaria etiam est palla, linea ex illa parte quâ cooperitur calix, benedicta. Facundez, Layman. Corporalia tamdiu remanent benedicta, quamdiu manent integra, & non fracta notabiliter. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 83. *a.* 3. *ad* 7. Sotus *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *a.* 3. Sylvester, Angelus, Armilla, S. Antoninus 3. *p. tit.* 13. *c.* 6. *n.* 5. Ex quo colligitur, quòd post lotionem non sint iterum benedicenda. Ita Sylvester *verb. corporal. q.* 2. Reginaldus, Nugnus, Rodriq. & alii apud Bonac. *de Sacram. Euch. d.* 4. *punct.* 9. *prop.* 3. *n.* 24.

De corporali & palla.

19. Purificatorium lineum, videtur non necessariò esse benedictum; cùm de illo non reperiatur specialis benedictio in Rituali Romano. Ita Laym. Lugo. Unde potest quis uti mundo strophio; sed ampliùs non uti illo ad nasum.

De Purificatorio.

20. Notandum, quòd paramenta, corporale, palla, purificatorium, benedicta; & vasa, calix, patena, pixis, lunula, consecrata; sub veniali quando non continent corpus Christi, sub mortali quando continent, tangi non possint à Laicis & aliis, nisi à Sacerdote & Diacono. Ita colligitur primum ex *cap. In Sancta d.* 1. *de consecr.* Secundum *ex cap. Sacratas*, & *cap. Non oportet d.* 23. Sunt pro hoc DD, Lezana *verb. vasa sacra num.* 2. Layman *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 19. Paludanus. Unde corporalia, purificatoria, juxta *caput Nemo, de consecr. d.* 1. lavari à Sacerdote vel Diacono debent, & lotio mitti in piscinam; ne fortè pulvis Dominici Corporis malè decidat, ut notat S. Antoninus 3. *p. tit.* 13. *c.* 6. *n.* 5. Bonacina *loc. cit. n.* 22. & alii. Secundo & tertiò possunt lavari sicut & reparari à muliere, maximè à Virgine.

De tactu paramentorũ & vasorum.

21. Utrum Prior, Gvardianus, aut Provincialis, possit dare licentiam suis inferioribus tangendi corporalia, calices &c, quando non continent Corpus aut Sangvinem Christi? *Resp.* Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 8. *sect.* 8. quòd Clerici extra necessitatem possint tangere vasa prædicta Sacra & corporale, quando in iis non continetur SS. Sacramentum. de Rhodes *de sacrific. Miss. q.* 4. §. 2. *in fine* asserit, quòd à quolibet habente primam tonsuram possint tangi. Sed dicit Lezana *verb. vasa Sacra num.* 2. communior

nior opinio & conformior usui Ecclesiæ Romanæ, id negat. Azor. *tom.* 1. *institut. moral. lib.* 9. *c.* 9. *q.* 6. Layman *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 19. Et ad tollendum scrupulum, solet peti licentia à Sacra Congregatione Rituum, inquit Barbosa *in collectan. Bullar. verb. licentia.* Concludit Lezana *loc. cit.* nisi adsit privilegium Sedis Apostolicæ. Multa privilegia adferuntRegulares; sed cùm sint vivæ vocis oracula, jam his temporibus non valent. Extat privilegium Sixti IV. pro Fratribus professis Conversis Ordinis Sancti Augustini, Congregationis Lombardiæ, quô illis concessit, ut dum Sacristarum officium exercent, possint tangere calices, patenas, purificatoria, cùm necesse sit. Quæ concessio, quamvis neque per Bullam, neque per Breve facta sit, quia tamen ab ipso Papa videtur subscripta, ideo non apparet vivæ vocis oraculum; ac per consequens hoc tempore subsistere potest: eam refert Confertius *in Collectan. litterarum Apostolicarum inter privilegia Sixti IV. num.* 9. Lezana *tom.* 2. *cap.* 8. *num.* 33. Ex his infero, & ad quæstionem *Resp.* Quandoquidem (seclusô privilegiô) juxta praxim recurritur ad Sedem Apostolicam pro licentia, Priores & Gvardiani &c. ostendant Privilegium, vi cujus possunt dare licentiam Clericis tangendi calicem, patenam, in sacristia aut ad altare in exercitio Subdiaconatûs, aut alterius servitii permanentibus.

De Pallio.

22. Requiritur etiam pallium, quod non solet benedici separatim ab aliis paramentis, nec est ita necessarium, ut sinè illo celebrari non possit.

An aliquando in vestibus profanis celebrare licet?

23. Debet Sacerdos esse decenter juxta institutionem & praxim Ecclesiæ ornatus: patet *ex cap. Vestiment. de consecr. d.* 1. & Concilio Trident. *sess.* 22. & Nostro Valdensi *tom.* 1. *doctrin. fidei lib.* 2. *a.* 1. *c.* 28. Unde cum vestibus profanis celebrare nunquam licet, nisi in casu gravissimæ necessitatis: ut si immineret periculum mortis Sacerdoti si id non faceret, & id non peteretur in odium fidei (i). Addit Layman *lib.* 5. *in* 6. *num.* 17. & neque esset scandalum.

(i) Lezana verb. vestes Sacræ.

24. Sunt autem huiusmodi vestes quibus uti debent Sacerdotes in Sacrificio Missæ, sex: scilicet amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta sive casula.

25. Alba & amictus ex lino, aliæ verò ex quacumque materia esse possunt (ita & cingulum ex serico k), mundæ & nitidæ juxta *cap. Reliqui de custodia Euch.* omnino benedictæ, juxta *caput Vestimenta.* Unde qui seclusa necessitate gravissima, absque alba, amictu, casula, vel absque omnibus, vel cum aliqua harum veste non benedicta celebrat, tunc toties quoties (l); vel sinè cingulo, vel sinè stola, aut sinè manipulo, tunc aliquando mortaliter peccat, aliquando non.

(k) Suarez Sanchez Rotarius.

Quale peccatum absque eis celebrare?

(l) Suarez Facundez Petrus à S. Joseph.

26. Explicatur & probatur: Dixi *seclusa necessitate gravissima:* nam propter urgentem necessitatem gravem, scilicet ad vitandam mortem ut di-

xi

xi (secluso scandalo & contemptu fidei ut jam insinuavi), sicut licitum est absque omnibus celebrare, ita absq; una, aut cum una non benedicta harum veste (m): quia præcepta affirmativa non obligant cum dispendio vitæ. In aliqua autem necessitate non tanta, licèt illicitum semper mortaliter sit celebrare Missam absque casula, aut alba, amictu, aut absque his tribus; non est tamen mortale peccatum, celebrare Missam absque cingulo, aut cum eo non benedicto, sed solùm veniale, ut docent graves DD. Toletus *in summa lib.* 2. *cap.* 2. Lugo *de Eucharist. d.* 20. *sect.* 4. *num.* 98. Joan. de Cruce *de Sacrific. Miss. q.*3. *dub.* 4. *conclus.*3. Imò nullum peccatum in illis partibus, in quibus consvetudo est illud non benedicendi: talis enim consvetudo, legem contrariam abrogasse videtur, dicit Lezana *verb. vestes Sacræ num.* 4. Sylv. Navar. Scotus, Richard. apud eundem. Et consvetudine videtur esse introductum, quòd partes cinguli fracti, passim connectantur sinè nova benedictione; & tamen secũdùm communem doctrinam, vestes sacræ suam benedictionem amittunt, quando desinunt esse integræ. Tali tamen cingulo uti non svadeo, nisi in partibus ubi cingulum non benedicitur; sed potiùs stolâ pro illo, sicut eâ pro manipulo & è contra, in simili necessitate. Ita docent Sylvester *verb. benedictio q.* 6. Petrus à S. Ioseph *cap.* 12. *resol.* 3. Navar. Azor. & alii.

(m) Facundez Lezana Petrus á S. Ioseph.

27. Quando una vestis benedicta pro alia deservit, necesse non est ut iterum benedicatur. Sylvester *loc. cit.* Layman. *lib.* 5. *tr.* 5. *num.* 17. Harum quæcumque amittit benedictionem, quando ita rumpitur, ut non valeat ad usum, ad quem est destinata. Ita communiter DD. Quare cum cingulo fracto, quamdiu altera pars tanta remanet, ut ea possit se Sacerdos honestè cingere, licet celebrare, maximè in necessitate. Ita Facundez *suprà num.* 14. Henriq. & alii. Alba, casula, & stola, per reparationem (quòd eis aliquid novi addatur) non amittunt benedictionẽ: nam ut supponitur, non desiit eadem figura. Secùs si ex alba abscindatur manica, etiamsi statim assuatur ei: nam per abscissionem manicæ reddita est incapax ad usum ad quem erat benedictione destinata; consequenter amittit benedictionem. Ita docent Angelus *in summa verb. Benedictio num.* 3. Bartholomæus ab Angelis *Dialogor.* 5. §. 256. Barbosa *de jure Ecclesiast. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 37. Ob hanc causam propter diversitatem figuræ, stóla facta de planeta benedicta, iterum benedici debet. Ita Ugolinus *de potestate Episcopi cap.* 32. Barbosa *loc. cit.* Tamburinus *suprà* & alii. Quodsi verò eædem vestes breviores fiant, modò formam sive figuram non mutent, rebenedici non debent. Tamburinus, Barbosa. Similiter si ex stola manipulus, vel è contra: quia non deficiunt in figura. Ita Lezana *loc. cit.* Angelus, Tamburinus & alii, dummodo non dividatur in duas partes.

Quando paramenta amittunt benedictionẽ?

28. Ad hæc animadvertendum, quòd etsi paramenta benedicta possint esse ex materia profana, aut ex mulierum vestibus, non tamen ad usus tales converti, sed potiùs incendio dari debent, & cineres in baptisterio, vel in alio loco abdito condi: *cap. Altaris, de consecr. d. 1. cap Ad hæc, de Religiosis domibus; cap. Quæ semel, de Regul. juris.* Lezana *verb. paramentum num.* 3.

A quibus quæ benedici possunt?

29. Prætermissis Leonis X. & aliorum Pontificum privilegiis, vi quorum Prælati Regulares consecrabant calices, patenas & alia, duas declarationes fecit Sacra Congregatio: unam de anno 1619. secundam annô 1632. die 13. *Martii*, quæ est in hæc verba: *Abbates, Priores, Gvardiani, & alii Religionum Prælati, etiam ex Societate Iesu, habentes privilegia benedicendi vestes sacras, Cæmeteria, & similia, dicto privilegio uti non possunt, nisi in iis rebus, in quibus Sacra Vnctio non adhibetur, & pro servitio duntaxat Monasteriorum & Ecclesiarum propriarum.* Unde quia in benedictione campanarum adhibetur unctio, ab Episcopo benedici debent. Et notandum, quòd possit Episcopus prohibere ne pulsentur campanæ, quæ non sunt benedictæ; aut sunt consecratæ, sed in turri profana suspensæ: quia hoc declaravit S. Congregatio; cujus declaratio habetur apud Barbos. *in collectan. Bullar. verb. campana.*

Potest prohibere Episcopus ne pulsentur campanæ nō consecratæ.

De Missali.

30. Licèt regulariter loquendo illicitum sit celebrare sinè Missali, propter præceptum Ecclesiæ & consvetudinem, & ad evitandum periculum lapsûs in memoria, prout communiter docent DD. apud Navar *in manual. cap.* 25. *n.* 84. & Bonac. *de Euchar. Sacram. d.* 4. *q. ult. punct.* 10. *n.* 30. Nihilominus seclusô scandalô & contemptu, quando Sacerdos constanter credit se non lapsurum in memoria, si adsit rationabilis causa id svadens, poterit sine Missali celebrare. Ita docent Diana 5. *p. tr.* 14. *resol.* 46. Vasq. Layman. *d.* 20 *sect.* 2. *n.* 78. Quòd se non debeat ornare ad altare, nisi Episcopus aut Abbas, dixi suprà n. 9.

De precibus dum se induit Sacerdos.

31. Dum se induit Sacerdos, debet preces præscriptas in Missali dicere; non tamen peccat mortaliter omittens omnes, ut volunt Navar. Azor. & alii, nisi adsit contemptus, sed solùm venialiter: quia præceptum recitandi hujusmodi preces, receptum non est sub majori obligatione quàm sub veniali. Ita docent Homobonus, Layman, Lezana. Idem dicendum de hymno *Te Deum laudamus* &c, & aliis orationibus dicendis post Missam, si absolutè nullam diceret. Ita Lezana, Bonæ spei, Facundez.

32. Sacerdos debet esse calceatus, ob honestatem ac decorem, ut communiter docent DD. apud Bonacinam; non tamen sub mortali, cùm nullum de hoc præceptum sit.

De Ministro

33. Loquendo autem de Ministro (in quit Lezana), quamvis antiqui-

tus,

tùs, nullus Sacerdos celebrare posset nisi duobus pæsentibus Ministris, ut colligitur *ex can. Hoc quoque, de conf.d.1.* cùm pluraliter Sacerdos dicat *Dominus vobiscum*, & *Orate fratres*, videtur duobus loqui; nihilominus cõsvetudine receptum est sufficere, ut solùm unus Minister adsit Missæ. Is autem debet esse masculus non fæmina: *cap. Inhibendum, de consecr. Clericorum & mulier. & can. Sacratas d.* 13. de quo Toletus *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 6. Bonacina *suprà*. Lezana *verb. Miss. n.* 63. Unde in quocumque casu, mortale est uti fæminâ pro ministro. Ita citati DD. etiamsi nullus vir respondeat in altari, sed solùm deserviat. Permittitur tamen Monialibus, etiã non in solemni Missa (n) respondere ex choro & remotè, ex Ecclesiæ cõsvetudine. Bonacina *num.* 32. Facund. *n.* 2. Lugo *suprà sect.* 4. *n.* 103. & alii.

(n) Henr. L. 9. c. 30. Ferdinand. Layman.

Sacerdos quando sinè ministro celebrare possit?

34. Quæritur utrum in casu necessitatis possit Sacerdos celebrare sinè ministro? v. g. consecranda est Eucharistia pro moribundo; aut dies est festus, Sacerdos alter non adest, nec alius qui scit ministrare; aut tempore pestis, & obligationes multæ instant, signanter pro defunctis. Duæ circa hanc difficultatem sunt sententiæ. Negativæ est Bonacina, pro se citans Sotum. Affirmativæ quam ego amplector, sunt Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 10. *cap.* 29. *q.* 3. Zerola *in praxi* 2. *p. verb. Missa*. Diana *loc. cit. resol.* 43. Villalobos, Petigianus, Sylvius & alii. Pro sublatione scrupulorum modus est, quem adferunt & consulunt Lezana & Toletus *suprà*: ut sive in majori sive in minori necessitate, Sacerdos sibi respondeat *amen*, & alia; hæcq; præeunte Sacerdote repetat inserviens, ministrare non sciens.

De Rubricis servandis.

35. Estne sub lethali servanda rubrica? *Resp.* Si in universum, vel ex ignorantia culpabili, vel malitia, quis se non conformet, aut aliquam gravem cæremoniam ex culpabili negligentia omittat, peccat mortaliter: quia Trid. *sess.* 7. *can.* 13. & *sess.* 22. *in decr. de observand. & vitand. in celebr. Miss.* & summi Pontifices præcipiunt observare rubricas quæ in principio Missalis ponuntur (o). Parvitas tamen materiæ excusat à mortali: ut si v. g. omittatur nomen alicujus Sancti, ex aliquali negligentia, aut spontè *Gloria*, aut *Credo*, (p) aut *Dies iræ* in Missa defunctorum, aut unum & alterum verbum Canonis, aut in nonnullis festis quibus addi solet *Communicantes*, vel *Hanc igitur* (q). Nec decet repeti si oblita sint. Ita Leander post multos *q.* 59. & 61.

(o) Ioannes à Cruce Rotarius.

(p) Suar. Lugo Diana Bonæ spei Rotarius.

(q) Bonæ spei.

36. Similiter non peccat mortaliter, qui Canonem clara voce dicit; aut orationes in silentio, quæ sunt dicendæ clara voce. Ita Tamburinus & Rotarius.

Regulæ de defectibus supplendis.

37. Item qui aliter, tamen juxta opinionem Theologorum supplet defectum, qui in Missa ei contingit: nam regulæ Missalis quæ sunt *de supplendis*

 plendis defectibus Missæ, non obligant sub peccato: quia hæ solùm sunt doctrinales quædam instructiones circa facienda in talibus casibus: neque approbantur à Pontificibus aliter, quàm veluti bonæ & probabiles opiniones, dicit P. Lezana *locô suprà citatô*.

in Missa non obligant sub peccato.

38. Estne peccatum mortale, dicere Missam pro Missa contra Rubricam? v. g. die Dominico, vel in festo duplici, vel infra Octavam privilegiatam. *Resp.* Scienter hoc facere, est mortale: sicut in Dominica Palmarum omittere passionem. Plura dixi de hoc *suprà hîc ser.* 5. *sect.* 2. *num.* 45. & ultrà usque ad *num.* 54.

De lumine

39. Inter cæremonias Missæ hæc etiam est, & necessaria, quòd sinè lumine celebrari non possit, *cap. Final. de celebr. Miss.* idq; sub mortali. Imò deponitur Sacerdos ab Officio & beneficio, qui sinè lumine celebrat: colligitur ex eodem *cap.* Et hoc fecit Honorius III. cuidam Presbytero Ecclesiæ S. Brigidæ Brixien. ut habetur in *corp. jur. can. fol.* 193. Quamvis autem ex consvetudine duæ candelæ requirantur, in necessitate tamen pro Ecclesiis pauperibus una sufficit. Ita Lezana *verb. Missa num.* 30. Toletus *in summa lib.* 2. *c.* 7. *num.* 6. Azorius, Graffius, & alij. Et quāvis debeat esse ex cera, ut consvetudine servatur, & communi DD. doctrinâ docetur; in casu tamen gravis necessitatis, licere putant multi, saltem sinè mortali, cum uno lumine olei celebrare, seclusô scandalô & cōtemptu. Ita Ioannes de Cruce *in direct. conscien. de sacrific. Miss. q.* 3. *dub.* 5. *concl.* 1. Diana *dictô suprà tr.* 14. *resol.* 67. & 45. Suarez, Facundez & alii. Imò forsan sinè veniali, si necessitas gravis valdè sit, dicit Lezana *suprà*, Vasquez *d.* 233. *cap.* 3. *num.* 25. Bonac. Laym. & alii. Utrum verò possit Missa celebrari cum solo unico lumine ex sevo seu alio inferiori? Cōtrovertunt DD. Asserunt Bonacina & Layman; negat Vasquez. Admittit Lezana in valdè gravi necessitate.

An cooperto capite saltem ad canonem?

40. Utrum his temporibus possit Episcopus, aut Prælatus Regularis, suo inferiori Sacerdoti infirmo dare licentiam celebrandi Sacrum capite cooperto, saltem ad inchoationem Canonis? *Resp.* De jure communi nullus potest celebrare cooperto capite: quia prohibetur *can. Nullus Episcopus, de consecr. d.* 1. Neque sæcularis de licentia Episcopi, aut Regularis de licentia sui Prælati, quomodocumque infirmus sit: quia his temporibus summo Pontifici hoc reservatum est propter declarationes S. Congregationis, quas refert Gavantus scribens *in rubricas Missalis tom.* 1. *p.* 2. *tit.* 2. Lezana *suprà num.* 64. Lugo. *suprà sect.* 4. *num.* 102. Imò qui sinè baculo functiones Missæ absolvere nequit, licitè celebrare non potest: quia irregularis censetur, qui Missam sinè baculo celebrare non valet, *cap. Si quis in infirmit. d.* 55. *cap. Nullus Episcopus d.* 1. (r) in Synodo Romana sub Zacharia Papa *c.* 13. & 14. *num.* 743. decisum est: qui enim Sacerdos

Cum baculo celebrare non licet.

(r) Burchardus L. 3. c. 230.

dos à communione suspenditur, suspenditur eô ipsô à celebratione Missæ: atqui ita ibi habetur, *si quis verò præsumpserit præter quod posuimus agere, à Sacro Corpore & sangvine Domini Nostri IESV Christi, sit suspensus*; ergo.

& 231. Ivo p. 3. C. 271. Bonac. de censur. d. 7. q. 2. p. 2. n. 15. Tol. l. 1. c. 63. num. 3.

Missa coram Ordinario Loci.

41. Quomodo se gerere debet Sacerdos coram Ordinario loci, in loco ipsius jurisdictionis celebrans? *Resp.* Primò ex ipso rescire debet, an velit ipse solus in Missa ejus dare benedictionem populo, vel non? si velit? Tunc in fine Missæ ipse Sacerdos dare non debet eam, sed post *Dominus vobiscum* inclinatus parumper persistere, ad eam recipiendam ab ipso, si eam ei dare placuerit. Si nolit? Tunc dictô *Dominus vobiscum* benedicere populum, sed non Episcopum debet; & data benedictione iterum se parum inclinare Episcopo, expectans ab illo benedici. Ita Gavant. Emman. Sa, Sylvester, Octavius *interrog.* 225. Addit Lezana *loc. cit. verb. Missa* quod multò magis observandum coram Cardinali. In principio verò Missæ in *confiteor*, dicere debet & *vobis Pater* & *Fratres* &c. Vide in cæremoniali. Et non in medio, sed à latere versùs Episcopum Missam inchoare, & *confiteor* dicere (juxta praxim) tenetur. Ita etiam coram Rege aut Regina Missa à latere est inchoanda, nisi is, ea, à latere sit.

Reverentia Cruci discooperto capite.

42. In fine & initio Missæ, ad quodcumque altare fiat reverentia Cruci infra gradus, capite semper discooperto. Ita decisum est à S. Congregatione 28. *Augusti* 1627.

43. Cruces super oblata faciendæ sunt manu recta, etiam in transversam partem Crucis. Ita ordinavit S. Congregatio 4. *Augusti* 1663.

Non potest locò Episcopi poni nomen Provincialis in memento.

44. An in *memento* locò Episcopi, possit poni nomen Generalis aut Provincialis? Sacra Congregatio respondit, talem mortaliter peccare. Ita Gavantus *in thes. S. Rit. tom.* 1. *p.* 1. *tit.* 8. Diana *de celebr. Miss. Resol.* 40. Quod quidem videtur durum credendum, credere tamen oportet, si constet de prædicta declaratione, inquit Lezana *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 30.

Tempore Missæ intrat Ecclesiam excommunicatus quid faciendum?

45. Quid facere debet Sacerdos celebrans Missam, si tempore Missæ ipsius intret Ecclesiam excommunicatus vitandus, aut interdictus? *Resp.* Vel excommunicatus vitãdus ingreditur tempore Missæ causâ transeundi per Ecclesiam, non attendendo ad Missam, vel causâ fugiendi ad angulum, ne capiatur à Ministris justitiæ? Sic aliud est. Vel omninò causâ audiendi Sacrum, & quidem hoc? Tunc monendus est ut exeat, ne incurrat novam excommunicationem Papæ reservatam. Si monitus exire nolit? Vi expellendus est, etiamsi sit Sacerdos & Regularis: per hoc non incurritur excommunicatio. *cap. Si quis, cap. Veniens, de sentent. excom.* Si verò vi expelli nequeat sinè periculo? Tunc considerandum, vel Sacerdos needum consecrationem inchoavit? Missam relinquere tenetur, etiamsi jam inchoato canone *te igitur*, sed nondum *qui pridie*. Ita sentiunt Lezana. *verb.*

excom. Octavius *interrogat.* 575. Vel est jam inchoata consecratio ipsa? Tunc omnes præter servitorem exire debent, ne incurrant minorem excommunicationem, & mortaliter peccent, communicantes in Divinis cũ excommunicato. Ita Cornexo, Bonacina. Sacerdos autem debet Missam finire usque ad sumptionem sangvinis inclusivè: cùm prævaleat præceptũ de integritate Sacrificii, præcepto Ecclesiæ de non communicando cum excommunicato. Post sumptionem verò debet se recipere ad Sacristiam, vel alium locum, & ibi reliqua Missæ persolvere. Ita Sylv. *in summa verb. excom. num.* 3. Sotus *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *a.* 4. Lezana *suprà.* Ille autem excommunicatus vitandus, per suam pertinaciam & audaciam, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, ut habetur *cap. Graves de sentent. excom.* Dixi *hoc Sacrum*: nam si veniat animô audiendi aliud Sacrum in Capella, aut privatim vult dicere aliquas preces in angulo, tunc neque Sacerdos Missam relinquere, neque fideles non excommunicati exire tenentur: quia sic non est cum eo communicare in Divinis. Ita docent Cajetanus *verb. excommunic.* Lezana *suprà.* Et quod dicitur de Missa, idem dicendum de Officio Divino. Sed de hoc infrà ubi de censuris ex professo.

Similiter si interdictus.

46. Quoad 2. dico: Idem faciendum cum interdicta Persona nominatim denuntiata, seu interdicta interdictô personali speciali, quod cum excommunicata; cum hoc tamen discrimine, quòd si nolit exire, nec expelli possit, & Sacerdos jam in Missæ persolutione est post consecrationem, alii fideles non interdicti exire non tenentur: nam communicare in Divinis cum interdicto non prohibetur, ut cum excommunicato. Ita Cajet. *in summa verb. interdictum,* Suarez *d.* 34. *sect.* 2. *num.* 4. & 5. Nald. Lezana *verb. interdictum num.* 25.

Vel Sacerdos talis.

47. Unde si Sacerdos esset interdictus interdictô personali speciali, peccaret ipse quidem mortaliter celebrando: nam tales nullibi possunt celebrare, aut Sacris interesse *cap. Si civitas, cap. Si sentent.* non peccarent tamen alii non interdicti, illam Missam Sacerdotis interdicti audientes: quia audire Missam alicujus, non est cooperari ipsi. Ita Lezana *suprà,* Mercero, Turrianus & Filliucius.

Utrum tempore interdicti Sacra celebrari possint?

48. An & quando, tempore interdicti Missæ celebrari possint? *Resp.* Vel est interdictum personale speciale, quô interdicitur aliqua Persona tantùm, aut aliquæ alicujus loci, aut Ecclesiæ? Tunc illa aut illæ Personæ, nullibi celebrare queunt, aut Missis interesse possunt, *juxta cap. Si civitas, cap. Si sentent. excom. in* 6. Ita Lezana *verb. interdictum num.* 4. & *num.* 22. Toletus *in summa lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 4. Bonacina *d.* 5. *de interdicto punct.* 4. *num.* 6: tales enim Personæ ferunt ubique secum sententiam, quæ eas afficit. Vel est interdictum personale generale, hoc est latum super cõmuni-

munitatem? Tunc licèt adveniens ad eos hoſpes, poſſit in eorum Eccleſia ſive Capella celebrare, etiam per longum tempus apud eos manens (s), ratio eſt: quia non eſt de communitate eorum interdictorum, imò & illorum quicumque poſtquam mutaverit domicilium, ob eandem rationem; tamen quicumque illorum quamdiu eſt de communitate interdicta, nullibi celebrare poteſt, aut intereſſe Sacro. (t) Ratio eſt: quia interdictum perſonale generale, cadit ſupra ſingulos, ut faciunt illam communitatem. Idem dicendum de eis qui fuerunt cauſa interdicti: illi enim veluti ſpecialiter interdicti cenſentur. Vel eſt interdictum locale ſpeciale, quô interdicitur locus aliquis ſeu Eccleſia? Tunc licèt illius Eccleſiæ Sacerdotes poſſint alibi celebrare Sacra, etiam cum ſolemnitate conſveta (u), modò non ſint cauſa culpabilis interdicti, juxta *cap. Capitalis ſentent. de excom. in* 6. tamen in eo loco (etiam modô infrà dictô) niſi ſemel in hebdomada unum Sacrum haberi poteſt, juxta *cap. Permittimus, de ſentent. excom. in* 6. (w) niſi neceſſitas infirmorum poſtulet. Ita Oſtienſis, Lezana & alii. Vel eſt interdictum locale generale? Tunc propter ſpecialem conceſſionem & ordinationem Bonifacii VIII. *cap. Alma Mater*, poſſunt Regulares Miſſas celebrare, juxta præfatam ordinationem Pontificis, ut ſequitur: *Singulis diebus in Eccleſiis ac Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia Divina ſicut priùs, ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, & campanis etiam non pulſatis.* Ita Sylv. *verb. interdictum* 5. *num.* 2. Sayrus *lib.* 5. *c.* 5. Lezana, Suar. *loc. cit.* in margine.

(s) Bonacina num. 17. Lezana loc. cit.

(t) Cornexo tom. 2. in 3. de ex-com. diſt. 1. dub. 2. Bonac. Lezana

(u) Sylveſter verb. interdict. num 6. Navar. Cornexo Lezana.

(w) Lezana loc. cit. Suar. diſt. 34. Sect. 1. num. 37. Navar. Toletus.

49. Explicatur: *Miſſæ celebrentur*: à propriis Clericis vel Monachis, & non admittãtur extranei. *Submiſſa voce*: ita ut extra Eccleſiam non audiantur (x). *Campanis non pulſatis*: etiam pro elevatione hoſtiæ, vel ad *Sanctus*; non tamen prohibetur pulſus pro convocatione populi ad alia, quæ non ſunt Divina Officia: ut ſunt concio, ſalutatio Angelica, oſtenſio reliquiarum & alia. Ita Lezana *num.* 26. Sylvius, Navar. *ſuprà*, Henriq. *l.* 13. *cap.* 46. Bonac. *num.* 7. *Excluſis interdictis*: ſi excludi non poſſunt, quid faciendum jam dixi *num.* 46.

Tempore interdicti generalis Miſſæ celebrari poſſunt. Quomodo?

(x) Sylvius Navarrus

50. Attamen in prædicto capite *Alma Mater* conceditur, ut in quatuor anni feſtivitatibus, videlicet Nativitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & in Aſſumptione B. M. V. (quibus ex Conceſſione Martini V. & Eugenij IV. acceſſit feſtum Corporis Chriſti cum octava), licitum ſit Sacrificium Miſſæ, & alia Divina Officia, ſinè ulla alia limitatione celebrare; niſi, ut qui propriâ culpâ cauſa eſt interdicti, non accedat ad Sacram Euchariſtiam ſumendam. Ita Doctor Reſolutus *in* 4. *d.* 11. *q.* 1. *a.* 4. Sylvius, Lezana *ſuprà*.

Pluries in anno publicè.

51. Utrum autem tres primæ feſtivitates ſumi debent quoad omnes

tres dies, vel quoad primam tantùm? Controvertunt DD. Bonacina *punct.* 4. *num.* 4. Sotus, Avilla, Hurtadus & alii dicunt, concessionem dictô cap. *Alma Mater*, debere intelligi de omnibus tribus Paschæ Pentecostes &c. diebus. Econtra Lezana *num.* 27. Navar. *suprà n.* 182. Suar. *num.* 38. Naldus *suprà num.* 8. solùm quoad primos dies illam sumunt. Certum autem est, quòd à primis Vesperis ad secundas. Ita Bacconius *loc. cit.* Bonacina, Diana & alii *suprà*.

Et in festis Sanctorum Ordinis.

52. Et probabiliter extenditur hocce Privilegium celebrandi solemniter tempore interdicti generalis localis, ad Regulares habentes communicationem Privilegiorum cum Benedictinis & Mendicantibus, pro festis Sanctorum Ordinis, ex Privilegio Leonis X. pro Benedictinis; & ex Privilegio Pii V. pro Mendicantibus: nam hæc Privilegia non sunt contraria Concilio Tridentino, consequenter non sunt revocata per Gregorium XIII. Consequens ex antecedente sequitur, quia juxta communem sensum Theologorum solùm ea & intantùm Privilegia à Pio V. & aliis concessa Mendicantibus sunt revocata, inquantùm contrariantur Concilio Trident. ut fusè deducit Lezana *tom.* 2. *c.* 1. *num.* 16. Antecedens verò est Medinæ *in summa*, Sorbi *in addit. ad compend. Privileg. Mendicant. verb. interdictum* 3. §. *sed aliis*, Henriqu. *l.* 13. *cap.* 48. §. 1, Sayr. *de censur. l.* 5. *cap.* 13. *num.* 24. & 25. Rodriq. *in Bullam Cruciatæ* §. 5. *num.* 15. Peijrin. *tom.* 1. *Privil. Minim. in Constit.* 2. *Sixti V. num.* 51.

Declarationibus non authenticis non est danda fides.

53. Nec obsunt declarationes S. Congregationis, quas adfert Barbosa *in collect. Bullar. verb. Privileg.* & *de potestate Episc. alleg.* 105. *num.* 44. quibûs declaratur, Privilegia Regularium sublata esse per Concilium Trid. Nam (ut respōdet Lezana) de talibus declarationibus S. Congregationis nō constat Authenticè; jam verò Sacra Congregatio Concilii declaravit, hujusmodi declarationibus non Authenticis, non esse fidem dandam. Deinde si Authenticè constaret, per illas solùm declaratur, revocata esse Privilegia Regularibus concessa ante Concilium Trident. & nota (inquit Lezana), Privilegium illud Pii V. esse post Cōcil. Et Clemens VIII. post ipsum Concilium, & Gregor. XIII idem Privilegium concessit Minoribus: ideo tam ipsi quàm alii cum eis habentes communicationem Privilegiorum, eo uti possunt. Ita Lezana *suprà num.* 29. Tamburinus *de jure Abbatum tom.* 2. *d.* 16. *q.* 4. Extat etiam Privilegium Iulii II. pro Augustinianis, quô ipsis conceditur, etiam tempore interdicti localis specialis celebratio Missarum, & Divini Officii iis diebûs, quibûs conceditur ab aliis Pontificibus tempore interdicti localis generalis, quod est afficiens totam Provinciam, aut Civitatem cum suburbiis. Hoc Privilegium referunt Cassarubius *in compend. Privileg. Mendicant. verb. interdictum* 1. *num.* 14. Sorbus *suprà*. Peijrinis *tom.* 1. *Privil. Minim. in Constit* 2. *Sixti IV*. Tamburinus, Lezana *loc. cit.*

54.

54. An & qualem pœnam incurrat interdictus, aut in loco interdicto, celebrans? *vide de Censur. d.* 5. *ser.* 4.

55. Utrum tempore interdicti possint communicari fideles, & quando? *vide de Censur. dist.* 5. *ser.* 3. §. 1. *à num.* 17. *ad num.* 20. De communione tempore interdicti.

SERIES VIII.

Quoad modum supplendi defectus in Missa occurrentes.

1. Multi defectus sunt, qui in Missa solent aut possunt contingere; quorum ego nonnullos, ut faciliùs amoveri queant, propono. Imprimis quid faciendum, si Sacerdos in Missa moritur, vel fit demens, vel in infirmitatem, debilitatem magnam incidit, ita ut ex integro eam persolvere non possit? *Resp.* Vel hoc accidit ante consecrationem, vel post? Si ante? Non debet alius Sacerdos perficere. Si post consecrationem? Tunc potest alius Sacerdos substitui, qui persolvat continuando à parte relicta ab alio: hoc habetur 7. *q.* 1. *Can. Nihil* ex Concil. Tolet. in quo casu potest Sacerdos etiam non jejunus, docent Sylvius, Toletus, Stephanus à S. Paulo & alii communiter.

Quando suppleatur defectus.

Sacerdos moritur in sacrificio Missæ. Vide dist. 4. ser. 5. sect. 2. num. 19.

2. Notandum, quòd quia in Concilio non imponitur obligatio Sacerdoti ut faciat, sed tantum facultas conceditur, ut notat Toletus *lib.* 2. *c.* 9. Sacerdos concubinarius, vel alius in mortali existens, non obligatur ad perficiendum tale relictum Sacrum, nisi ex non adimpletione sequeretur aliquod grande scandalum: tunc aliàs præmissa Confessione, aut absente copia Confessarii contritione, tenetur celebrare; & ei Missam hanc cui ille applicare, si ille post primam ante secundã consecrationem, Missam reliquit. Si verò Sacerdos non est, Corpus Christi & Sangvis reponi debent in Sacrario, donec altera die ab alio Sacerdote sumantur. Quodsi interim species vini corrumpantur, tunc corruptæ debent effundi in piscinam. Toletus *suprà.*

3. Quid si Sacerdote celebrante, veniat aliquis ipsum volens occidere, aut Ecclesia sive domus ubi celebrat corruat aut ardeat; poteстne fugere? *Resp.* Vel est ante consecrationem, vel post? Si ante? Fugere potest. Si post? Licet ei statim sumere. Quodsi non potest, poterit Sacramentum cum corporali plicatum secum deferre, & alibi finire. Ita Tolet. *n.* 6. Si nec hoc facere potest, docent aliqui quod debeat mortem subire: Sed durum inaniter ei proponunt, cùm nulla ratio aut textus id probet: sive enim in tali casu occidatur sive non, Sacramentum non salvatur. Secus est, si aliquis in contemptũ fidei fugam ejus velit à Sacramento, & impedire continuationem Missæ: Tunc potius teneretur propter fidem continuare & mori; non tantum post consecrationem, sed etiam ante. Ita communiter.

Aliquis vult Sacerdotem occidere aut Ecclesia ruit.

4.

4. Quid facere debet Sacerdos, quando se in Missa advertit non jejunū, aut excommunicatum &c? Dixi *distinct*.4.*ser*.5.*sect*,2.*num*.20.& *sect*.1.*num*.12.

Aliquid incidit in calicem post cōsecrationem

5. Quid faciendum, si aliquid incidat in calicem post consecrationem, ante sumptionem? *Resp*. Si illud est venenosum, v. g. aranea, adhibito alio calice si fieri potest, si non, eô emundatô & benè tersô, aliud vinum est consecrandum; illud autem conservandum est in Sacrario, donec species corrumpantur, & corruptæ in piscinam projiciendæ, sicut & cineres illius animalis occisi, & combusti. Ita Toletus & Stephanus à S.Paulo. Idem faciendum est in casu, quô Sacerdos ab aliquo resciret, vinum à se consecratum esse venenô infectum, ex malitia alicujus mali hominis. Si verò animal quod incidit non est venenosum; tunc vel est horrorem incutiens, vel non? Si primum, ut est vespa, vel quid simile? Est extrahendum, lavandum,& lotio sumenda post sangvinem, dicit Toletus: quod ego non admitto, maximè in eo, qvi est facilis ad vomitum; ne qvasi propter reverentiam, contingat formalis irreverentia Sacramenti: sed præfatam lotionem svadeo servare per aliqvod tempus in Sacrario,& postea in piscinam effundere, sicut dictum est de vino consecrato, venenô infectô; vel in illo animali occiso, exsiccare sangvinem pannô vel stuppâ, ut docet Stephanus à S. Paulo *de sacram. dub*. 14. *num*. 83. quô factô, combustô animalî, cineres in piscinam projicere.

Dum depræhenditur sola aqua.

6. Quid si sumpto Corpore Christi, deprehendatur sola aqua esse in calice, quam vel ex parte, vel ex toto jam ebibit Sacerdos? *Resp*. Debet accipere vinum cum aqua, & consecrare, incipiendo à verbis: *simili modò* &c, usque ad *unde & memores*. Sicq; alijs omissis dicat: *Sangvis Domini nostri JESV Christi custodiat* &c, & ita calicem sumat. Quòd autem S. Thomas doceat, tunc aliam hostiam assumendam esse; intelligitur dum Missa dicitur privatim, ita ut nullum sit periculum scandali, prout & Rubricæ Missalis accipiendæ sunt. Imò seclusô omni scandalô, non necessariò est assumenda alia denovò hostia: cùm Rubricæ non obligent sub peccato, ut dixi hâc *serie num*.37. Sed si acciperet etiam hostiam, deberet præmissa oblatione *suscipe &c*, incipere à verbis: *Dominus Noster JESVS Christus qui pridie quàm pateretur, accepit panem &c*. ut habetur in Rubrica Missalis de defectibus. Plura ibi videantur. Talem defectum non debet habere pro peccato; cùm sit involuntarius.

Dum est angustus.

7. Si angustus est Sacerdos, utrum protulerit omnia verba canonis? *Resp*. Vel quæritur de verbis non formæ consecrationis? Non debet se turbare, sed ultrà pergere, quandoquidem hoc non facit sponte. Ita Toletus, Stephanus à S. Paulo, Rotarius & alij. Vel occurrit dubium de verbis formæ consecrationis, & probabiliùs existimat non dixisse? Debet repetere conditionatè, *si materia non est consecrata, denuo intendo consecra-*

crare. Ita dicit Rotarius. *Si autem tantùm scrupulus est, illum rejicere tenetur, ne se nimiis turbationibûs involvat.*

8. Utrum possit aliquis interrumpere canonem, ut audiat confessionē infirmi morituri, de quo dubitatur quòd supervixerit post Missam? *Resp.* Affirmativè: etiamsi non sit Parochus. Idem dicendum de baptizando, si alter non est, qui baptizet: sed relinquere debet virum probum qui Eucharistiam custodiat, ne aliquid irreverentiæ inferatur; & signum apponere, ubi desijt. Ita Homobonus *tr.* 4. *cap.* 11. *q.* 97. Rotarius *parte* 3. *sect.* 4. *in fine* & alij. Dum alius moritur.

SERIES IX.

De auditione Missæ.

SECTIO I.

De obligatione, & utilitate audiendi Missam.

1. Dico: Omnis adultus, quicumque est compos rationis, baptizatus, die festo sub peccato mortali tenetur audire Sacrum; nisi sit impotens ad hoc ut audiat. Ita colligitur ex *cap. Omnes fideles*, & *cap. Missa, de Consecr. d.* 1.

2. Explicatur & probatur Resolutio. *Omnis adultus compos rationis*: quia infantes, & adulti amentes, sunt incapaces præcepti, uti carentes ratione.

3. *Baptizatus*: quia primò baptizari debet quis, quàm subiici obligationi Ecclesiæ; cùm per baptismum subiiciatur. *Die festo*: sive festivitate totius, sive mediæ diei; non verò die Cœnæ Domini, feriâ sextâ, aut Sabbatho majoris hebdomadæ in quadragesima, aut diebûs rogationum. Ita Azor. Henriquez, Suar. Si tamen ex justa causa transit quis ad aliam Parochiam, aut Diœcesim, ubi non est festum, non tenetur priùs audire Sacrum, nisi permaneat ad meridiem ipsam. Ita sentiunt Sanchez. *de Matrim. lib.* 3. *tr.* 1. *d.* 18. *n.* 21. Diana, Less. Malder. Facund. Bonac. *de præcept. decal. d.* 5. *q. unic. punct.* 5. *num.* 8. Octav. *p.* 1. *interrog.* 715. & alii. A fortiori dum transit per eam Civitatem ubi festum aliquod celebratur; dummodo ibi non permaneat usque ad meridiem, per longum tempus. Transiens de loco festi ad locum nō festi.

4. *Sub peccato mortali*: quia dictum præceptum est de re gravi: & sic tot peccata committit, quot sunt festa intrà mensem, si toto mense vult omittere Sacra diebûs festivis. Ita Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 164. Octav. *p.* 1. *interrog.* 427.

5. Diebûs non festivis, non extat quidem obligatio pro sæcularibus, sed magna utilitas est audiendi Sacrum. 1. quia audire Sacrum, est in consortio Angelorum astare coram Christo; astant enim Angeli coram SS. Utilitas audiendi Sacrum.

Sacra-

Sacramento, ut docent SS. Gregorius & Ambrosius. 2. quia in eo qui devotè audit Sacrum, & non est in peccato mortali, augetur gratia, in quantum offert, & pro ipso offertur Sacrum. 3. quia assequitur remissionem pœnæ temporalis, debitæ peccatis. 4. quia audiens Missam, faciliùs impetrat quod obtinere desiderat: nam per oblationem acceptissimâ Deo Patri impetrat. 5. quia in audiendo Missam, exercentur actus fidei, spei, charitatis & alii (a).

(a) Toletus.

6. *Sacrum:* sive ritu græco (b) sive latino, sive in Ecclesia Parochiali sive Regularium (c), sive cantatum sive privatum, sive de festo sive de Requiem, die Dominico (d); unum, etiam die Nativitatis Domini (e); totum, non partem Sacri. Ita enim multoties ab Ecclesia est ordinatum; signanter *cap. Missas* 63. *d.* 1. *de consecr.* ubi sic habetur: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis, egredi populus non præsumat.* &c. Unde.

(b) Azor Sotus.

(c) Sylv. verbo Missa 2. §. 5. Tabiena §. 51.

(d) Toletus lib. 6. cap. 7. Tabiena suprà num. 48.

(e) Navarr. cap. ... nū. 7. Toletus suprà.

7. Qui potest totum Sacrum audire, & audit tantùm medietatem ejus, non satisfaciendo præcepto peccat mortaliter. Nec satisfaceret præcepto qui simul audiret duorum Sacerdotum Missam, unius ab initio ad medium, alterius à medio ad finem: patet ex propositione 53. ab Innocentio XI. damnata; sed tenetur hoc totum Sacrum audire, ad cujus principium venit, aut aliud ex integro, sub mortali. Excusat tamen parvitas à mortali: quam puto partem Sacri, ab initio ad Evangelium, & à sumptione ad finem (f): gravem verò materiam, esse intermedia collectivè sumpta. Et si quis non potest audire Sacrum integrum, & potest partem, v. g. quia tardè venit, & aliud non erit Sacrum; obligatur ad partem audiendam: nam qui non potest totum præceptum adimplere, potest tamen partem, obligatur ad adimpletionem ejus quod potest. Ita Bonac. *de leg. d.* 2. *q.* 8. *punct.* 1. *num.* 4. & 8. Octavius *p.* 1. *interrog.* 906.

Parvitas in auditione Missæ.

(f) Bonæ Spei de sacrificio Missæ num. 104.

8. Tenetur quisque audire non omninò physicè hoc est auribûs voces percipere, aliàs nec surdus, nec qui longè à celebrante distat, Missam audire diceretur, quod omnis Theologia negat; sed sufficit moraliter: non ut omninò videat quæ in Missa aguntur, aliàs cæcus non satisfaceret præcepto, qui defacto satisfacit, imò potest quis oculis clausis (ne divagentur) Missam audire; sed ut aliquo sensu percipiat. Et omninò requiritur ut sit corpore saltem moraliter præsens, & mente attendat (g). Præsens moraliter est, si est pars multitudinis, quæ præsens dicitur; sive ille sit in Ecclesia post columnam, sive ante Ecclesiam stet.

(g) Toletus lib. 6. cap. 6.

9. Quæritur inter Theologos, utrum satisfaceret præcepto de audiendo Sacro, qui audiret Sacrum è fenestra domus suæ? Negat Diana. Affirmant Verricel. & Donatus *de celebr. Miss. q.*107. cum quibus & ego: dummo-

dummodo ille Missam videat, & Sacerdotem possit audire; sic enim moraliter præsens esse censetur.

10. De attentione multa dicere possemus; sed ad materiam præsentem sufficit de ea scire, quòd ad hunc modum intelligenda est: quòd homo ita attendat, ut non divagetur affectata divagatione (g). Unde si ita sit distractus, ut parum aut nihil advertat, sed involuntariè, non obest ei tanta distractio mentis, ut dicatur adimplere præceptum de audiendo Sacro (g). Secùs quando se advertit divagari, & nullam diligentiam ut attenderet facit, sed potius ita permanet, & per integrum Sacrum, aut partem notabilem gravem, peccat mortaliter si non audit aliud Sacrum: cùm per auditionem talem hujus Sacri, non satisfaciat præcepto. Si verò se ita distrahat per partem non principalem, veniale peccatum committit. Si autem cum attentione misceat continuas locutiones, ita ut nunc audiat, nunc fabuletur, attendendo tamen ad Sacrum, peccat ob irreverentiam; non tamen mortaliter: & secundùm Sylv. Tolet. Medin. satisfacit præcepto, modò cum reverentia externa assistat. Contrarium tamen Bonac. Lug. Suar. tenent, si per totum Sacrum aut partem notabilem ita permaneat. Quidquid sit de probabilitate magna primæ sententiæ, monendus est talis in confessione.

De attentione in audiendo Missam

11. Ex his collige: quòd satisfaciat præcepto de auditione Missæ, ille qui audiendo dicit horas canonicas, aut coronam, vel alias preces (h): consultiùs tamen est attendere ad mysteria Missæ, saltem ad ea quæ dicuntur in Evangelio, in Epistola (h); nisi hæc præstare nequeat sinè magna divagatione mentis: tunc enim meliùs est attendere virtualiter ad præfatam Epistolam & Evangelium, & dicere preces sive coronam (h).

(h) Toletus locô citatô Adrianus Medina.

12. Et quia oportet audire moraliter, scilicet modô humanô, prærequiritur intentio audiendi Sacrum; licèt non necessariò satisfaciendi præcepto. Ratio est: quia Ecclesia non præcipit auditionem Missæ animô satisfaciendi præcepto. Ita Bonac. *de bor. Can. d.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. *n.* 32. Unde etiamsi nollet obedire præcepto, satisfaceret eidem dummodo audiret; non tamen absque peccato, ob hanc malitiam (i).

(i) de Rhodes

13. Quòd Evangelia stando audire debeamus, Anastasi⁹ Papa Episcopis Germaniæ scribit sequentia: *Apostolica Authoritate mandamus, dum Sancta Evangelia in Ecclesia recitantur, ut Sacerdotes, & cæteri omnes præsentes, non sedentes sed venerabiliter in conspectu Evangelij stantes, Dominica verba audiant, & fideliter adorent* (k). Ita habetur *in corp. jur. Can. pag.* 452.

(k) Burchardus lib. 3. cap 103. Ivo par 2. cap. 138. & part. 6. cap. 93.

14. *Nisi sit impotens ad hoc ut audiat.* Sed ut impotentiam explicem, & alia adducam quæ ab auditione Missæ excusant; sit

X SECTIO

De causis excusantibus ab auditione Missæ.

Causæ excusantes ab auditione Missæ.

Impotentia Physica.

I. QUot quot sunt causæ excusantes ab auditione Missæ, reducuntur ad impotentiã. Impotentia autẽ alia est Physica, alia moralis: & hæc alia spiritualis, alia corporalis seu materialis. Physicam habent illi, qui nullô modô Missam audire possunt: sic in vinculis detenti, aut infirmi qui vix se movere in lecto possunt, ad Ecclesiam ire non valent, aut Sacerdotem nullum habent, aut habent sed materiam consecrationis non habent: ad Missam siccam non tenentur (a); quia Ecclesia præcipit audire Missas in quibus offertur victima, ipse Christus.

(a) Toletq.

Moralis Spiritualis.

2. Impotentiam moralem spiritualem habent illi, qui sinè damno seu detrimento spirituali, proprio aut proximi, nempe sinè peccato, audire Missas non possunt. Quare ob hanc causam excusantur ab auditione Missæ, excommunicatus, interdictus nominatim, & interdictus generali interdictô, non habens Privilegium aut diploma ut audire possit; secùs non excusatur (b): cùm nulla ratio habenti tale Privilegium suffragetur, pro non auditione Missæ. Similiter qui juramentô se adstrinxit non egressurum se domô, in qua locò carceris tenetur, excusatur ab auditione Missæ. Similiter Mater timens damnum spirituale filiarum si domô egrediatur; potest remanere domi, etiamsi non audiat Missam; dummodo periculum talis damni sit evidens, aut valdè probabile, non existimatum, aut phantasiasticum.

(b) Navarrus cap. 21. num. 4. Toletus lib. 5. cap. 9.

Casus de Matre & Filia.

3. De puella verò quæ probabiliter credit se ab adolescente lascivo vel alio concupiscendam, si domô exeat, controvertunt DD. Sotus, Filliucius & alii consulunt ipsi relinquere Sacrum, ut vitetur damnum proximi spirituale. Econtra Navarrus cum multis tenet, quòd teneatur audire Sacrum in tali casu: quia ex una parte tale malum non est ex ipsa, cùm id non intendat, sed ex adolescente ipso; ex altera parte ipsa non tenetur propter ipsius malitiam pati detrimentum in sua anima. Hæc & probabilior & tutior est sententia.

4. Excusantur etiam die festo fideles ab auditione Missæ (imò ea die tenentur non audire Missam) quando non habent Sacerdotem nisi degradatum, aut nominatim excommunicatum, aut publicum percussorem Clerici (c): tales enim sunt vitandi, sub pæna incurrendi excommunicationem. Secùs si ille Sacerdos non nominatim sit excommunicatus, sive à jure, sive ab homine sit talis.

(c) Sylv. verb. Missa & §3. Toletq & alii.

De concubinario Sacerdote propono casum.

Casq de Cõcubinario Sacerdote.

5. Casus est. Nobilis N. diebûs festivis non audit Sacrum, eò quòd alius Sacerdos non est præter eum quem ipse scit habere concubinam; quæritur

ritur utrum ipse & alii non audientes Sacrum iis diebûs, peccent mortaliter; & quid faciendum?

6. Ante Resolutionem præmitto 1. quòd præfatus Nobilis, ad tollendam omnem difficultatem, absque diffamatione ejus Sacerdotis, tenetur ad aliam Ecclesiam ire aut discedere, aut alium Sacerdotem petere ut coram eo Missam absolvat.

7. Præmitto 2. ex declaratione Gregorii IX. peccatum notorium esse per sententiam seu confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei quæ tergiversatione celari non potest. His præmissis

Notorium.

8. *Resp.* & dico: Vel ille scit indubitanter eum Sacerdotem habere concubinam, aut subintroductam mulierem? Excusatur ab auditione Sacri ejus, imò tenetur non audire ejus Sacrum: nam Nicolaus II. *in Synod. Rom.* 113. *Episcop.* omnibus Episcopis (d), & Alexander II. (e) *anno* 1063. Romæ sic dicit *cap. Nullus*: *Mandamus, ut nullus Missam audiat Præsbyteri, quem scit concubinam habere indubitanter, vel subintroductam mulierem.* Unde etiam Sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit dicens §.1. Et Leo IX. *in Concil.Rom.* Et Gregorius VIII. *lib.* 2. *Reg. epist.* 45. S. Rudolpho Duci Sveviæ, & Bertulpho Duci Carētanorum inter cætera scribit: *Officium Simoniacorum, & in fornicatione jacentium, scienter nullô modô recipiatis, & inquantum potestis, tales à Sanctis ministeriis ut oportet prohibeatis* &c. §.3. *Porro.* Vide *in corp. iur. can. p.* 1. *pag.* 43. & 44. Ratio datur infrà *num.* 9. hîc Attamen si præfatus Nobilis non scit indubitanter, eum Sacerdotem habere concubinam, aut mulierem subductā, sed ob famam publicam existimat eum habere concubinam, tenetur: Similiter alii supponentes non excusantur ab auditione Sacri ejus Sacerdotis, si alius non est Sacerdos: quare toties mortaliter peccant, quoties die festivo non audiunt Sacrum. Tum quia à fornicariis Presbyteris quamdiu tolerantur ab Ecclesia, nec habetur operis evidentia, licitè audiuntur Divina, & percipiuntur Sacramenta. Ita colligitur ex Concilio Moguntino sub Lucio III. (g). Post Concil. Lateran. sub Alexandro III. *cap. Unà eod. tit. in* 11. *compil.* & *corp. jur. can. Decretal. Gregorii IX. lib.* 3. *tit.* 2. & 3. *pag.* 136. Tum quia Innoc. III. *Anno* 1208. in Angliam sic scribit: Si verò publicum peccatum est, non ex evidentia sed ex fama, in eo casu ad condemnationem eorum, sola testimonia non sufficiunt, id est testium dicta non juratorum: Tum quia Gregorius IX. (h) ordinavit, quòd Presbyter concubinarius, in Officiis vitandus non sit, nisi sit notorius per sententiam seu confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei quæ tergiversatione aliqua celari non potest (i). Attamen si ex hoc oritur scandalum, inducitur purgatio canonica, in qua deficiens canonicè punitur.

Qualis Sacerdotis cōcubinarij; nō est audienda Missa.

(d) Panormitanus lib. 3. cap. 136.

(e) Panormit. ibid. & lib. 8. cap. 142.

(g) Anno 1182 in Germania.

(h) Anno 1235. Romæ.

(i) In corpore Iuris canonici loc. cit.

9. Si verò crimen ita est publicum, ut meritò debeat appellari notorium, in eo casu nec testis nec accusator est necessarius; cùm hujusmodi crimen, nulla possit tergiversatione celari: talis vitandus est: non quòd in Sacramento defectus sit, sed ut per hoc concubinarius Sacerdos ad pœnitentiam trahatur: hæc enim est intentio Pontificum, ut ejusmodi Sacerdotes se à populo contemptos cùm viderint, rubore verecundiæ faciliùs ad pœnitentiam provocentur.

10. Si verò quis (quod absit) Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, palàm duceret concubinam, aut ductam non relinqueret, contra talem Leo IX. *in Concil. Rom.* Nicolaus II. & Alexander II. statuit: ut Missas non cantet, nec Evangelium, aut Epistolam ad Missam legat, neque in Presbyterio ad Divina officia maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat. Reperitur hoc *in corp. jur. Can. part.* 1. *pag.* 44.

Moralis materialis.

11. Impotentiam moralem corporalem ac materialem habent illi, qui non possunt audire Sacrum propter notabile incommodum proprium vel proximi, corporis vel bonorum aut honoris. Ita communiter DD. Et sic excusantur ab auditione Sacri, infirmi qui probabiliter timent gravius periculum morbi; aut ii, qui sinè periculo deserere infirmum non possunt. Similiter Mater aut Nutrix, quæ puerum domi sinè periculo solum relinquere, aut secum deferre non potest, propter gravem molestiam Sacerdoti, aut adstantibus inferendam. Similiter qui timet ne occidatur, aut capiatur, aut qui non habet Ecclesiam; nisi saltem unô milliari Polonicô distantem, tempore valde aspero (k); Uxor si non est qui aut quæ victum paret, aut sive ipsa, sive famulus, ob rixas aut verbera quæ aliàs sustinere deberet. Ita S. Anton. Navar. Suar. Graff. Sylv. Tabien. Armil. Angel. Nugn. Bonæ Spei & alii communiter. Excusantur etiam, custos villæ necessarius, aut domûs, castri, aut alterius rei, cui custodia demandatur; auriga in via, qui custodire debet equos & alia; Cursor, Nauta cui servit aura; Peregrinus, qui ob auditionem Missæ, deberet relinquere socios, & viam non scit, aut timet probabiliter periculum in via, non verò propter companiam solùm ne tales amittat; & ille qui aliàs deberet amittere aliquod grave negotium, quod in aliud tempus differri non potest. Ita citati. Excusatur etiam, qui non habet vestes suo statui convenientes, v. g. quia spoliatus est in via, vel fur surripuit; dummodo non exeat ad choreas & alia; quia qui non timet confusionem ibi, nec timere debet in Ecclesia.

(k) Bonæ Spei de sacrificio Missæ num. 104.

Propositiones damnatæ ad hanc seriem pertinentes.

Innocentii XI. 52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali seclusô scandalô, si absit contemptus. Ejusdem 53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul, à diversis celebrantibus audit.

DISTIN-

DISTINCTIO VI.

Sub qua ordinantur Ideæ Sacramenti Pœnitentiæ.

SAcramentum Pœnitentiæ, est verè Sacramentum Novæ Legis, à Christo Domino immediatè institutum: patet ex Concil. Trident. *sess.* 14. *can.* 1. *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsis DEO revocandis, à Christo Domino nostro institutum; anathema sit.* Probatur ex Act. Apost. *cap.* 19. *Multi credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos.* Quando autem hoc Sacramentum sit institutum? *Resp.* D. R. quòd tunc, quando *Ioan.* 20. dixit Christus Apostolis: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et hæc est definitio S. Aug. *de pœnit. d.* 1. *cap. Si* ubi agitur, quòd oris confessio sit necessaria §. nemo sibi dicat. Sanctus Iacobus autem promulgavit, quando dixit: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* De hoc Sacramento ut clariùs & distinctè loquamur; sit

Verè Sacramentum.

A Christo Domino institutum.

Ioan. 20.

Promulgatū à S. Iacobo.

SERIES I.

De materia Sacramenti pœnitentiæ.

SECTIO I.

Quæ est materia remota hujus Sacramenti?

MAteria remota hujus Sacramenti, circa quàm destruendam versatur hoc Sacramentum, est peccatum quodcumque post baptismū commissum; non originale, aut actuale ante baptismum commissum: cùm tale tollatur per baptismum, ut vidimus suprà.

Materia remota Sacramenti pænitentiæ.

2. Materia necessaria, est peccatum quodcumque mortale, nondum directè remissum in Sacramento Pœnitentiæ absolutione Sacramentali; etiamsi ritè confessum, & remissum per contritionem perfectam: nam non aliter est remissum per contritionem, quàm sub obligatione confitendi illud, & obtinendi Sacramentalem absolutionem. Ita omnes Theologi.

Necessaria.

3. Materia sufficiens & libera, est peccatum veniale, etiam nondum cōfessum: ita enim Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. dicit: *Quamquam utiliter clavibus subjiciantur, taceri tamen citra culpam, multisq; aliis remediis expiari possunt:* quare non sunt materia necessaria, seu necessariò confitenda. Item mortale (à fortiori veniale) ritè confessum, in Sacramento Pœnitentiæ remissum. Ita omnes Theologi. Ratio est: quia licèt sint dimissa, possunt tamen actus pœnitentis circa illa scilicet dolor & confessio versari, ut augeatur gratia per Sacramentum pœnitentiæ. Unde sicut posset quis de mortalibus confessis, ita de venialibus nondum confessis dicere aliquod, omittendo alia.

Materia sufficiens & libera.

Potest unum veniale dici, aliud præteri mitti.

4.

4. Nota tamen, quòd licetsi peccata venialia sint materia libera, ita ut licitum sit hoc & non illud vel è contra confiteri; tamen aliquando per accidens seu ex accidenti, unicum veniale confessum, Sacramentaliter directè remissum, est materia necessaria, ob validitatem Sacramenti: v. g. quando quis satisfaciendo præcepto de annua confessione, aut in articulo mortis confitetur, & potiùs virtutes in ea confessione narrat, mortale nullum habet, veniale ipsi non occurrit præter unicum jam cōfessum & remissum: tenetur hoc dicere in tali supposito.

Ex accidenti tamen veniale est materia necessaria.

5. Licetsi judicetur insufficiens materia, dum pœnitens dicit: *non respondi inspirationibus Divinis, non feci bonum quod potui;* non est tamen impediendus talis pœnitens in tali sua confessione: docet Cardinalis de Lugo.

Non est impediēdꝰ qui quasi peccata dicit.

6. Et sicut in aliis Sacramentis debet esse materia certa; sic & in hoc. Attamen si non potest haberi certa, potest (imò debet) proponi materia dubia, hoc est, debet dici peccatum dubium; & à tali absolvi conditionatè saltem, quando Sacerdos non pervenit ad notitiam peccati certam. Ita Layman & alii communiter. Sed dubium est: Confessarius non benè versatus in scientia Confessarii, habet pœnitentem qui solùm unicum habet peccatum existimatum mortale, & ipse etiam in tali est; utrum debeat suum confiteri, & pœnitentem à tali absolvere? Et cùm non modicæ difficultatis sit, sit pro illo

Casus frequens.

SECTIO II.

An peccatum merè existimatum sit materia sufficiens ad Sacramentalem obtinendam absolutionem?

Peccatum existimatum duplex.

I. Duplex consideratur existimatum peccatum: existimatum existimatione antecedente factum, & existimatum existimatione subsequente factum. Existimatione antecedente factum est, quando quis existimat opus prohibitum, quod revera non est prohibitum, & tamen hoc facit: v. g. in Vigilia Epiphaniæ Domini die Jovis, comedit carnes: & de tali non est dubium quòd debeat confiteri tale peccatum, & absolvi ab eo, cùm peccet contra conscientiam erroneam; quoties autē peccat quis contra conscientiam etiam erroneam, verè peccat: nam quod non est ex fide seu conscientia, sed contra eam, peccatum est. Existimatum verò existimatione subsequente factum (quapropter dicitur merè existimatum) est, quando quis facit opus revera prohibitum, sed ignorata prohibitione, bonâ conscientiâ, seu fide bona facit, ut bonum; postea animadvertens, existimat se mortaliter peccasse: v. g. comedens carnes die prohibito, postea advertens prohibitionem, habet hoc pro peccato mortali. De tali existimato, etiamsi bonum factum existimet quis esse mortale, procedit dubium. Ad quod

2.

2. *Resp.* & dico conformiter ad mentem D. R. *in 4. d. 1. q. 3.* Peccatum merè existimatum, non est materia sufficiens ad valorem Sacramēti pœnitentiæ (a): unde qui habet solùm tale aut talia, absolvi non potest. Probatur: Qui in rei veritate non est ligatus, solvi non potest in rei veritate; talis in rei veritate & coram DEO non est ligatus, quia eum ignorantia invincibilis excusat à peccato. Nec obest quòd habeat hoc pro peccato: tum quia actus quando transivit, non erat peccatum; ergo non peccavit pœnitens: modò existimat actum illum esse peccatum; actus ille non est: tum quia existimans liquorem esse aquam, non facit aquam; & actum non meritorium qui transivit ut talis, non facit meritorium: ergo etiam non peccatum, non facit peccatum. Ergo sicut aqua existimata, non est sufficiens materia ad baptismum; ita merè existimatum peccatum, non est sufficiens materia Sacramenti pœnitentiæ.

(a) Garcia n. 1304. contra Martinum Perez & Petrū de comitibus.

Merè existimatum non est sufficiēs materia Sacramenti Pænitentiæ.

3. Dices: Tale peccatum obligat pœnitentem ad Sacramentalem confessionem, consequenter tenetur Confessarius pœnitentem absolvere; ergo tale peccatum est materia sufficiens Sacramenti pœnitentiæ. Antecedens patet: nam tenemur secundùm doctrinam Concilii Trident. dicere peccata, prout sunt in conscientia. *Resp.* Tale peccatum obligat pœnitentem ad confessionem Sacramentalem, non per se, sed per accidens, non quòd sit peccatum in rei veritate, sed quòd conscientia erronea dictet esse peccatum; secundùm verò doctrinam Concilii Trident. mortalia peccata prout sunt in conscientia, aperienda sunt in confessione. Confessarius tamen in tali casu, à tali peccato non potest ipsum absolvere: & si absolvat alia peccata non habentem, nulla est absolutio. Clarificat instantia: Homo educatus inter Christianos, invalidè baptizatus (quod ipse ignorat) si post talem baptismum incidat in peccatum mortale, tenetur ad Sacramentalem confessionem, quæ tamen certè erit invalida; cùm peccatum illud, in re non sit materia Sacramentalis confessionis, ac Sacramenti pœnitentiæ.

Pænitens tenetur confiteri, Sacerdos non potest absolvere.

4. Existens in peccato mortali existimato, si non haberet copiam Confessarii, teneretur ad contritionem perfectam vi conscientiæ erroneæ; attamen si solam existimatam contritionem haberet, salvaretur: non salvaretur autem, si aliud verè peccatum mortale haberet, per illam existimatam contritionem: peccatum enim verum, extra Sacramentum pœnitentiæ, nisi per veram contritionem tollitur.

Existimatū peccatū per existimatam contritionē tollitur.

SECTIO III.

Peccata dubia, qualis materia huius Sacramenti?

1. Ante Resolutionem oportet præmittere nonnulla. 1. pœnitentem dubitare posse, an revera peccaverit. 2. hôc suppositô, an illud fuerit

Quotupliciter potest quis dubitare?

erit mortale an veniale. 3. ſuppoſitô mortali, an fuerit illud confeſſus.

Qvotuplex dubium?

2. Item dubium aliud eſſe poſitivum & propriè tale, ac ſecundùm multos opinativè dubium, aliud dubium negativum & impropriè dubium: illud eſt, quando pro utraque parte dantur rationes probabiles, quibûs prudenter moveri poteſt intellectus ad judicandum hoc, quando pro neutra parte ſunt rationes moventes, ſufficientes ad judicandum, ſeu eſt fundamentum ad dubitandum, non ad judicandum, quare ſuſpenſus hæret intellectus (a). Et tale aut eſt prudens, aut imprudens.

(a) Garcia.

3. Item quòd in dubio poſitivo poteſt ſe tripliciter habere dubitans. 1. ſuſpenſus, propter æquè probabiles rationes pro & contra. 2. poteſt ſe judicare non peccaſſe, propter magis convincentem rationem; & tunc dicitur habere opinionem probabilem pro ſe. 3. judicare ſe peccaſſe, ſicque habebit opinionem probabilem contra ſe. In primo caſu eſt dubium poſitivum; in ſecundo & tertio caſu eſt potiùs judicium probabile. In primo caſu hæret ſuſpenſus; in ſecundo & tertio tranſit à ſuſpenſione ad judicium (a). His præmiſſis

Peccata dubia materia neceſſaria.

4. Dico: Peccata mortalia dubia, dubiô prudenti negativô, ſive pœnitens dubitet an peccaverit, ſive an illud commiſſum ſit mortale, ſive utrum ſit confeſſus (b quod eſt contra Caramuel. de Rhod. Bonac. Marchant.), item dubia dubiô poſitivô in his tribus caſibus ſeu ſuppoſitionibus, ſive ſit probabilior (c), ſive æqve probabilis opinio contra pænitentem (d; quod eſt contra multos cum Caramuele), ſunt materia neceſſaria Sacramenti pænitentiæ, hoc eſt neceſſariò confitenda mortalia dubia ut dubia; ita quòd ſi unum culpabiliter omitteretur in confeſſione Sacramentali, eſſet ſacrilega & nulla confeſſio. Ita Doctores in margine citati.

(b) S. Thom. q. 6. ſupplem. art: 4. ad 3. Leander Dicaſtillo NN. Beetz. Bonæ Spei Garcia.
(c) Suarez Soto Bonac. Garcia.
(d) Averſa Bonæ Spei Garcia.

5. Dixi *Prudenti:* quia imprudens dubium eſt vilipendendum. Addidi *ſive probabilior ſive probabilis opinio contra pœnitentem:* nam ſi ſit fortior ratio pro pœnitente, v. g. ad credendum ſe non peccaſſe mortaliter, non tenetur confiteri. Ita Noſtri PP. Bonæ Spei, Stephanus à S. Paulo & alii. D. Reſolutus non habet hanc concluſionem explicitè: attamen quòd noſtra concluſio ſit menti ipſius conformis, patebit in dicendis inferiùs.

6. Probatur Reſolutio: Peccata mortalia dubia ut dubia, non poſsũt voluntariè licitè omitti in confeſſione; ergo ſunt omninò dicenda. Probatur antecedens: Tum quia Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. jubet pœnitentes omnia peccata mortalia dicere in confeſſione, *quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent:* at talium conſcientiam habent ut ſuppo-

ſupponitur, & ſunt verè peccata, licèt in conſcientia dubia, à parte rei tamen non rarò vera: tum quia qui voluntariè omitteret in confeſſione peccatum mortale dubium, exponeret nullitati Sacramentum: nam ſi de facto eſſet à parte rei peccatum mortale, non abſolveretur pœnitens ab eo, conſequenter à nullo mortali; cùm non poſſit tolli unum mortale ſinè alio, aliàs eſſet in gratia & ſimul non eſſet in gratia tale ſubjectũ: tũ quia poſt decretũ Innocentii XI. die 2. Martii 1679. editũ, ubi agitur de valore Sacramenti, non licet ſequi ſententiã minùs tutam relictâ tutiori: at tutiùs eſt dicere peccata mortalia dubia ut dubia, quàm non dicere. Doct. Reſolutus *in 4. d. 4. q. 2.* dicit: *tutiùs eſt ſervare formam Eccleſiæ.* Et concordat regula juris: *in dubiis certior via eſt tenenda.* Tũ quia licèt ſequi opinionem probabilem in occurſu æquè probabilis ſit licitum; non tamen in occurſu ſententiæ incertæ, relinquendo certam. Eſt doctrina D. R. loc. cit. n. 1319. ſumpta *ex jure can. 23. q. 5.* ubi dicitur: *pro incertis à certis recedendum non eſt.* Et ex Aug. *tene certum, dimitte incertum.* At certum eſt, quòd pœnitens dicens in confeſſione peccata mortalia ut mortalia, ſatisfaciat præcepto Tridentini, & non exponit nullitati Sacramentum, nec irreverentiæ: nã ſi eſt peccatum, ab eo abſolvitur; ſi non eſt, non abſolvitur: nec inde irreverentia Sacramento infertur, cùm eam conditio amoveat. Econtra ſi non dicat, non eſt certum quòd ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, & quòd non exponat fruſtrationis periculo Sacramentum.

7. Addit S. Thomas *q. 6. ſupplem. a. 4. ad 3. non tamen debet aſſerere illud mortale eſſe, ſed judicium Sacerdotis expectare, cujus eſt diſcernere inter lepram & lepram.* Dicere non aſſerere eſſe peccata.

8. Dices: Materia dubia, inſufficiens Sacramenti, non eſt materia neceſſaria Sacramenti: Sic materia Conſecrationis, Baptiſmi &c: at peccata mortalia dubia, ſunt materia dubia, inſufficiens Sacramenti pœnitentiæ; ergo non ſunt materia neceſſaria Sacramenti pænitentiæ. Minor probatur: nam etiamſi multa peccata dubia mortalia ut dubia dicantur in confeſſione Sacramentali, ſi non addatur eis ſaltem veniale, aut confeſſum certum aliquod peccatum, non ſunt ſufficiens materia ad abſolutionem: communiter enim Doctores requirunt, ſaltem unicum veniale aut confeſſum omninò debere dici cum dubiis peccatis mortalibus: & de facto ſi peccata mortalia dicta in confeſſione ut dubia, non eſſent à parte rei talia, ſententia Sacramentalis abſolutè prolata, eſſet nulla, ſi non eſſet additum eis aliquod abſolutum peccatum. *Reſp.* Licèt materia Sacramenti Baptiſmi dubia, ſit inſufficiens extra caſum neceſſitatis; eſt tamen neceſſaria in caſu neceſſitatis. Nego quòd peccata mortalia dubia Materia Sacramenti baptiſmi dubia in caſu neceſſitatis eſt neceſſaria.

materia dubia Sacramenti pœnitentiæ: non dubitant enim de hoc DD. utrum sint materia, utrum possint dici ut dubia; omnes enim admittunt quòd sint materia Sacramenti (e). Licetsi cum dubio mortali, aut dubiis, secundùm sententiam communem oporteat dicere in confessione saltem veniale aliquod certum, si mortale non est, ne exponatur Sacramentum nullitati, defectu materiæ; attamen non universaliter hoc requiritur: nam si de peccato dubio certum sit quòd sit commissum, solùm dubium sit circa qualitatem, utrum sit mortale aut veniale, vel an fuerit aliàs confessum vel non; tunc potest absolutè pronuntiari sententia Sacramentalis: quia jam datur materia certa sufficiens, sive illa sit mortale, sive veniale (f). Ex quo collige, quòd si in confessione Sacramentali dicantur peccata mortalia dubia & certa, non est necesse super dubia adhibere conditionem saltem mente in absolutione: nam absolutio absoluta tollit peccata omnia, quæ sunt ritè absolutioni subjecta. Et si nullum sit peccatum certum in confessione in ordine ad absolutionem, conditio saltem mente præponenda est absolutioni, ut absolutio sit sub conditione.

(e) Garcia.

Peccata dubia etiam in ordine ad absolutionem absolutâ sunt materia sufficiens.

(f) S. Thom. Sãchez Candidus Gribaldi Garcia.

9. Urgebis: Etiam in ordine ad conditionatam absolutionem, peccata mortalia dubia, sunt materia insufficiens; nam antecedenter assignanda est pœnitentia: non potest autem talis assignari, quin priùs cognoscatur crimen: nec potest absolutè condigna peccatis servando æquitatem assignari pœnitentia; quia in delicto dubio, nemo præsumitur reus, nec condemnari debet: pro dubio furto, non convictus, suspendi non potest. *Resp.* Nego assumptum: sicut cognoscitur dubium peccatum, non certum; ita assignatur pœnitentia longè minor, non tanta, quanta pro mortali certo. In delicto dubio, nemo præsumitur reus in foro cõtentioso, in quo agitur ad pœnam, Concedo; in foro conscientioso, in quo agitur ad medelam & remissionem pœnæ, Nego. Unde duas regulas assignant Canonistæ: unam pro foro externo, scilicet quòd Judex in dubio non debet quemquam irregularem judicare; aliam pro foro interno, quòd quilibet in foro interno, in dubio debet seipsum irregularem judicare. Ita N. Eliseus à S. Ioan. Bapt. ad quod habetur caput *Enim, de testibus.* Et sic ex homicidio dubio, oritur certa irregularitas (g). Innocentius III. dicit, in foro externo partem benigniorem, in interno partem deteriorem amplectendam. Rationem dat Glossa in *cap. Unic. de scrutinio*: quia licèt deterior videatur, tamen melior & tutior est, adeoque favorabilior: v.g. si fur dicendo præcisè *peccavi* de furto dubio certò à suspendio liberaretur, & non dicendo suspendii periculo exponeretur, indubiè esset ipsi favorabile illud dicere: sic etiam in proposito, si non dicat mortale suum dubium in confessione, & est revera à parte

In dubio cõscientioso non contentioso præsumitur reus.

Regula pro foro interno & externo.

(g) Garcia num. 1357.

rei

rei tale, periculo se exponit æternæ damnationis, & Sacramentum nullitati. Si dicat, & est in rei veritate peccatum, ab eo absolvitur; si non est, nullam irreverentiam infert Sacramento, quia eam tollit conditio adjuncta absolutioni: & sic satisfacit decreto Tridentini.

10. Aliquando prudenter à Confessariis impediuntur scrupulosi, ne peccata dubia dicant; non quòd dubia peccata mortalia non sint dicenda, sed quia à Confessariis judicantur non dubia, ex eo quòd noscant eorum conscientiam timoratam, quòd potiùs millies malint mori quàm Deum offendere, omnia damna subire quàm minimum consensum cogitationibus malignis præbere: horror enim peccati, & continua præcautio, est certitudo non præstiti consensûs. Et in talibus ut plurimùm urget dubium, sed imprudens; imprudens autem dubium, prudentis est deponere (g). Deinde regula est Theologorum, scrupulosos non obligari peccata mortalia dicere, nisi ea quæ parati sunt jurare fuisse mortalia, & ea non esse confessa. Attamen si postea deveniant ad certitudinem peccati mortalis, tenentur illud declarare in confessione. Similiter

Scrupulosi impediũtur.

Scrupulosi quæ tenentur dicere peccata.

Scrupulosus tantùm ea dicere tenetur peccata de quibꝰ juramentũ paratur præstare quòd ea commiserit.

11. Qui post confessionem peccati mortalis dubii ut dubii devenit ad certitudinem ejus, tenetur illud ut certum in Sacramentali confessione, Sacramentali absolutioni submittere: nam non aliter erat absolutus, quàm cum onere illud ut certum postea confitendi, si ut certum occurrat: intentio enim Sacerdotis est, velle absolvere pœnitentem prout oportet. Sicut qui inculpabiliter omittit mortale certum, tenetur illud confiteri si occurrat, prout in schola Societatis oppositum prohibetur; ita dubium peccatum confessum, tenetur declarare in confessione ut certum, si ei occurrat: quia etiam sub tali onere, scilicet confitendi, est absolutus.

Deveniens ad certitudinem peccati tenetur illud declarare nõ econtra si dixit ut certum & postea dubitet.

12. Si verò dixit ut certum, & postea de eo dubitet an fuerit; non tenetur iterum confiteri ut dubium (h).

(h) Cardinalis Lugo. Tamburinꝰ.

13. Quid de eo qui aliquid existimabat aut dubitabat esse peccatum, tandem rescivit non esse peccatum; teneturne illud confiteri an non? *Resp.* Quòd non: quia juxta Trid. Conc. illud tenetur confiteri peccatũ, cujus post diligentem sui discussionem, conscientiam habet: at nunc cõscientiam hujus quòd sit peccatum non habet, sed potiùs habet conscientiam ejus quòd non sit peccatum; ergo confiteri illud non tenetur. Nec hoc convincit, quòd hoc pro peccato habuit; quia existimatio subsequens factum, non facit peccatum ut dixi sup. præc. n. 2. multi enim existimant se peccatores maximos; & tamen ex eo non sunt tales.

14. Dices: Hoc erat in conscientia peccatum. *Resp.* Ergo tunc si cõfiteretur, teneretur illud confiteri, juxta ordinationem Concilii Trident.

Econtra nunc: quia certus eſt quòd non ſit peccatum, confiteri illud non tenetur. Ex hac & immediatè præterita ſerie pro diſcurſu & ſolutione

Qualis materia peccatum veniale mortale exiſtimatum dubium?

15. Collige: peccatum veniale eſſe materiam ſufficientem, non neceſſariam hujus Sacramenti, etſi ſit unicum, abſque mortali; peccatum mortale certum, nondum confeſſum, ſufficientem & neceſſariam materiam; mortale exiſtimatum exiſtimatione ſubſequente factum, materiam neceſſariam inſufficientem; peccatum mortale dubium, materiam neceſſariam reſpectivè ſufficientem, ſcilicet ad abſolutionem conditionatam, aut abſolutam ſi dubium non eſt de peccato, ſed ſolùm de qualitate, an mortale aut veniale ſit; ſimiliter dum ei adjungitur aliquod peccatum certum ſaltem veniale, etiamſi confeſſum.

SERIES II.

Circa partes ex quibus Sacramentum pœnitentiæ habetur.

Conſtitutiva Sacramenti pœnitentiæ.

I. PEccata non ſunt materia ex qua eſt Sacramentum, ſed ſunt materia circa quam deſtruendam verſatur Sacramentum pœnitentiæ. Sacramentum pœnitentiæ non conſiſtit in ſola abſolutione. Ita communiter DD. contra Scotiſtas. Ratio eſt: Tum quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum judicii; judicium verò eſſentialiter includit accuſationem rei &c: Tum quia compoſitum conſiſtit non in ſola forma, ſed in materia & forma: Tum quia ſi tota eſſentia hujus Sacramenti ſita eſſet in abſolutione, poſita abſolutione daretur Sacramentum, etiamſi contritio & confeſſio non eſſet. Eſt ergo potiùs pars præcipua hujus Sacramenti, ſcilicet forma ejus. Præter eam ſunt partes hujus Sacramenti, materia proxima dolor, confeſſio & ſatisfactio pro peccato: conſtat ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 13. dicente: *ſunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio & ſatisfactio.* Cujus rationem dat D.R. *in* 4. *d.* 14. *q.* 2. *a.* 3. his verbis: *quòd ſicut in peccato mortali tria accidunt, impudentia, delectatio & perpetratio; ſic in pœnitentia, triplici modô opus eſt, confeſſione contra impudentiam, amaritudine contra delectationem operis, ſatisfactione contra perpetrationem:* pro quibus citat can. *de pœnit.* §. *quibùs & quot dictis.*

Contritio & confeſſio ſunt partes eſſentiales ſatisfactio pars integralis.

2. Et ſicut particula *quaſi Unigeniti*, non excludit Unigenitum à ratione Filii; ita particula, *quaſi materia*, non excludit contritionem, confeſſionem &c. à ratione materiæ proximæ, ac partis hujus Sacramenti.

3. Quòd duæ partes dolor & confeſſio, ſint partes eſſentiales hujus Sacramenti, patet; quia ſunt de conceptu judicii: ſublata enim alterutra parte illarum, non eſſet judicium emendativum. Quòd verò ſatisfactio non ſit pars eſſentialis, patet in infirmo, qui ſi ratione deſtituatur,

(a) S. Thō. Suar. & alii cōmuniter.

tur, solet & debet absolvi absque imposita satisfactione : sed est pars integralis (a), inquantum adintegratio judicii, pœnâ concluditur.

SERIES III.

De contritione priori parte materiæ proximæ Sacramenti pœnitentiæ.

SECTIO I.

Quid & quotuplex contritio, quæ & quomodo justificativa?

1. CONtritio ad propositum, sumpta in genere prout à perfecta & imperfecta abstrahit, secundùm Concil. Trident. *sess.* 14. definitur sic: *Est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* — Contritio.

2. Exdividitur in perfectam & imperfectam : illa, propriè ab omnibus Theologis dicitur, & est dolor ac detestatio peccati, propter Deum summè dilectum; hæc à Catholicis ex Trident. attritio potiùs nuncupatur, & est dolor ac detestatio peccati ex motivo supernaturali (hoc est revelato) infra amoris motivum. — Perfecta & imperfecta.

3. Quare ratione motivi, contritio est unius tantùm speciei, cùm habeat unicum indivisibile objectum; attritio verò in varias species est nata exdividi; communissimè tenetur. Secundùm Trident. *ses.* 14. *cap.* 4. exdividitur in duas species, scilicet in eam quæ est detestatio peccati ob fœditatem ejus, & eam quæ est detestatio peccati ob timorem pœnæ, præsertim æternæ : ad has enim species, omnes aliæ revocari possunt, quòd quis detestetur peccatum quia amisit gratiam, quia privatus est felicitate æterna, &c &c. His præmissis — Sub cognitione quòd sit atritio non contritio perfecta.

4. Dico 1. Contritio perfecta, sive in Sacramento pœnitentiæ sive extra illud, semper est sanctificativa, hoc est dum peccata invenit in eliciente, ea tollit. Ita omnes Catholici ; ut oppositum hîs temporibûs error sit in fide (a). Authoritates Sacræ Scripturæ demonstrant : *Qui sanat contritos corde. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Concilia : Nicænum, Milevitanum, Arausicanum & Trident. Hoc idem definiunt: Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. hanc propositionem : *charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum,* damnant. Et sic habetur remedium, ante confessionem reconciliandi impium. Non aliter tamen mortalia tollit, quàm in voto confitendi: patet ex hac propositione: *peccata mortalia delentur per cordis contritionem sinè ordine ad cla-* — Perfecta cõtritio semper est iustificativa. (a) de Rhodes. — In voto cõfessionis.

ves, damnáta à Sixto IV. Unde reſtat onus confitendi. Nec debet ſe turbare pœnitens, quòd eliciendo contritionem non haberit votum explicitum confitendi; quia in ipſa contritione includitur i plicitum votũ, inquantum in ea includitur voluntas ſervandi omnia præcepta graviter obligantia, conſequenter præceptum confeſſionis.

Quod in cõtritione in cluditur.

5. Dico 2. Nulla attritio extra Sacramentum juſtificat; nullibi enim voluntas hæc Divina, ſive in Sacra Scriptura, ſive in Conciliis innoteſcit: attritio autem perfecta (hoc eſt habens ad ſui ſufficientiam omnia requiſita) cum Sacramento pœnitentiæ juſtificativa eſt, tam extra periculum mortis (b), quàm in articulo mortis, etiam ſub cognitione quòd ſit attritio, non contritio perfecta (c). Ratio eſt: quia ſi ad Sacramentum pœnitentiæ requireretur ſemper contritio perfecta, numquam Sacramentum pœnitentiæ eſſet Sacramentum mortuorum, ſed vivorum: cùm dolor præcedere debeat, & ſecundùm communem ſententiam, in inſtanti quô quis conteritur, gratia ſanctificans ipſi infunditur (d). Nec in articulo mortis tenetur plus apponere ad ſalutem, quàm ea quæ Eccleſia docet eſſe ad ſalutem neceſſaria: ſed Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 4. docet ſufficere ad remiſſionem peccatorum, attritionem cum Sacramento, & hoc dicit ſinè exceptione articuli mortis, quem alioqui excipere debuiſſet; ergo attritio perfecta cum Sacramento pœnitentiæ eſt juſtificativa, etiam in articulo mortis.

(b) S. Thom. hîc quæſt. 80 art. 4. ad 2. Scotus in 4. d. 14 a. 3. Noſtri Bonæ Spei Garcia contra Alēſem Medin. Sotum.

(c) Noſtri Salmat. Antonius à S. Spiritu Frãciſcus à Ieſu Gabriel à S. Vincētio contra Suar.

(d) Petrus à S. Ioſepho

6. Attamen licèt attritio perfecta ſit ſufficiens cum Sacramento pœnitentiæ, ad juſtificationem pœnitentis; moribundis conſulendum eſt, ut in articulo mortis eliciant actum contritionis: non ob inſufficientiam attritionis perfectæ, ſed quia poteſt Sacerdos non habere juriſdictionem, poteſtatem abſolvendi, etiam approbatus ſive Parochus: nam poteſt eſſe non legitimè baptizatus aut taliter ordinatus, vel ab Epiſcopo hermaphrodito conſecratus, aut intentionem abſolvendi omittere, vel aliud ſimile contingere (e). Imò quando prudenter dubitat de aliquo enumeratotum, obligatur ſtrictè ad eliciendam contritionem, ut ſalvet animam ſuam; ſi non Sacramentô pœnitentiæ, tunc contritione.

(e) Bonæ Spei diſp. 2. dub. 5. reſol. 3.

7. Dices: In articulo mortis tenemur vitare periculum æternæ damnationis; non vitatur autem per attritionem, nam poteſt ſub eſſe defectus ex parte abſolventis aliquis enumeratorum, aut pœnitens ipſe non ritè baptizatus. Item ubi agitur de valore Sacramenti, maximè in articulo mortis, tenemur uti ſententia tutiori, relicta probabiliori; tutior autem eſt contritio. Præterea quilibet pœnitens in articulo mortis obligatur ad actum dilectionis Dei ſuper omnia, ut communiter cum P. Garcia docent Doctores; ergo tenemur tunc potius elicere contritionem. *Reſp.*

Pro diſcurſu & ſolutione.

ad

ad 1. Nego quòd tunc non vitetur periculum æternæ damnationis, per attritionem cum Sacramento: est enim tutissimum remedium ad illud vitandum, attritio cum Sacramento pœnitentiæ, utpote traditū à Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 4. Concedo quòd possit subesse defectus ex parte absolventis &c. tunc non poneretur Sacramentum, non ob insufficientiam attritionis, sed ob defectum occurrentem; sed facilè suppletur hoc per actum subsecutum dilectionis super omnia, ad quem actum quilibet in articulo mortis eliciendum obligatur, ut communiter docent Theologi; sed non ad eliciendum in ipsa confessione, aut antè (*f*): quia non tenetur ad talem actum ratione præcepti confessionis, sed ratione præcepti dilectionis, quem post confessionem elicere potest, per anteriorem confessionem nō peccando. Dum agitur de valore Sacramenti, salute propria aut aliena, tenemur uti sententia tutiori relicta probabiliori minùs tuta, si probabilior minus tuta, sit incerta moraliter aut dubia, Concedo; si verò probabilior minùs tuta, est absolutè tuta, moraliter certa, Nego quòd teneamur tunc uti sententia tutiori (*g*). Licèt teneamur sequi tutiorem tutioritate sufficienti, non tamen tutiorem tutioritate abundanti. Ita N. Garcia de Sacram. in gen. Nec tutior est contritio, attritione cum Sacramento, quando illud ponitur.

(f) Garcia n. 1675. Qualitutiori sententia, tenemur uti?

(g) Garcia nu. 1676. de Rhodes.

SECTIO II.

Vt contritio perfecta & attritio talis, illa extra, hæc cum Sacramento Pœnitentiæ sit justificativa, quæ requirantur?

Requisita ad perfectionē contritionis & attritionis.

INprimis certum est, quòd tam contritionis quàm attritionis debeat esse verus dolor; non sufficit existimatus: nam dolor correspondet delectationi peccati, quæ non erat existimata sed vera. Nec sufficit dolere quòd non doleas de peccatis tuis; quia sic esset dolor de negatione doloris, non de peccatis. Attamen si pœnitens ex scrupulo dicat se non sentire dolorem, quem tamen procuravit de peccato quod verè detestatur cum proposito non committendi illud, absolvendus est; quia verè dolet, licèt cognitionem doloris non habeat ex sensu: si autem nullum procuravit dolorem, & nullum actum detestationis elicuit, adjuvandus est ut eliciat ante absolutionem: et si hoc non faciat, remittendus est ad meliorem occasionem, in qua sit benè dispositus. Ita Rotarius.

Dolor debet esse verus.

2. Debet uterque dolor esse supernaturalis. Est D. R. *in* 4. *d.* 15. *q.* 1. & omnium Theologorum post decretum Innocentii XI. quô fuit damnata hæc propositio: *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Patet ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. dicente, *attritionem donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum.* Et ipsemet timor gehennæ est supernaturalis: patet ex propositione hac: *Timor gehennæ non est supernaturalis,* damnata ab Alexandro VIII.

Supernaturalis.

3.

Non existimatus: nam dolor debet procedere ex impulsu Spititûs S.

3. Nec sufficit existimatus dolor: quia Concilia requirunt dolorem supernaturalem, procedentem ex impulsu Spiritûs Sancti. Existimatio illa excusaret quidem à nova culpa, sed nihil conferret ad valorem Sacramenti. Existimet quis aquam esse vinum album; non efficiet Sacramētaliter Sangvinem Christi. Si tamen talis permaneat in bona fide, ab iteranda confessione excusabitur: & hoc sufficit ad pacandam conscientiam, præsertim cùm peccata bona fide invalidè confessa, per sequentes confessiones indirectè, aut per contritionem tolli possint. Attritio naturalis est, quæ solius naturæ viribûs, ob motivum naturale elicitur: v. g. quia peccatum est causa damni temporalis, infamiæ, &c. Supernaturalis attritio est, dum ex motivo supernaturali, elevato: v. g. ob pœnas æternas à Deo infligendas quas credimus esse, vel ob amissionē regni cœlestis quia Deus eô privat, vel ob turpitudinem peccati à Deo ipsi peccato inditam.

Attritio naturalis. Supernaturalis.

Pro discursu & solutione

4. Dices: Metus gehennæ est naturalis, sed attritio ex metu gehennæ, ad Sacramentum pœnitentiæ est sufficiens; ergo attritio naturalis, ad Sacramentum pœnitentiæ est sufficiens. *Resp.* distingvo primam propositionem: metus gehennæ est naturalis, vel supernaturalis; potest enim voluntas humana, supposita fide de existentia gehennæ, propriis viribûs timere gehennam: sed nego talem timorem sufficere ad justificationem. Quare distingvo secundam propositionem: attritio ex metu supernaturali gehennæ est sufficiens, Concedo; attritio ex metu naturali gehennæ est sufficiens, Nego: consequenter quòd sufficiat naturalis attritio.

Consensus naturalis nō attritio sufficit.

5. Urgebis: Ad valorem matrimonii sufficit consensus naturalis; ergo etiam ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, sufficit attritio naturalis. *Resp.* Disparitas est: quia consensus est pars Sacramenti matrimonii, non verò est dispositio ad gratiam supernaturalem, ut ex Trid. est attritio; benè autem aliqua res naturalis, potest esse pars Sacramenti, ut aqua est pars Sacramenti baptismi; non potest verò esse dispositio ad gratiam supernaturalem, cùm non sit ejusdem ordinis naturale cum supernaturali.

(a) Suar. Lessius Lugo Leāder apud Garciam cōtra Vasques.

6. Addo: probabile esse ad valorem Sacramenti sufficere attritionem ex metu pænæ temporalis à Deo infligendæ: ita enim multi DD. sentiunt (a). Et Trid. *sess.* 14. *c.* 4. asserit, sufficere cum spe veniæ attritionem, conceptam ex metu gehennæ & pænarum, si voluntatem peccandi excludat: addendó in exemplum pænitentiam Ninivitarum, quæ fuit concepta ex metu excidii Urbis suæ.

Attritio ex metu pænarum tempolium.

7. Requiriturne semper ut attritio elicita referatur ad Deum? *Resp.* Ut attritio ex qualicumque motivo elicita justificet cum Sacramento, requi-

requiritur (secundùm communiorem sententiam) ut dictum motivum sumatur in ordine ad Deum, scilicet ut pœnitens detestando peccatum propter metum v. g. pœnarum detestetur illud propter metum pœnarũ non quomodocumq;, sed propter metũ pœnarum ut infligendarum à Deo Judice. Similiter detestando peccatum propter turpitudinem, detestetur illud propter turpitudinẽ non illam presse quæ apprehenditur in peccato, sed propter turpitudinem quæ est non obediendo Deo, vel aliter referendo ad Deum (b). Ratio est: quia sicut peccatum est aversio à Deo, & conversio ad creaturam propter aliquem finem vel bonitatem in creatura apprehẽsam; ita dolor sufficienter retractativus, debet esse aversio à creatura & cõversio ad Deum propter perfectionem in eo &c. Et perfecta conversio est, quando est propter bonitatem ejus; imperfecta, quando propter superioritatem ejus cui obedimus, vel propter excellentiam quam reveremur, vel propter potentiam punitivam quam timemus, vel propter bonitatem ejus, sed nobis bonam.

Debet sumi in ordine ad Deum.

(b) Nostri Eliseus à S. Ioanne, & Clemens à S. Põtiano.

8. Dices: Hæc rusticus non scit. Dico: hæc rusticus facit, pœnitentiam agit ex metu gehennæ, quare? quia scit illam à Deo infligendam. Ergo propter gehennam infligendam à Deo, pœnitentiam agit. Ergo cum ordine ad Deum.

9. Dolor tam attritionis quàm contritionis, in Sacramento debet esse formalis expressus, nec sufficit virtualis, cum sit pars essentialis Sacramenti; pars autem Sacramenti debet esse actualis, non sufficit virtualis: sic in Baptismo v. g. non aqua virtualis; alioqui omnia mixta essent materia Baptismi. Quòd autem verba æquivalentia sufficiant ad Sacramentum Matrimonii, jam est data disparitas, ubi de Sacramentis in genere egimus.

Dolor debet esse formalis

10. Unde collige, ad Sacramentum pœnitentiæ non sufficere dilectionem Dei super omnia. Quodsi pœnitens ex ignorantia invincibili, locò contritionis aut attritionis eliceret actum dilectionis Dei super omnia, non peccaret quidem, imò justificaretur, si esset obnoxius peccato mortali, nam amor Dei super omnia, etiam sinè expresso dolore peccati commissi, est sufficiens ad justificandum juxta communissimam sententiam (c); Nullum tamen conficeret Sacramentum. Si verò hoc faceret, sciens esse insufficientem materiam dolorem æquivalentem, nẽpe dilectionem Dei, (requiri potiùs dolorem formalem expressum) peccaret mortaliter, eò quod voluntariè non poneret materiam seu partẽ Sacramenti, faceretq; irreverentiam Sacramento, reddendo illud nullũ (d). Quomodo autem dolor de peccatis debeat esse summus, hoc est super omnes de omnibus malis dolores; similiter detestatio?

Non sufficit dilectio DEI loco doloris expressi.

(c) Bonæ Spei, N. Ignatius Pontius, Garcia n. 1551.

(d) Garcia.

11. Oportet resolutioni præmittere, quòd dolor possit considerari, vel intensivè major, ita ut plures gradus intensionis habeat quàm alii, eò quòd voluntas majori conatu feratur in hunc dolorem eliciendum

Intensivè appretiativè.

 quám

quàm in alios; vel appretiativè, quando unum objectum præfertur omnibus aliis objectis: ut si de peccato ita doleam, ut quodlibet malum pati omninò mallem, quàm peccare; dolorem tunc habeo appretiativè summum & super omnia, etiamsi in gradu remisso sit. His præmissis

12. Dico: Ad contritionem perfectam sive extra Sacramentum sive in Sacramento pœnitentiæ, non requiritur, ut dolor sit summus intensivè, sive summè intensus; quod est contra multos (e). Probatur: Tum quia Trid. *sess.* 6. *c.* 5. docet unumquemquè in justificatione recipere gratiã, secundùm mensuram propriæ dispositionis: at si dolor deberet esse summè intensus, non daretur gratia secundùm dispositionem pænitentium; quia in eis esset dolor summè intensus, gratia autem non datur in gradu summo, cùm ipsa secundùm D. R. *in* 1. *d.* 46. *q.* 1. *a.* 2. §. 6. possit augeri in infinitum. Tum quia contritio elici debet ex auxilio Divinæ gratiæ: hoc non datur summum; ergo nec elicitur dolor contritionis summus, sufficit enim in gradu minimo: nam peccatum mortale in gradu minimo, est sufficiens ad destruendam Dei amicitiam; ergo etiam cõtritio perfecta in gradu minimo, est sufficiens ad reconciliandum Deo peccatorem. Sed debet esse dolor appretiativè summus. Ratio est: quia sicuti quando jubemur Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, jubemur illum diligere appretiativè (hoc est plusquàm omnia), non autẽ habere actum amoris intensissimum seu in gradu intensissimo, cùm ferè sit impossibilis nobis; ita quando jubemur Sacrâ Scripturâ ut convertamur ad Deum in toto corde, in tota tribulatione animæ, non aliud præcipit Sacra Scriptura nobis, quàm dolorem appretiativè super omnia, ita ut parati simus quodvis potiùs malum subire, quàm peccatô inquinari: major enim honor est personæ dilectæ, appretiativè magis amari quàm intensè: quia sic, magis voluntas diligentis adhæret dilecto, quandoquidem parata propter illum deserere quodcumquè bonum, & pati quodcumquè malum; quod non contingit dum amatur magis intensè. Possumus sinè injuria minus bonum amare magis intensè, quàm bonum majus; non possumus verò illud amare magis appretiativè: quia præferremus minus bonum majori bono, in quo est injuria.

13. Appretiativè verò debet esse per comparationem formalem ad omnia collectivè, ut dicat ita pænitens v. g. *Malo omnia etiam gravissima tolerare, & summè amabilia deserere, quàm te Deum graviter offendere:* non verò opus est ut sit per comparationem explicitam ad omnia distributivè, ita ut dicat, *Mallem amittere honorem, famam, omnia bona, & vivere infamis, proscriptus, quàm peccare:* quia valdè periculosa est talis comparatio; ne (cum temporalia fortiùs moveant quàm æterna) rei temporalis amor fortiùs trahat, quàm Dei. Unde potiùs dissvadendæ sunt infirmioribus,

(e) Nostri Bonæ Spei Stephanus à S. Paulo, Garcia & alii.

Dolor debet esse summus non intensivè sed.

Appretiativè.

Major honor est amari appretiativè quám intensè.

Sinè injuria magis amatur intensè minus bonũ non autem appretiativè.

Appretiativè per comparationem collectivè non distributivè.

ribus, & nunquam proponendæ in confeſſionibus, ùti communiter docent Doctores.

Dolor debet eſſe univerſalis & quomodo?

14. Dolor & deteſtatio attritionis debet eſſe univerſalis, hoc eſt extendens ſe ſive formaliter ſive virtualiter ad omnia peccata mortalia; nõ ſolùm ad ea quæ in confeſſione dicuntur, & ea quæ hîc & nunc dici non poſſunt (quia v. g. prudenter timetur ne revelet Sacerdos, aut complicem verberibûs tractet &c); ſed etiam ad ea quæ memoriæ non occurrunt, & inculpabiliter in confeſſione omittuntur: poteſt enim eſſe peccatum in anima, quod non eſt in conſcientia: eſt ſententia D. R. *in* 4. *d.* 14. *q.* 1. *a.* 1. aliorumquè in margine (f) contra Suar. Card. de Lugo, Dicaſtillo (qui defendunt ſufficere extenſionem doloris ad peccata mortalia omnia tantùm ea, quæ in confeſſione recenſentur) & contra quotquot defendunt Sacramentum pœnitentiæ poſſe eſſe validũ & informe. Ratio eſt noſtræ reſolutionis: quia non verificaretur forma, *ego te abſolvo:* nam nemo poteſt abſolvi à peccato de quo non dolet; nullum enim mortale remittitur ex lege ordinaria, niſi de eo habeatur dolor (g); nec etiam poteſt remitti peccatum mortale ſinè alio commiſſo. Extenditur autem ad omnia mortalia, vel formaliter vel virtualiter: formaliter, quando de omnibus diſtinctè aut confusè dolet pænitens, dicendo aut mente exprimendo: *Doleo de omnibus peccatis, deteſtor omnia peccata quæcumquè, oblita etiam, & quæ hîc & nunc memoriæ non occurrunt.* Virtualiter autem extenditur ad omnia quæcumque peccata dolor, quando elicitur de uno aut altero commiſſo mortali, non de aliis; ſed elicitur ex motivo univerſali, repugnante omni peccato mortali, excludentequè affectum ad omne peccatum mortale: ſic contritio elicitur ex motivo ſupremo, ob amorem Dei ſuper omnia quòd ſit læſus, quod motivum cum peccato mortali omni qualicumquè, eſt incompoſſibile: impoſſibile enim eſt, ut quis mortaliter offendat Deum, & ſimul diligat eum ſuper omnia, aut econtra. Quare non pono reſolutionem de contritione; quia contritio vi ſui motivi extenditur ad quodcumquè mortale commiſſum, quod motivum hoc unicum habet non aliud: ſed pono eam de attritione, quæ multa motiva reſpicit, quorum alia ſunt univerſalia, alia ſpecialia. Si igitur doleat de adulterio commiſſo, propter ſpecialem fœditatem ejus, & non doleat de furto commiſſo, eò quòd memoriæ non occurrit, non abſolvitur etiam à peccato adulterii confeſſo: ſi verò quis doleat de utroquè, aut de uno tantùm, propter motivum univerſale, v. g. ob metum gehennæ, aut fœditatem peccati mortalis ut ſic ſive omnis; non tantùm ab utroquè peccato, ſed etiã ab omni quocumquè mortali commiſſo abſolvitur: quia vi talis motivi, dolor virtualiter extenditur ad omne peccatum mortale commiſsũ: qui

(f) Bonacina Gonetus, Noſtri Bonæ Spei Garcia.

(g) Bonæ Spei Garcia, Petrus à S. Ioſepho.

Extenditur dolor vel formaliter vel virtualiter.

qui ex tali motivo deteſtatur unum, deteſtatur omne; nam tale motivum cuicumquè mortali opponitur. Quare licetſi multum conveniens ſit, diſtinctos de diſtinctis peccatis dolores præter univerſalem elicere (h), maximè de illis ad quæ quis eſt magis pronus, quod & ſvadeo, toties de illis repetere actum contritionis, quoties ad ea tentatio conſurgit, nam major gratia tunc tali infunditur, & dæmon humilitate vincitur; Tamen etiamſi unum peccatum alio ſit deteſtabilius, non eſt hoc omnino neceſſarium, ad juſtificationem: ſufficit enim unica contritio extra Sacramentum, aut unica attritio cum Sacramento (i). Ratio eſt intimata immediatè.

(h) D. R. in 4. d. 15. q. 1. a. 2. in fine.

(i) S. Thom. 1. 2. q. 113. a. 5. ad 3. Suar. Garc. num. 1630.

15. Si dicas: ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, ſufficit dolor elicitus ex motivo particulari, v. g. de peccato furti (ſi ſolùm unicum ſit) propter turpitudinem injuſtitiæ, cum propoſito non peccandi de cætero; ergo non eſt opus dolore univerſali. *Reſp.* Noſter Garcia: Sufficit dolor ex motivo particulari, ſi implicitè ſit ex motivo univerſali, concedit; ſi ſecus, negat: eſt enim implicitè ex motivo vniverſali, ſcilicet ex motivo virtutis pœnitentiæ, quæ eſt virtus univerſalis. *Reſp.* 2. Si pœnitens ſit certus quòd ſolùm unicum peccatum mortale ſit commiſſum, v. g. ſi adultus heri baptiſatus eſt, hodie peccatum mortale unicum commiſit; nō eſt neceſſarius dolor univerſalis: non enim tenetur dolere de eo quod non commiſit. Attamen dempto hoc caſu, ordinariè requiritur dolor univerſalis, extendens ſe ad omnia peccata cōmiſſa, ne aliquod peccatum lateat in anima irremiſſum, quod non apparet in conſcientia; & conſequenter quod clarum eſt in conſcientia, ne remaneat indeletum. Vide hìc num. 6.

Pro diſcurſu & ſolutione.

16. Si urgeas: Poteſt quis ex motivo univerſali charitatis aut pœnitentiæ, aut alio, deteſtari unum peccatum, & aliud ex alio motivo velle; ergo quando quis dolet de peccato, deteſtatur illud ex motivo univerſali, nō eô ipsô deteſtatur aliud. Antecedens probatur: poteſt quis ex univerſali motivo amicitiæ, velle dare amico unum nummum, & nolle dare decem; ergo etiam deteſtari unum peccatum mortale, & aliud ex alio motivo velle. Patet conſequentia: quia ſicut motivum pœnitentiæ reperitur in omnibus peccatis, ita motivum amicitiæ in omnibus beneficiis. Antecedens etiam patet: tum ex praxi; tum inde, quòd quando amico vellet quis dare aliquid ex motivo amicitiæ, deberet eſſe paratus omnia ei bona præſtare. *Reſp.* Diſting. primam propoſitionem: poteſt quis ex motivo charitatis unum peccatum deteſtari, & aliud velle, poteſt inquam deteſtari fictè, concedo; poteſt deteſtari verè, nego. Sicut non verè deprecatur læſum ille, qui colaphizat eum; ita non verè dolet de offenſa Dei & deteſtatur eam, qui eum offendit mortaliter. Diſparitas autem eſt inter velle

Caſus in quo ſufficit dolor ex motivo particulari.

velle bonum ex motivo charitatis, & dolere de peccato, detestari peccatum ob motivum charitatis: quia charitas non opponitur cuicumquè bono meritorio; opponitur autem cuicumquè peccato mortali, impossibilisq; est cum eo.

17. Si dicas aliter: 1. Dolor debet esse sensibilis per confessionem, cùm sit pars Sacramenti, quæ debet esse sensibilis, ùti totum est sensibile: at dolor peccatorum quæ memoriæ non occurrunt, non potest esse sensibilis per confessionem, siquidem talia non exprimuntur in confessione; ergo &c. 2. Non minùs requiritur ad valorem Sacramenti dolor, quàm confessio: at confessio sufficit integra formaliter, hoc est illorum tantùm quorum memoria habetur, nec requiritur integra materialiter, hoc est omnium omninò commissorum; ergo etiam dolor sufficit de peccatis omnibus formaliter, hoc est de omnibus quæ sunt in memoria pœnitentis, & non requiritur de omnibus materialiter, hoc est de omnibus omninò, etiam de illis commissis quæ non sunt in memoria. *Resp.* ad 1. & dico: Iste dolor redditur sensibilis primò, licèt non per confessionem oblitorum, tamen per confessionem aliorum, cùm sit unicus idem dolor universalis, qui formaliter respicit confessa, virtualiter oblita: secundò redditur sensibilis etiam per confessionem virtualem oblitorum, quando pœnitens dicit, *doleo de omnibus commissis*. Ad 2. disparitas est: quia non dimittitur peccatum, nisi detestetur illud; dimittitur autem, etiamsi non dicatur in confessione, dummodo inculpabiliter. Quia dolor cum Sacramento tollit oblita sub onere dicendi ea si occurrent memoriæ.

Peccatorum oblitorum dolor redditur sensibilis per confessionem.

Quid de venialibus peccatis?

18. *Resp.* & dico: Extra dubium est, quòd veniale peccatum non remittatur, nisi de eo habeatur dolor. 2. quòd de eo debeat esse dolor supernaturalis, omnes admittunt, solo Tamburino reclamante. 3. quòd si unicum veniale absquè ullo mortali dicatur in confessione Sacramentali, absquè dolore, Sacramentum pœnitentiæ non efficitur: quia pars essentialis deest, dolor scilicet: & talis pœnitens, si voluntariè culpabiliter dolorem omittat; peccat mortaliter: quia etsi non teneatur absolutè confiteri veniale; ex hypothesi tamen quòd confitetur, debet apponere ex parte sua quæ requiruntur ad valorem Sacramenti. Est sententia communis. 4. apud omnes extra dubium est, imò certum, quòd si quis cum mortalibus venialia subijciat potestati Ecclesiæ in Sacramentali judicio, & de aliquo veniali, aut omnibus omittat inculpabiliter per inadvertentiam dolorem, habens dolorem de mortalibus, tunc nec ponit obicem Sacramento, nec peccat. Ita omnes DD. cujus ratio est inferiùs. 5. nec de hoc dubium debet esse, quòd si quis dicat in confessione

De venialibus debet esse supernaturalis dolor.

ſione Sacramentali peccatum veniale, non ut abſolvatur ab eo in Sacramento, ſed ob majorem confuſionem ſui, aut ut recipiat aliquam à Confeſſario inſtructionem, non dolens de eo, talis nec reddit irritum Sacramentum, nec peccat; dummodo ſint alia peccata cum dolore vero efficaci (k). Sed de hoc controvertunt Doctores, ſi quis v. g. quatuor peccata venialia ſubjiciat poteſtati clavium, de tribus habens dolorem, de quarto voluntariè non habet; an in tali caſu ſit validum Sacramentū? & an ob carentiam voluntariam doloris de quarto peccato, mortaliter peccet? Ad quod

(k) Garcia de Sacrament. pœniten. n. 1508. *Ioannes Pontius*.

19. *Reſp.* & dico: Pœnitentem debere habere dolorem de omnibus venialibus confeſſis, quia oportet applicare materiam ſufficientem; attamen, ſi ex negligentia culpabili aliqua, omitteret pœnitens dolorem de quarto peccato veniali, tunc nec irritaret valorem Sacramenti, quia habetur dolor verus & efficax de aliis pecatis ut ſupponitur, & alia omnia conſtitutiva eſſent; nec peccaret mortalitr (l), quia ſicuti liberum pœnitenti eſt dicere veniale aut non dicere, ita liberum de illo dolere, dūmodo de aliis non deſit dolor: venialiter tamen peccaret, ratione negligentiæ. Ita noſter Garcia loc. cit. in margine.

(l) Garcia n. 1507. Gaſpar Hurt. diſp. 6. de Pœnit. Dian Tō. 1. Tract. 3. Ref. 98. & 108. n. 5. Lugo, Arriaga, Rotar. Tamb. Steph á S. Paulo, contra Ioannem Pontium.

20. Dices contra 1. Si quis confitetur venialia, debet omnia deteſtari, maximè ne materiæ debitæ admiſceat inutilem; concedo: at materiæ utili poteſt admiſceri inutilis; nego & ſuppoſitum, quod confeſſio ut proferens illud quartum peccatum eſſet inutilis, cùm adferret materiam ſufficientem, quòd autem non tolleretur abſolutione hoc peccatum, aliunde eſſet defectus: ſcilicet quòd dolor ad id non extenderetur.

21. Probabis: Nam in Sacramento pœnitentiæ viri timorati ſe accuſare ſolent de imperfectionibus. Addo: vel dubitant utrum imperfectiones quas referunt ſint peccata, vel non? ſi primum? Poſſunt illas confiteri, ut peccata dubia. Si ſecundum? non illas confitentur tamquam materiam debitam, ſed humilitatis gratiâ in confuſionem ſui, vel ob alium finem honeſtum. Ita noſter Garcia num. 1508.

22. Contra 2. punct. reſolutionis: Qui inter hoſtias conſecrandas apponit non triticeam, peccat mortaliter; ergo etiam qui inter aliam materiam aptam, ſubjicit formæ abſolutionis materiam ineptam, hoc eſt confeſſionem peccati non dolorem. *Reſp.* diſparitatem eſſe: quia in conſecratione hoſtiarum tot fiunt Sacramenta, quot ſunt hoſtiæ: cùm ergo illa hoſtia non ſit materia apta, illam ſubjiciendo formæ, Sacramentum reddit nullum, conſequenter mortaliter peccat, cùm in re gravi; jam verò Sacramentum pœnitentiæ unicum eſt, ſive tria ſive decem ſint peccata. Quapropter licetſi deſit dolor reſpectu unius, quia tamen eſt de aliis, non deeſt materia.

23. Pro ulteriori resolutione dico: Licèt ad valorem Sacramenti nõ requiritur, ut dolor se extendat ad omnia venialia, quia unum potest sinè alio tolli, & cum veniali stare potest & augeri gratia; tamen ut omnia venialia dimittantur, ad illa omnia dolor extendi omnino debet, quia peccatum non dimittitur, nisi detestemur illud.

24. Licetsi quandò quis efficaciter detestatur veniale ex motivo charitatis aut pœnitentiæ, detestetur virtualiter omnia alia venialia; non tamen eô ipsô detestatur omnia mortalia, aut econtra: quia detestatio presse peccati mortalis, est displicentia in re gravi; venialis verò peccati, in levi. Tutissimum ergo est, ut habeamus dolorem de omnibus peccatis, tam mortalibus quàm venialibus, & detestemur etiam levissima.

25. Tam contritio perfecta extra Sacramentum & in Sacramento, quàm & attritio in Sacramento, debet esse efficax, hoc est habens propositum non peccandi de cætero: nam à Concilio Trid. *sess.* 14. *c.* 4. in definitione utriusquè requiritur, quando sic definitur: est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Doctor Resolutus *in* 4. *d.* 14. *q* 1. *a.* 3. hæc habet: Cordis contritione deletur peccatum, si proponat de cætero non peccare pœnitens, & de commissis confiteri, & satisfacere.

Propositum aliud formale aliud virtuale.

26. Propositum verò de cætero non peccandi, est aliud formale, aliud virtuale: illud, est actus volũtatis, quo volũtas deliberatè statuit se ampliùs nõ peccaturã; hoc, est ipse dolor detestativus peccati, virtualiter nolens peccare: qui enim verè dolet, detestatur peccata, odio illa habet; & sic peccare non vult. Quale autem horum propositum omninò ad efficacẽ dolorem tam contritionis quàm attritionis requiratur, hac in parte sunt tres sententiæ. 1. defendit, ad veram pœnitentiam requiri propositum formale (m). 2. affirmat sufficere propositum virtuale, in contritione ipsa implicitè contentum (n). Pro 3.

27. Dico: Per se ac ordinariè, ad dolorem ut sit efficax, tam contritionis extra Sacramentum, quàm cum Sacramento attritionis, requiritur formale expressum propositum de cætero non peccandi mortaliter, si occurrat memoriæ, & potestati eliciendum, stante spe vitæ ulterioris; per accidens verò defectu advertentiæ, obligationis eliciendi expressi propositi, aut defectu temporis (quòd hîc & nunc aliquis ex vehementi amore Dei detestans efficaciter propria peccata, in actuali illorum dolore expirat, antequam de proposito cogitare incipiat) sufficit tunc propositum virtuale, contentum in ipsa contritione (o). Ratio primæ partis est: quia Ecclesia exigit, ut quando dolor elicitur, eliciatur & propositum formale, expressum; nam distinctum propositum à dolo-

(m) *Cajetanus*, Canus, Sotus, Reginal.

(n) Major Pesantius, Vega Mader nus Koninch Filliuc. Arriaga, Lugo.

(o) D. R. in 4. d. 15. q. 1. a. 3. Palatius Navar.

dolore exigit: ita enim Trid. *ses.* 14. *c.* 4. *Declarat Synodus Sacra, hanc contritionem* (sumit contritionem in genere ad perfectam & imperfectam) *non solùm esse cessationem à peccato & vitæ novæ propositum, sed veteris etiam odium.* *Sess.* 14. *c.* 5. de Sacramento pœnitentiæ dicit: contritionem parari per detestationem peccatorum, cum proposito melioris vitæ. Tum quia talis non verè dolet de peccatis, qui non deserit peccata: sed pœnitens dolens de peccatis, cui occurrit menti eliciendum propositum de cætero non peccandi, illud non eliciens non deserit peccata; nam qui sic aliqua deplorat, ut iterum illa committat, pænitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat, dicit D. R. *de pœnit. dub.* 3. in principio. Secunda pars resolutionis probatur: quia inadvertentia, impotentia, à peccato excusat; & propositum virtuale, virtualiter inclusum in dolore qui est vera detestatio peccati, separat cor ob omni affectu peccandi, quia talis dolor hoc præstat: ergo per accidens defectu advertentiæ, obligationis eliciendi &c, sufficit virtuale propositum de cætero non peccandi. Dixi in resolutione *stante spe ulterioris vitæ*: quia ut dicit Noster Bonæ Spei, *incertè statim morituro (v. g. morte statim plectendo) id necessarium nō videtur: aut nugatorium foret, si absolutum; & si conditionatum, spem evasionis causaret, cum periculo minuendi contritionem.* Et defacto moribundi interrogantur de dolore; non interrogantur de proposito de cætero non peccandi.

Garcia de Sacram. Pænit. n. 419. B. Spei. disput. 2. de pænit. dub. 4. Henriqves, Aversa & Antonius à Spiritu Sancto.

Pro discursu & solutione.

28. Dices: Ecclesia ad contritionem & attritionem requirit distinctum propositum à dolore. *Resp.* & addo: requirit ordinariè distinctum, sed non semper; secùs enim admittit per accidens.

29. Urgebis quòd semper: quia Conc. Trid. definiens contritionem in genere, dicit: est dolor cum proposito. *Resp.* sub distinctione: est dolor cum proposito, ordinariè distincto à dolore; aliquando per accidens cum proposito incluso in dolore, ut explicatum est in resolutione.

Dolor est necessariò necessitate medii, propositum necessitate præcepti.

30. Superurgebis: Ita propositum est pars contritionis, sicut dolor; ergo sicut ad contritionem, aut attritionem cum Sacramento, non sufficit dolor aut detestatio virtualis, ita & propositum non sufficit virtuale: sed sicut requiritur dolor & detestatio formalis expressa, ita & propositum debet esse formale & expressum. *Resp.* Dist. Ant. Dolor ad rationem attritionis, Sacramenti, est necessarius necessitate medii; propositum, necessarium necessitate præcepti, juxta sensum nostræ resolutionis: dolor enim est pars essentialis; propositum non est pars essentialis contritionis aut attritionis. Patet ex hoc, quòd Ecclesia ut absolvat moribundos, inquirit de dolore; non quærit de proposito. Nec ita Trid. loquitur de proposito sicut de dolore: nam dolorem ponit in recto, propositum in obliquo, *dolor cum proposito.* Et dicit de proposito, præscindendo

dendo de formali & virtuali, ficuti loquitur de contritione in communi ad perfectam & imperfectam, illam referendo. SS. PP. si quando requirunt propositum omninò formale expressum, tunc vel ordinariè loquendo, vel propositum formale in voto, quod est virtuale: sicut baptismum omninò requirunt fluminis; sed in se vel in voto.

Quid requiritur ad propositum ut sit efficax? utrum debeat extendi ad omnia peccata mortalia, non tantùm ad confessa sed etiam quæcumquè futura similia, possibilia?

31. *Resp.* quòd sic (p) contra Hurtad. Dicast. Rozmer & alios docentes sufficere quòd se extendat ad sola confessa. Ratio est: tum quia Trid. dicit irrestrictè, de proposito non peccandi de cætero; tum quia, sicut unum mortale peccatum non potest dimitti sinè alio, ita dum est affectus ad aliquod mortale: cùm talis affectus sit peccatum mortale.

(p) N. Bonæ Spei, Lugo, Konninch.

Quid de venialibus?

Vtrum ad propositum efficax requiratur hoc, quòd debeat extendi ad omnia venialia?

Propositum ad venialia confessa.

32. N. Stephanus à S. Paulo dicit, quòd tantùm ad ea venialia quæquis confitetur, debeat extendi propositum efficax: & sic ut plurimùm etiam Religiosi qui frangunt strictum silentium, qui passione frequenter moventur, proponunt in his emendationem, non cogitando de aliis venialibus quæ non confitentur, & eorum memoriam non habent. Lugo cum aliis docet, sufficere propositum minuendi venialia. Pro hac sententia citatur S. Thom. 3. *part. q.* 87. *art.* 1. & Conc. Trid. *sess.* 14. *can.* 4. Aliter tamen *Resp.* & dico: Discrimen hoc esse inter propositū non peccandi mortaliter, & propositū nō peccādi venialiter: quòd illud debeat esse propositū omninò vitandi mortalia, non tantùm cōmissa, similia, futura; sed & quæcumquè alia: quia unū mortale non potest remitti sinè alio, ac proinde non potest remitti stante affectu ad quodcumquè mortale; jam verò propositum venialiter non peccandi, posset vel ex inadvertentia, vel ex culpabili negligentia non extendi ad aliquod veniale, & tamen nec Sacramenti valor impediretur, nec extra Sacramentum contritio frustraretur: quia sicut cætera venialia possunt sinè uno remitti, ita affectus ad unum veniale, cum remissione aliorum stare. Attamen pro meliori, & ut omnia venialia remittantur, tenetur pœnitens habere propositum non peccandi venialiter, extensum ad omnia venialia commissa, & quæ memoriæ non occurrunt. Sed debetne extendi propositum etiam ad alia venialia quæcumquè, futura, possibilia? cùm sit moraliter impossi-

Etiam non omnia. Nisi pro meliori.

Propositum affectivè nō effectivè.

possibile, sinè speciali privilegio Dei vitare omnia venialia. *Resp.* Tutiùs est ut extendatur: licetsi non possit esse propositum efficax vitandi omnia venialia, efficax effectivè seu ex parte objecti, hoc est, quô semel habitô sequatur, scilicet quòd numquam sit futurum peccatum veniale; sed potest esse efficax affectivè, quoad affectum ut alii dicunt ex parte subjecti, hoc est tale, quod voluntas firmiter vult non offendere Deum quocumquè veniali. Dicitur tale propositum efficax quoad omnia, etiam possibilia venialia; quia si retineatur hocce propositum, est incompossibile cum unico peccato veniali: sed quia natura humana est fragilis, infirma & propositum non retinetur, & venialia iterum committuntur post tale propositum. Hoc tamen non obest efficaciæ propositi, sicut & valori Sacramenti, quòd iterum & iterum eadem venialia committuntur; aliàs vix reperiretur propositum efficax, & Sacramentum pœnitentiæ validum. Nec hoc obest, quòd pœnitens habens propositum, timeat aut judicet se pro sua fragilitate à tali proposito defecturum: quia judicium est actus intellectûs, velle non peccare est actus voluntatis, qui secum stare possunt.

Vtrum idem propositum debeat extendi etiam ad occasiones peccandi?

34. *Resp.* Qui unam occasionem proximam peccandi venialiter relinquere non vult, dum unum tantùm illud veniale confitetur, quam absquè magno detrimento infamiæ relinquere potest, absolvendus non est (q). Ratio est: quia qui caret dolore efficaci, absolvendus non est: atqui qui non vult voluntariè dimittere occasionem proximam peccandi venialiter, dolore efficaci caret; nam dolor efficax excludit affectum ad hoc idem peccatum, de quo dolor est. Si autem plura adferantur peccata in confessione, & occasiones proximæ, cum sint ipsæ occasiones peccata, inquantum sunt recidivæ periculo se exponendi, taliter dicendum de venialibus, qualiter de mortalibus, respectivè, prout diximus de peccatis & dolore: quod totum patebit inferiùs, dum dicemus de occasionibus &c.

Vtrum dolor omninò ante confessionem sit eliciendus?

35. *Resp.* & dico: Et confessio non valet, & Sacramentum pœnitentiæ est nullum in eo casu quô dolor subsequitur absolutionem, & non antecedit: tum quia, sicuti non dimittitur peccatum nisi ei, qui detestetur illud; ita non absolvitur nisi dolorosus: tū quia in proposito casu, quando absolutiò profertur, dolor & pœnitens dispositus non est; postea dolor est, absolutio deest. Non est tamen necessarium ad valorem Sacramenti, ut omninò dolor præcedat confessionem (r); aliàs infinitæ confessione

(q) Petrus de Espleta & Nr. Gar-

(r) Pontius, Su-

fessiones essent nullæ, quod videns Ecclesia jam pridem decidisset Adversariorum sententiam tuendam, & pœnitentes stringendos ad repetendas confessiones: tum quia juxta praxim antiquam ab Ecclesia permissam, pœnitentes subjungunt confessioni dolorem, dicentes: *De his & aliis me accuso, & doleo*; non ècontra: *De his doleo, & me accuso*; & Confessarii modum talem confessionis acceptant, & quando dubitant de dolore, ad dolorem eliciendum alliciunt pœnitentes; Non autem jubent eos repetere confessionem: quia licetsi tunc confessio non redditur dolorosa per antecedentem dolorem, inquantum non præponitur; redditur tamen dolorosa per subsequentem dolorem, tunc quando pœnitens dicit: *Doleo de peccatis meis nunc enumeratis, & omnibus quibuscumquè, de his & omnibus doleo*: quia confessio tunc adhuc moraliter manet, & virtualiter repetitur: ad quod omnes Adversarii recurrunt, dū ipsis praxim immediatè positam opponimus. Potest pœnitens hoc practicare, in fine confessionum Sacramentalium addendo (præmisso dolore) *de confessis iterum me accuso*; sed Confessariis hoc à pœnitentibus exigere non svadeo: nam pœnitens ignarus mysterii, non unus obstupesceret, non unus non sciret quid ipsi diceret Sacerdos, quando diceret: *De confessis, iterum accusasne te?*

ar. Gonet, Stephanus à S. Paulo cōtra N. Bonæ Spei. Laymā. Petrum à S. Ioseph.

Pro discursu & solutione.

36. Absolutio non redditur dolorosa per subsequentem dolorem; quia non est id, in quo maneat moraliter absolutio; bene redditur confectio per dolorem subsequentem, quia adhuc manet moraliter in hoc actu, *de his & aliis &c. me accuso & doleo*.

Etiam ante aliquot horas.

37. Allaborare tamen in hoc debent pœnitentes, ut ante quamcumquè confessionem eliciant dolorem de peccatis: tum quia non velut historia, sed ex dolore peccata sunt dicenda; tum quia periculum est, ne postea ante absolutionem omittatur dolor.

38. Et sicut validè quis hodie absolvitur, etsi hesterna die confessus fuerit; ita validè confitetur, etsi ante duas vel tres horas, imò secundùm multos hesterna die vesperi, dolorem elicuerit; modò elicitus dolor moraliter permaneat: tunc enim ita se habet dolor, ac si de novo eliceretùr; quia vi illius, seu ex illo dolore, peccata clavibus Ecclesiæ subjiciuntur. Ex quo infertur, quando quis post absolutionem, peccatum aliquod quod sibi commemoravit Confessario declarat, non est opus novo dolore: quia ille idem antè elicitus ex motivo universali, sufficit.

Post absolutionem non repetendus.

Dolor de mortali per mortale revocatur.

39. Revocatur autem dolor de mortalibus per quodcumquè mortale: quia dolor est extensus adquodcumquè mortale; implicat autem esse dolorem de aliquo peccato, & affectum ad illud. Si verò fuerit dolor efficax de venialibus, hoc est extensus ad omnia venialia, revocatur per quodcumquè veniale (s); si solùm ad mortalia omnia quæcumquè extenditur dolor, non revocatur per unum commissum veniale.

(s) Lugo Lavicinus.

 40.

Ad pœnitentiam requiritur spes & actus fidei.

40. Hucusquè diximus de dolore sufficiente efficaci; nunc adhuc potest quæri, utrùm requiratur præterea aliquid? *Resp.* requiri spem veniæ: quia hoc exigit Trid. *sess.* 14. *c.* 4. Ratio est: quia non potest homo gratiam recuperare, nisi spem habeat illius recuperandæ; consequenter requiritur actus fidei, quô credat remissionem peccatorum, & gratiæ recuperationem. Ita Bonac. circa 1. decal. præc. d. 3. q. 2. punct. 2. propos. 3.

Requiritur aliqua dilectio Dei.

41. Requiriturne dilectio Dei? *Resp.* circa hoc esse sententias aliquot: 1. affirmat, ad impetrandam gratiam in Sacramentis mortuorum, esse necessarium amorem Dei propter se dilecti, saltem in gradu remisso; ac subinde non sufficere atritionem ex solo metu gehennæ: quam defendunt Vincentius Contenson, Franciscus Campionus, N. Henricus à S. Ignatio. 2. negat necessitatem cuiuscumquè dilectionis, ad sufficientiam attritionis servilis. Ita nonnulli. 3. & media defendit ad efficaciam attritionis servilis, esse necessariam aliqualem Dei dilectionem; non tamē necessarium esse amorem benevolentiæ & charitatis, sed sufficere amorem spei seu concupiscentiæ. Ita NN. Bonæ Spei, Ignatius Pontius, Garcia & alii. Pro hac

42. Dico: Ad sufficientiam attritionis seruilis (hoc est propter metū pœnæ talis) requiritur aliqua dilectio Dei, ita quòd quamvis possint homines justificari, absquè dilectione Dei super omnia, non tamen absquè dilectione Dei. Ita tenent S. Aug. lib. *de vera & falsa pœnitentia* cap. 9. *sinè amore nemo unquam gratiam invenit, nec veniam assecutus est.* D. R. in 4. d. 4. q. 3. a. 2. dicit: *non solùm oportet Deum timere Judicem, sed & diligere.* Andreas Vega lib. 7. *de præparatione adultorum ad justificationem* cap. 30. Garcia & Eliseus à S. Ioanne. Probatur ratione: ad contritionem perfectam requiritur amor perfectus; ergo ad imperfectam, imperfectus. Qualis autem dilectio requiratur? *Resp.* quòd dilectio affectiva, seu velle diligere Deum super omnia: quæ affectiva dilectio in hoc habetur, quòd quis velit servare omnia mandata Dei, consequenter diligere Deum super omnia; cùm hoc mandatum sit maximum.

Propositiones damnatæ reducendæ ab hanc seriem.

A Sixto IV. Peccata mortalia delentur per cordis contritionem, sinè ordine ad claves.

Ab Urbano VIII. Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

Ab Innocentio XI. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam. 57.

Ab Alexandro VIII. Timor gehennæ non est supernaturalis. 16.

Ab

Ab Alexandro VIII. Attritio quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, finè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. 17.

SERIES IV.

An defectu doloris possit Sacramentum pœnitentiæ esse validum & informe?

I. SAcramentum validum informe dicitur, quod habet sua constitutiva, & caret suo effectu, scilicet gratiâ sanctificativâ: sic Baptismus, dum quis illum recipit in peccato mortali, finè proposito emendandi vitam suam; aut fidem quam habere debet, non habet.

2. Dico: Non datur Sacramentum pœnitentiæ validum & informe, sive ob defectum doloris, sive ob defectum propositi. Ita D. R. *in* 4. *d.* 14. *q.* 1. *a.* 3. Gabriel, Major, Adrian. Medin. Amic. Laym. Esparsa, Ariag. de Rhod. Petrus à S. Ios. N.N. Bonæ Spei, Garcia & alii, nec non Scotistæ non pauci, contra Thomistas, & extra Scholam Thomistarum contra Suar. Card. de Lugo, Valent. Henriq. Bonac. Dian. è Scotistis Hirriban. Aritin. Fundamentum est nostræ sententiæ: quia vel dolor est efficax, sufficiens, & cætera requisita non desunt? Habetur totum Sacramentum, & Sacramentum causat gratiam, & sic non est informe. Vel est inefficax, insufficiens dolor? Tunc cùm desit pars essentialis Sacramenti, Sacramentum non est informe, cùm sit nullum. Item deficiente dolore, falsè diceretur: *absolvo te*; nam non absolvitur nisi dolorosus: ergo tunc forma falsa, consequenter nulla.

3. Potest Sacramentum Baptismi defectu doloris, propositi, esse validum & informe; quia non dolorem & propositum, sed alia constitutiva habet: non potest Sacramentum pœnitentiæ defectu doloris esse validum, cùm sit pars essentialis illius, dolor: deficiente autem parte essentiali, deficit totum.

SERIES V.

De Confessione.

SECTIO Unica.

Quid est, & qualis esse debeat Sacramentalis Confessio?

I. COnfessio est triplex: mentalis, cæremonialis & Sacramentalis. Mentalis, est peccatorum coram Deo in corde agnitio: hæc fuit in lege naturæ. Cæremonialis, quæ requirebat ut pœnitens hoc vel illud pro ratione peccati offeret Deo: fuit in lege Mosaica. Sacramentalis, est legitima & Sacramentalis accusatio sui de propriis peccatis, facta

Confessio triplex.

Confessionis Sacramentalis initium.

ƈa Sacerdoti, ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionē. Ita S. Thom. *in* 4. *d.* 17. *q.* 3. *a.* 2. Hæc initium obtinuit non in Conc. Lateran. sub Innoc. III. ut prætendunt Hæretici; sed à Christo Domino *Joan.* 20. instituta, quando Christus dixit Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Et hæc est definitio S. Augustini *de pœnit. d.* 1. *cap. si ubi &c.* ff. *nemo sibi dicat.*

2. Conditiones ad Sacramentalem confessionem ab aliis nimis paucæ, ab aliis nimis multæ, ab aliis sexdecim assignantur, his versibûs contentæ:

Sit *simplex, humilis*, confessio *pura, fidelis*,
Atque *frequens, nuda*, & *discreta, libens, verecunda*,
Integra, secreta & *lachrymabilis, accelerata*,
Fortis & *accusans* quòd sit *parere parata.*

His præpono ex D. R. quòd debeat confessio esse propter Deum, & provida: & addo quòd debeat esse propria. Inter has omnes conditiones enumeratas, duæ sunt quæ necessariò ad Sacramentalem confessionem requiruntur: scilicet ut sit dolorosa, aliter nuncupata *amara, lachrymabilis*; secunda, ut sit *integra*. Aliæ conditiones requiruntur ne committatur veniale, aut propter majorem utilitatem pœnitentis: & si quando suâ absentiâ confessionem invalidant, tunc intantum, inquantum per incidentiam reducuntur ad has duas conditiones: & sic simplex, pura, fidelis, nuda, discreta cum *integra* coincidunt; humilis, verecunda, fortis, obediens, cum *dolorosa* conveniunt (a), ut patebit infrà. Non do nimis multas conditiones, ne obruam caput; non pono nimis paucas, ne omittam dare instructiones pœnitentibus, & aliquibus Confessariis. Quare sit harum

(a) Clemēs à S. Pontiano.

Explicatio.

3. Confessio debet esse propter Deum, nam ut ait Doctor Resolutus in 4. d. 16. q. 1. a. 1. *Qui propter præsentem pudorem pœnitet, & rem & meritum perdit.* Hoc habetur *d.* 23. *q.* 6. § *ult. Debet esse provida, ut quærat scientem solvere & ligare. De pœnit. d.* 1. *Quem pœnitet.* Unde perperàm faciunt pœnitentes, quærentes indoctos Confessarios; & pejus Confessarii tales, qui non legunt libros, ut discant discernere inter leprā & lepram.

Narratio otiosa peccatū est.

4. Debet esse *simplex*, hoc est sinè adjunctione historiarum, & aliorū impertinentium: otiosas enim enarrationes admiscere huic Sacramento, peccatum veniale est, non minùs quàm verbum otiosum extra Sacramentum pænitentiæ dicere. Excipi tamen possunt viri aut mulieres scrupulis laborantes, putantes sinè his non posse sufficienter declarari peccata: & idiotæ, dicentes talia cum intentione melius declarandi peccatum. Monendi tamen sunt. Ita Reginaldus, Sayrus, Bonæ Spei & alii.

Excipe scrupulosum & idiotam.

5. *Humilis*: tam quo ad actum interiorem cognoscendo se peccatorem, quàm quo ad actum exteriorem in dispositione corporis, ut confiteatur

teatur flexis genibûs, capite discooperto; nisi infirmitas, aut aliqua necessitas oppositum exigat. Non tamen esset mortale, sed veniale peccatum, secluso scandalo & contemptu, confiteri absquè justa causa stando, capite cooperto, dicit Noster P. Bonæ Spei. In verbis maximè debet esse *humilis*, non jactando se; aliàs nulla confessio esset defectu doloris: non enim dolet de peccatis, qui gloriatur in eis.

Capite cooperto quale peccatum:

6. Debet esse *pura:* scilicet ne fiat ob pravum, mortaliter peccaminosum finem, v. g. ut glorietur de suis peccatis coram Sacerdote; aliàs præter novum peccatum mortale, confessio nulla. Secus si propter finẽ venialiter malum, v. g. vanam gloriam; tunc subsistit confessio, & non caret fructu, si præterea pro fine principaliori habetur intentio placandi Deum: gratia enim Sacramentalis reperiri & augeri potest in homine affecto veniali culpa; cùm veniale non excludat gratiam. Ita communiter DD.

Confessio vitiosè mortaliter ex fine nulla est, secus si venialiter tantũ.

7. Debet esse *fidelis*. Doctor Resolutus loc. cit. dicit: Debet esse vera non falsa, ne propter humilitatem, de se mentiatur. Hoc habetur *d 22. q. 2. cum humiliter.* Et debet esse finè fallacia & deceptione. Ita S. Augustinus tr. 26. in Ioan. *Si aliud in corde habes, aliud dicis, non confiteris.* Qui circa mortalia aut mortale mentitur, v. g. negat commisisse quod commisit; aut affirmat commisisse, quod non commisit, nisi fides bona excuset, peccat mortaliter. (b) Ratio est: tum quia ad integritatem confessionis (de qua inferius) spectat, omnia mortalia numquam confessa, dicere; tum quia mutare materiam necessariam, circa quam judicium Sacramentale habetur, & decipere Confessarium in re gravi, est mortale; ut docent communiter DD. Qui verò mentitur circa venialia, aut veniale (nisi unicum illud sit), non peccat mortaliter, consequenter subsistit validitas confessionis (c). Ratio est: quia venialia dicere non tenetur; & in re levi, non spectante ad integritatem, decipit Confessarium. Dixi *nisi sit unicum veniale:* quia tunc jam est materia necessaria illud veniale.

(b) Petrus á S. Iosepho, de Rhodes, P. Bonæ Spei.

(c) Navar. Suar. Vasq. Petrus à S. Ioseph, Bonæ Spei, contra Cajetanum & aliquos paucos.

8. Svadetur à DD. *frequens:* quia per eam augetur gratia, & magna pars pœnæ in purgatorio remittitur. Ita Reginald. & P. Bonæ Spei.

9. Debet esse *nuda*, non palliata, nequè verborum obscuritate velata: manifestanda enim sunt peccata, ut Confessarius bene naturam peccatorum cognoscat. Non tenetur tamen Sacerdos de omnibus indagare, an sint mortalia; Bonacina.

An omnia sint mortalia scire non est necesse.

10. Debet esse *discreta*, non solùm in amovendo superflua, quæ adstantibus & Confessori tædium pariunt, v. g. dicendo accuso me quod non benè conscientiam examinaverim, nec accedo cum debito dolore: hoc

Superflua in confessione.

hoc enim si est falsum, non est dicendum; si verum, differenda est confessio, quandoquidem non habetur debita præparatio, & pars essentialis deest (d). Similiter non sinè abusu dicitur, accuso me de 7. peccatis mortalibus (& nullum in specie dicit nec fecit), de abusu quinquè sensuum, de omissione operum misericordiæ: nam illa ita generaliter accepta, non sunt materia absolutionis, extra casum extremæ necessitatis. Similiter, de his me accuso quæ mihi diabolus objicere potest: quia diabolus non solùm peccata objiciet, ut habemus in vitis PP. Aliud est dicendum de hac praxi, si offenderim Deum in hoc, quantùm sum culpabilis, accuso me &c. Sed debet etiam esse *discreta* in explicando peccata, maximè in materia carnali, libidinosa; & Confessarius cautissimus esse debet in interrogando, ne ab ipso addiscat pœnitens quod numquam scivit, maximè mulier; aliàs si aliis narret mulieribus, magnum scandalum inde oriri posset: necessaria tamen, quæ ad integritatem confessionis spectant, omittere in sua interrogatione non potest, si est necesse ex ipsa, inquirere.

(d) Ioan. Sanchez, de Rhodes.

Voluntaria esse debet.

11. *Libens*, seu voluntaria; non timore pœnæ aut infamiæ: & accedens ad confessionem debet habere voluntatem dicendi omnia peccata sua, etiamsi non interrogaretur; aliàs mortaliter peccaret, si in oppositum voluntatem haberet.

Quare verecunda?

12. Debet esse *verecunda*: quia verecundia, magna est pœna; consequenter habet magnam partem remissionis, dicit D. R. *in* 4. *d.* 16. *q.* 1. *a.* 1.

Auricularis.

13. Debet esse *Secreta*, necessariò, non necessitate medii, nam in naufragio alioquè simili periculo mortis, multi alta voce coram aliis sua peccata Sacerdoti confitentur, quæ confessio ab omnibus valida censetur; sed debet esse *secreta*, ex usu Ecclesiæ: quia ab exordio Ecclesiæ, *secreta* seu auricularis fuit confessio, ut habetur in Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Et *secreta* de præcepto: nam declaratur cap. *Omnis utriusquè sexûs pœnitens, solus sua peccata soli Sacerdoti confiteri debet* (e). Quapropter excluduntur interpres & nuntius in cap. *Quem pœnitet.* Nec Sacerdos unus plures, nec plures Sacerdotes unum possunt licitè audire: cap. *Omnis.* Unde ex vi præcepti, nemo tenetur publicè confiteri peccata, cùm nullum sit tale præceptum (ut declaratur in Trid.): nequè potest licitè, quia vult, alias vellet facere contra praxim Ecclesiæ & præceptum; quia cap. *Omnis*, præcipitur confessio secreta. Per accidens verò sive ex accidenti, dum urget periculum mortis, & pœnitens aut non potest elicere actum contritionis, aut dubitat quòd contritionem elicuerit, tunc potest solùm venialia confiteri publicè (f), ut ex attrito (si solùm talis

(e) Bonacina contra Petrum à S. Ioseph.

Vi præcepti.

est)

est) fiat contritus: attritio enim cum Sacramento, ex attrito facit contritum, ut fert communis sententia. Licèt quis possit publicè sua confiteri peccata quæ sunt publica; non tamen occulta: quia talis confessio præjudicat proximo, qui scandalizari potest. Et sic in Xenodochio Gedanensi Lutherano ubi plures penes se jacent, si est periculum ne alter penes ipsum jacens Lutheranus audiat, Catholicus satisfacit suæ obligationi dicens venialia communia, aut veniale confitendo subticens mortale (nam in tali circumstantia non est dicendum peccatum mortale occultū) à quo absolvitur indirectè, sub onere ut postea confiteatur si potuerit &c.

Etiam in articulo mortis nemo tenetur publicè confiteri mortale peccatum.

14. Collige, peccare eum qui studiô audit confitentem. Et si inadvertenter, nolens, aliquid percipit, tenetur servare secretum.

Vtrum omninò voce sit facienda confessio?

(f.) Suarez, Facundez, Bonæ Spei, Lugo, Layman.

15. *Resp.* Quantùm potest; non omninò. Ratio primi: quia usus talis in Ecclesia invaluit, ut pœnitens si loqui commodè potest, non aliter quàm ore confiteatur sua peccata. Dixi *commodè:* nam si contingat puellam præ nimia verecundia, nulla ratione adduci posse, ut peccatum confiteatur, quod sit parata scribere, & offerre Sacerdoti in ordine ad obtinendam absolutionem, concedendum ei id existimant Doctores plurimi: Nec est ratio, cur id ei non deberet concedi. Si dicas: Ne detineat chartam Sacerdos, & eam tradat alicui. Dico: Etiam timendum est, ne verbalem confessionem prodat.

Aliquando scriptô confiteri.

16. Quando Concilium Florentinum, *sess. ult.* dicit, Sacramenti materiam esse oris confessionem. Aut non attendit ad casus hypotheticos, aut attendit, sed intelligitur *quantùm potest:* aut confessionem oris sumit externè, per scripturam & signa, prout admittit Ecclesia in mutis, moribundis.

Confessio oris explicatur.

17. Quòd non omninò, hoc est non semper & indispensabiliter facienda sit ore confessio, colligitur ex usu, quòd non solùm muti, sed & qui vi morbi, aut iræ impediti sunt (ita ut loqui nequeant) absolvantur à peccatis, si nutibûs aut aliis signis dolorosis declarent peccata sua: imò qui non possunt ore confiteri, stante præcepto aut periculo mortis, tenentur signis aut scripturâ sua peccata subjicere clavibus Ecclesiæ: quia tenentur confiteri eô modô quô possunt; quidquid dicant Sotus, Valentia, Diana. Rationem prohibentem extra periculum mortis peccata subjici scripturâ potestati Ecclesiæ, non video. Multùm surdus, qui seipsum silentiô loquentem non audit, aliquo modo verò audiendi habet, etiamsi sit maximus concursus & tantùm unicus Sacerdos, si haberi potest locus separatus, audiendus est in loco separato: tum quia talis est communis praxis Ecclesiæ: tum quia juxta communem sententiam Theologorum, in vocali confessione major est verecundia quàm in scripta, & ma-

Quid cum surdo faciendum?

(g) Diana Busenbaum.

jor verecundia majorẽ partem remissionis habet. Si locus seorsivus haberi nõ potest, & scit scribere, scripturâ confiteri potest (g), ne audiatur ab aliis. Si nec locus seorsivus haberi potest, nec scribere scit, remittendus est ad cõmodius tempus; nisi sit in periculo mortis, tunc enim sufficit ut aliqua venialia dicat, & ut lucretur indulgentias dum conferuntur. Et si incipit mortalia dicere, & non potest impediri à publicatione, impediri debet illorum peccatorum narratio, & ad aliud aptius tempus reservari. Quidquid dicitur de surdo, dicendum de surda; demptô hôc, quòd debeat surda audiri in loco patenti populo. Unde benè faceret Confessarius, qui in pago aliquo in sylva sito, in festivitate B. MARIÆ V. iret cum surdo ad sylvam; turpiter si cum surda solus. Secùs dicendum de surdo, quem scit Confessarius silentiosè confiteri, & exactè omnes circumstantias, non tantùm speciem mutantes, sed etiam aggravantes, & numerum peccatorum exprimere, prout debet; talem potest inter maximam multitudinem audire, cùm non sit interrogandus. Sed in tali circumstantia, parva est assignanda pænitentia ei.

Confessio accelerata vi utilitatis.

18. Debet esse *accelerata: (D. R. in 4. d. 19. a. 1.)* hoc est, ut quamprimùm potest peccator peccata sua confiteri, confiteatur: non vi præcepti, cum tale non sit; aut necessitatis, cum salvari possit per contritionem; sed vi utilitatis, cùm major pœna tollitur per verecundiam & contritionem, quàm per solam contritionem.

19. *Fortis:* scilicet superans timorem mundanum.

20. *Accusans:* scilicet sibi imputans; non cælo aut alteri: cùm ab his moveri, non cogi possit.

21. Sit *parere parata:* hoc est, confitens debet esse paratus satisfacere pro peccatis suis; cùm hoc Sacramentum sit judicium reconciliativum, quod spectat, ut reus sit paratus læso satisfactionem exhibere.

Non per nuntium.

22. Debet esse propria, non per nuntium, ut habetur cap. *Quem pœnitet*: nam absenti non datur absolutio: quia Clemens VIII. absentem absolvi prohibuit sub pœna excommunicationis, sedi Apostolicæ reservata: nec data esset valida; probat Ecclesia, negatione illius in quocunquè casu. Si valida esset, Summus Pontifex saltem in articulo mortis non prohiberet dari absolutionem. Quòd autem adferas aliquos per litteras obtinuisse absolutionem; Dico: à censuris, aut pœnis publicis: quia forum externum concedit sententiam fori in absentem; tal mq; ab Alexandro Papa petiit per Epistolas Thomas Cantuariensis, putans se incurrisse censuram. Attamen si ille qui absens per litteras absolutionem petiit præsens illam petat, potest absquè alia confessione absolvi (h), maximè quando dicit, *de his me accusô & doleo.* Ratio est: quia præsens est, & confitetur virtualiter, nam tali modô, repetit con-

(h) S. Antonin. Scotus in 4.

fessio-

fessionem; & etiamsi non diceret, valeret confessio, quia confiteretur validô modô per scripturam. At si sinè ulla necessitate hoc faceret, peccaret mortaliter: non quia contra generalem usum Ecclesiæ (ut vult Villalobos, quare dicit talem venialiter solùm peccare); sed quia magis est verecundus modus confitendi peccata, sua voce: jam verò dicit Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *Necessum est, omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione, à DEO quærere:* consequenter confessio ut peccaminosa mortaliter, esset nulla: illum enim qui voluntariè peccat, non pœnitet verè, consequenter pœnitentia est nulla; nisi diceret, *me accuso de his quæ tibi scripsi*, & tunc doleret etiam defacto. d. 17. Bonæ Spei Layman.

23. Quòd debeat esse *dolorosa*, jam sufficienter dixi ser. 3. ostendendo quòd confessio debeat esse omninò *dolorosa*. Quòd debeat esse *integra* quoad speciem, numerum peccatorum mortalium, dubium non est. Sed quomodo debeat esse integra? & cùm in hoc quæsito proponantur integræ, & diversæ difficultates non parvi momenti; ut faciliùs illas ad intelligentiam solvam, fit

SERIES VI.

De integritate Confessionis.

SECTIO I.

Quomodo debeat esse integra Confessio?

I. VT hæc difficultas exponatur clarè, & à legentibus audientibusq; facillimè intelligatur, & penetretur, oportet nonnulla præmittere. Quare

2. Præmitto 1. peccata differre specie physica in ratione entitatis; sic v. g. aliquem occidere gladiô aut venenô: specie morali, in ratione peccati; comedere v.g. carnes die dominico, & die prohibito: ejusdem speciei est comestio utraquè, diversitas autem in ratione peccati; nam una non est, secunda est peccatum. Peccata differunt in ratione entis, & in ratione peccati.

3. Præmitto 2. essentiam actûs sumi semper ab objecto: circumstantiam, etiam à loco, ut est furari in loco Sacro; vel à tempore, ut comedere carnes die prohibito; vel à fine, ut est furari ad fornicandum.

4. Præmitto 3. circumstantias esse septem: *quis, quid, ubi, quibûs auxiliis, cur, quomodo, quando. Quis*, quærit de persona peccante, qualis conditionis? nam ratione voti alterius speciei est luxuria in Sacerdote, quàm Laico; ratione contractûs, alterius speciei in uxorato, quàm soluto. Circumstantiæ 7. *Quid*, quærit de conditione objecti, circa quod peccasti: nam ratione conditionis objecti, alterius est speciei occisio Clerici, quàm non Clerici; violatio Religiosæ, quàm Sæcularis; furtum rei Sacræ, quàm non Sacræ. *Ubi* quærit de loco, an in Sacro an in publico? nã ratione qualitatis loci, al-

ci, alterius est speciei effusio sanguinis violenta in loco sacro, quàm in profano; libidinosa affectuum expositio in loco publico, quàm occultò. *Quibus auxiliis*, quærit de mediis: nam alterius speciei est occisio procurata & causata per Religiosum, quàm per Militem, per Laicum. *Cur*, quærit de finali causa, seu fine propter quem, an furatus sit propter sustentandum, an propter fornicandum? *Quomodo*, quærit de modo, an actus fuerit intensus? an ex malitia aut ignorantia? an modô debitô, aut indebitô? nam ratione conditionis in modo, alterius est speciei abusus Religiosæ ex contemptu, quã libidine. *Quandò*, quærit de tempore: nã ratione conditionis tẽporis, alterius est speciei labor vitiosus die festo, quàm feriali &c.

Circumstantiæ im pertinentes.

5. Circumstantiæ aliæ sunt impertinentes, ut furari ante prandium, vel furari manu sinistra: quæ sicut nihil conferunt ad rectitudinem vel deformitatem actûs; ita non pertinent ad confessionem, ut in ea declarentur. Circumstantiæ pertinentes sunt, quæ conferunt ad moralitatem, bonitatem aut malitiam actûs: ut si fiat homicidium in loco Sacro, aut persona Sacra occidatur; quare dicuntur: & sunt pertinentes ad confessionem.

Pertinentes.

Exdividuntur in eas quæ mutant speciem.

6. Pertinentes exdividuntur in eas, quæ mutant speciem; hoc est, addunt præter malitiam actûs, diversam specie malitiam, scilicet secundæ & diversæ virtuti oppositam: ut si quis furetur ad fornicandum; circumstantia quòd furetur ad fornicandum, ad malitiam actûs furti addit diversam malitiam specie contra castitatem: sic enim peccat contra 7. & 6. præceptum, & contra virtutes, justitiæ & castitatis. Et in eas quæ non mutant speciem; hoc est, non afferunt novam speciem malitiæ. Hæ subdividuntur in aggravantes, & minuentes: aggravantes sunt, quæ quidem non afferunt novam speciem malitiæ, sed intra eamdem aggravant: talis est major quantitas v.g. furti, major duratio odii, major intensio delectationis & similia. Minuentes, quæ malitiam peccati minuunt; vel detrahendo materiam, vel minuendo voluntarium: ut dum quis ex vehementi passione blasphemat, aut ex timore injustè incusso jurat injustè (g): nam quamvis in tali casu non tollitur simpliciter voluntarium, tamen minuitur. Iterum aggravantes dividuntur in eas, quæ notabiliter (ut in materia furti) supra materiam sufficientem ad peccatum mortale in duplo, triplo, decuplo, se extendunt; & in eas quæ leviter, hoc est in modico, quantitatem, malitiam adaugent.

Quæ non. Sed sunt aggravantes & minuentes.

Aggravantes.

Minuentes.

(g) Garcia.

Aggravãtes dividuntur in infinitè aggravantes

Et iterum aggravantes & minuentes exdividuntur in infinitè aggravantes, & infinitè minuentes: infinitè aggravans dicitur, quæ ex veniali, aggravat ad mortale peccatum, & quod est ordinariè veniale, facit mortale: ut si quis surripiat acum pauperi, qui aliam non habet, nec acqui-

ere poteſt, quapropter mendicare cogitur. Infinitè minuens dicitur, quæ de mortali facit veniale, ut eſt cogitatio turpis abſque plena deliberatione; vel quæ aufert omnem malitiam peccati mortalis, ut dum quis committit homicidium cum moderamine inculpatæ tutelæ; nullum peccatum committit. His præmiſſis: Minuentes.

7. Præmitto ulteriùs, certum eſſe, circumſtantias transferentes peccatum de veniali in mortale, eſſe aperiendas in confeſſione (ita communiter Doctores); & transferentes de mortali in veniale, in ſuppoſito quòd hoc veniale peccatum in confeſſione Sacramentali dicatur. Item certum eſt, circumſtantiam aggravantem habentem annexam cenſuram vel reſervationem, eſſe manifeſtandam in confeſſione. Ita DD. communiter. Unde ſi Prælatus reſervet ſibi peccatum furti, debet pœnitens hanc circumſtantiam aperire. Confitendæ.

8. Certum etiam eſt declarandas eſſe circumſtantias mutantes ſpeciem, ut patebit infrà; & non ſolùm explicandas ſecuto effectu, ſed etiam ſolo conſenſu aut deſideriò poſitô: majus eſt enim peccatum, ſtupro aſſentiri, quàm ſimplici fornicationi. Solùm, & quidē magna difficultas agitatur inter Theologos, circa circūſtantias intra eandem ſpeciē notabiliter aggravantes, aut minuentes; utrum ſint neceſſariò in confeſſione exprimendæ? Circa quam

9. Duæ ſunt ſententiæ oppoſitæ. Negativæ eſt S. Thom. *in 4. d. 16. q. 3. a. 2. quæſtiunc. 5.* S. Bonav. *in 4. d. 17. q. ult.* Scotus, Albertus M. Durandus, Medina, Toletus, Gabriel, Navar. Lugo, de Rhodes, Vaſquez, Leſſius, Diana, Sayrus, Valentia, & alii multi. Affirmativæ eſt Card. Cajetanus, Suarez *diſp. 22. Sect. 3. n. 5.* Henriquez *q. 3. c. 7. n. 6.* Filliucius, Sotus, Gonet, Pitigianus, Petrus de Comitibus, Alenſis, Victoria, Amicus, Nugnus, Canus, Ledeſma; Noſtri Franciſcus Bonæ Spei, Garcia, Gaſpar à S. M. Magdalena de Pazis & alii multi. Sententiæ circa aggravantes circumſtantias

10. Præmitto adhuc, integritatē confeſſionis aliā eſſe materialē, aliam formalē: materialis eſt, quando tota materia neceſſaria ponitur, ita ut nihil ex commiſſis neceſſariò exprimendis reſtet, ad aliam confeſſionē; formalis eſt, quando ea ſolùm pœnitens in confeſſione dicit, quæ tunc moraliter dicere poteſt, & eò modò quô poteſt. His præmiſſis Confeſſio integra materialiter. Formaliter.

11. Dico: Ut confeſſio ſit integra materialiter (quam pœnitens quantùm poteſt curare tenetur) neceſſariò in ea omnia peccata commiſſa nondum confeſſa, aut confeſſa ſed nondum Sacramentaliter remiſſa, mortalia quoad ſpeciem & numerum dici, & circumſtantiæ tam mutantes ſpeciem quàm intra eam notabiliter aggravantes, aut notabiliter minuentes, exprimi debent. Ita ſecundæ ſententiæ Doctores. Doctor Reſolutus licetſi expreſsè non habeat hanc reſolutionem, clarè tamen Confeſſio materialiter integra quæ?

Probat D. R. quoad mutantes speciem.

men pro sententia affirmativa suam mentem declarat *in 4. d. 16. q. 1. a. 1.* his verbis: *debet esse integra quantùm ad omnia peccata:* de pœnit. & remiss. *Omnis &c. Debet esse expressa quantùm ad circumstantias, cap. Consideret, de pœnit. d. 5.* quod sic exponit: *Confessio debet habere quale; confitendum enim est, utrum commisit adulterium, vel incestum. d. 33. q. 6.* Adulterium spectat ad circumstantias mutantes speciem. *Debet confessio habere quantum; quia qui diu peccavit, diu pœniteat: de pœnit. d. 1. Item debet exprimi sexus; quia magis vir quàm mulier peccat. Debet exprimi gravitas; 25. q. 6. Extraordinaria, & de pœnit. q. 5. Consideret. Debet exprimi perseverantia; quia hæc peccatum augmentat; 24. q. 1.* Quæ spectant ad circumstantias aggravantes intra eandem speciem: *quantum* enim pertinet ad circumstantias aggravantes, cujusmodi sunt quantitas furti, duratio odii, & intensio actûs. Circumstantia secundùm magis & minùs speciem non mutat, sed merè aggravat. Inferius dicit: *Debet exprimi persona; quod enim Laico est fornicatio, est Sacerdoti Sacrilegium, 32. q. 1. Debet exprimi locus; quia Sacrum aggravat. Debet exprimi ordo. Præterea debet exprimi status, aut Officii excellentia, & in multis conditio & status. De his habes de pœnit. d. 5. in principio in jure canonico.*

Quantùm pertinet ad circumstantias aggravantes.

Est de fide quòd omnes circumstantiæ quoad speciem sint exprimendæ & peccata quoad numerum.

12. Quòd omnia peccata mortalia tam quoad speciem, quàm quoad numerum diversa, sint omninò omnia & singula dicenda in confessione, & circumstantiæ mutantes speciem exprimendæ, est de fide. Nam definitū est in Conc. Trid. *sess. 14 Can. 7* his verbis: *Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure Divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant &c; anathema sit.* Quòd verò circumstantiæ notabiliter aggravantes sint necessariò exprimendæ;

Pro discursu & solutione

13. Probatur discursu: Tunc integra est materialiter confessio, quando tota materia necessaria ponitur, hoc est, quando tota exprimitur gravitas peccatorum mortalium: at si in confessione circumstantiæ notabiliter aggravantes non exprimerentur, non exprimeretur tota gravitas peccatorum mortalium; ergo si non explicarentur circumstantiæ notabiliter aggravantes, confessio non esset integra materialiter. Prima propositio patet: nam si exprimeretur copula, & hoc non quòd facta sit cum consanguinea, non exprimeretur tota gravitas peccatorum. Item si pœnitens confiteretur surripuisse unum florenum polonicalem, secundum, &c. & subticuisset ultimum requisitum ad sufficientiam materiæ furti peccati mortalis, non exprimeret totam gravitatem peccati. Secunda propositio etiam patet: nam non exprimeretur major gravitas; Ergo non ex-

prime-

primeretur tota gravitas. Quòd non exprimeretur major gravitas, exemplum clarificat: sit v. g. materia sufficiens furti ad mortale, nummus; qui furaretur mille nummos, & diceret commisi furtum, accepi materiam sufficientem ad peccatum mortale, exprimeret gravitatem peccati, sed non exprimeret majorem commissam.

14. Dices: Tunc est integra materialiter confessio, quando tota exprimitur gravitas peccatorum mortalium quoad speciem & numerum, & quoad circumstantias speciem mutantes; non quoad circumstantias aggravantes intra eandem speciem.

15. *Resp.* Peccata mortalia solùm numerô diversa, ut furtum A, furtum E, & procurata pollutio A, & pollutio procurata E, non mutant speciem; & tamen sunt necessariò confitenda, ita ut si omitteretur unum, non esset confessio integra materialiter; & si culpabiliter, confessio nulla. Ergo etiam, licetsi species aggravantes non mutent speciem; tamen sunt necessariò declarandæ, ita ut si omitteretur aliqua, confessio non esset integra materialiter. &c.

Quantitas discreta debet exprimi in confessione ergo & major quantitas.

16. Quantitas discreta debet exprimi in Confessione, scilicet numerus peccatorum; ergo etiam major quantitas debet exprimi, scilicet quantitas major furti, v.g. ad 1000 Ungaricorũ.

17. Dices, disparitatem esse: quia Concil. Trid. *sess.* 14. *c.* 5. jubet exprimi numerum peccatorum, non verò circumstantias aggravantes intra speciem; nec plus tenetur facere pœnitens, quã id quod jubet Tridentinũ: Trid: jubet illum confiteri omnia quoad speciem & numerũ, & circũstantias mutantes speciem, de circumstantiis aggravantibus nihil dicendo.

Trid non excludit à necessitate dicendi circumstantias aggravantes

18. Contra est: Trid. loco. cit. non excludit circumstantias aggravantes à necessitate exprimendi; Ergo sunt adhuc necessariò exprimendæ.

19. Dices, excludit: nam hæc addit verba: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi.* *Resp.* Hæc verba nõ referri in Trid. ad circumstantias; sed ad peccata oblita, ut patet legenti Tridentinum locô citatô.

20. Dices: Trid. loco. cit. nihil dicit de circumstantiis aggravantibus, & in aliis locis nihil. *Resp.* Atqui locô citatô Trid. dicit de circumstantiis aggravantibus, & vult illas esse exprimendas; Ergo necessariò sunt exprimendæ in cõfessione: Sic enim habet ibi: *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia in confessione recenseri, quæ nonnunquam animum gravius sauciant.* Ly *gravius* autem, non ad mutantes speciem, sed ad aggravantes circumstantias spectat. Et fundamentum est, quòd præfata verba debeant referri ad circumstantias aggravantes, & quòd illas exprimendas velit esse Tridentinum: quia Conc. Trid. sicut & alia Concilia habuêre intentionem & finem reformandi mores non conformes statutis ab Ecclesia regulis; in Sacris autem canonibus habentur re-

Trid. vult exprimi circumstantias aggravantes

gulæ,

Per canones circumstantiæ aggravantes.

gulæ, quòd debeat exprimi gravitas peccatorum intra eandem speciem, ut refert D. R. *in 4. d. 16. q. 1. art. 1.* his verbis: *Debet exprimi permanentia, quia augmentat peccatum. 24. q. 1. Schisma. Debet exprimi status, aut officii excellentia: de pœnit. d. 5. in principio. Debet exprimi ordo. 32. q. 2. Debet exprimi gravitas. 23. q. 6. Extraordinaria de poenit. d. 5. Consideret.* Et ita, sive dicat sive non Trid. de circumstantiis aggravantibus; sufficit quòd sint regulæ in jure Canonico, præcipientes eas exprimi, & Tridentinum non revocavit: explicitè Ergo dici debent in confessione.

Faciliùs est recordari gravitatem quàm diversum numerū

21. Nec dicas: Impossibile nimis grave, est explicare species aggravantes. Non dicas inquam: tum quia faciliùs est pœnitentibus in confessione gravitatem explicare peccatorum intra eandem speciem, quàm explicare numerum vel gravitatem eorum in diversa specie: tum quia faciliùs quis recordatur quòd furatus fuerit centum nummos, quàm quot primâ, quot secundâ, quot tertiâ, quot quartâ vice accepit, si per partes furaretur: tum quia pœnitentes sæpiùs ignorant diversas species peccatorum in materia luxuriæ, qui tamen ignorare non possunt esse graviùs peccatum incestûs cum Matre, quàm cum Sorore vel cognata; & majorem gravitatem esse peccati bestialitatis respectivè ad sodomiam, sodomiæ ad mollitiem, stupri respectivè ad fornicationem, & furti sacrilegii unius aurei, respectivè ad furtum 10 aureorum extra locum Sacrum surreptorum. Ex quibus

Maxima probatio; cō fessio nō esset vera.

22. Probo ulteriùs resolutionem: confessio debet esse vera, & Confessarius debet posse rectè judicare de gravitate criminum, *æquitatemq; in pœnis assignandis servare*, ut exigit Conc. Trid. locô citatô: At, si circumstantiæ aggravantes non explicarentur in confessione, confessio non esset vera; nam non diceretur peccatum ut est à parte rei, v. g. esset furtum 1000. aureorum, & confiteretur tantùm simpliciter furtum: ad quod, ut sit sufficiens materia peccati mortalis, sufficit unus aureus. Similiter qui cōmitteret incestum cū Matre, & confiteretur simpliciter incestum. Nec Confessarius nosceret perfectè gravitatem peccati: nam non sciret quotnam aureos, & in quo gradu incestum commiserit poenitens. Nec æquitatem servare posset, aut servaret: nam major pœna est assignanda pro 1000. aureis ablatis, quàm pro uno; & pro incestu cum Matre commisso, quàm pro commisso cum Sorore. Hac probatione etiam probatur pars ultima resolutionis, quoad circumstantias minuentes: nam aliter diceretur quàm esset à parte rei; diceretur enim gravitas, quæ à parte rei non esset.

Sacerdos nō servaret æquitatem.

Explicandi sunt gradus Consanguinitatis quan

23. Si dicas: sunt quidem explicandæ circumstantiæ, 1. gradus consanguineitatis in incestu. 2. quantitas furti, injuriæ 3. quando uno ictu plures occiduntur, infamantur, aut apud plures. 4. odium diuturnum.

5. quan-

5. quando Confeſſarius cum Pœnitente peccat. 6. ſi circumſtantia invehat cenſurã, vel reſervationẽ. In aliis verò caſibus non ſunt explicandæ. titas furti major. &c

24. Contrà eſt: Omnes circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſunt neceſſariò explicandæ; Ergo etiam omnes notabiliter aggravantes. Ideo illæ, quia addunt novam malitiam; Ergo etiam iſtæ, quia addunt novam malitiam.

25. Si dicas: Illæ addunt malitiam eſſentialem; iſtæ accidentalem.

26. Contrà eſt: Iſtæ etiam addunt eſſentialem, intra eandem ſpeciem ejuſdem ſpeciei.

27. Ad pœnitentem non ſpectat ſe excuſare; Ergo non debet explicare circumſtantias notabiliter minuentes. *Reſp.* Sed ſpectat ad pœnitentem ſe accuſare ſecundùm rei veritatem: humilitas enim & quævis virtus, veritati inniti debet; cùm Deus non colatur falſitate, ſed potiùs offendatur.

28. Vel enim circumſtantiæ minuentes extrahunt peccatum à modo ordinario peccandi? Explicari debent: ut ſi quis metu mortis infligendæ, cogatur jurare falſum. Vel non extrahunt à modo ordinario peccandi? Explicari non debent: ſed tunc non ſunt notabiliter minuentes. Quæ circũſtantiæ minuentes explicari debent?

29. Pro concluſione, pono verba quæ habentur in Cathechiſmo Romano, de Sacramento pœnitentiæ §. 47. *Neque verò ſolùm peccata gravia narrando explicare oportet; verùm etiam illa, quæ unumquodquè peccatum circumſtant, & pravitatem valdè augent vel minuunt.*

Ad hæc de nonnullis quæritur.

30. Inprimis an furari in templo rem non ſacram, quæcumquè ſit, committatur ſacrilegium? Reſpondet Suares quòd ſic: quia Ioannes VIII. Papa cap. *Quiſquis* ordinavit, quòd non tantùm ſacrilegium ſit, furari ſacrum de ſacro, & ſacrum de non ſacro, ſed etiam non ſacrum de ſacro. Attamen cum Lugone ſub diſtinctione dicendum: Si res illa non ſacra aliquomodo pertinebat ad Eccleſiam, puta quia propter ſecuritatem fuit ibi depoſita: vel ad uſum aut ornamentum Eccleſiæ accomodata, nõ autem ſi ſecùs fuerit exiſtens, relicta, uti ſaccus Ruſtici; aut res deperdita, ut marſupium alicujus. Qualis rei furtum ſit ſacrilegiũ?

31. Secundò, an peccatum contra caſtitatem occultè factum in Eccleſia, habeat rationem ſacrilegii? *Reſp.* contra Vaſq. affirmativè: quia talis actus eſt contra ſanctitatem loci. Ita communiter. Peccans cõtra caſtitatẽ occultè.

32. Vtens diſcurſibûs turpibûs coram Religioſis, debetne explicare hanc circumſtantiam in confeſſione? *Reſp.* Affirmativè: quia vel eſt cauſa, vel potuit eſſe cauſa ſive occaſio conſenſûs in eis, qui ſunt DEO ad ſervandam caſtitatem conſecrati. Vtens turpibûs diſcurſibûs corã Religioſis.

Peccans contra votum juratum.

33. Qui peccavit contra votum juramentô confirmatum, debetne utrãque circumſtantiam dicere in confeſſione? *Reſp.* quòd debeat: quia violatio voti eſt diſtincta à violatione juramenti. Prima eſt contra fidem non ſervatam, in ſervando voto; ſecunda eſt contra obligationem, non adducendi Deum in teſtem.

Prælatus. (h) contra Ioã. Pontiũ.

34. Quòd debeat Prælatus ſuam dignitatem in confeſſione declarare (h), *officii excellentiam;* habetur *in can. de pœnit. d.* 5. in principio: ut vidi apud D. R. Quòd debeat conſuetudinem in confeſſione declarare talis pœnitens, habetur *d.* 24. ut vidimus ſuprà. Ratio eſt data: *quia perſeverantia peccatum augmentat. q.* 1. *Schiſma.*

Quidſit actꝰ completus? Cujusmanu? Deſiderium explicandũ.

35. Debetne addere pœnitens, quòd actus venereus fuerat completus? *Reſp.* quòd debet: quia ſolet completus, non incompletus reſervari. Debetne exprimere quòd procuraverit pollutionem aliena manu? *Reſp.* imò quali manu, &c &c.

36. Quando deſiderat aliquis evenire alicui malum determinatè tale, tenetur illud in confeſſione ſpecificare (i). Ratio eſt: quia deſiderium ſpecificatur à malo deſiderato.

(i) Suarez & Sylvius.

37. Qui in confeſſione inculpabiliter omiſit circumſtantiam confitendam, teneturne in ſequenti confeſſione confiteri ſolam circumſtantiam, tacendo peccatum quod jam confeſſus eſt? v. g. peccavit quis habens votum caſtitatis, & ſe fornicatum eſſe dixit, non addendo ſe eſſe ligatum votô caſtitatis; ſufficitne in ſequenti confeſſione dicere, *violavi votum in materia gravi,* non explicando quale votum. Item quis detraxit Parenti, dixit in confeſſione ſe detraxiſſe alteri, quia oblitus eſt dicere *Patri;* ſufficitne dicere in ſequenti confeſſione, *commiſi infamiam in Patrem,* non explicando ſpeciem injuriæ. *Reſp.* poſſe, quando circumſtantia habet diſtinctam malitiam, ut habetur in primo exemplo. Plura in aliis locis de circumſtantiis dicam.

Quando circumſtantia ſola dici poteſt?

38. Quomodo numerus peccatorum mortalium debeat exprimi? *Reſp.* Numerus peccatorum debet declarari determinatus. Si non conſtet, dic probabilem; veriſimiliorem tamen quantùm potes, addendo plus vel minus: quòd tam ly plus quàm minùs, licèt ſecundùm nonnullos extendatur ad decimum numerum, ſuprà & infrà aliquando, ut vult P. Bonæ Spei; tamen ſecundùm communiorẽ ſententiam, ut vult Bonacina, nonniſi ad unum aut ſecundum. Attamen licèt ſecundùm communiorem ſententiam, ut vult Bonacina, ſit liber pœnitens ab onere declarandi certum numerum, ſi ad certum ejus poſtea devenerit, niſi ſit valde notabilis; ſecùs tamen ſecundùm tutiorem ſententiam exiſtimo faciendum, cum Noſtris Bonæ Spei, Eliſeo à S. Ioan. Baptiſta & aliis: quia dum confitetur pœnitens, *adulteravi decies plus vel minùs,* ſenſus eſt, novies aut

Numerus peccatorum explicandus

Quomodo plus vel minùs extenditur? Deveniens ad certitudinem numeri

decies

decies aut undecies, cur duodecies, & sic dubium dicit: sed secundùm omnes, qui dixit peccatum dubium, deveniens ad certitudinem ejus, tenetur illud declarare in sequenti confessione; Ergo etiam qui numerum dubium dixit, si devenerit ad certitudinē numeri, tenetur declarare certitudinem numeri. Si autem nec de probabili numero constet, dicenda est consuetudo peccandi, tempus, frequentia, in die, septimana, mense vel anno: sic & pœnitens dicit numerum peccatorum quantùm moraliter possibile est, & Confessarius aliquomodo conjecturat peccata. Ita Cajetanus, Bonacina, Rotarius. Etsi non possit dicere numerum, dicat saltem species peccatorum: sic quæ fuit meretrix, utrum solebat peccare cum conjugatis, votô castitatis ligatis &c.

tenetur ut certū dicere

Si probabile non constet dicenda est consuetudo, tēpus, frequentia.

De Examine præmittendo confessioni.

39. Quia pœnitens tenetur integrè confiteri, hoc est, dicere omnia peccata mortalia, quoad speciem & numerum, & explicare circumstantias tam mutantes speciem quàm aggravantes intra speciem; tenetur proinde facere examen debitum circa hæc omnia: qui enim obligatur ad finem, obligatur & ad media. Quare si omittat aliquod mortale defectu examinis, confessio est nulla. Attamen, sicut non omnis pœnitens, qui nullū præmisit de peccatis examē cōfessioni, debet repelli à cōfessionali (k); ita nō omnis qui præmisit examen, facilè absolvi. Ratio primi est: quia multi sunt, nō tantū Rustici, sed & alterius statûs & conditionis homines, qui non sciunt debere præmitti de peccatis examen; & tamen juxta praxim antiquissimam Ecclesiæ, à Confessariis juvantur interrogationibûs, & absolvuntur. Nec ille debet aut potest justè repelli, qui (prout notū est Cōfessario) sola venialia cōmittit, & ex negligentia examen de illis omisit (l): quia sufficit ut quodcunquè illorum dolorosè confiteatur. Quando Trid. *sess.* 14. *c.* 5. de diligenti discussione peccatorum dicit; dicit de illa respectivè ad peccata mortalia, non quoad venialia, cùm hæc sint materia libera, non oportet se fatigare circa examen: sufficit quodcumquè etiamsi unicum, potestati clavium subjicere: imò si cum venialibus reperiretur aliquod mortale in pœnitente, non video rationem quare deberet ei negari absolutio, vel data non valere, si non præmisso examine, illud aut plura ex aut cum dolore confiteretur: nam dolor sufficiens, obicem ex negligentia culpabili ortum tollit, sive in confessione sive ante illam universalis elicitus sit (l). Secus esset, si dolor ad istam voluntariam, culpabilem negligentiam, & omissionem debiti examinis, non extendatur. Ratio secundi est, scilicet quòd non omnis facilè absolvendus, qui examen præmisit: quia qui obnoxius multis peccatis mortalibus, non adhibuit debitam diligentiam examinando suam conscientiam circa peccata mortalia, ut illa omnia quoad speciem & numerum diversa, cum circum-

Si omittatur aliquod mortale defectu examinis cō fessio est nulla.

(k) Contra Nav. Tolet. Octavium.

Non omnis repellendus qui non præmisit examē

(l) Victoria Nugnus Henriquez Diana. Si quis omitteret examē & dolorē de eo inconfessione cōfessio nulla.

Non omnis facilè absolvendus qui examen præmisit, sed qui debitū præmisit.

circumstantiis, suprà explicatis, omnibus, revocare memoriæ possit, sed aliqualem insufficientem, talis voluntariè se exponit periculo faciendi confessionem non integram, tam materialiter quàm formaliter, & reddendi Sacramentum irritum: quapropter & cum novo peccato mortali accedit ad confessionem, indispositus ad absolutionem. Talis monendus est, & pro qualitate personæ arguendus, pro culpa & indispositione, & prout conscientia Confessario dictaverit & prudentia suaserit; aut adjutus interrogationibûs (m) absolvendus est, aut ad melius examen constituendum remittendus. Quod tamen Noster Urbanus dissuadet, dicens: quòd multi non redirent ad Confessarium, si remitterentur pro examinanda conscientia. Imò Rustici non sunt remittendi; quia ut notat P. B. Spei, & experientia docet, illos se nunquam bene examinare, meliusq; prudentibûs interrogationibûs adjuvari.

(m.) Sylvius Diana Octavius.

Simplex nunquã remittendus prò examinanda conscientia, sed interrogatibûs adjuvandus.

Qualis ad examen requiratur diligentia?

Qualis in quibus requiritur diligentia quoad examen.

40. *Resp.* Requiritur diligentia pro ratione vitæ, peccatorum, temporis & capacitatis: Nam qui pluribûs negotiis involvitur, in quibus frequens est periculum peccandi mortaliter, majorem diligentiam adhibere tenetur, quàm ille qui non est tot negotiis involutus. Item qui plùs temporis à confessione vacat, quàm qui minùs. Qui solùm venialia committit, non est opus ut se multùm fatiget in examine &c. imò Religiosi qui ter exactè faciunt de die examen, etiamsi nullum præmittant confessioni, nullam culpam committunt, seclusâ negligentiâ. Ratione capacitatis exactius in ingeniosioribus, rudius in rudioribus examen requiritur. Ita Lugo, Vasquez, Bonæ Spei. Similiter qui non tam felici memoria pollet, quàm qui felici. Non tamen est necesse habere diligentiam summam, aliàs infinitis scrupulis aperiretur porta; sed sufficit talis, quam in negotio arduo adhibere solent prudentes, nempe mediocris. Ita Bonæ Spei, Toletus, Octavius & alii.

Non Sũma Sed Mediocris.

41. Quando Confessarius advertit in confessione, pœnitentis aliquem defectum provenientem ex defectu debiti examinis, tenetur pœnitentem juvare interrogationibûs (n). Ratio est: quia charitas ad hoc Confessarium obligat: tum quia officium Confessarii id exigit, ne pœnitens vagetur in incertum. Ita N. Urbanus. Et si pœnitens subticeat aliquod peccatum, quod Confessario est notum, debet potiùs existimare illum esse confessum hoc peccatum, aut habere rationem iustè excusantem eum à confessione hîc & nunc. Ita N. Stephanus à S. Paulo. Plura potest videre Lector apud Doctorem Resolutum *in* 4. *d.* 16. *q.* 1. *art.* 2.

(n) Bonacina Stephanus à S. Paulo.

42. Non tamen tenetur pœnitens propter debilitatem memoriæ notare sua peccata in charta, imò non est consultum (o), propter periculum

(o) Sotus Suar. Vasquez, Bonacina.

lum evulgationis; quidquid dicant Layman & Konink: Multi enim nolentes, perdunt tales chartas.

43. Et qui semel debitè est Sacramentaliter justificatus, ampliùs de peccatis, maximè carnalitatis, cogitare non debet (p): imò (ut viri magnæ Sanctitatis & experientiæ monent) periculosum est valdè, libidinosa memoriæ revocare: ac experientia multos docet: & timendum est, ne quis habens consuetudinem peccata libidinosa revocandi ut de eis doleat, in articulo mortis libidine accendatur, & sic in consensu extinguatur.

(p) Diana. Periculosum peccata libidinosa memoriæ revocare.

44. Dico: Non tamen omninò requiritur ad valorē confessionis, ut sit semper integra materialiter; sed sufficit & requiritur, ut sit integra formaliter. Ita omnes. Ratio primæ & secundæ partis est: quia ut semper habeatur confessio integra materialiter, est impossibile, ut videbimus statim; & sufficit integra formaliter in multis casibus, qui inferiùs declarabuntur. Tertiæ partis ratio est: quia Concilium Trid. *sess.* 14. *de pœnit. can.* 7. jubet illa in confessione clavibus subjicere, quæ subjici moraliter possibile est.

Confessio nō semper integra materialiter sed formaliter.

SECTIO II.

Qui sint casus, in quibus confessio censetur valida, etiamsi non sit integra materialiter?

1. *Resp.* Urgente necessitate confitendi, v. g. ratione præcepti de annua confessione, vel ratione suscipiendæ Eucharistiæ, vel ratione vitandi scandali aut infamiæ, causa universalis excusans pœnitentem ab integritate materiali, est impotentia. Et est alia physica, alia moralis: physica impotentia sive impossibilitas physica est, quando pœnitens nullo conatu eam superare potest; moralis impotentia seu difficultas magna est, quando est valdè difficile, seu periculosum dicere, quare dicitur moraliter impossibile. Unde

Excusans causa ab integritate materiali est impotentia physica moralis.

2. Ratione impotentiæ physicæ, excusatur pœnitens ab integritate materiali, ob inculpabilem oblivionem: patet ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. ubi exigitur, ut tantùm illa dicantur, quæ sunt in conscientia. Ratio est: quia nec Christus, nec Ecclesia ad impossibile obligat. Addo *ob inculpabilem:* nam si omissio sit mortaliter culpabilis, confessio nec integra formaliter, nec valida est; si tantùm venialiter culpabilis, eò quòd in disquisitione minorem diligentiam adhibuit quàm debuit (a), peccatum veniale committitur. At, sive ob inculpabilem sive culpabilem oblivionem, est omissum aliquod peccatum in confessione, si postea occurat memoriæ, debet confiteri. Item de ignorantia & inadvertentia, à paritate

Oblivio inculpabilis.

(a) Petrus à S. Iosepho de Rhodes.

tationis

Ignorantia

Inadvertentia.

tationis sentiendum est. Quare valida est, in qua omisit pœnitens hoc quod est peccatum mortale, ignorans quòd ad tale confitendū obligetur: quod sæpè in rudioribus, & junioribus contingit. Sed quando postea advertit hoc esse peccatum quod ipse commisit, v.g. dum erat puer multas lascivias cum alia procuravit, non sciens esse peccatum; debetne illas confiteri? *Resp.* Absolutè loquendo, non tenetur: quia tales lasciviæ sunt factæ in ignorantia malitiæ rei inculpabili, ut supponitur; consequenter non erant peccata, nisi materialiter. Sed si sit dubium utrum debeat confiteri necne, vel quòd tunc forsan habuit aliquam discernentiam mali, saltem in genere ac in confuso quòd non liceat facere; tenetur confiteri: Nam dubia peccata sunt confitenda, ut dixi suprà.

Loquelæ amissio.

(b) de Rhodes, Stephanus à S. Paulo.

3. Casus secundus est, in quo vi impotentiæ physicæ, sufficit confessio integra formaliter: quando aliquis declarato uno peccato in phrenesim incidit, aut loquelam amisit (b).

Quando tenetur scribere.

4. Tertius est casus, quando mutus cuicumquè Sacerdoti, aut non mutus Sacerdoti surdo peccata sua confitens, non sciens scribere, nutibûs exprimere omnia peccata non potest; sufficit ut illa exprimat quæ potest.

(c) Stephanus á S. Paulo.

5. Controvertunt DD. de scriptura, utrum teneatur mutus scribere, quando non potest nutibûs exprimere omnia mortalia peccata. Sed probabiliùs est illum teneri in his casibus, quando certum est scriptionem peccatorum statim post confessionem à Confessario lacerandam aut cōburendam fore, aut ipsi pœnitenti reddendam: tunc enim nullum est periculum publicationis peccatorum (c).

Nutibûs explicare.

(d) Bonæ Spei de Rhodes Steph. à S. Paulo.

6. Quartus casus est vi impotentiæ physicæ, quando pœnitens ignorat idioma Sacerdotis, & alium habere non potest; sufficit in eo casu ut nutibûs explicet peccata quæ potest: nequè etiam in articulo mortis tenetur adhibere interpretem (d). Colligitur ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. & ex *cap. Omnis utriusquè sexûs*, ubi sinè ulla distinctione ad articulum mortis statuitur, ut pœnitens solus sua peccata soli Sacerdoti confiteatur. Et cap. *Quem pœnitet*, interpres à confessione irrestrictè excluditur. Nequè urget Adversariorum casus, si ille pœnitens in articulo mortis dubitaret de contritione: quia Sacramentum pœnitentiæ ipsum salvat, ad quod sufficit in tali casu manifestare unum veniale, ut docent Bonæ Spei, Stephanus à S. Paulo. Quare si non posset nutu explicare illud, aut illa venialia quæ sunt aliis communia, posset assumere ad hæc interpretem; cum nulla ex talibus communibus omnibus infamia aut scandalum oriatur.

Non per interpretem. Sed nutibûs aliquod exprimere veniale.

Sufficit deficienti dicere unum

7. Quintus casus est ratione impotentiæ physicæ, quando timetur ne pœnitens dicto uno peccato mortali, antequam secundum & tertiū

dicat,

dicat, aut Confessarius deficiens ex contingenti, moriatur; tunc in utroquè casu audito uno peccato mortali, potest Sacerdos proferre absolutionem (d). Pro his & infirmo aut duo.

(d.) Bonæ Spei, de Rhodes, Petrus à S. Iosepho.

8. Nota, infirmum debere inprimis mortale peccatum confiteri, commissum post confessionem præteritam, quia de mortali, non de veniali currit præceptum; non tamen gravius aut gravissimum: quia utrumquè est materia necessaria; & in tali casu (suprà num. 7.) non tenetur dicere omnia. 2. si pœnitens data absolutione superstes fit vitæ & virium, ad perficiendam confessionem obligatur.

9. Sextus casus est, quando pœnitens in naufragio aut conflictu, aut alio casu periculi mortis, dicit solùm *peccavi*, dum plus non potest; absolvi debet (e). Colligitur ex Conciliis & Decretis, & Rituali Pauli V. Ratio est: quia confitetur eô modô quô potest; & ad impossibile non obligatur. Extra autem periculum mortis, qui potest plus dicere quàm *peccavi*, tenetur.

(e) Suarez Vasquez Diana Bonæ Spei contra Thomistas cõmuniter.

Quid si rudis recordetur peccati in genere nõ in specie?

10. Sed quid si extra periculum mortis pœnitens nimis rudis, confitetur solùm se peccasse mortaliter, & explicare peccatum non sciret, ex eo quòd recordetur in genere peccati mortalis; jam verò speciem peccati ob nimiam debilitatem memoriæ, commemorare non potest. *Resp.* Vel præmisit examen diligens, vel nõ? si non? *Resp.* mittendus est ad faciendum examen, aut juxta prudentiam Confessarii juvadus est interrogationibûs. Et si non possit commemorare sibi, tunc consultiùs est, ut addat aliquod veniale (f); sed necessarium non est (g): nam quando pœnitens scit se certò commisisse peccatum, solùm dubitat utrum sit mortale an veniale, est sufficiens materia pro hoc Sacramento; ergo etiam occurrente physica impotentia, quando scit certò se peccasse, sed speciem peccati revocare memoriæ nequit.

(f) Layman, Konik (g) Sotus, Medina.

Ad quid absolutio terminetur.

11. Si dicas contra positum *num.* 9. Absolutio debet terminari ad aliquid directè: at quando pœnitens dicit solùm *peccavi*, absolutio non potest directè terminari ad aliquid. *Resp.* Absolutionem in dicto casu terminari directé ad rationem communem peccati, in qua conveniunt omnia peccata; indirectè terminatur ad peccata in particulari.

Contra charitatem.

12. Septimus casus est, quando Sacerdos in pœnitente moribundo notat signa doloris; absolvere eum tenetur: aliàs mortaliter peccaret contra charitatem in hoc casu (h). Probabitur authoritatibûs infrà positis. Nunc declaro, quomodo tamen debet absolvere: vel dubitat de illis signis quòd potiùs sint ex angustia, aut mærore mortis: Tunc conditionatè eum absolvere tenetur (h); cùm tali absolutione, & saluti ægri, & reverentiæ Sacramenti consulatur. Si signa illa sint ad confessionem, salvare eum potest. Vel non dubitat de illis signis quòd sint ex sola angustia animi? Tunc

(h) Bonæ Spei Diana, Layman, Lugo.

Quomodo absolvendus

est qui signa dat doloris? Tunc vel conditionatè, vel absolutè eum absolvere potest: quia authoritates infrà positæ, quæ talem absolvere ordinant, nihil dicunt de conditionata absolutione. Quare si exclamaret, *confessionem! confessionē!* sinè scrupulo absolutè absolvi posset.

13. Casus octavus est, quo pœnitens Confessarium absentem vocavit, aut signa doloris dedit, quorum testes hoc testantur, absolvendus est absolutè (i). Probatur hic & anterior casus: Concilium Arausicanum 1. cap. *Subito obmutescens baptizari prout statutum est, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.* In Rituali Romano 1615. *Si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostendit, absolvendus est.* Quid si unus tantùm est testis? *Resp.* sufficere in tali casu; ita communiter. Ex his resolvitur, eum qui hesterna die ob debilitatem aut deliquium mediatam confessionem persolvit, hodie sensibûs est destitutus, absolvendum esse.

(i) Leander Lugo, Palao Arriaga, Bonæ Spei.

(k) de Rhodes.

Quid cum moribundo?

14, Sed quid cum moribundo sensibûs destituto, qui nec Confessarium vocavit, nec signum doloris in ordine ad confessionem manifestavit? jacet inter spem felicis, & metum infelicis æternitatis. Theologi circa ipsum disputant, utrum debeat aut possit absolvi? Reverendissimus Caramuel, Decus Ordinis Sacri Cisterciensis, cum eo Homobonus, Molfesius, Tamburinus, Servius, & N. A. R. P. Eliseus à S. Ioanne Baptista, absolvendum esse ipsum censent & probant, dummodo probè & Christianè vixerit. Econtra Suar. Vasq. Conink, Lugo, de Rhodes, Garcia (sed non Noster) negant ipsi dandam absolutionem. Ego ipsum absolverem conditionatè: & dico cum doctissimis Landero & Eliseo à S. Ioan. Baptista, quòd talem moribundum non tantùm potest, sed & tenetur, etiam ille qui oppositam sententiam tuetur, absolvere conditionatè; quod probo: quia tali absolutione potest moribundo periclitanti circa salutem æternam, sinè suo gravi incommodo succurrere, & eum salvare; quod sic deduco: *sinè gravi incommodo*, non enim se exponit periculo peccandi; nam utitur sententiâ tutâ & probabili, habente pro se multos Doctores graves, & rationes tales: & in articulo mortis non tantùm potest, sed & debet eligi opinio minùs tuta, quando non potest tutior ad praxim deduci. Nequè etiam ullam injuriam tali absolutione infert Sacramento, quia apponendo conditionem omnis aufertur injuria: nam absolvitur si est capax. Quòd salvare possit tali absolutione moribundum, ratio suadet: quia potest intra moribundum esse dolor sufficiens ad justificandum, saltem cum Sacramento pœnitentiæ, si non ad justificandum extra Sacramentum. Quare non absolvens illum, exponit ipsum, aut relinquit æternæ damnationi, potens illum salvare. Et respiratio ejus potest esse signum doloris: plus non requiritur ad absolutionem obtinendam in tali

casu, quàm ut dolor in ordine ad absolutionem sit signô manifestatus, ut moribundus det signum doloris, taliter qualiter potest, ut vidimus suprà hîc; ergo Sacerdos addendo absolutionem conditionatam, potest moribundum salvare eâ.

15. Confirmo intentum meum breviter: sufficit moribundo, ut confiteatur quantùm potest; & si non potest dicere *peccavi*, ut det saltem signum, ut vidimus suprà: ergo etiam sufficit ut det signum, quantum & quale dare potest. Item num. 12. hîc legimus, quando Sacerdos dubitat de signis, utrum sint doloris de peccatis, tenetur ipsum absolvere conditionatè (l); jam verò prudenter dubitatur de respirationibus moribundi, utrum non sint signum doloris, *cùm moriens numquam præsumitur immemor salutis æternæ*, ut habetur *cap. Sancimus l. q. 7. cod. ad legem Iuliã.*

(l) Bonæ Spei.

Casus in quibus propter impotentiam moralem pœnitens excusatur ab integritate materiali confessionis.

16. Primus casus est, quando pœnitens prudenter, hoc est ex justo fundamento, non merè suspicioso timet aliquod grave damnum ex confessione oriri sibi, aut alteri cuicumquè, tunc potest licitè in confessione illud peccatum silere: & sic quando prudenter timet ne Confessarius ipsius revelet peccatum, aut ne occidat sororem suam quam carnaliter cognovit pœnitens, aut ne ipsam verberibûs horrendè tractet, aut pœnitens fæmina prudenter timet ne Confessarius ex cognito peccato sumat occasionẽ peccandi, aut ne sollicitet eam ad peccandũ; tunc potest subticere illud peccatum. Pro his omnibus una est ratio: quia præcepta affirmativa non obligant cum dispendio gravissimo vitæ, famæ, bonorum &c. Ratio ulterior est: quia lex positiva integritatis confessionis, cedit juri naturali vitandi illud grave damnum.

Potest silere peccatũ dũ timet grave damnum inde oriri sibi aut alteri.

17. Ex superiori casu proponitur alius. Duo sunt Sacerdotes ad unam Ecclesiam & non plures in ea civitate aut pago; unus facilè labitur in peccata libidinosa, alter ipsius excipiens confessiones facilè polluitur ex auditis turpibus, cujus ille ex confessionibus hujus Sacerdotis habet notitiam: quæritur ergo, an propterea ille quando confitetur huic, potest aut tenetur subticere illa libidinis peccata? *Resp.* Vel habet notitiam quòd ille polluatur peccaminosè, delectando & consentiendo in illas pollutiones & delectationes? Tunc non tantũ potest, sed & tenetur talia peccata huic Sacerdoti non confiteri; ne sit causa ruinæ ipsi in spiritualibus. Vel habet notitiam quòd polluatur non peccaminosè, ex eo quòd nullum tam antecedentibus quàm concomitantibꝰ delectationibus, sicut & ipsi pollutioni præbeat assensum; sed potiùs eas detestatur, elevando ab ipsis spiritum ad Deum, aut ad vulnera Christi, faciendo protestationem se malle millies mori quàm fædari? Tunc non tantùm

Casus.

Dd potest,

potest, sed & tenetur sua carnalitatis peccata ei confiteri, confitendo alia. Ratio est: quia tunc non est causa ipsum excusans ab integritate materiali. Et si aliquando peccaminosè, aliquando non peccaminosè polluitur iste, tunc potest ille subticere peccata ex quibus provenit talis pollutio: imò tenetur non esse illi causa ad lapsum tam grandem, adhuc in tam sancto opere, in Sacramento pœnitentiæ.

(m) de Rhodes.

Laborans morbô contagiosô, quãdo omnia peccata dicere tenetur?

18. Ad istos casus Doctores addunt casum, nimiam ægri fatigationem, quòd sit ipsi nimis difficilè exprimere omnia peccata (m). Item quando pœnitens infectus est morbô contagiosô v.g. peste, & Sacerdos ipsum aliter non potest audire, nisi sub periculo contrahendi illam infectionem; tunc auditô unô & alterô peccatô, potest illum absolvere. Attamen si vellet omnia audire, tenetur pœnitens omnia confiteri mortalia, quorum memoriam habet.

19. Item casus est ratione impotentiæ moralis (imò & physicæ quoad esse liciti), quando Sacerdos non potest integrè materialiter confiteri, nisi revelet peccatum auditum in confessione, & circumstantiam personæ notæ Confessario, ex qua circumstantia aut peccato facilè deveniret, quis est qui hoc confessus est: v. g. si invalidè absolvisset simoniacum, nec posset alteri confiteri nisi illi, qui facilè posset colligere quinam esset simoniacus absolutus; tunc hoc peccatum subticere posset dictîs aliis, expectando alium Confessarium. Ita communiter. Ratio est: quia major est obligatio sigilli confessionis, quàm obligatio integritatis in confessione adhibendæ; cùm in nullo casu liceat frangere sigillum confessionis, licet autem in multis confessionibus prætermittere mortale.

De cõplice.

20. An qui non potest explicare aliquod peccatum suum, nisi manifestando peccatum complicis, excusetur ab integritate materiali? *Resp.* & dico contra Medinam & Facundes: Quando pœnitens potest sufficienter declarare suum peccatum absq; manifestatione complicis, tenetur sub peccato mortali peccatum complicis occultare: & sic Titius qui germanam sororem cognovit, tenetur adire talem Confessarium, cui ignota est soror ejus germana, aut confessionem differre ad adventum talis. Ratio est: quia extra casum necessitatis neminem umquam licet infamare. Quando verò pœnitens suum peccatum in confessione nequit explicare, nisi manifestando complicem, tenetur sub mortali dicere complicem; non tamen nominatim (n): & sic Titius qui cognovit sororem germanam, instante præcepto aut necessitate confitendi, non habito Sacerdote cui soror germana sit ignota, tenetur declarare commissum incestum cum sorore. Non ut volunt in margine citati, dicere se commisisse peccatum fornicationis, aut habuisse animum peccandi cum ea: quia tenetur gradũ consanguinitatis dicere, ut dixi suprà. Ita S. Bernardus ait in

(n) S. Thõ. Bernardus, Bonavent. & plusquã 40. DD. Bonæ Spei cõtra Valentiã, Dianã, Navarrum, Vasquez.

Doctrina S. Bernardi.

ait in *Formula honestæ vitæ: De nullo prorsus sinistrè loquaris, quantumcumquè sit verum vel manifestum, nisi in confessione ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Probatur præterea: Pœnitens neglectâ propriâ infamiâ, de jure Divino tenetur peccatum suum integrè dicere, ut dixi suprà; ergo tenetur dicere peccatum complicis, aliàs non diceret illud integrè: quia non diceret circumstantiam, in quam se exhibuit complex.

Pro discursu.

21. Dices: Non licet manifestare peccata complicis, quia non licet diffamare etiam in confessione complicem, quia præceptum naturale est de hoc; præceptum autem naturale prævalet Divino positivo. *Resp.* Præceptum naturale est, quòd non liceat aliquem diffamare qui juri suo non cessit, Transeat; qui juri suo cessit, Nego assumptum. Iam verò complex peccati, per suum peccatum cessit juri suo quod habuit ad se non diffamandum in confessione. Dixi *Transeat:* nam jus naturale est, neminem umquam extra casum necessitatis posse diffamare; secus in casu necessitatis qui in proposito est, ne invalidè confiteatur pœnitens.

Non licet eũ diffamare qui suo juri non cessit.

22. Instabis: si complex per peccatum cederet juri suo, posset manifestari quandocumquè, & coram quocumquè Sacerdote; quod patet consideranti. *Resp.* Distinguo: si cederet juri suo absolutè; non autem si respectivè, ad casum necessitatis tantùm.

Complex cessit juri quoad casũ necessitatis.

23. Superinstabis: Si complex peccati cederet juri suo respectivè, ad casum quô nequit declarari peccatũ pœnitentis sinè manifestatione cõplicis, tunc etiam propter suum veniale posset pœnitens & teneretur mortale complicis revelare, v. g. dicendo, *negligenter restiti sorori meæ ad incestum sollicitanti. Resp.* & dico: In tali casu non habet jus pœnitens ad confitendum suum veniale.

Ius naturale neminẽ diffamare.

24. Nec dicas: Etiam ad confitendum mortale, eum non habere jus in tali casu circumstantiâ. Nam hoc est, quod negatur. Et si probes per hoc quòd non potest manifestare complicem propter grave damnum, si prudenter timeat ne Cõfessarius odiò prosequatur ancillã suã cõsanguineã, denegãdo illi dotẽ quã dare promisit; ergo etiã nõ potest diffamare corã illo Confessario noto, cùm diffamatio sit grave damnũ. Disparitas est: quia licèt complex peccati, cessit juri suo ad celandum scelus suum in confessione in tali casu, in quo alter integrare confessionem non posset; non tamen cessit juri suo ad celandum illud scelus illi Confessori, qui malitiosè uteretur notitiâ confessionis: tum quia habet jus non cedendi juri suo pro tali casu: tum quia si cederet juri suo pro tali casu, esset causa peccati.

Quare complex non cõsentit in damna orienda.

25. His omnibus specificatis casibus, præsupponi debet necessitas confitendi: nam si in quibusdam non sit confessio omninò necessaria, diffe-

renda ad talem Sacerdotem, cui integra materialiter esse potest; aliàs nulla esset.

26. Utrum pœnitens peccata aliorũ qui nõ sunt complices ipsius peccati, possit licitè manifestare in confessione? Negat Suarez, Facundez, Diana, de Rhodes. Econtra affirmativam tenent sententiam Sotus, Lugo. Ego mediam dico: Propter solatium aut consilium, dicere potest peccata alterius: & sic nõ raro uxores narrant peccata maritorũ Cõfessario in cõfessione, ut consiliũ ab eo capiant: hoc sine enim possunt talia referri extra confessionem, prudenti & secreto viro; cur non & in confessione (o)? Cavere tamen debet tunc Confessarius, ne ex curiositate de his interroget, aut ne totum in detractionem vertatur; alioquin ad restitutionem obligarentur, & sacrilegium committerent Confessarius cum pœnitente.

An licitum non complicis peccata manifestare?

(o) Bonæ Spei.

27. Notandum est, quòd si Confessarius habeat pœnitentes unius familiæ, omnes sibi notos; potest interrogare pœnitentem de occasione proxima peccandi, etiamsi deventurus sit in notitiam complicis sibi noti; & pœnitens tenetur fateri (o). Potest etiam cogere pœnitentem, ut revelet Superiori peccatum alterius; & pœnitens hoc præstare tenetur. Ita Bonæ Spei & Stephanus á S. Paulo.

Quid de casibus reservatis?

Causæ confitendi.

28. Utrum ille qui habet casus reservatos, & solùm talem Sacerdotem habet qui non habet potestatem ab illis absolvendi, illos teneatur confiteri, quando urget necessitas gravis confitendi, ratione præcepti de annua confessione, vel ratione suscipiendæ Eucharistiæ, vel ratione vitandi scandali aut infamiæ alteriusve damni gravis?

Notandum.

29. Additur *quando urget necessitas* &c: nam alioqui secundùm omnes Theologos confessio est sacrilega; cùm non sit justa causa dimidiandi confessionem. Gratiâ devotionis non est dimidianda, sed dimittenda.

30. His præmissis præmitto ulteriùs, hac in difficultate esse triplicẽ sententiã. 1. docet, sola nõ reservata peccata posse confiteri pænitentẽ, servatis reservatis ad talem, qui ab eis absolvendi habet potestatem (p). 2. asserit, in tali casu posse pœnitentem præmissa contritione communicare, aut Missam celebrare (q). 3. probat, in tali casu debere pænitentem dicere peccata tam reservata quàm non reservata. Pro hac sententia

(p) Lugo, Dicastillo, Rozmer.

(q) Vasquez & alii.

31. Dico: Licetsi in aliquo casu pœnitens posset licitè dicere peccata reservata Prælato, ob gravem necessitatem; nunquam tamen ex mero suo placito sola reservata Prælato; aut sola non reservata Inferiori (r). Ratio est: quia integritas confessionis est ex jure Divino; non potest omitti aliquod peccatum mortale, nisi ex gravi causa. Neque Sacerdos in tali casu proferre formam absolutionis. Quare si Superior ab grave val-

(r) Naldus, Portel. Lezana verb. casus reserv.

valdè impedimentum non posset integram confessionem audire Inferioris, judicans illum cum talibus reservatis non mittendum ad alium Confessarium; tunc auditîs solîs reservatîs, posset illum absolvere directè, & à non reservatis indirectè, remittendo cum eis illum ad alium Confessarium: & sic excusaretur pœnitens ab integritate materali confessionis coram Prælato factæ, & coram Inferiore non teneretur dicere, imò tenetur non dicere peccata reservata (s). Si autem Superior auditîs reservatîs remitteret cum non reservatis, aut pœnitens confiteretur Superiori sola reservata aut Inferiori Confessario sola non reservata propter solam voluntatem suam, aut aliqualem commoditatem; peccaret mortaliter, & Sacramentum esset nullum, ob rationem superiùs datam (t).

Petrus à S. Iosepho.

Quãdo Prælatus possit remittere cũ non reservatis?

(s) Lezana verbô cas. reserv. n. 11. Layman Lugo.

(t) Portello Layman, Bonacina, Lugo, Lez. ibidem.

32. Sacerdos non habens potestatem absolvendi à reservatis, licèt non absolvat ab illis directè, quia hoc prohibet Tridentinum; tamen absolvit indirectè: quia hoc pia Mater Ecclesia in tali casu præsumitur ei concedere (r). Nec verecundia obest; sed prodest: quia verecundia magnam partem pœnæ remittit, ut dixi suprà. Ergo major (quòd coram duobus dicantur peccata), majorem partem pœnæ remittit.

33. Quod dictum est de peccatis reservatis, idem dicendum de excõmunicatione (u). Ita enim D.R. *in 4. d. 16. q. 1. a. 5.* dicit: *Potest Sacerdos absolvere ab his quæ ad eum pertinent; & pro excommunicatione mittere eum ad Episcopum, in Sum. Confess. tit. de pœn. lib. 3. q. 73. Regulariùs tamen fieret, si primò absolveretur ab excommunicatione.*

(u) Lezana ibidem.

34. Non est contra integritatem confessionis, quòd pœnitens ob justè excusantem rationem, v. g. conservandi propriam aut alterius famam apud proprium Confessarium, dicat extraordinario Confessario peccata mortalia; proprio venialia: licèt esset, si proprio priùs diceret venialia. Neque peccat; quia utitur jure suo: si autem hoc faceret animô liberiùs peccandi, aut fugiendo utiliorem medicum, confessio esset nulla, defectu requisiti efficacis propositi.

An priùs absolvendus ab excõmunicatione quàm à pecatis?

SERIES VII.

De necessitate confessionis.

SECTIO I.

Quomodo confessio ad salutem sit necessaria?

I. Confessio Sacramentalis vel est in re, vel in voto Sacramentalis: in re, est ipsa accusatio peccatorum coram Sacerdote; in voto, est contritio perfecta vel amor Dei super omnia: talis enim actus saltem implicitè includit votum ac desiderium confitendi, habita opportu-

portunitate; nam includit ſaltem implicitè propoſitum efficax obſervandi omnem legem, conſequenter eam quæ eſt de confitendo. Hîs præmiſſis

2. Dico: Confeſſio Sacramentalis in re vel in voto, eſt neceſſaria neceſſitate medii. Ita enim habet Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 2. *Eſt autem hoc Sacramentum pœnitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis baptiſmus.* At baptiſmus in re vel in voto, eſt neceſſarius neceſſitate medii; Ergo & hoc Sacramentum. Ergo confeſſio in re vel in voto, eſt neceſſaria neceſſitate medii. Ex his

Obligatur ad pœnitentiam disjunctivè aliquā.

3. Dico 2. Licèt omnis fidelis lapſus in peccatum mortale vi præcepti Divini (Ezech. 18. *Confitemini & agite pœnitentiam. Luc.* 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*), & per accidens dum aliquod Sacramentum vivorum ſuſcipere aut adminiſtrare intendit, aut dum credit, alioqui gravem tentationem ſe non ſuperaturum quâ vexatur; aut communitatem ob ipſius peccatum à Deo graviter puniendam (ut Iſràèlitis ob Davidis peccatum 2. Reg. 24. contigit), aut eſt aliquid faciendum quod gratiæ ſtatum prærequirit, obligetur ad pœnitentiam; non tamen determinatè ad unam, ſed disjunctivè ad alterutram: ſcilicet ad confeſſionem in re talem, aut ad contritionem (niſi adſit ſpeciale præceptum ſtringens ad confeſſionem in re); cùm per alterutram redit ad amicitiam Dei (a).

(a) Bonæ Spei.

Quamprimū pœnitere tenetur.

4. Dico 3. Lapſus in mortale quamprimum commodè pœnitere poteſt, tenetur. Ita S. Thom. *d.* 3. Bonaventura, Antoninus, Cajetanus, Sotus, Sylveſter, Vilhelmus, Bonæ Spei, Pontius, contra Bonacinam & alios non paucos apud ipſum. Unde qui hodie commiſit mortale peccatum, tenetur hodie pœnitere, ſi commodè poteſt: nam licitè non poteſt in craſtinam diem differre eam; quia id prohibetur *Eccleſ.* 5. hîs verbîs: *Ne differas de die in diem, & ne tardes converti ad Deum; ſubitò enim veniet ira illius.* Si hæc verba eſſent conſilii, non præcepti (ut vult Bonacina), poſſet aliquis licitè, voluntariè, in occurrentia peccati mortalis memoriæ permanere, & non pœnitere: at hoc eſt falſum; ſic enim veritatem declarat S. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 18. *Manifeſtum eſt, quòd nec per modicum tempus licet in peccato mortali morari; ſed quilibet tenetur peccatum ſuum deſerere.*

5. Probatur: Sicut omnis fidelis tenetur non averti à Deo, ita tenetur converti ad Deum; Ergo ſicut data opportunitate tenetur non averti à Deo, ita data opportunitate converti ad Deum. Probatur: quia aliàs inferret Deo injuriam, ſive averteretur ſive non converteretur: nam per unum, jus Dei læderet; per ſecundum, jus Dei læſum reparare nollet.

6. Di-

6. Dices: Præceptum pœnitentiæ eſt affirmativum: præceptum affirmativum non obligat ut ſtatim actus præceptus ponatur, hæc enim eſt conditio præceptorum affirmativorum, ſemper obligare; ſed non pro ſemper: ergo præceptum de facienda pœnitentia non obligat, ut lapſus in mortale ſtatim pœniteat. *Reſp.* (b) Diſtinguo primam propoſitionem: eſt præceptum negativò affirmativum, Concedo; eſt purè affirmativum, Nego. Similiter ſecundam propoſitionem diſtinguo: præceptum purè affirmativum non obligat ut ſtatim &c. Concedo eam; præceptum negativò affirmativum non obligat ut ſtatim actus ponatur dum commodè poni poteſt, Nego. Explico diſtinctionem: Præcepta purè poſitiva ſunt, quæ nihil negativi in ſe continent, & ad negativi impletionem non concurrunt, ſed ſolùm ad impletionem poſitivi; & tale eſt præceptum charitatis de diligendo Deo, quod quidem ſemper obligat ad actum amoris, ſed non pro ſemper. Purè negativa ſunt, quæ nihil poſitivi includunt, & ad poſitionem poſitivi non concurrunt: de horum genere eſt præceptum *non furaberis*. Tale præceptum & ſemper & pro ſemper obligat, ad omiſſionem furti. Præcepta negativò affirmativa ſunt, quæ includunt hoc & illud: & ſic præceptum de facienda pœnitentia, ita eſt poſitivum, ut includat ſimul negativum non remanendi in averſione à Deo, & non retinendi debitum reparationis injuriæ Deo illatæ: & ſic ſemper pro ſemper obligat præceptum pœnitentiæ.

Pro diſcurſu & ſolutione.

(b) RP. Clemens à S. Pō tiano.

Præceptum affirmativū, negativum, & negativò affirmativū.

7. Si quæras: Tanta obligatio, vel oritur ex memoria vel à peccato ipſo? *Reſp.* A memoria tamquam à conditione ſinè qua non; à peccato verò tanquā à radice oritur obligatio.

8. Si urgeas, non oriri ex peccato titulô juſtitiæ, nec titulô alienum reſtituendi: Quia licetſi homini honor aut res ablata debet reſtitui, quāprimum moraliter reſtitui poteſt; non tamen Deo læſo: quia homo ſicut ex ablatione talis rei, ita ex dilatione, damnum & detrimentum patitur; jam verò per peccatum, non Deus ſed homo damnificatur: ſicut ex pœnitentia, non Deus ſed homo melioratur. *Reſp.* Sicut per peccatum dum committitur, ita dum non amovetur, fit injuria Deo in honore, qui movet ad pœnitentiam, commoditatem pœnitendi providet, & negligitur. Sicut ad reconciliationem hominis, non ſufficit mera odii depoſitio (hæc enim interpretativam voluntatem perſeverandi in odio proximi non excludit, imò includit), ſed requiritur ut reconcilietur ei; ita ad reconciliationem cum Deo, non ſufficit permiſſivè ſe habere circa omiſſionem pœnitentiæ, aliàs vellet permanere in inimicitia Dei (qui vult antecedens vult & conſequens), ſed requiritur ut pœnitentiam agat; aliàs eſt in periculo ulteriùs peccandi mortaliter: quia, ut per Canonem tertium Millevitanum (c) declaratur, peccatorem ſinè gratia ſanctificante, ſe non poſſe præſervare à novo peccato mortali.

(c) Bonæ Spei.

9. Su-

9. Superurgebis: Iuxta praxim antiquam, fideles docti & timoratæ conscientiæ non accusant se de hoc, quòd non statim pœnitentiam fecerint; nec solent de hoc Confessarii interrogare. *Resp.* Multi etiam docti & timoratæ conscientiæ, hanc circumstantiam aperiunt in confessione; & quòd alii id non faciant, id contingit propter probabilitatem oppositæ sententiæ.

Quamprimum ad pœnitentiam.

10. Dices adhuc: Ecclesia præcipit semel confiteri intra annum; ergo signum est non teneri peccatorem ad pœnitentiam quamprimum potest, aliàs Ecclesia addidisset hoc. *Resp.* Nego consequentiam. Non sequitur; cùm præter confessionem detur contritio perfecta, quæ est perfecta pœnitentia. Nequè tenetur omninò ad contritionem; sed potest satisfacere per attritionem conjunctam Sacramento pœnitentiæ, si habeat copiam Confessarii, & velit confiteri; si nolit, potest differre confessionem, & satisfacere per actum contritionis.

Confessionē vel contritionem.

11. Si inferas: Ex his sequitur quòd peccator continuò mortaliter peccaret toties, quoties memor peccatorum contritionem non eliceret. *Resp.* Concedo majorem. Sed hoc est falsum, Nego: non est falsum quòd quis peccet toties, quoties non restituit alienum, quando debet & potest.

Confessio in re vi præcepti est necessaria.

12. Confessio in re, est necessaria necessitate præcepti Divini & Ecclesiastici. Primum, scilicet quòd sit præceptum Divinum de confitendo, patet Ioan. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Et declaratur in Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Secundum statutum est in Concilio Lateran. ut ostenditur in Trid. loc. cit. Vi illius præcepti Divini, saltem in articulo mortis vero, aut probabili periculo mortis; vi Ecclesiastici, semel in anno & quoties sumenda est Eucharistia, omnis baptisatus rationis compos, post baptismum in peccatum mortale lapsus, obligatur ad confitendum illud.

Quando?

Periculum mortis probabile quod prævenire consultiùs est.

13. Explicatur & probatur: *Vi præcepti Divini* &c: cùm illud non determinet tempus suæ obligationis, juxta Theologos maximè conveniens est saltem articulus mortis: tunc enim maximè, omnis prospicere propriæ saluti tenetur. *Aut in periculo probabili*, in quo homines plurimùm pereunt: ut sunt conflictus, navigatio periculosa, partus difficilis &c, quæ prævenire consultiùs est; nam in periculo, timor conscientiam perturbat. Imò quando probabiliter non est habiturus Sacerdotem pro periculo suæ vitæ, tenetur anticipativè confiteri, dum commodè potest: Sic ad conflictum accedens, aut ad loca infidelium, aut latronum, aut navigationem periculosam in mari v. g. similiter mulier tenera expectans primum partum, aut alia quæ solet habere partus difficiles,

imò

imò quæcumquè; cùm possit advenire cum difficultate mors. Item incidens in infirmitatem gravem. Innocentius III. & Pius V. mandârunt Medicis, ut tales infirmos moneant de instituenda confessione: quod tamen mandatum non obligat graviter Medicos, docent Suar. Sanch. Diana, maximè quando sperant se non profuturos suis svasionibûs, sed potiùs obfuturos sanitati. Nequè Pii V. rigorosissima prohibitio, ne post tres dies Medici accedant ad infirmum qui confiteri non vult, est acceptata & praxi servata (d).

Medici interdicuntur ad terrorē.

(d) Bonæ Spei.

14. *Vi præcepti Ecclesiastici semel in anno:* Nam ita habetur in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. *Omnis utriusquè sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur.* Idem definitur in Trid. *sess.* 14. *can.* 8.

Vi præcepti Ecclesiastici

15. Annum intra quem implendum est hoc præceptum, computant Theologi alii à 1. Ianuarii ad ultimam Decembris (d); Alii à Paschate ad Pascha. Quocumquè tempore anni impleri potest hoc præceptum. Mos tamen exigit, circa Pascha instituere confessionem: sicq; simul satisfit secundo præcepto Tridentini, de præmittenda confessione peccatorum mortalium, sumptioni Eucharistiæ. Et qui annuam confessionem sive culpabiliter sive inculpabiliter omisit, ad illam sequenti annô data prima opportunitate obligatur (e). Ratio est: quia tempus totius anni assignatur, non ad finiendam obligationem annuæ confessionis, sed ad sollicitandam confessionem, ne ultra annum differatur, ut communiter docent DD. Attamen opposita sententia est probabilis, quòd scilicet elapso tempore Paschatis, non teneatur sub novo peccato ante sequens Paschale tempus confiteri: patet ex hoc, quòd tales qui per aliquot annos non fuerint confessi, à Confessariis timoratæ conscientiæ non obligentur ad tot confessiones instituendas, quot annuas omiserunt.

Annus intra quē hoc præceptum implendum.

(e) Nostri Bonæ Spei, Urbanus ab Ascensione Domini, Stephano à S. Paulo, Eliseus à S. Ioan. Bapti. Iustinianus, Clemens á S. Pontiano cōtra Marchantium.

16. Pro nostra sententia, Dicendum: Qui anteriori annô omisit confessionem, unica confessione sequenti duplici præcepto satisfacere potest; sicut uno sacro duplici festivitati, diei Dominicæ & festivitati SS. Petri & Pauli. Quapropter, non est necesse tot instituere confessiones, quot annuæ sunt omissæ (f).

Qui omisit confessionē annualem teneturne repetere?

(f) Bonæ Spei.

17. Si dicas cum Bonacina: Qui tenetur singulîs annîs solvere unum aureum, pro eo quòd annô præteritô non solverit, non satisfaciet obligationi dando sequenti annô unum aureum; Ergo etiam qui non est confessus annô præteritô &c. *Resp.* disparitatem esse: quia nummus, non est virtualiter duplex nummus, sicuti sacrum unum non est virtualiter duplex sacrum: quare qui præteritô annô non absolvit sacrum, quod absolvere quolibet anno tenetur, non satisfacit per unum sacrum pro

duobus annis, pro præterito & moderno. Iam verò una confessio in qua proponuntur & præteriti & præsentis anni peccata, est virtualiter duplex.

Debet esse baptizatus rationis cō-pos.

18. *Omnis baptizatus:* quia licèt non baptizati obligentur præceptô Divinô ad baptismum suscipiendum, *Nisi quis renatus* &c. non tamen ad Sacramentum pœnitentiæ: cùm hoc solùm sit commissorum peccatorum post baptismum.

Qui annus discretionis?

19. *Rationis compos*, seu qui ad annos discretionis pervenit: cùm hoc exprimant Concilia Lateran. & Trid. Quis autem sit annus discretionis, quô pueri discernunt inter bonum & malum, ac habent sufficientē usum rationis ad peccandum? Alii assignant annum 7. aut 8. Alii 9. ut Nr P. Bonæ Spei; alii 10. aut 12. Sed hoc potiùs est relinquendum prudentiæ Confessariorum, aut Parentum (g): nam inveniuntur non rarò rusticani pueri, qui post 8. annum habent micam rationabilitatis, massam verò animalitatis; econtra pueri cultæ educationis, aliquando ante septimum, aut annô septimô sufficientem capacitatem ad discernendum inter bonum & malum, usumq; sufficientem rationis.

(g) Stephanus à S. Paulo.

Impuberes non afficiuntur pœnîs quibûsvis. Sed nonnullis.

20. Notandum, quòd impuberes qui obligantur ad annuam confessionem sub novo mortali, non afficiantur pœnis Ecclesiasticis excommunicationis & privationis sepulturæ: quia tales pœnæ solis puberibus infliguntur, ut colligitur ex cap. *Referente nobis de delictis puerorum*, ubi sic: *In pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris ætatis, humanæ leges dicunt severiùs corrigendum.* Etiamsi septenni ordinariè obligantur ad confessionem; non tamen excommunicantur, nisi in anno pubertatis.

21. *In peccatum mortale lapsus, obligatur ad confitendum illud:* nam propter sola venialia ad confessionem annuam (ut Scot. d. 17. n. 25. & alii cum ipso communiter docent) nemo obligatur; cùm de mortalibus, non de venialibus præcipit confessionem faciendam Tridentinum: sic enim *sess.* 14. *c.* 5. ait: *Nihil aliud à pœnitentibus exigi, quàm ut quisquè ea peccata confiteatur, quibûs se Dominum Deum mortaliter offendisse meminerint.* Nec ullibi præcipit Ecclesia confiteri peccata venialia. Et si hîc præciperet venialia, præciperet moraliter impossibile. Ratio est: quia hîc præcipit omnia peccata dici, quod est impossibile dicere omnia venialia.

Ecclesia nō præcipit cōfiteri venialia.

22. Tenetur tamen adultus confiteri per accidens venialia, ratione scandali, aut ne excommunicetur, aut interdicatur: Nam in cap. citato *Omnis utriusquè sexûs*, annua confessio præcipitur sub pœna privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, & privationis ingressûs Ecclesiæ.

Tamen aliquādo oportet ea confiteri.

23. Sed quid ad hoc? Confessus est venialia, & lapsus est in mortale ante terminationem temporis confessionis annuæ. *Resp.* ipsum teneri con-

Casus.

ri confiteri mortale: quia confeſſio peccati mortalis eſt præceptã. Si incidat iterum in mortale, tunc licetſi teneatur quamprimum pœnitere, non tamen vi hujus præcepti, annuæ confeſſionis, confiteri: quia præceptum jubet ſemel confiteri mortalia.

24. Nec ullibi eſt aliud præceptum de facienda præterea confeſſione; niſi ratione ſuſcipiendæ Euchariſtiæ præceptum Tridentini, quod jubet confeſsionem præmitti ab eo, qui eſt conſcius peccati mortalis.

25. Dices: Præceptum eſt Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. quòd Sacerdos conſcius peccati mortalis, qui ob neceſsitatem urgentem non præmiſſa confeſsione celebrat, tenetur ſub mortali peccato quamprimum poſtea confiteri, quod etiam patet ex propoſitione iſta: *Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium non præceptum*, damnata ab Alexandro VII. Ergo qui peccavit, tenetur quamprimum confiteri. *Reſp.* Licetſi Sacerdos, qui ob neceſsitatem urgentem conſcius peccati mortalis non præmiſsa confeſsione celebravit, teneatur quamprimum confiteri ſub mortali, ut jam nunc eſt certum, & quidem ſi habeat copiam Confeſſarii, intra triduum, ut volunt Granadus, Diana, Baldus, Filliucius, aut ſtatim poſt miſſam ut alii volunt cum Suarez, maximè ſi non eſt habiturus copiam Confeſſarii intra triduum, ut Diana, Leander, Baſſæus; tamen Sacerdos qui ex malitia vel oblivione, aut ob defectum Confeſſarii celebravit in mortali, probabiliter non tenetur quamprimum confiteri (h). Et Laicus qui urgente neceſſitate vel ob defectum Confeſſarii, non præmiſſa confeſſione ſumpſit Euchariſtiam, non tenetur quamprimum confiteri (i). Ratio eſt: quia Trid. dicit de Sacerdote, non de Laico; & de Sacerdote in tali caſu, non in alio, in quo ſinè lege non eſt aſſerenda obligatio, ut habetur cap. *Conſuluiſti* 2. *q.* 5. Ergo à fortiori non ſumptâ Euchariſtiâ, non tenetur tam Sacerdos quàm Laicus, quamprimum confiteri. Nec obeſt periculum ulteriùs labendi in mortale aliud, aut gravius: quia poteſt peccatum tolli per contritionem. Verum quidem eſt, quòd S. Thom. in opuſculo 64. hæc habeat: *Si oblitus es quando confiteris aliqua peccata, & poſtea die ſequenti vel alia die recordaris, ſi potes, debes reſurgere ad eumdem aut alium Confeſſorem, ut confitearis.* Sed hæc explicant DD. de debito honeſtatis, non neceſsitatis. Securiùs tamen eſt, ut confiteatur quamprimum. Ita enim Innocentius III. cap. *Omnis*, dicit apud D.R. in 4. d. 16. a. 1.

Sacerdos celebrans in mortali tenetur quãprimũ cõfiteri.

Aliud eſt n. 4. aliud hîc.

(h) Diana, Leander, Bonacina, Octavio.

(i) Leander, Leſſius, Suar. Granad. Diana.

Propoſitiones ab Alexandro VII. damnatæ ad hanc ſectionem reducendæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſsitate cum peccato mortali confitendi quãprimum, eſt conſiliũ non præceptũ.

39. Illa particulâ *quamprimum* intelligitur cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

SECTIO II.

Per qualem confessionem satisfit præcepto annuæ confessionis?

Satisfit præcepto per cõfessionem Regulari.

I. *Resp.* ET dico: Huic præcepto satisfacit pœnitens per confessionem factam Religioso privilegiato: contrarium enim, velut erroneum damnavit Ioannes XXII. in favorem Carmelitarum per Extravag. *Vas electionis*. Quod & aliunde constat ex Concilio Generali Viennensi habito sub Clemente V. in Clementina *Dudum* de sepulturis, & Lateranensi 5. sub Leone X. *sess.* 11. ex Bulla ipsius SS. Domini Leonis *Dudum intra mentis arcana*, ubi id expressè dicitur: quod etiam indicat Trid. Conc. *sess.* 25. c. 20.

Sed non per invalidã quare censura incurritur.

2. Sed nõ satisfacit per confessionem sacrilegam: patet ex propositione 14. ab Alexandro VII. damnata opposita. Utrũ talis incurrat censurã Ecclesiasticam latam contra non confitentes? Controvertunt DD. Sunt pro, Suarez, Corduba, Nugnus. Contrà, sunt Canus, Medina, Bonæ Spei. Ego probabiliùs judico talem incurrere: patet ex ipsa propositione damnata. Si nullam facit confessionem; Ergo incurrit censuram. Quare si probari potest quòd non sit confessus, potest censurari (a).

(a) Bonacina, Urbanus, Stephanus, Bonæ Spei, Diana contra Suar. Layman &c.

Neque per dimidiatã.

3. Sicut non satisfacit pœnitens per confessionem dimidiatam præcepto annuæ confessionis (b), nam Concilia exigunt, ut *omnia peccata sua fideliter confiteatur*; ita non satisfacit per confessionem venialium, si post confessionem venialium intra tempus anni labatur in mortale (c): quia de mortalibus præcepit Tridentinum faciendam confessionem, ut dixi *suprà num.* 21. (c).

(b) Bonæ Spei contra Bonacinam.

(c) Suar. Layman; oppositum Bonæ Spei cũ Diana.

4. Dimidiari tamen potest in casibus, in quibus & alia confessio; imò & omitti quoad mortalia, propter impotentiam physicam aut moralem: eadem enim est ratio de annua confessione, sicuti de alia, dummodo fiat quoad venialia propter rationem datam *Ser. anter. num.* 22.

5. Non aliter tamen omitti potest, quàm ad adventum talis Confessarii, qui potestatem habet absolvendi à reservatis (b). Ratio hujus data est immediatè num. 4. Nec debet dicta repetere, cùm fuerit valida confessio. Cessante periculo, confiteri; transeunte tempore Paschali, communicare deobligatur: quia utrumquè præceptum tales circumstantias respicit, dum periclitatur vitâ, & quo Christus passus est & resurrexit. Præceptum verò intra annum confitendi, est determinatio Divini præcepti, & compulsio ad confitendum omninò.

Propo

Propositiones ab Alexandro VII. damnatæ ad hanc sectionem pertinentes.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

SERIES VIII.

Quandonam confessio sit necessariò iteranda, & quomodo?

1. ADdidi *necessariò:* nam iteratio confessionis peccatorum, maximè illorum quæ majorem pudorem generant, causâ devotionis aut humiliationis assumpta, respectivè est utilis; sed non necessaria. Hic autem quæstio est, quando omninò iteranda est confessio? Respondebis: Quando est invalida. Sed quænam est invalida? Sive ob defectum tenentem se ex parte pœnitentis & materiæ, sive ex parte Confessarii & absolutionis. Ut clarissimè Lectori & Auditoribus appareat iteranda, deduco per casus; & imprimis ex parte pœnitentis. Et quia reperiuntur Confessarii ignari, qui legere librum moralem recusant, ducam ad unũ illorum saltem unum pœnitentem cum casibus, ut illos resolvat; & si nequiverit, respondebo pro ipso: tum ut inposterum addiscat, tum ut pœnitens debitè absolvatur & pacificetur. Sitq; ita v. g.

2. Pœnitens qui incurrit excommunicationem, non obtenta absolutione ab excommunicatione, ad confessionem cum peccatis accessit, & ab eis absolutus est; quærit utrum illa confessio fuerit valida, vel utrum repetere illam debeat? *Resp.* Sive ille majori sive minori excommunicatione sit excommunicatus, vel ille accessit ad pœnitentiæ Sacramentum cũ invincibili inadvertentia, aut ignorantia juris vel facti, hoc est, aut invincibiliter non sciens se esse excommunicatum, aut excommunicatum non posse absolvi à peccatis priùs quàm ab excommunicatione, ut plurimi volunt? Si sic? Valida est confessio, & accepta absolutione verum habetur & fructuosum Sacramentum (a). Ratio est: quia Ecclesia non intendit privare Sacramentô excommunicatum, in hujusmodi ignorantia positum; quod patet cap. *Apostolicæ, de Cler. excom. Ministr.* ubi ait Papa, excommunicatum celebrantem cum hujusmodi ignorantia non incurrere pœnas juris. Dixi *cum invincibili:* nam vincibilis aut crassa ignorantia, non excusat à peccato. Vel accessit sciens, quòd excommunicatus sive majori sive minori excommunicatione prohibetur suscipere Sa-

Pro discursu & solutione. P. Bonæ Spei proponit.

Excõmunicat9 confessus.

(a) Toletus, Bonæ Spei nũ. 60. Paludanus & alii cõmuniter.

re Sacramenta, & ausus est ad Sacramentum pœnitentiæ accedere? Peccavit, prout in re gravi contra præceptum Ecclesiæ, mortaliter; consequenter non habuit verum dolorem requisitum ad valorem confessionis, sed potiùs adauctam malitiam: quare non erat dispositus ad absolutionem (b). Secùs, si accessit petendo aut sperando ab illo Confessario obtinendā absolutionem ab excommunicatione, priùs quàm à peccatis (c); aut hoc necessarium erat ei ob vitandum grande scandalum, aut infamiam, aut periculum mortis (d): quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto dispendio, nisi extorqueretur in odium, aut contemptum Ecclesiæ.

(b) S. Thom. Tabiena, Tolet. Palud. Lezan. verbô excom. nu. 2. (c) Bonac. Lez. (d) Cornexo, Lez. verb. excom. n. 2. 7. 9.

Sacerdos absolvit à peccato non ab excōmunicatione.

3. Sed quid ad hoc? Sacerdos absolvit illum à peccatis; non absolvit ab excommunicatione, sive ex ignorantia aut inadvertentia, sive ex malitia. *Respondet* Noster Lezana, esse validam confessionem; & data absolutione fructuosum Sacramentum. Cui subscribit N. Ioan. Beetz, & Bonacina contra alios multos, qui in hoc se fundant, quòd pœnitens priùs debeat absolvi ab excommunicatione, quàm à peccatis. Ad quod D. R. *in* 4. *d.* 16. *q.* 1. *a.* 5. adfert canonem *q.* 73. quòd licèt ordinariè primò absolvatur pœnitens ab excommunicatione, *potest tamen Sacerdos absolvere ab his quæ ad eum pertinent*, & *pro excommunicatione mittere eum ad Episcopum.* Sed si resciverit pœnitens se esse excommunicatum, tenetur illud peccatum confiteri, cui annexa est excommunicatio; plus non. Ita Bonac. *de excom. punct.* 2. *num.* 2. Layman, Octavius *num.* 656.

Pœnitens omisit peccatum mortale.

4. Pœnitens præfatus in confessione illa omisit peccatum mortale; debetne repetere, seu iteratò confiteri omnia peccata mortalia confessa tunc? *Resp.* Vel inculpabiliter, vel culpabiliter omisit? Si inculpabiliter? Solū illud peccatū confiteri tenetur. Si culpabiliter? Tunc vel culpabiliter venialiter, seu ex culpa veniali, quòd negligens fuit venialiter in faciendo examine pro revocandis memoriæ peccatis? In hoc casu sicut non peccat mortaliter, ita non invalidat confessionem; consequenter non debet illam repetere, sed solùm omissum dicere (e): nam sicut culpa venialis non tollit gratiam ita non invalidat Sacramentum. Si culpabiliter mortaliter omiserit illud, eò quòd non adhibuerit examen, aut voluntariè propter pudorem, aut aliam injustam, insufficientem causam? Tenetur omnia illa peccata mortalia confiteri, quæ invalidè ob omissionem peccati mortalis confessus est. Ita communiter.

(e) Bonæ Spei.

Quid de mediantib9 cōfessionibus.

5. Et quid de mediantibus confessionibus, an sint repetendæ? *Resp.* Vel in eis pœnitens erat memor confessionis illius sacrilegæ, vel non? Si primum? Tenetur illas omnes repetere, in quibus erat memor peccati omissi, aut confessionis sacrilegæ; etiamsi esset spatium longissimū,

30. v.g. annorum: & quantùm poteſt quoad ſpeciem & numerum, circumſtantias quoad ſpeciem, ac aggravantes ſibi commemorare, confiteri diſtinctè tenetur (f); non tenetur verò illas confeſsiones repetere in quibus inculpabiliter nec omiſſum peccatum, nec confeſsio ſacrilega occurrebat memoriæ. (f).

(f) de Rhodes de confeſſ.

Si dubitat de eis.

6. Sed pœnitens recordari non poteſt, quænam confeſsio erat ſacrilega an prima, an 2. an 3. an 4. an 5. an 6. an 7. an 8. an 9. an 10? Quærit utrum debeat omnes has repetere confeſsiones propterea, vel non? *Reſp.* affirmativè, & probo: Quando pœnitens dubitat utrum commiſerit peccatum ſacrilegii, tenetur confiteri, quia tenetur confiteri dubia, ut nobiſcum aſſerit P. de Rhodes; Si dubitet de peccato aliquo mortali, vel in communi vel in particulari, utrum illud commiſerit, tenetur illud confiteri, ob eandem rationem: quando dubitat utrum ſacrilegam fecerit confeſsionem, tenetur omninò illam totam confeſsionem repetere; quia certus eſt quòd peccaverit, & incertus utrum ſatisfecerit præcepto (f); Ergo etiam quando dubitat utrum prima, an 2. utrum 3. an 4. utrum. 5. an 6. utrum 7. an 8. utrum 9. an 10. &c. confeſsio erat ſacrilega; conſequenter non ſatis eſt confiteri quòd commiſerit unam ſacrilegam confeſsionem omittendo unum peccatum, cujus nunc memoriam non habet: nam tenetur eo modo confiteri, quo dubitat: at dubitat de prima, 2. 3. 4. &c. confeſsione, utrum erat ſacrilega; Ergo tenetur illarũ peccata confiteri. Et ſicut ob magnum ſpatium temporis, non excuſatur pœnitens à repetitione confeſsionis primæ ſacrilegæ, ita à repetitione poſterioris: quia majus eſt ſpatium ad anteriorem, quàm ad poſteriorem confeſsionem. Nequè difficultas repetendarum excuſat: quia non obligatur ad impoſsibile moraliter; cùm tantùm ad illa peccata ſtringatur confitenda, quæ commemorare ſibi poteſt.

7. Præfatus pœnitens cõmemorat ſibi peccatũ multoties commiſsũ in juventute 5. aut ſex annorũ, tactus impudicos, &c; teneturne hæc cõfiteri & ſubſequentes cõfeſsiones repetere, an nõ? *Reſp.* Vel erat ab aliquo inſtructus quòd hoc nõ liceat facere, quòd ſit grandis offenſa Dei, & tamen fecit? Tunc dicendũ, prout de peccato actu mortali culpabiliter omiſſo diximus *num.* 5. & 6. Vel in juventute illa ignorabat malitiam peccati, & poſtea putans eſſe leve veniale peccatũ, ſubticuit in confeſsione? Tunc ſecundùm communem ſententiam non debet repetere alias confeſsiones, aut illam confeſsionem in qua omiſit, ſed ſolùm illud omiſſum. Ita Bonac. Diana, Octavius & alii: quem Marchantius & N. Stephanus à S. Paulo, eximunt ab hac obligatione: quia ſi erat aliquis uſus rationis in eo, tunc imperfectus, qui majorem culpam quàm venialem non arguit: at venialia confiteri non tenemur. Ego addo; Vel bónus pœnitens du-

Cõmemorat peccatũ in juventute tactûs &c.

bitat

bitat quòd debeat hoc peccatum confiteri, aut existimat mortale fuisse? Tenetur confiteri: quia dubia, existimata peccata, ut talia confitenda sunt, ut superiùs sufficienter probavi. Si non dubitat, etiam de perfecto aut imperfecto usu rationis in illo actu, sed potiùs scit tunc nullũ fuisse peccatum ob inscientiam malitiæ, quapropter omisit in confessione dicere? Tunc non tenetur confiteri illud: quia nemo tenetur confiteri hoc, quod non est peccatum.

Et dubitabat.

8. Sed ille dubitabat an hoc erat peccatum mortale, aut non; debebat in confessione Sacramentali confiteri, & omisit; debetne illam confessionem repetere tamquam invalidam? *Resp.* Quòd sic; si culpabiliter omisit: quia peccata mortalia dubia ut dubia, sunt Sacramenti pœnitentiæ materia necessaria, ut ostendi suprà; omisso autem uno peccato quod est materia necessaria Sacramenti, confessio est nulla.

Pœnitentiã nõ absolvit.

9. Quærit adhuc pœnitens à Confessario. Pro mortalibus multis nõ absolvit pœnitentiam, nec recordatur illius; debetne iterare illam confessionem? *Resp.* Vel pœnitens quando confitebatur erat paratus acceptare pœnitentiam, & postea illam adimplere, vel non? seu animô satisfaciendi, aut non faciendi accessit ad confessionem? Si primum? Peccata repetere non tenetur: quia ùti independenter à futura satisfactione, confessio erat valida (g). Si secundũ? Uti nulla confessio defectu sufficientis propositi ac correctionis, repeti debet (g). Et pro hac sententia accipiendus est D. R. *in 4. d. 16. art. 3.* dicens: *si contempsit facere cum effectu, de pœnit. dub. 3. Falsòs.*

(g) Toletus, Lezana.

Defectus ex parte pœnitentis annihilantes.

10. Sunt præterea defectus ex parte pœnitentis, vi quorum redditur confessio nulla. Si non habeat sufficientem dolorem, aut finè proposito abstinendi confessus sit: quod patet, quando talem quærit Confessarium, qui illum non obliget ad restitutionem; aut in actuali confessione peccat mortaliter, mentiendo circa materiam necessariam, aut non aperiendo quod aperire tenetur, v. g. quòd sit excommunicatus (h). Item quando redeunt peccata, quando aliquis est absolutus sub conditione, si non servet eam. Ita D. R. loc. cit. adducens can. pro hoc 6. *de Sent. excom. Eos qui.*

(h) D. R. locô cit. Lezana, Toletus & alii.

11. Item repetenda est confessio, quando pro enormitate criminis, vel quia non pertinet ad Presbyterum, mittit eum ad Superiorem, *de pœnit. & remiss. Significavit.* Tunc si non est absolutus à non reservatis, omnia peccata mortalia sunt dicenda Superiori; si verò est absolutus à non reservatis, solùm reservata confiteri ei tenetur. Plura dixi suprà.

Ex parte materiæ.

12. Ex parte materiæ, quando nullum peccatum est subjectum clavibus; sed bona opera aut indifferentia, aut peccata mortalia, sed ante baptismum commissa.

13. Nunc

13. Nunc casus proponuntur, quibus demonstratur confessio nulla ex parte Confessarii. Et quia multi reperiuntur pœnitentes, qui continuò quærunt alios Confessarios; unus pœnitens quærens semper alium Confessarium pro suo solatio, locò solatii semper novam difficultatem, & ignaro Confessario qui legere non vult libros adferet multos casus, ut eos solvat. Si nequiverit ob rationem suprà datam hîc num. 1. charitatem utriquè præstabo. v. g.

14. Pœnitens quærens novum Confessarium, confessus est non Sacerdoti; quid de hoc dicendum? *Resp.* confessionem esse nullam: nam solus Sacerdos est minister hujus Sacramenti, quod inferiùs demonstrabo. Potest tamen Prælatus alicujus Conventus, si est saltem Clericus, absolvere à censuris suos subditos. Ita Lezana *verb. absolutio* num. 13. Consulunt quidem aliqui DD. & gravissimi, in articulo mortis in absentia Sacerdotis confiteri etiam Laico; sed non in ordine ad Sacramentalem absolutionem, sed ad exercitium humilitatis, & excitandam contritionem. Vide Lezanam *verb. confessio* num. 3. & Donatum de Confessariis Monialium tract. 13. *q.* 3. quod tamen magis periculosum quàm securum videtur, in periculo mortis confiteri Laico: nam humilitas non est bona, quæ parit scandala; ex tali verò confessione scandalizarentur alii Laici, & forsan multa in perniciem periclitantis dicerentur: v. g. peccatum furti, aut adulterii &c. si superviveret. Et si absolvit Laicus ut Sacerdos, secundùm multos fit irregularis, sicut si celebraret: colligunt hoc ex cap. *Ex litteris*, de Cleric. *non ordinat.* Sed notandum, quòd ibi nulla fit mentio de Laico; sed & titulus de Clerico. Vide de censur. ser. ult. sect. 7. n. 3.

Clericus potest à censuris absolvere.

Laicus absolvens aut celebrans fit irregularis.

15. Præfatus pœnitens cum sua confessione ivit ad alium; sed quid factum est: Confessus est sua peccata Sacerdoti, sed simplici, non approbato, non destinato ad confessiones audiendas; quærit an debeat illam suam confessionem iterare? *Resp.* Vel est quæstio de confessione Regularis? vel de confessione Sæcularis? Iterum, si de confessione Regularis; Vel est facta intra Conventum, aut saltem in eadem civitate aut pago, ubi est Conventus? Tunc statuta Ordinis sunt spectanda. Nostra Ordinis Carmelitarum, pro Strictiori Observantia ab Urbano VIII. approbata sic habent *p.* 1. *c.* 23. *num.* 7. *Nemini autem liceat sinè licentia Superioris, præterquam quòd absolutio erit nulla, confiteri alteri Sacerdoti, nisi à Provinciali approbato, & à Priore ut suprà designato, sub pœna graviori, &c.* Vel est facta extra Conventum? Tunc valida est, facta cuicumquè Sacerdoti, etiam Sæculari non approbato, & ad audiendas confessiones non destinato. Ita Lezana *tract.* 4. *c.* 8. *num.* 27. *consult.* 31. *num.* 32. Octavius *pag.* 43. n. 532. Burghaber apud Stephanum & alii multi apud ipsos. Ratio est: quia

Confessio nō approbato.

Regularis simplici quādo potest confiteri Sacerdoti?

quia Religiosi non sunt adstricti confiteri approbatis ab Episcopo; cùm ante Conc. Trid. adstricti ad hoc non erant, & nihil circa hoc est innovatum in Conc. Ita Corduba, Suarez apud Lezanam loc. cit. Spectanda tamen sunt Statuta Ordinum. Nostra sic habent *locô citatô num.* 8. *Fratres tamen itinerantes, vel extra Monasterium occupati, cuicumquè Sacerdoti Professo Ordinis Nostri, etiam Novitio, vel defectu Saeerdotis Ordinis extraneo Religioso, aut Sacerdoti sæculari confiteri possunt.* Vel est quæstio de confessione sæcularis personæ, prout supponitur? Tunc vel est facta tali in articulo mortis sive probabili periculo? cùm Canones periculum mortis vocent articulum, ut patet cap. *Eos qui, de sentent. excomm.* Tunc absente Ordinario aut Delegato, potestatem absolvendi habente, vel coram tali sed censurâ Ecclesiasticâ impedito, v. g. excommunicato vitando, aut suspenso, valida est confessio (i): nam in tali casu habet sibi hoc concessum simplex Sacerdos, cap. *Ea noscitur,* & in Trid. Conc. *sess.* 14. *cap.* 7. adeoquè habet potestatem in tali casu. Imò coram non impedito, si post inchoationem confessionis advenerit; jam enim tunc non est opus, ut confessio incepta rumpatur: quia usu jam radicata est jurisdictio: nam jura favent rei inceptæ. Et si adiri non potest ordinarius minister, aut vocari, & periculum mortis urget, non est necesse petere licentiam per litteras.

Periculum mortis cum articulo mortis confunditur.

(i) Bonæ Spei, Stephanus à S. Paulo & Gaspar à S. Magdalena.

Simplex Sacerdos habet potestatem Vid. d. 1. Ser. 7. n. 10.

16. Si dicas, quòd moribundus si convalescat teneatur repetere confessionem factam in articulo mortis simplici, hoc est non approbato Sacerdoti. *Resp.* vel illa confessio nulla erat defectu jurisdictionis Sacerdotis? vel valida? Primum dici non potest: quia per declarationem & ordinationem Tridentini *sess.* 14. *cap.* 7. aliisquè: omnis simplex Sacerdos est approbatus pro articulo mortis cujuscunquè fidelis seu Catholici moribundi. Secundum similiter: nam si erat valida absolutio eam convalescens directè absolutus à peccatis A. B. C. D. confessis repetere non tenetur, sicuti ego nupernam factam Patri A. à Provinciali approbato Sacerdoti, nullo modo teneor repetere.

Scrupuli solvuntur.

17. Si dicas, quia tantùm pro articulo physico non morali moribundi est approbatus Sacerdos simplex. Contrà est: si tali modô & sensu Ecclesia ordinat simplices Sacerdotes ad absolvendos fideles in articulo mortis existentes, nugatoriam ipsis dat potestatem, nempe ut absolvant eos si sint defacto moribundi physicè, alioquin sit nulla absolutio, quod nullibi legitur. Nequè possemus moribundos absolutè absolvere nos simplices Sacerdotes, hoc est in aliquibus Diœcesibus; nam non est nobis notum an physicè defacto sint moribundi.

18. Si dicas, quia per accidens simplices Sacerdotes sint approbati tantùm pro articulo mortis. Contrà est: aliquis Regularis per acci-

dens

dens pro una vice approbátur pro Monialibus ad audiendas confeſsiones; ergo Moniales tenentur confeſsiones ſuas repetere? Nequaquam.

19. Si dicas: non obeſt ut valida confeſsio repetatur & pœnitens teneatur ad confeſsionem, v.g. quando aliquis coram exercitu ante conflictum confitetur unum peccatum & non aliud, tenetur iteratò confiteri. *Reſp.* tenetur confiteri peccata quæ non dixit, quia quamvis ab eis eſt abſolutus tamen indirectè non directè; non tenetur autem confiteri peccata A.B.C.D. à quibus validè & directè eſt abſolutus. Hoc longè eſt aliud, potiùs eſt diſparitas quàm paritas.

Moribundus non vult cõfiteri niſi ſimplici.

20. Sed quid ſi moribundus nollet confiteri proprio Sacerdoti peccata ſua, niſi illi ſimplici Sacerdoti, eò quòd haberet talia quæ non poſſet dicere proprio; & alter Sacerdos non eſſet, nec poſſet haberi præter iſtum ſimplicem Sacerdotem: An ergo in tali caſu teneretur moribundus confiteri non integrè materialiter, ſeu venialia tantùm proprio Sacerdoti; an poſſet confiteri ſimplici Sacerdoti? *Reſp.* Licèt extra talem caſum in præſentia Confeſſarii approbati, ad confeſsiones deſtinati, imò excommunicati non vitandi (ſi rogaretur & vellet abſolvere) non poſſet ſimplex Sacerdos, hoc eſt non approbatus moribundum abſolvere (k), quia moribundus non eſſet in confitendi ſumma neceſsitate reſpectivè ad ſimplicem Sacerdotem; tamen in propoſito caſu videtur poſſe excipere talis moribundi confeſsionem, & abſolvere illum, cùm ſit in confitendi ſumma neceſsitate quoad ipſum: cùm peccata ſua dicere proprio Sacerdoti non poſsit, ob pericula ſubſecutura, damna aliis &c. nec alium Sacerdotem habet: Mater enim Eccleſia pro tali ſaltem caſu piè præſumitur concedere ei facultatem audiendi Sacramentaliter, & abſolvendi, quandoquidem irreſtrictè Sacerdoti ſimplici concedit eam; & non deſunt graviſsimi Authores, qui defendunt ipſum etiam in præſentia aliorum poſſe audire confeſsionem moribundi, & dare abſolutionem ipſi Sacramentalem: ut ſunt Ledeſma, Comitolus, Zorola, Tamburinus, Diana, Lezana *verbô confeſſio* num. 13. At pro noſtra ſententia S. Congregatio cenſuit, Sacerdotem alioqui idoneum, non tamen ad audiendas confeſsiones approbatum juxta *c.* 19. *ſeſſ.* 23. non validè abſolvere pœnitentem in articulo mortis conſtitutum, ubi citra mortis periculum haberi poteſt copia Sacerdotis approbati; & longè id minùs, ſi ipſe Parochus præſens id prohibeat, paratuſq; ſit infirmi confeſsionem audire, illumquè abſolvere, nec ulla ſubſit cauſa Parochum ipſum recuſandi. Vide Rotarium in apparatu univerſæ Theologiæ pag. 16.

21. Extra periculum mortis facta eſt confeſsio tali Sacerdoti? Nulla eſt: nã his temporibûs Sacerdos ſimplex, hoc eſt nõ approbatus ab Epiſcopo, aut nõ ordinatus ad audiendas cõfeſſiones, nequè à venialibus extra periculũ

(k) Vaſquez, Filliuc. Suar. Henriquez, Bonæ Spei. Simplex excõmunicato non vitando cedit.

riculum mortis potest Sæcularem absolvere. Ita enim decisum est per Decretum Sacræ Congregationis sub Innoc. XII. Anno 1679. die 12. Februarii (l).

(l) Eliseus à S. Ioann. Bapti. Iustinianus à S. Michaële, Cassianus à S. Elia.

22. Præfatus pœnitens cum sua invalida confessione venit iterum ad simplicem Sacerdotem; sed ad talem qui communi errore & titulô colorato putatur habere jurisdictionem. *Resp.* Vel pœnitens non scivit errorem, & existimavit illum profugum verè habere jurisdictionem? In tali casu verè est absolutus, sicut alii: Ecclesia enim supplet jurisdictionem in commune bonum animarum, ut ex leg. *Barbarius ff. de officio Prætoris*, communiter D.D. deducunt. Vel scivit errorem? Tunc confessio est nulla (m), cùm non sit dolorosa: ille enim non dolet tunc, quando actu graviter offendit; & in ordine ad talem non extenditur absolutio, sed pœna pro culpa.

(m) Bonæ Spei num. 58.

23. Iterum casus est: Præfatus pœnitens confessus est Sacerdoti Regulari, ab Episcopo approbato contra voluntatem Superiorum ejus, eò quòd insciis iis aut reclamantibûs, obtinuit approbationem ab Episcopo; quæritur, estne valida ista confessio. Respondent sub distinctione Lezana Miranda & alii: Vel est facta Confessio Sacerdoti Ordinis Prædicatorum? Sic est nulla: nam à Iulio III. concessum est Patri Generali hujus Ordinis, & receptum Breve, quô hujusmodi licentiæ ac immunitates Fratribus concessæ sinè licentia Prælati, revocantur (n). Sacerdos autē Ordinis Minorum sic audiens confessionem, incurrit excommunicationem. Ita Alloza, Cassianus à S. Elia, Octavius num. 528. Vel facta est Sacerdoti alterius Ordinis, validam esse probant suprà nominati: quia talis Sacerdos habet potestatem Ordinis; & super Sæcularem, potestatem jurisdictionis: jurisdictio enim non promanat à Prælato Ordinis, sed ab Episcopo cui subest Sæcularis. Nec consensus Prælati Ordinis ad esse validi requiritur (aliàs Episcopus esset dependens), sed ad licitè dandas absolutiones (o): peccat autem taliter excipiens confessiones per alios mortaliter, per alios venialiter (p). Attamen quia Regulares ab Episcopo approbati possunt ex justa causa suspendi, & reprobari à suis Prælatis, cùm potestas absolvendi quoad exercitium pendeat à voluntate Superioris (q), quandoquidem Inferiores non habent suum *velle* aut *nolle*, sed Superioris in re notabili; in tali casu si audiat aliquem sine consensu Superioris, confessio redditur nulla. Alii econtra universaliter asserunt præter peccatū mortale Confessarii confessionē esse nullā. Ita N. Bonæ Spei disp. 5. n. 20. Octavius num. 96. & in alia parte n. 5. 28. Bordonus, Passerinus & alii. Probant: tum per hoc, quòd Regularis sit incapax jurisdictionis habendæ insciô vel invitô suô Prælatô; tum quia juxta Clementinam *Dudum*, §. *Statuimus, de sepulturis*, approbatio Regularis sinè cōsensu ejus Superioris, est nulla.

(n) Donatus, Lezan. tr. 1. c. 19. num. 12.

(o) Diana p. 1. tract. 11. resol. 13.

(p) Molfesius, Octavius locô citatô.

(q) Lezana locô citatô.

Confessio facta approbato sed contra voluntatem Prælati Ordinis, est nulla.

24. U-

24. Utraquè sententia est valdè probabilis; secunda tamen probabilior & tutior videtur. Sicut Trid. nullam mentionem fecit de licentia Prælatorum Ordinis; ita nullam de Clementina *Dudum*. Ergo cum nec mutata nec moderata sit, ejusdem roboris est. Nec derogatur quidquam Episcopis per hoc; sed major per Superiores Ordinis defertur veneratio. Sic ergo tali Sacerdoti facta confessio, si non omninò, saltem tutiùs repetenda est.

25. Aliud est, si quis à Prælato præsentatus & approbatus, contra voluntatem ejus Sæcularium confessiones excipit; tunc hoc validè sed illicitè præstat, & quidem mortaliter illicitè ob datam hîc rationem num. 19.

Approbatus ab Episcopo & Prælato Ordinis, contra voluntatem Prælati audit cõfessiones.

26. Confessio facta est Sacerdoti à Prælato Ordinis præsentato, & ab Episcopo approbato; sed censurâ Ecclesiasticâ impedito. *Resp.* Vel ille Sacerdos Confessarius est excommunicatus excommunicatione minori? Valida est absolutio. Ita enim habetur cap. *Si celebrat: Peccat enim cõferendo Ecclesiastica Sacramenta; sed ab eo collata virtutis non carent effectu.* Vel majori excommunicatus? Vel non est vitandus, sed toleratus? Tunc validè absolvit ob privilegium Concilii Constantiensis (r), & licitè si rogatus, quia hoc ipsi conceditur in Extravagant. (s); licèt illicitè, si non rogatus (s). Vel est excommunicatus non toleratus, sed vitandus? Tunc vel in hoc loco in quo ignoratur talis, sed potiùs ex communi errore & titulo colorato existimatur legitimus Confessor? Tali taliter facta confessio valorem retinet, & fructum obtinet: nam in tali casu Ecclesia ob bonum commune animarum, ut dixi hîc num. 18. supplet jurisdictionem; sive ut alii aliter dicunt, concedit Ecclesia tali Sacerdoti pro tali casu, non quidem ita ut illi liceat exercitium ipsius jurisdictionis; sed tantùm ut valeat hoc quod efficit. Ita colligit P. Lezana verb. *excommunicatio* num. 34. ex leg. *Barbarius ff. de officio Prætoris*. Titulũ coloratum alii addunt, alii non; dicunt sufficere errorem communem: & sic sentiunt Basilius Pontius de matrim. *lib.* 3. *c.* 22. Sancius, Diana, Sanchez, Bordonus & alii apud Octavium. *num* 521. Et sic validam confessionem dicunt, etiamsi non sciant pœnitentes Confessarium esse Parochum, aut à Superiore ad excipiendas confessiones deputatum. Si verò ex errore privato talem Confessarium accederet, excusaretur quidem à peccato ob bonam fidem, sed confessio esset nulla (t). Ratio: quia talis defectu jurisdictionis, non esset absolutus (t). Vel non ignorabat talem, sed hoc fecit in probabili periculo mortis? Tunc dicendum, sicut dixi de simplici Sacerdote suprà, cui excommunicatus vitandus cedere debet, cùm repellatur à communione fidelium; non verò simplex Sacerdos. Ita communiter DD (u). Et ita dicendum de irregulari, suspen-

Vide dist. 1. Ser. 7. nũ. 10. pag. 15.

(r) Bonacina de Excõm. §. 3. Filliuc. Sayrus.

(s) Cornejo, Bonacina, Lezana verbô Excomm.

Cõfessio excommunicato facta.

(t) Cornexo, Sãch. Nri Lezan. Bonæ Spei.

(u) Bonæ Spei.

fpenfo, ficut de excommunicato. Vide Lezan. tom. 1. c. 10. num. 13.

Ob vitandũ fcandalũ abfolvit excõmunicatus.

27. Sed quid ad hoc: Pœnitens fciens excommunicatum vitandum, confitetur ei in cafu tali, quô ille licitè adminiftrat Sacramenta, v. g. ad vitandum mortis periculum, vel infamiam? *Refp.* Licetfi & validè, & licitè in cafibus intimatis, poffit excommunicatus vitandus adminiftrare alia Sacramenta; non tamen Sacramentum pœnitentiæ, ob defe-ctũ jurifdictionis. Ita Vafquez, Bonacina, Lezana verb. *excommunicatio* num. 7. Unde confeffio in tali cafu eft nulla.

Confeffarius furdus.

28. Præfatus pænitens habet Sacerdotem habentem jurifdictionem non impeditam; confeffus eft ei; fed furdo: quæritur an valida fit confeffio? *Refp.* Vel pœnitens certus eft, aut prudenter judicat, Confeffarium ob furditatem nimiam, aut diftractionem talem, aut fomnolentiam, non audiviffe omnia peccata mortalia, aut aliquod illorum? Si primum? Tenetur omnia illa peccata mortalia, ac fi non dixiffet repetere. Si fecundum? Illud folùm dicere debet de quo dubitat (w): & fi fine culpa acceflerit, valida erit abfolutio; fi fecùs, fecùs. Ita Layman, Diana.

(w) Bonæ Spei, de Rhodes, Sanchez.

29. Facta eft tandem Sacerdoti habenti jurifdictionem non impeditam, non furdo, fed ignaro, tali qui non fcivit difcernere inter mortale & veniale, quod pœnitens ex difcurfu & aliunde poftea refcivit; debetne iterare illam confeffionem necne, quam bona fide fecit? *Refp.* Toletus quidem obligat talem Pœnitentem ad iterandam confeffionem; fed P. Bonæ Spei, Suar. Henriq. Diana & alii, excufant pœnitentem à repetitione confeffionis: quia peccatum five mortale five veniale, eft materia fufficiens ad obtinendam abfolutionem; nec ignorantia tollit jurifdictionem, aliàs in articulo mortis non quilibet abfolvere poffet.

30. Quando iteranda eft confeffio, fi alteri fiat Confeffario, debent omnia iteratò exprimi neceffariò exprimenda: quando eidem facta eft antè fi habet diftinctam majoris partis peccatorum fecundùm fpeciem & numerum confefforum, cæterorum verò confufam memoriam, non eft neceffe ut iteratò omnia exprimat; fed fufficit ut dicat, *confiteor illa eadem peccata, quæ tunc &c: facrilegè confeffus fum.* Ita P. Bonæ Spei. Sicut enim in omnium fententia validè & licitè confitetur, qui mortalium peccatorum numerum verifimiliorem juxta eorum memoriam confitetur; ita validè & licitè abfolvit, qui de fcitu verifimiliori juxta fuam memoriam judicat. Ita P. Bonæ Spei & alii.

Propofitio ab Alexandro VII. damnata.

11. Peccata in confeffione omiffa feu oblita, ob inftans periculum vitæ, aut ob aliam caufam, non tenemur in fequenti confeffione exprimere.

De Satisfactione.

I. SAtisfactio pro pœna temporali à peccato dimisso relicta, in genere, est compensatio aliqua Deo oblata pro temporali pœna, peccatis quoad culpam dimissis debita.

Satisfactio ut sic.

2. In specie ac Sacramentalis de qua nunc, est compensatio voluntaria pro pœna temporali à peccato dimisso relicta, juxta sententiam absolventis.

Sacramẽtalis.

3. *Per pœnitentiam enim deleta est culpa in se, & pœna æterna ei debita commutata est in temporalem*, dicit D. R. in 4. d. 14. q. 5. Doctor verò Angelicus opusc. 6. in explicatione orationis Dominicæ sic habet: *Deus in contritione dimittit culpam, & pœna æterna commutatur in temporalem; sed nihilominus manet adhuc obligatus ad pœnam temporalem solvendam in hoc mundo, aut purgatorio*, ad hanc singulariter ordinatur satisfactio. Pro qua sit

SECTIO I.

An teneatur & qualem Sacerdos imponere pœnitentiam, & pœnitens acceptare & exequi?

1. *Resp.* ET dico 1. Confessarius per se loquendo, tenetur non tantùm pro mortalibus aut venialibus nondum Sacramentaliter remissis, sed etiam pro taliter remissis, imò pro unico sive mortali sive veniali confesso, Sacramentaliter remisso, si hoc solùm unicum & non aliud subjiciatur potestati clavium, injungere pœnitentiam pœnitentij; non permodum consilii, sed permodum præcepti sive sub præcepto; nec facilè pro gravibus levem, nec cuicumquè pœnitenti pro æqualibus æqualem; sed quantùm fieri potest, & conveniens saluti pœnitentis, pro gravibus gravem, pro levibus semper levem.

Etiã pro levissimo peccato pœnitentia est assignanda si illud solùm dicatur.

Qualis est assignanda; qualis autẽ antea assignabatur, Vide infrà ser. 10. sect. 2. n. 21.

2. Explicatur & probatur. Dixi *tenetur*: nam Concilium Trid. dicit, *Debent*. Dixi *etiamsi unicum veniale Sacramentaliter jam remissum confiteretur*, injungere pœnitentiam tenetur: quia Confessarius debet curare integritatem Sacramenti, ne sit mutilum (a); & pœnitentiam injungere sub præcepto pœnitenti, non permodum consilii seu consulendo (b). Ratio est: quia est Iudex; Iudex autem non permodum consilii pœnas imponit reo: tum quia non obligaret, si non præciperet; potestas autem absolvendi, non solùm est absolvendi sed & ligandi, præcipiendi sive permodum præcepti imponendi pœnitentiam.

(a) Garcia nũ. 2002. & 2005.

Sub præcepto. (b) Valentia, Konink, Garcia n. 2005. Vasquez, Lugo cõtra Henriq. Dianã.

3. Sub quali autem culpa Confessarius tenetur pœnitentiam imponere,

re, & sub quali eum obligare? De hoc multùm controvertunt DD. Suarez & Reginaldus apud Busenbaum, volunt Confessarium Regularem obligari sub mortali ad imponendam pœnitentiam. Sed hoc non placet P. Bonæ Spei & aliis, quòd pro venialibus sub mortali culpa obligetur Confessarius ad imponendam pænitentiam: Aliâs pro levissimo veniali peccato, pro quo est assignandum *Ave*, aut valdè debili infirmo invocatio unica nominis JESU & MARIÆ obligaretur Confessarius & pœnitens infirmus sub mortali peccato; ille ad imponendam, iste ad exequendam pœnitentiam tam levem. Quare aliter, Dico: Pro mortalibus sub mortali, pro venialibus sub veniali culpa, Confessarius tenetur pœnitentiam imponere pœnitenti.

Sub culpa respectivè ad peccatum.

Pœnitentia cōtraria peccatis.

4. Peccatis contrariam: tum quia juxta Concilium Trid. inferiùs adducendum, pœnitentia debet esse medicamentum infirmitatis, & vindicta peccatorum; pœnitentia contraria peccatis talis est: tum quia in Rituali Romano tit. de Ordine hoc Sacramentum administrandi, sic habetur: *Contrariis peccatis pœnitentias injungat: velut avaris, eleemosynas; libidinosis, jejunia vel alias carnis afflictiones; superbis, humilitatis officia; desidiosis, devotionis studia. Rariùs autem vel seriùs confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebûs solemnioribûs confiteantur; & si expediat, communicent.*

Nō facilè pro gravibus levis.

5. *Non facilè pro gravibus levem:* nam Concilium Trid. dicit: *Ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Tum quia ut plurimùm pœnitentia non esset vindicta peccatorum, nec medicamentum infirmitatis; quandoquidem propterea faciliùs laberetur pœnitens.

6. Pessimè errant illi, qui pœnas leves imponunt ne offendant pœnitentes, & ne eos ab accessu ad se retrahant: tales solùm proprium commodum respiciunt.

Nequè pro æqualib9 sē. per æqualis.

7. *Nequè cuicumquè pœnitenti pro æqualibus æqualem* pœnitentiam: quia juxta Conc. Trid. Confessarii debent imponere pœnitentiam, non tantùm pro qualitate criminum, sed etiam pro facultate pœnitentium; qui licèt æqualiter peccent, non tamen æquales reperiuntur ad faciendam pœnitentiam: alii ad publicam gravissimam parati; alii gravem privatim faciendam fugiunt. Tum quia pœnitentiæ debent esse salutares; gravis non esset salutaris, quando eam propter gravitatem ejus pœnitens non impleret, aut multùm nimis retardaret à redeundo ad confessionem; talis potiùs esset mortifera. Tum quia Confessarius non solùm est Iudex, sed & Medicus, Pater; considerare debet proinde conditionem pœnitentis, & ad omnes circumstantias occurrentes reflectere.

8. Sed

8. *Sed quantùm poteſt fieri, & conveniens ſaluti judicaverit, pro gravibꝰ gravem aſſignare.* Quantùm fieri poteſt, gravem pro mortalibus peccatis: quia juxta Trid. pœnitentia non tantùm debet eſſe medicamentum infirmitatis, ſed etiam vindicativa peccatorum; ſed ſi convenientem poenitenti talem judicat Confeſſarius: nam prudentiæ ejus committit hoc Trid. hîs verbîs: *Quantùm Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum &c.*

Sed quantū Spiritus & prudentia ſuggeſſerit.

9. Caſus multi ſunt, in quibus pro gravioribus, imò pro graviſſimis peccatis juxta prudentiam non tantùm poteſt, ſed & ex charitate tenetur Confeſſarius longè minorem, imò valdè parvam aſſignare poenitentiam, ſequendo alios timoratæ conſcientiæ Confeſſarios v.g. 1. quando Confeſſarius prudenter timet, quòd poenitens poenitentiam gravem non ſit impleturus (c). 2. quando Confeſſarius advertit poenitentem aliàs concepturum horrorem Sacramenti poenitentiæ (d). 3. ne magnus peccator fugiat confeſſionem, aut quærat ineptum Confeſſarium, qui eum curare neſciat (d). 4. ſi intensè dolet (e); nam quò major contritiò, eó majoris poenæ eſt remiſſio. 5. Si ſatisfeciſſe cognoſcitur (f). 6. Si gratiâ lucrandi indulgentias plenarias confitetur (g). 7. ſi infirmus ſit valdè debilis; tunc ſpectanda eſt debilitas ejus; & quò major eſt debilitas, eò minor eſt poenitentia aſſignanda; tamen omninò aliqua, talis qualem adimplere poteſt, vel gravior poſtquam convaluerit, juxta cap. *Ab infirmis* 26. *quæſt.* 7. Hoc intellige, dum eſt ſpes recuperandæ ſanitatis. Si nec ore exprimere poteſt nomen JESU, MARIÆ, JOSEPH; ſaltem corde hoc præſtet poenitens, cùm valdè ſit utile ipſi.

Caſus in quibus minuenda eſt pœnitentia.

(c) Stephanus à S. Paulo, Toletus. (d) Rotarius, Stephanus. (e) Toletus, Stephanus. (f) Cajetanus, Navarrus, Bonacina. (g) Bonæ Spei, Iuſtinianus à S. Michàële, Clemens à S. Pontiano.

10. Si nullam adimplere poenitentiam valet, eò quòd amiſerit ſenſus poſt petitam confeſſionem, abſolvendus eſt abſquè ulla impoſita poenitētia. Quapropter addidi in reſolutione *per ſe loquendo*, hoc eſt ordinariè; per accidens, ſeu ex tali accidente hunc caſum excipiendo.

Aliquando nullam.

11. Et quid quando Confeſſarius dubitat, ſi aſſignaverit poenitentiam gravem, poenitens illam non eſt adimpleturus; ſi verò aſſignaverit levem, faciliùs peccaturus? *Reſp.* In tali & ſimili caſu, potiùs levem poenitentiam eſſe aſſignandam. Tum quia ut N. Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus ait: *Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne meliùs eſt propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem?* Tum quia teſte Bonæ Spei, Ioanne Pontio, Stephano à S. Paulo, Rotario, praxis prudentum Confeſſariorum invaluit, ſæpe leves poenas pro graviſſimis peccatis aſſignare. Tum quia experientia demonſtrat, pluribus plùs prodeſſe poenam levem quàm gravem. Ita dicit Ioannes Pontius: *& rectè quantùm ad experientiam quam ipſemet habui multis annis, quibùs*

Et quando dubitat? minor.

quibûs confessiones hominum diversorum & conditionum excepi: plures repe ri quibus obfuit gravior pœnitentia, licèt longè inferior qualitate delictorum, nec excedens facultatem pœnitentium, quàm levior. d. 46. de Scramento poenitentiæ concluf. 5. Unde meritò Concilium Trid. arbitrio, prudentiæ Confeffarii, committit determinationem fatisfactionis, ut ipfe allaboret quantùm poteft fatisfacere ejus intentioni. Hæc autem intentio & ordinatio eft

[Comprobatur totum.

12. Concilii Tridentini feff. 14. cap. 8. *Quòd debent Sacerdotes Domini quantùm Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares ac convenientes satisfactiones injungere; ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

Pro venialibus femper levis.

13. *Pro venialibus semper levem,* dixi: aliàs injuriam facit poenitenti, & ad perturbationem, impatientiam fuâ imprudentiâ trahit eum: ut illi, qui pro eo quòd vix veniale leviffimum eft, affignant pro poenitentia Pfalmum *Miserere mei Deus,* feptem Pater, Litanias Lauretanas, cætera piæ devotioni commendant.

Confulendæ funt indulgentiæ.

14. Licetfi aliquando affignantur pro gravibus peccatis leves poenitentiæ; confulendus eft ufus indulgentiarum, ut fic fuppleatur defectus propriæ fatisfactionis. Non funt tamen univerfaliter & fimpliciter monendi poenitentes de infufficientia fatisfactionis, ne locò confolationis detur occafio perturbationis.

15. Alii generaliter excufant Confeffarios à peccato, imponentes parvas poenitentias pro gravibus peccatis, fi apponant claufulam illam, *quidquid boni feceris vel mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum* (h). Sed pluribus fcilicet Lugoni, Konik, Tannero, Palao & aliis id non placet; cum dicta verba fint deprecativa, vim non habent elevandi omnia opera bona ad efficaciam Sacramentalem. Ita Averfa q. 3. f. 7. Ego verò Confeffariis fvadeo, fvadere poenitentibus, ut quæ fecerint, fuftinuerint, offerant DEO pro peccatis fuis; fed hoc non imponere pro poenitentia: ficut infirmo fvadenda eft habenda patientia; fed non imponenda pro poenitentia, ne exponatur magnis turbationibus de non fatisfactione fua.

(h) Bonæ Spei, Diana, Leander, Candidus, Baffæus.

Patientia fvadenda fed nō imponenda.

Quando publica affignanda?

16. Poenitentia pro peccatis occultis etiàm graviffimis, publica non eft affignanda, nifi fint peccata publica cum aliorum ruina, & non ceffârit fcandalum, nifi ea imponatur; tunc expedit talem affignare, ut hâc viâ fcandalum auferatur. Ita S. Thom. *in* 4. *d.* 27. *q.* 3. *a.* 4. *quæstiunc.* 4. *ad*

4. ad 4. Nostri Salmanticenses, Bonæ Spei hic *disp. ult. dub.* 3. *resol.* 3. Garcia num. 2007. Ratio est: quia peccator jure naturali tenetur compensare damna, ex scandalo orta.

17. Licetsi ex accidenti v. g. ex oblivione, possit post absolutionem imponi poenitentia; debet tamen ordinariè ante illam assignari, ut servetur ordo judicii. Ita communiter DD.

Pœnitentia est assignanda ante absolutionem.

18. Dico 2, Poenitens non tantùm pro mortalibus aut venialibus peccatis nondum Sacramentaliter remissis, sed etiam pro unico veniali Sacramentaliter remisso, poenitentiam prudenter sibi impositam, tenetur acceptare & exequi (i). Ratio est: tum quia tenetur reus obedire Judici; tum quia poenitens tenetur curare integritatem Sacramenti. Dixi *prudenter impositam:* nam si manifestè iniqua aut superans vires poenitentis, ut si valde infirmo imponeretur jejunium aliquot dierum consequenter in infirmitate, non teneretur illam poenitentiam acceptare: cùm secundùm Trid. Concilium, debet esse conveniens poenitentia (k). Unde quando videtur poenitenti poenitentia nimia, potest petere ut eam Sacerdos mitiget; quo casu tenetur facere (l): nam sicut hilarem datorem diligit DEUS, ita & poenitentem. Et si eam non vult minuere Sacerdos, potest poenitens absquè peccato mortali non tantùm dicere *ibo ad alium Sacerdotem*, sed & ire (m), si ab alio petere velit absolutionem. Si autem ab hoc absolutionem Sacerdote petit, tenetur ei obedire inquantum se subjicit ad obtinendam absolutionem. Sed quæres, sub quali culpa tenetur acceptare, & sub quali exequi poenitentiam sibi impositam?

(i) Bonacina, de Rhodes, Garcia contra Scotum, Pontium & alios Scotistas.

Qualis pœnitentia est acceptanda?

(k) Bonacina, Petrus à S. Ioseph.

(l) Hurtadus, Sotus, Cajetanus, (m) Suar. Layman, Rotarius.

19. V. g. proponamus casum: Poenitens qui à Confessario imponente ipsi quasi gravem poenitentiam abivit, & adivit alium, à quo audivit non minorem poenitentiam; fictè eam acceptans, absolutus est: estne verè absolutus? & peccavitne vel non? & quomodo? *Resp.* ipsum gravissimè peccasse, nec esse absolutum: quia deficiente uno essentiali, non habetur totum: At licèt satisfactio non in re, tamen in voto, nempe propositum satisfaciendi, est de essentia hujus Sacramenti. Ita Ledesma, Casp. Brācatus, Gonetus, Mastrius, Nostri Salmanticenses, Henricus à S. Ignatio, Garcia n. 1987. Probatur: Quia est de essentia doloris requisiti ad validam confessionem cum proposito sufficienti, prout definitur à D.R. *in* 4. *d.* 25. *q.* 1. *a.* 1. *Dolor pro peccatis verus & anxius cum proposito abstinendi, confitendi, & satisfaciendi assumptus.* His positis

Confessio nulla propter nō acceptationē pœnitentiæ. Est peccatū gravissimū.

20. Dico 3. Poenitens qui manifestè sibi convenientem poenitentiam pro peccatis impositam, à fortiori si nullam, nec minimam acceptare vult, peccat mortaliter; nec absolvendus est (n). Qui verò acceptavit, postmodum culpabiliter non adimplet, pro gravitate materiæ seu poeniten-

(n) Rotarius, Camachius, Bertanus.

tiæ peccat: si gravis, graviter; si levis, sive pro levibus sive pro gravibus peccatis assignata est, leviter peccat. Ita Layman, Suarez, Diana p. 3. t. 4. resol. 136. Probatur prima pars: Qui non haberet sufficiens propositum de cætero non peccandi, peccaret mortaliter suscipiens absolutionem, quia irritum faceret Sacramentum: sed qui manifestè sibi convenientem poenitentiam pro suis peccatis impositam (à fortiori si nullam) acceptare non vult, non habet sufficiens propositum de cætero non peccandi, nam non est paratus servare præcepta Ecclesiæ; imò non vult: præceptum enim Ecclesiæ est, in Concilio Florentino & Trid. locô citatô, ut pœnitentes acceptent poenitentiam sibi convenientem; nam præcipit ibi Sacerdotibus, ut injungant poenitentias salutares convenientes eis; Ergo & poenitentibus præcipit: cùm hæc duo sint correlativa. Præterea probatur: Cap. *Omnis utriusquè sexûs*, dicitur: *Omnis fidelis sua peccata confiteatur, & pœnitentiam injunctam studeat pro viribus adimplere.* Secunda pars probatur: Quia si in aliis levitas materiæ excusat à mortali, cur etiam non in hoc?

Pro discursu & solutione.

21. Dices cum Scotistis: Licetsi teneatur poenitens acceptare poenitentiam medicinalem, non tamen punitivam. *Resp.* Poenitentia juxta Conc. ut vidimus suprà, non tantùm debet esse medicinalis, sed & vindicativa peccatorum; Ergo illam vindicativam, seu vindictam peccatorum, acceptare tenetur; quocumquè titulo acceptare illam vult, acceptet, dummodo acceptet.

22. Instabis: v.g. pro levi peccato potest assignari poenitentia levis medicinalis, non præteritorum peccatorum vindicta; in tali casu potest illam non acceptare, & sibi satisfactionem pro peccatis remissis reservare in purgatorium: quia nemo tenetur in hac vita satisfacere pro poena temporali peccatis jam remissis adhuc debita. *Resp.* Nego assumptum: quia Concilium sinè restrictione dicit. Et nego quòd licitè possit quis reservare satisfactionem in purgatorium. Deinde, qualis poenitentia ipsi assignatur, talem acceptare & adimplere tenetur.

23. Superinstabis: Si certò poenitenti constaret poenitentiam suam esse remissam, v.g. Si Deus valdè contrito revelaret id: tunc non teneretur poenitentiam ad tollendam poenam acceptare. *Resp.* etiam in tali casu poenitentem teneri acceptare poenitentiam: nam licetsi non propter remissionem poenæ tamen propter integritatem Sacramenti (o): Confessarius enim tenetur integrum Sacramentũ conficere; & poenitens integram materiam apponere: satisfactio autem pertinet ad materiam hujus Sacramenti. Præterea poenitentia satisfactoria non tantùm imponitur ad vindictam & castigationem præteritorum peccatorum, verùm etiam ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum.

(o) Garcia nũ. 2002.

24. Et ficut dum contrito perfectè tàli confertur abſolutio, magnum beneficium præſtatur, nam ipſi augmentū gratiæ confertur; ita per poenitentiam impoſitam illi cui eſſet tota remiſſa poena, non fieret injuria, nam juxta alios gratiæ augmentum ex opere operato confertur, juxta alios ex opere operantis gratia major meretur.

SECTIO II.

Quæ conditiones ad condignam ſatisfactionem pro condigna temporali pœna peccatis remiſſis debita requirantur?

I. *Reſp.* ET dico: Imprimis ex parte poenitentis requiritur, ut ſit viator (a): quia ſicut ad meritum ſtatus viæ requiritur, ita ad ſatiſfactionem. Animæ in purgatorio ſicut mereri nequeunt, ita ſatisfacere; ſed ſatispati: aliàs cùm in continuis ferventis charitatis actibus animæ verſentur, pro poenis ſuis ſingulis momentis ſatisfacerent. 2. ut ſit in ſtatu gratiæ: quia DEUS ſicut ad præmium non acceptat opus inimici ſui, ita ad condignā ſatisfactionē ſaltē ex opere operantis talem: ſatiſfacit tamen præcepto, implens in peccato mortali pœnitentiam ſibi impoſitam, ſicut alius audiens Sacrum in mortali exiſtens; nec præterea peccat mortaliter. Ita communiter. Ratio verò eſt: quia non eſt præceptum de adimplenda in gratia. Nequè de hoc ſolent ſe accuſare poenitentes. Si deberent in ſtatu gratiæ adimplere poenitentiam, deberent illi qui quotidie pro poenitentia habent dicendum unum *Pater* & *Ave* priùs ſe conſtituere in gratia; quod non docetur: imò de condigno ſatisfaciunt ex opere operato ſatisfactione Sacramentali, exiſtentes in mortali, cùm ſit pars Sacramenti; etſi non ex opere operantis. Licetſi opera facta in peccato mortali naturalia abſolutè, ſupernaturalia ex opere operantis, & ex ratione meriti de condigno, nihil conducant ad ſalutem vel remiſſionem poenæ, etiam temporalis; conducunt tamen opera ſupernaturalia ex opere operato, & ut pars Sacramenti. Vide Garciam n. 1998. Poteſt dari inſtantia de offerente Sacrificium in peccato mortali, qui ex opere operato æquè prodeſt, ac exiſtens in gratia. Attamen P. Bonæ Spei aſſerit, probabiliùs exequentem ſatisfactionem Sacramentalem in peccato mortali peccare venialiter, eò quòd ſatisfactio ſit gratiæ meritoria.

(a) Bonæ Spei, Petrus à S. Ioſepho, de Rhodes contra Pontium.

Cōditiones ad ſatisfactionē ex parte pœnitentis.

2. Ex parte operis per quod ſatisfit, requiritur ut ſit poenale, honeſtum & aliquomodo liberum. Primum probatur: Quia ſatisfactio eſt ad peccatorū vindictā & caſtigationem, dicit Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 8. Opera autem

Ex parte operis.

tem pœnalia, ad quæ poteſt reduci omnis ſatisfactio, ſunt tria: jejunium, eleemoſyna, & oratio; conſtat ex Concilio Trid. *ſeſſ.* 14. *can.* 13. Quæ veritas ſumitur ex dicto Raphaëlis Archangeli Tob. *cap.* 12. *vers.* 8. *Bona eſt oratio, cum jejunio & eleemoſyna.*

Quid nomine jejunii, orationis, eleemoſynæ?

3. Nomine jejunii, intelligitur quælibet poenalitas, ſeu mortificatio tam corporis quàm animæ. Nomine orationis, omnes actus virtutis interni & externi fidei, ſpei, charitatis, humilitatis &c. Nomine eleemoſynæ, cōprehenduntur omnia opera miſericordiæ, corporalia & ſpiritualia. Et ſic S. Thom. *in additionibus ad* 3.*partem q.* 15. *a.* 1. & 3. dicit: Vel committitur peccatum contra Deum? Imponitur oratio; Vel contra proximum? Imponitur eleemoſyna; Vel contra ſeipſum? Imponitur jejunium. Secundum & tertium ab omnibus admittitur: hæc enim ad bonum opus morale omne requiruntur, ut ſit honeſtum & liberum aliquomodo, ſcilicet ut à voluntate eliciatur, aut ab ea imperetur, aut ſaltem ab ea liberè acceptetur; quamquam non requiratur voluntas formalis ſatiſfaciendi, ſed virtualis ſufficit: qualis conſtituitur in voluntate aliquid faciendi ex amore DEI, aut ex ſtudio ſalutis æternæ & ſimilibus.

Quando imponuntur hæc?

(b) Bonæ Spei, Petrus à S. Ioſepho cōtra Ioannē Pontium.

4. Non tamen omninò liberum imponere poenitenti opus præſtandū debemus, quod ſit conſilii & non præcepti (b): nam ſicut præcepta ſervando, meremur vitam æternam; ita per opera quæ præcepta ſunt, poſſumus pro peccatis noſtris ſatisfacere: per hoc enim quòd præcipiatur, non deſinunt eſſe libera. Unde licèt communiter poenitentibus aſſignentur opera externa, & ea ad quæ ex præcepto non obligantur; poſſunt tamen imponi & actus interni, & opera quæ cadunt ſub præceptum. Ratio primi eſt: quia talia opera faciliùs impleri poſſunt, maximè à rudioribus. Ratio ſecundi eſt: quia pœna imponi debet in vindictam & gravamen. Ratio tertii eſt: quia opus internum multùm prodeſſe poteſt pœnitenti, v. g. meditatio de paſſione Domini, aut repetitus dolor de peccatis. Ratio quarti eſt: quia per talia opera poteſt pœnitens ſatisfacere: patet exinde, quòd Beatiſſima Virgo Mater Chriſti, pro lucrandis indulgentiis Sacri Scapularis, Ioanni XXII. præcepta ab Eccleſia jejunia, pro conditione aſſignavit. Raro tamen aſſignandū eſt opus præceptum pro pœnitentia: tum ob rationem datam, dicendo rationem ſecundi, &c. tum quia videtur ſolùm addi intentio, applicatio; tum quia multi contradicunt Doctores.

Opus poteſt eſſe præceptum.

5. Dices: Non poteſt quis unica ſolutione ſatisfacere pluribus Creditoribus, quibus tantum debet cuilibet ſeorſivè, quantum datur utriquè; ergo etiam. *Reſp.* Nego Conſequentiam: quia debitor tenetur ſatisfacere Creditoribus ex debito juſtitiæ, quod eſt rei ad rem: quantùm debes tantùm reddas: pœnitens autem tenetur ſatisfacere ex debito legali,

gali, quod eſt ſecundùm voluntatem Legiſlatoris. Ita Medina, Sanchez.

6. Notandum: Si Confeſſarius non declaret opus pro ſatisfactione perficiendum quâ præceptum, tenetur pœnitens illud exequi ut liberum; ſic v. g. miſſam audire aliam die feſto præter hanc quam debet, aut non die feſto audire illam; ſimiliter Litanias Lauretanas aſſignatas Religioſus, præter dicendas in dormitorio alias dicere. Ita docent Navarrus, Azorius, Victoria, Reginaldus, Henriquez, Molfeſius, Bonacina & alii.

Sed dum nõ imponitur tale, ſecùs faciendum.

7. Licèt quis *pro delictis, debitis alterius* poteſt ſatisfacere, ut patet in Cathechiſmo Pii V. & Florentino in litteris Unionis; non poteſt tamen authoritate propria Sacramentaliter ſatisfacere per alium, ſatisfactione quæ ordinatur ad peccatum vitandum: patet ex propoſitione 15. damnata ab Alexandro VII. Et ratio eſt: nam proprii actûs erat culpa; Ergo etiam proprii actûs debet eſſe pœna. Tuo corpore peccaſti; Ergo tuum debet puniri & mortificari, ne id ampliùs exigat.

8. Dixi *propria authoritate*: nam de ſententia Confeſſarii poteſt per alium ſatisfacere; Si ita declaret ut per ſe vel per alium jejunet, poteſt per ſe aut per alium jejunare (c). Poteſt Judex ſæcularis permittere ut alius locò rei ſubſtituatur, & pro reo vadat ad triremes, aut in bello locò ejus inſerviat; Cur ergo etiam non poſſit Judex Confeſſarius. Quando mendicus in peccato mortali exiſtens, ex ordinatione Confeſſarii jejunaret pro pœnitente, non prodeſſet quidem ex opere operantis jejunium pœnitenti; ſed prodeſſet ex opere operato. Suarez.

(c) de Rhodes, Toletus.

Quando per alium nõ poteſt ſatisfacere pœnitens?

9. Dixi *ſatisfactione ordinata ad vitandum peccatum*: quia ſatisfactione ad ſolvendum debitum, poteſt ſatisfacere per alium tamquam inſtrumentum, authoritate propria. Unde qui habet jejunium impoſitum per ſe ſuſtinendum, ſi per ſe non poteſt illud ſuſtinere, per alium non tenetur. Econtra qui per ſe nequit ſolvere debitum, aut dare eleemoſynam, tenetur per alium id præſtare ſi poteſt.

10. Dico ultimatè, pœnitentem intra tempus limitatum à Confeſſario, ſi ſit; ſi non, tunc quamprimum commodè id poteſt, teneri implere ſatisfactionem: aliàs diu valdè & abſquè gravi cauſa differens eam, ſi gravis & medicinalis ſit, graviter peccat, ut communiter admittitur; licetſi venialiter ſolùm ſi venialis non medicinalis, & in tale tempus differatur, quo non tã facilè impleri obliviſcitur. Ita Sanch. Suar. & alii.

11. Elapſo tempore à Confeſſario ad ſatisfactionem implendam deſtinato, remanet adhuc obligatio adimplendi eam: quia tempus non fuit præfixum ad finiendam obligationem; ſed ad ſollicitandam, & non differendam abſquè juſta cauſa. Ita communiter DD. apud Bonacinam.

Elapſo tempore tenetur.

SE-

An, à quo, & qualiter pœnitentia, sive satisfactio pœnitenti imposita, mutari possit?

I. QUia circumstantiæ mutantur, pœnitens nunc in aliis est quàm antea: & quia antea erat sanus, fortis, erat pœnitentia ab eo tolerabilis, & ipsi conveniens; nunc quia est infirmus, debilis, ob hanc aut aliam circumstantiam pœnitentia est intolerabilis, aut inconveniens ipsi: quare mutanda est prout frequenter mutatur. Sed quis eam validè mutare, minuere, & tollere potest?

(a) Sanchez, Bonæ Spei, Stephanus à S. Paulo cōtra Dianā.

2. *Resp.* & dico: Pœnitens poenitentiam sibi in confessione justè impositam in aliud etiam evidenter melius commutare (a), v. g. coronam una die dicendam, mutare in jejunium totius anni tali die, etiam per accidens non potest. Tum quia nemo sui Superioris commutare præceptū potest, v. g. præceptum audiendi Sacrum, in aliud præstantius; Tum quia opus quod à Confessario injungitur, virtute clavium Ecclesiæ elevatur ad hoc ut sit opus Sacramenti gratiam causans, quod facere nequit pœnitens.

Non potest pœnitens pœnitentiā in melius mutare.

3. Dixi *etiam per accidens:* nam nonnulli id admittunt per accidens, in hoc casu, si pœnitentia non esset ullo modo medicinalis; tunc pœnitens posset sibi per subtractionem materiæ, lucrando v.g. indulgentiam moraliter certam, commutationem facere. Contra quos oppositum dico & probo: Pœnitens tenetur curare integritatem Sacramenti ex instituto Christi talem, non ex suo placito eligibilem.

Disparitas inter votū & pœnitentiam.

4. Si dicas: Votum in melius opus mutari à vovente potest. Concedo: Ergo etiam pœnitentia à pœnitente, v.g. corona semel dicenda in hebdomada, in jejunium annuale assignato die; Nego Consequentiam. Disparitas est: quia votum est à vovente; pœnitentia non à pœnitente, sed à Confessario. Proinde sicut votum à vovente potest mutari in melius, ita poenitentia debet mutari à Confessario.

5. Et si videatur pœnitenti manifestè iniqua pœnitentia? *Resp.* Non est ipsius judicare, sed Confessarii; cùm non ipse sui, sed Confessarius est Judex.

(b) Omnes.
(c) Bonæ Spei, Petrus à S. Iosepho cōtra Victoriam, Sotum, Vasquez.

6. Dico 2. Sacerdos non tāntùm ille qui imposuit pœnitentiam (b), sed etiam alius; & non tantùm Superior (c), sed quicumquè alius æqualis priori (c), non tamen inferior illo (d), ex justa rationabili causa (e) potest mutare, minuere pœnitentiam, etiam præservativam.

7. Explicatur & probatur. Quòd idem possit qui eam imposuit, patet ex eo, quòd ipsi æquales possint. Quòd æqualis, hoc est æqualis jurisdi-

-jurisdictionis possit, à fortiori quòd Superior, probatur: nam pœnitens peccata priùs confessa, iterum confiteri potest alteri, sive Superiori sive æquali priori, & absolutionem à peccatis aliàs confessis petere: tunc Confessarius debet illi injungere pœnitentiam peccatis debitam, reflectendo ad circumstantias quæ nunc occurrunt & antè non occurrebant, secundùm statum præsentem & dispositionem pœnitentis, ita ac si nulla satisfactio pro iisdem umquam ipsi imposita fuisset; tunc in tali casu pœnitens non obligatur ad illam pœnitentiam à priore Confessario impositam. Tum quia æquum non est, ut bis pro iisdem peccatis puniatur; tum quia illa ipsi non est conveniens, maximè si intolerabilis, seu supra vires sit.

(d) Navar. Valentia, Bonæ Spei, Suar. Rodriq. & alii contra paucos.

(e) Bonæ Spei, Stephanus à S. Paulo, Toletus contra Valerum.

Confessarius Confessarii mutat sententiam indirectè.

8 Confessarius iste secundus, nec sententiam prioris revocat Confessarii, nec fert sententiam in priorem Confessarium; sed absolutè profert sententiam sicut ille prior protulit, & suam jurisdictionem exercet in pœnitentem (qui ei ea peccata pro materia confessionis subjicit), non per modum appellationis, sed per modum novi judicii. Nec obest quòd secundus Confessarius ferendo suam sententiam, saltem indirectè mutet præceptum prioris Confessarii; cùm sit illi æqualis jurisdictione super pœnitentem. Et hoc ipsi Ecclesia in talibus circumstantiis concedit, prout probat praxis, quærere illum quam Ecclesia non prohibet: nimis enim esset durum priorem Confessarium, qui aliquando aut 100. miliaribus distat, aut reperibilis jam non est.

Æqualis non Superioris.

9. Aliter ratiocinari oportet de Confessario Inferiore: v.g. quia non habet potestatem absolvendi à reservatis, pro quibus assignata est pœnitentia. Licèt peccata jam non sint reservata, cùm Sacramentaliter sublata; tamen pœnitentia adhuc manet à Superiore præcepta: jam verò præceptũ Superioris nequit tollere Inferior, ut communiter docent DD. tolleret autem si mutaret pœnitentiam. Præterea si non potest adire Superiorem, habet alios, qui habent potestatem absolvendi à reservatis; consequenter pœnitentiam mutandi, pro iis assignatam.

10. Disparitas magna est, quòd quando summus Pontifex commutat votum reservatum Sedi Apostolicæ in aliud non reservatum, potest Episcopus in hoc secundo voto non reservato dispensare (f); non autem Confessarius pœnitentiam pro reservatis commutare (g): quia per commutationem voti, Superior non imponit præceptum: sicut illud imponit, qui dat pœnitentiam.

(f) Sanch. Bonacina. (g) Suarez.

11. Dixi *ex justa rationabili causa*, contra Valerum, qui hoc sine causa concedit Confessariis. Sed immeritò: quia sicut ad dispensationem legum humanarum requiritur justa causa, ita multò magis justa rationabilis causa requiritur ad commutationem satisfactionis; cùm sit pars Sacramenti à Christo instituti.

Ex justa causa. Iusta causa.

12. Justa causa commutandæ pœnitentiæ assignatur (h), necessitas vel notabilis utilitas, vel difficultas pœnitentis in ea persolvenda, vel oblivio pœnitentiæ injunctæ.

(h) Reginaldus, Navar. c. 26. num. 22. Bonacina & alii

13. Addidi contra multos, *etiam præservativam:* nam posset esse justa, rationabilis causa, & necessitas mutandi eam in aliam præservativam & salutarem (i) v. g. erat præservativa pœnitentia, abstinere à carnibus feriis 4. ad quod non erant, modo sunt multa obstacula.

(i) Bonacina.

Quando non est opus repetere confessionem in ordine ad mutandam pœnitentiã.

14. Sed est ne necessarium repetere confessionem, ut mutetur pœnitentia? Conveniunt Theologi quòd non sit opus repetere coram illo, qui pœnitentiam imposuit, si memoriam peccatorum mortalium confessorum habeat; circa memoriam solùm discordantes. Ego semper mediâ viâ incedens, Dico: si distinctam majoris partis peccatorum secundùm speciem, circumstantias & numerum confessorum, cæterorum verò confusam memoriam habeat Confessarius, pœnitens liberatur à repetitione peccatorũ (vide *ser. præter. num.* 21.) maximè si in eadem confessione, aut intra hoc tempus intra quod censetur à DD. perseverare eadem confessio. Quod tempus limitant alii ad mediam horam, alii diem, alii ad hebdomadam. Ita Henriq. Lugo, Aversa. Hoc potiùs intelligendum, quamdiu memoriam modô dictô habet Confessarius. Ita de Rhodes & alii.

Et quando quali opus est?

15. De casu quô ab alio Confessario pœnitens petit mutationem pœnitentiæ, non conveniunt DD. P. Bonæ Spei cum aliis asserit, esse necessariam repetitionem confessionis, ne sit error in compensatione circa rem incognitam. Econtra Toletus, Diana, propter plurimorum authoritatem adducens pro se 14. Authores, docentes opus non esse repetitione confessionis. Ego medium dico: Tenetur saltem illa præcipua peccata confiteri, ob quæ talis pœnitentia est assignata. Koninch, Vasq. Suar. Reginaldus apud Bonac. *de Sacr. pœnit.* disp. 5. quæst. 5. punct. 3.

16. Quid si non possit pœnitentem Confessarius adducere ad confessionem illorum peccatorum; & sicut videt illum non implevisse pœnitentiam, ita timet non impleturum eam? *Resp.* In tali casu debet inquirere ex pœnitente, ob quid tanta pœnitentia est ipsi assignata? & pœnitens tenetur ipsi respondere, quantùm recordatur.

(k) Bonæ Spei, Vasq. Sylvius, Reginaldus, Bonacina.

17. Ubi nam facienda est commutatio dictæ pœnitentiæ? *Resp.* & dico, contra Megalum cum omnibus aliis (k), quòd tam ab aliis Confessoribus, quàm ab eo qui eam pœnitentiam imposuit, non alibi quàm in confessione posse & debere mutari. Ratio est: quia extra confessionem non est Judex; (l) impositio autem pœnitentiæ seu sententiæ, est actus judicialis. Si Confessarius esset Judex extra confessionẽ, & extra confessionale, tunc quando extra confessionem & confessionale in hypocausto aliquo, mutãdo pœnitentiã sollicitaret ancillã ad peccandũ libidinosè, pœnas cõtra sollicitãtes incurreret: sequela nõ tenet; esset id ex quo sequitur.

(l) Bonacina, Rhodes. Mutatio facienda est in confessionali.

Quanta sit Sacramentalis satisfactionis efficacia?

Satisfactio habet ex opere operato efficaciam aliqualem.

I. CErtum est inter Theologos, satisfactionem Sacramentalem habere aliquam ex opere operato efficaciam, aliàs non haberet perfectiorem efficaciam satisfactione non Sacramentali, quod dici non potest; cùm sit pars Sacramenti, perfectiorem efficaciam habere debet, quàm id quod non est pars Sacramenti. Sed qualem nam efficaciam ex ipso opere operato habeat, controvertunt DD. Alii tribuunt satisfactioni Sacramentali quòd producat gratiam (a); alii hoc negant, & afferunt, per eam tolli partem pœnæ temporalis, debitæ peccatis dimissis. Cum his

(a) Sotus, Cajetanus, Suar. apud de Rhodem.

2. Dico: Pœnitentia Sacramentalis nullam gratiam ex opere operato causat (b): patet ex S. Scriptura & Conciliis, SS. PP. quòd in eis nullum fundamentum habeatur. Et si satisfactio produceret gratiam, tunc non primam, cùm hæc antecedenter confertur per absolutionem; ergo secundam. Si secundam; ergo Sacramentum pœnitentiæ non tantùm primam sed & secundam per se, hoc est ordinariè produceret gratiam: & sic non tantùm mortuorum, sed & vivorum ordinariè esset Sacramentum, quod omnes scholæ S. Theologiæ negant. Secùs tamen dicendum de satisfactione in voto, seu desiderio satisfaciendi; cùm sit pars essentialis Sacramenti, cum aliis ad productionem gratiæ concurrens.

(b) Lugo, Bonæ Spei, Petrus à S. Ioseph.

3. Dico 2. Per satisfactionem Sacramentalem ex opere operato remitti partem pœnæ temporalis, aut totam attenta peccatorum gravitate impositam. Duo enim sunt in peccato, reatus culpæ & pœnæ: prior, ex opere operato tollitur per absolutionem Sacramentalem: secundus, vel quoad totum vel quoad partem, tollitur per Sacramentalem satisfactionem. Dixi *attenta peccatorum gravitate*: nam quantùm pœnitentia minoratur, tantum pœnæ non remittitur. Bonæ Spei.

4. Debet ne satisfactio Sacramentalis in statu gratiæ adimpleri, ut pœna ex opere operato remittatur? *Rdent* alii cum N.P. Bonæ Spei, quòd sic. Ratio est: quia est pars Sacramenti; Sacramenta autem Sanctè tractanda. Denique credibile non est, Christum elevare opus inimici sui ad præmium ex opere operato, remissionis pœnarum sibi debitarum. Alii (c) hoc negant. Ratio est eorum: quia opus ex opere operato, adveniente gratia reviviscere potest; consequenter esse fructuosum. Licèt Sacramentũ pœnitentiæ quoad partes essentiales non detur informe; tamen satisfactio. Probabiliorem tamen primam, & tutiorem esse judico sententiam.

(c) Vasquez, Diana.

5. Debet ne satisfaciens habere intentionem expressam satisfaciendi? *Resp.*

Satisfaciens non debet habere intẽtionem.

Resp. quòd non: quia Confessarius hoc ipsi non præcipit; & inquantum vult opus præceptum ponere, habet saltem implicitè velle satisfaciendi, quod sufficit, & non requiritur expressa volitio satisfaciendi.

6. Dices: oppositum tenendum, quia satisfactio in voto, est essentialis pars Sacramenti pœnitentiæ: atqui satisfactio in voto, est intentio sive desiderium satisfaciendi, ut dictum est hîc n. 2. ergo intentio seu volitio satisfaciendi, est pars Sacramenti pœnitentiæ. Ergo satisfaciens debet habere intentionem expressam satisfaciendi.

Resp. Distinguo primam propositionem: satisfactio in voto, antecedens absolutionem, est essentialis pars Sacramenti, Concedo hanc propositionem; satisfactio in voto, subsequens absolutionem Sacramentalem, est pars Sacramenti pœnitentiæ, Nego hanc propositionem. Quod subsequitur essentiam, non constituit eam. Secundam propositionem Concedo; tertiam distinguo similiter: ergo intentio seu volitio satisfaciendi, antecedens absolutionem Sacramentalem, est pars Sacramenti pœnitentiæ, Concedo hanc propositionem; ergo intentio seu volitio satisfaciendi, subsequens absolutionem Sacramentalem est pars Sacramenti, Nego hanc propositionem: consequenter quòd satisfaciens, dum opus impositum à Confessario ponit, debeat habere intentionem expressam satisfaciendi.

SERIES X.

De satisfactione per Suffragia & Indulgentias.

SECTIO I.

De satisfactione per suffragia.

1. Suffragia de quibus hîc, alia sunt latô modô talia, alia strictè talia. Suffragia latè, impetrationes sunt quibûs animæ liberantur è purgatorio, quæ nondum satisfecerunt pro suis peccatis.

2. Quòd verò possint absque condigna satisfactione animæ liberari è purgatorio, patet (a) ex Bulla Sabbatina pro Confratribus Sacri Scapularis; & eò quòd Christus multas animas ex purgatorio extraxit, quæ nondum ad computationem satisfactionis passæ sunt. Dicere autẽ quòd liberatio illa supponat debitam satisfactionem, est impetrationes Divæ Virginis MARIÆ reddere inutiles, & tollere gratiam gratuitæ condonationis provenientis à DEO; quod est non minùs blasphemum, quàm dicere homines esse benigniores Deô, qui pœnas solent condonare.

(a) Bonæ Spei contra Suar. Perez & alios.

Suffragia strictè.

3. Suffragia strictè talia, sunt satisfactiones eæ quas fideles in alios transferunt, ita ut eorum quibus applicantur pœnas tollant, non verò applicantium.

4. Quòd

4. Quòd possint fideles suas satisfactiones in alios transferre, conveniunt fere omnes Catholici.

5. Omnes satisfactiones prout sunt ex opere operantis (cùm non minùs sint Domini illarum quàm aliarum), aliquas verò ex opere operato, non omnes, transferre in alios possunt: nam fructus Sacramenti nequeunt in alios transferre; cùm eis non aliis conferantur.

6. Conditiones, ut quis pro alio satisfacere possit. Debet esse viator, non minùs quàm ut pro se satisfaciat. Beati possunt suffragari fidelibus animabus in purgatorio, applicando eis suas satisfactiones, quibus non eguerunt dum erant in vita; sed non sine aliqua dispensatione DEI, cùm non sint ampliùs earum Domini. Debet esse in statu gratiæ, ut dixi suprà. Item, ut offerat illud opus satisfactorium pro eo cui vult suffragari, & intendat ei non sibi prodesse, cùm opus satisfactorium connaturaliter prodest ei qui satisfacit: nisi intentio in alium transferat. Conditiones

7. Conditiones ex parte ejus cui applicatur satisfactio. Debet esse viator, aut in purgatorio: quia Beatus in cœlo non eget remedio; damnato nulla est redemptio. Debet esse in gratia: nam quamdiu est in peccato mortali, dignus est pœnâ, non remissione pœnæ; & membrũ mortuum participare nequit influxum reliqui corporis viventis.

SECTIO II.

Quid, & quotuplex indulgentia, & penes quem habetur potestas concedendi eam?

1. Resolutioni præmitto: quòd sicut in Republica rectè ordinata, est aliquis thesaurus sive cumulus pecuniæ, à Principe distribuendæ civibus; ita in acceptatione Divina, reservatur infinitus cumulus meritorum & satisfactionum Christi & Sanctorum, quibus ipsæ non erãt necessariæ, sed superabundantes. In Ecclesia thesaurus.

2. *Istum thesaurum reliquit Christus Beato Petro, cœlesti Clavigero, & suis Successoribus ad dispensandum singulis prout vult, per se, & Episcopos qui cum Petro Capite locum tenent Apostolorum. Et hoc est quod Petro dictum est: Tibi dabo claves Regni cælorum.* Matth. 16. inquit D. R. *in* 4.*d.* 24.*q.* 1.*a.* 1.

3. Dico 1. Indulgentia est remissio seu relaxatio pœnæ temporalis, debitæ propter peccata actualia jam dimissa extra Sacramentum per applicationem à Prælato factam thesauri Ecclesiæ. Ita Nostri Hieronymus Gratianus *de Iubilæo tract. p.* 1. *c.* 4. Lezana *Verb. Indulgentia* & alii.

4. Dico 2. quòd verè concedantur indulgentiæ, non tantùm vivis, sed & mortuis. Est certum de fide, sub Leone X. contra Lutherum de- Non tantùm vivis, sed & mortuis indulgentiæ cõceduntur.

finitum in Concilio Trid. *sess. ult.* Prima pars resolutionis deducitur ex illo loco *Matth.* 16. ubi datur potestas ligandi Petro atque solvendi; habet ergo potestatem Ecclesia Catholica ligandi, hoc est pœnitentias assignandi; ergo & solvendi, remittendi pœnam. Secunda pars deducitur ex illo *Matth.* 12. & *Luc.* 13. ubi dicitur: *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Supponitur ergo, in futuro sæculo dari remissionem peccatorum. *Machab. lib.* 2. *cap.* 4. *Sancta ergo est & salubris cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Ergo à fortiori authoritate Ecclesiæ, opera & satisfactiones Christi quæ sunt infiniti valoris & efficaciæ, defunctis applicare, pro eis SSmæ Trinitati offerre in satisfactionem pœnæ; & sic eis mediante applicatione Divina indulgere. *Eccles.* 7. *Mortuo* (in gratia) *non prohibeat gratiam,* nempe satisfactionis vel impetrationis per Missas, orationes, eleemosynas, bona opera &c. Quod signanter patet nobis ex Bulla Sabbatina, animas Fratrum & Confratrum B. M. V. de Monte Carmelo in charitate decedentium, suis intercessionibûs, continuis suffragiis & meritis (in thesauro Ecclesiæ relictis) ac speciali protectione primo post transitum Sabbatô adjuvare & è purgatorio liberare.

Pro discursu & solutione.

5. Dices: Thomas Hurtado *tr.* 1. *resol. moral. tract.* 5. *resol.* 50. dicit: *Hoc Scapularis privilegium non esse prædicandum populo & hoc publicè, esse magnum scandalum.* *Rdet* ipsi & efficacissimè refellit eum, ille insignis Soc. Jesu Historiographus, Theologus eximius Raynaudus in suo *Scapulari Partheno-Carmelitico part.* 2. *q.* 5. dicens: *At audi quid è contrario tradat Paulus in Decreto* (*lato annô* 1613. *contra Inquisitorem Avenionensem, obstrepentem Carmelitanis proponentibus pro suggestu hoc privilegium*). *Permittatur Patribus Carmelitanis prædicare, quòd populus Christianus possit piè credere de adjutorio animarum Fratrum & Sororum Sodalitatis B. Virginis de Monte Carmeli, videlicet Beatissimam Virginem animas Fratrum & Sororum in charitate decedentium, quæ in vita habitum gestaverint suis intercessionibûs continuis, piisq́; suffragiîs & meritîs, ac speciali protectione, post earum transitum præcipuè in die Sabbati* (qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimæ Virgini dicatus est) *adjuturam.*

6. Urgebis: Stante privilegio Scapularis, sequitur gravissimos peccatores qui scapulare gestaverint, statim à pœnis purgatorii liberari; econtra illos qui justè, sanctè vixerunt in hoc mundo, & scapulare non portârunt, diu detineri in purgatorio, ob aliqua commissa peccata: quod videtur esse absurdum, & contra justitiam. *Rdet* P. B. Spei: Nihil in hoc injustitiæ aut absurditatis esse, sed specialem intercessionē & applicationem meritorum B. M. Virginis animabus Fratrum & Confratrum suorum; quæ ex eo quòd his sit grata aliis non, non est injuriosa:

ho-

horumq; uni obmurmuranti, meritò Diva Virgo reſponderet: *An oculus tuus nequam? quia ego his bona ſum? Tolle quod tuum eſt, & vade; hîc quæ debes pro tuis peccatis; iſtis autem Sodalibus meis volo ſpeciali interceſſione ac meritorum meorum applicatione primo Sabbatô ſubvenire, non item aliis. An hoc non poſſum? an fallibilia & falſa tot Pontificum deſuper decreta & approbationes?*

BULLA SABBATINA JOANNIS XXII. (a)

7. *JOANNES Epiſcopus Servus Servorum DEI. Univerſis & Singulis Chriſti fidelibus tam præſentibus quàm futuris præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sacratiſſimo uti culmine Paradiſi. Angelorum tam ſuavis & dulcis reperitur melodia modulamine viſionis, dum Paterno Jeſus Numini conſpicitur adhumanitus, dicendo Domino, Ego & Pater unum ſumus, & qui videt me & meum videt Patrem: & Angelorum non deſinit chorus dicere Sanctus, Sanctus, Sanctus: ita Synodus non ceſſat laudes effundere celſæ Virgini dicendo: Virgo, Virgo, Virgo, ſis ſpeculum noſtrū pariter & exemplū (quoniam munere munitur gratiarum, ſicut Sancta canit Eccleſia, MARIA gratiâ plena & Mater miſericordiæ) ſit iſte ille mons reputatus de Carmelo Ordine cantibûs extollendo, & hanc gratiarum Genitricem commendando & dicendo: Salve Regina Mater miſericordiæ, & ſpes Noſtra: ſic mihi flexis genibûs ſupplicanti Virgo viſa fuit Carmelitana ſequentem effata ſermonem: ô Joannes! ô Joannes! Vicarie mei dilecti Filii, veluti à tuo te eripiam adverſario, Te Papam facio ſolemni donô, Vicarium meis coadjuvantibus ſupplicationibûs à dulciſſimo meo Filio petens, quod gratioſè obtinui, ita gratiam & amplam meo Sancto & devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debeas præconcedere per Eliam & Eliſeum in monte Carmeli inchoato: quòd unusquisque Profeſſionem faciens, regulam à ſervo meo Alberto Patriarcha Ordinatam obſervabit, & inviolatam obtinebit, & per meum dilectum Filium Innocentiū approbatam veri Filii mei Vicarium, debeas in terris aſſentiri, quod in cælis meus ſtatuit ſemel & ordinavit Filius: quòd qui in Sancta perſeverabit obedientia, paupertate & caſtitate, vel qui Sanctum Fratrum intrabit Ordinem, ſalvabitur: & alii devotionis causâ in Sanctam ingrediantur Religionem, Sancti habitûs ſignum ferentes, appellantes ſe Confratres & Conſorores mei Ordinis prænominati, liberentur & abſolvantur à tertia eorum peccatorum portione, à die quô præfatum Ordinem intrabunt; caſtitatem, ſi Vidua eſt promittendo; virginitatis ſi eſt Virgo fidem præſtando; ſi eſt Conjugata inviolatam conſervationem matrimonii adhibendo, ut Sancta Mater imperat Eccleſia. Fratres Profeſſi dicti Ordinis ſuppliciô ſolvantur & culpâ, & die quô ab hoc ſæculo recedunt, properato gradu accelerant purgatorium. Ego Mater gratioſè deſcendam Sabbatô poſt eorum obitum, & quos invenero in purgatorio, liberabo, & eos in Montem* San-

(a) Summus Pontifex creatus 7. aug. 1316.

Vide N. Sebaſtianum à S. Paulo art. 1. §. 15. pag. 100. n. 119. & ſequ.

Sanctum vitæ æternæ reducam. Verùm quòd isti Confratres & Consorores teneantur horas dicere canonicales, ut opus fuerit secundùm regulam datam ab Alberto, illi qui ignari sunt debeant vitam jejunam ducere in diebus, quos Sacra jubet Ecclesia, nisi necessitatis causâ alicui traditi essent impedimento, Mercuriô & Sabbatô debeant à carnibus abstinere, præterquam in Filii mei Nativitate. Et hôc dictô evanuit hæc Sancta Visio. Istam ergo Sanctam indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo; sicut propter merita Virginis Matris gratiosè JESUS Christus concessit in cœlis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ indulgentiæ seu statuti & ordinationis irritare, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Avenione 3. die Martii, Pontificatûs Nostri Annô Sextô.

CLEMENS VII.

Anno 1530. 12. Aug.

8. CLEMENS Episcopus Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam. *Ex Clementi Sedis Apostolicæ provisione, nec non personarum DEO devotarum sub Religionis jugo & regulari castimonia Domino militantium, pia devotione provenire dignoscitur, ut Romanus Pontifex quandoque per Prædecessores suos Romanos Pontifices, pro personarũ earumdem ac illarum locorum felici successu & quiete, ac Christi fidelium piis operibus vacantium animarum salute concessa, approbet & innovet, ac innovata communiat, & alia de novo concedat, prout in Domino conspicit feliciter expedire; sanè pro parte dilectorum Filiorum Nicolai Audet Generalis, ac Provincialium & Priorum domorum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, nec non Confratrum utriusque sexûs Confraternitatem in Ecclesiis domorum ejusdem Ordinis institutarum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd aliàs felic. record. JOANNES XXII. & ALEXANDER V. Romani Pontifices Prædecessores Nostri, universis & singulis Christi Fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmeli ingredi seu Confratrum Confraternitatum hujusmodi numero adscribi, ipsiusq; Ordinis statuta observare, ac habitum dicti Ordinis deferre, seq; Fratres & Sorores dicti Ordinis appellare, ita tamen quòd si Mulier Virgo castitatem, Vidua verò continentiam, Conjugata matrimonii jura, prout Sancta Ecclesia præcipit, tempore earum ingressûs inviolabiliter servare velle promitterent & observarent, tertiam partem suorum peccatorum in Domino relaxârunt, ac ipsa Gloriosissima DEI Genitrix semper Virgo MARIA, ipsorum Confratrum seu Religiosorum ac Sororum animas post eorum transitum suis intercessionibûs continuis, piis Suffragiîs & speciali protectione adjuvabit. Quòdque Confratres ipsi gratiarum earumdem Prædecessorum participes fieri volentes, horas Canonicas juxta formam ab ALBERTO Patriarcha dicto Ordini concessam recitare: ignari verò litterarum, diebûs quibûs*

Vide Bullarium & Speculum Carmelitarum.

bus Sancta Ecclesia præcipit jejunare, necnon quarta feriâ & Sabbatô toto tempore vitæ eorum, præterquam die quâ aliquam ex feriis prædictis, Nativitatem Domini Nostri JESV Christi occurrere contigerit, à carnibus abstinere deberent.

Gregorius XIII. Sabbatinum privilegium approbat ac confirmat.

9. *Idemq́, JOANNES XXII. pro animabus quæ in purgatorio existunt, & habitum hujus Religionis gestârunt, vel eorum Confraternitatem ingressi fuerunt, vel Confratrum numero adscripti in honorem ejusdem B. MARIÆ Matris DEI, die Sabbati post earum transitum intercessionibûs ejusdem continuis piis suffragiîs & meritîs, ac speciali protectione adjuvandis privilegium publicavit, corroboravit ac confirmavit.*

Sub Paulo V. editum est decretum in favorem privilegii Sabbatini.

10. Beatissimam Virginem MARIAM, animas Fratrum & Confratrum in charitate decedentium qui in vita habitum gestaverint, suis intercessionibûs continuis piisq; suffragiîs & meritîs, ac speciali protectione post earum transitum præcipuè in die Sabbati adjuturam, declarat Sacra Cardinalium Congregatio.

Aliter vivis aliter mortuis conceduntur indulgentiæ.

11. Dico 3. Aliter concedi indulgentias vivis, aliter defunctis. Vivis permodum judicialis absolutionis, seu remissionis pœnæ temporalis; defunctis verò permodum suffragii: Vivis enim summus Pontifex concedit indulgentias, lucrantes eas verè absolvendo à pœnis temporalibus, ùti Judex & Superior eorum supremus; defunctis non sic, cùm sint extra forum Ecclesiæ; sed concedit permodum suffragii, quatenus de thesauro Ecclesiæ applicat merita & satisfactiones Christi unde fiat solutio DEO pro tali pœna. Clarificari hoc potest exemplô per aliquem incarceratum propter debitum contractum; quem potest Judex judicialiter liberare absolvendo à tali debito, aut alius permodum suffragii sive auxilii solvendo pro eo Creditori. Primo modô Pontifex indulget pœnas vivis; secundo modô defunctis (a). Ad quod D. R. *in4. d. 24. q. 2. a. 1.* ait: *In futuro est remissio; sed per DEI jurisdictionem, non Vicarii DEI.* Quare

(a) Nostri Gratianus, Lezana. Toletus, Bonacina.

De infallibilitate indulgentiæ controvertunt DD.

12. Dubitant multi Theologi, utrum indulgentia quælibet vivis pro mortuis concessa sit infallibilis, hoc est, utrum positîs omnibûs ponendis, infallibiliter semper & statim assequatur suum effectum, nempe remissionem talis pœnæ in purgatorio? N. Lezana cum Cajetano, Corduba & aliis, cum quibus & N. Stephanus à S. Paulo dicunt, quòd non. Rationem dant, quòd sit liberum DEO talem commutationem acceptare, vel non; cùm ex nullo capite sit ad acceptandum obligatus. Pro comprobatione adducunt praxim Ecclesiæ, quòd etiamsi in altari privilegiato absolvatur Sacrum pro aliquo defuncto, non cessant tamen absolvere pro eodem in eodem altari aut simili Sacra Sacerdotes. Econtra N. P. Bonæ Spei de Religione tract. 2. disp. 2. dub. 1. resol. 5. n. 18. docet,

Missas pro animabus purgatorii oblatas, infallibiliter illis ex opere operato prodesse. Rationem dat Toletus: quia DEUS ex merito Christi satisfactionum & Sanctorum, acceptat applicationem, ut prosit infallibiliter; aliàs non oraret Ecclesia, nisi cognosceret mortuis prodesse, dicit Dionysius c. 7. *de Eccles. Hierarch.*

Solus Papa irrestrictam, alii prout ipsis à Papa conceditur.

13. Dico 4. Solus Papa potestatem, & irrestrictam habet, indulgentiam concedendi. Ratio est R. D. locô citato: *quia est Vicarius* DEI. Ratio P. Lezanæ: quia *Joann.* 21. soli Petro dictum est, *pasce oves meas.* Tum quia de thesauro disponere, spectat ad supremum Principem; ad alios nisi prout eis conceditur à Principe. Quare Prælati alii Ecclesiæ, nisi prout eis à Papa conceditur, concedere possunt indulgentias. Et sic Episcopi juxta decisionem Concilii Lateran. cap. *Cum ex eo, de pœnit. & remiss.* possunt in dedicatione Ecclesiæ unum annum indulgentiæ in anniversario Ecclesiæ, & in aliis occasionibus solùm 40. dies concedere (b).

Concedere possunt indulgentias

(b) Doctor Resol. & Lezana locô citato.

14. *Dic* (inquit R.D. locô citato) *quòd præter Papam & Episcopos possunt Archiepiscopi per totam Provinciam suam quadraginta dies dare: habetur hoc de pœnit. & remissio.* §. *Nostro. Quid igitur si eidem concesserit Diœcesanus quadraginta dies, & Metropolitanus quadraginta dies, nunquid dans eleemosynam habebit* 80. *dies?* Rdet: Ostiensis *de pœnit. & remiss.* §. *Quis possit* dicit, *quòd sic: quia neuter excedit; cùm utrique sit concessum suis subditis indulgentias dare. cap. Cum ex eo, & cap. Nostro.*

15. De Legatis admittunt aliqui saltem ex consvetudine. Sylv. Layman.

16. Sed numquid Abbates possint concedere indulgentias? *Resp.* & dico: quòd jure ordinario non; *cap. Accedentibus, de excessibus Prælatorum.* Addit D.R. locô citato: *Nisi forsan speciali concessione aut alia causâ legitima, se valent tueri. Gloss. Legitima causâ: puta consvetudine præscripta, quæ dat jurisdictionem, de officio Judicis Ordinarii cap. ultimo.* Sylvester, Medina & alii *de Indulg.* docent posse Abbates concedere easdem indulgentias, quas solent concedere Episcopi: imò Tamburin. *tom.* 2. *d.* 9. *q.* 2. asserit, Abbatem quemdam Congregationis Lateranensis, hac potestate Romæ præsentibus 22. Cardinalibus, usum fuisse, ex privilegio à Pio V. illi Congregationi concesso. Hoc privilegium, vel est concessum non vivæ vocis oraculô: Per communicationem privilegiorum extensum est ad aliorum Ordinum Abbates; nec est revocatum per generalem revocationem Pauli V. ut sequenti *num.* 17. patet. Vel est concessum vivæ vocis oraculô: Nullius roboris est; sed consvetudo præscripta spectanda est.

17. Utrum alii Prælati Religionum hanc potestatem concedendi indulgentias habeant? *Resp.* & dico: Non possunt concedere, hoc est, dare in-

dulgentias tam inferioribus quàm sæcularibus; cùm in nullo jure reperiatur hoc eis concessum: Nam si quæ erant talia privilegia, quia vivæ vocis oraculô erant concessa, sunt revocata (c). Possunt tamen sæcularibus Benefactoribus suis concedere, hoc est communicare indulgentias concessas, per Fratres lucratas: quod sic deducit D.R. *Potest Prælatus participationem concedere per quadraginta dies, vel per quid placet, vel per 30. Missas: & sic de omnibus bonis operibus colligitur.* Ratio est secundùm S. Thomam in 4. d. 20. q. 4. quia *qui Congregationi præest, potest opera subditorum & intentionem illorum communicare & applicare, & determinare aliis prout vult.* Et Urbanus V. concessit Generalibus & Provincialibus Minorum, ut possint Benefactoribus Ordinis communicare suffragia, indulgentias, orationes, & bona spiritualia, ut refert Cassarubius, verb. *Indulgentia.* Et eô ipsô quòd hoc privilegium erat concessum Prælatis Minorum, concessum est Carmelitis: nam in Bulla Leonis X. conceditur Carmelitis hoc, quòd omnia privilegia & indulgentiæ concessæ ac concedendæ Mendicantibus, sint Carmelitis cômmunes. In Bulla autem Clementis VII. omnia privilegia & indulgentiæ (citra plenarias) quibuscunque Ordinibus sive Mendicantibus sive non Mendicantibus concessæ & concedendæ, Ordini Carmelitarum fiunt communes (d). Neque enim hoc privilegium communicandi Benefactoribus indulgentias, est revocatum per Paulum V. Tum quia hoc privilegium, estò sit concessum intuitu Regularium, non tamen pro ipsis Regularibus, sed sæcularibus: tum quia Paulus V. solùm revocavit indulgentias Regularibus concessas: facultas autem communicandi indulgentias, quæ in hoc privilegio conceditur, non est indulgentia. Ita Peregrinus verb. *Visitatores*, & Peirinis tom. 1. privilegiorum.

18. Modi autem quibûs possunt & solent communicare Prælati suis Benefactoribus indulgentias sunt: 1. præcipiendo suis subditis ut lucrentur, & ipsis applicent indulgentias (e). 2do, uniendo & aggregando prædictos Benefactores cum suis Religiosis, ac ita faciendo, ut sicut Religiosi adimplendo conditiones præscriptas lucrantur indulgentias, ita illi eadem opera ponendo easdem consequantur. Attamen in hoc casu Prælati non dicuntur concedere indulgentias, sed Papa (f). Imò non tantùm Benefactoribus, sed quibusvis communicare possunt indulgentias, Generales, aut in absentia eorum Vicarii Generales. Hoc concessit Paulus V. Carmelitis. Vide Speculum Carmelitarum pag. 475. num. 1849.

19. Neque Confessarii nostri Confratribus S. Scapularis concedunt, dando indulgentias in articulo aut periculo mortis; sed authoritate Sedis Apostolicæ declarant eos consequi indulgentiam plenariam, ut ha-

Ii 2 be-

(c) Lezana verbô Indulgent. n. 4.

Prælati Ordinum non possunt concedere sed communicare indulgentias quod nô est revocatû per Paulû V.

Superiores possunt Inferiorum opera bona aliis applicare.

Quidquid conceditur aliis Mendicantibus cô ceditur Carmelitis.

(d) Lezana verb Habitus num. 9.

Modi quibûs applicâtur indulgêtiæ Benefactoribus.

(e) Suar. Bonacina.

(f) Suarez, Peirinis.

betur in forma abſolutionis generalis pro moribundis Confratribus Sacri Scapularis: *Ego &c. authoritate SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ac S. Romanæ Eccleſiæ, & ex privilegiis per Summos Pontifices conceſſis Fratribus & Confratribus Sanctiſſimæ Matris MARIÆ de Monte Carmelo, inquantum poſſum & debeo, declaro te conſequi indulgentiam plenariam & remiſſionem omnium peccatorum tuorum &c.*

20. Qui concedit aliis indulgentiam, ipſemet eam lucrari poteſt.

Indulgentia plenaria & nō plenaria. Et hæc ſeptena, quadragena. Qualis antea pœnitētia aſſignabatur.

21. Indulgentia alia eſt plenaria ſeu totalis, per quam remittitur tota pœna temporalis debita pro culpa jam dimiſſa; Alia non plenaria ſeu partialis, quâ remittitur pars pœnæ. Hæc alia eſt quæ vocatur ſeptena, quâ remittitur pœna correſpondens pœnitentiæ ſeptem annorum, olim per canones inflictæ; alia quadragena, quâ remittitur pœna correſpondens pœnitentiæ olim per canones impoſitæ 40. dierum: Aliæ enim antea pœnæ aſſignabātur, quàm modò; nā pro uno mortali ſimplici peccato aſſignabantur ordinariè 7. annorum, aliquando 12. annorum, pro gravitate delicti: cujus rei habetur aliquod in Concilio Eliberitano c. 5. pro homicidio caſuali, infligebatur pœna 5. annorum; pro voluntario verò, quia eſt mortale, 7. annorum: & in c. 6. pro adulterio pœnitentia 10. annorum. Et in Synodo Romana ſub Sylveſtro, ut habetur diſt. 82. can. *Presbyter*, fornicario Sacerdoti infligebatur pœna 10. annorum: & 30. q. 1. can. *Si quis Sacerdos*, habetur, quòd rem cum filia ſpirituali habenti infligebatur pœna 12. annorum, peregrinationis, & poſt peregrinationem perpetuo claudebatur Monaſteriô (g). Et ſic non gratis conceduntur aliquando 1000. annorum indulgentiæ, ut remittatur pœna tot annorum pœnitentiis correſpondens. Neque tamen deberet tot annos eſſe in purgatorio, decedens in gratia ſine pœnitentia perſoluta: quia acerbior eſt pœna in purgatorio; quare brevior. Sume ergo indulgentiam annorum, non in ordine ad annos in purgatorio, ſed in ordine ad annos pœnitentiæ in hoc ſæculo, juxta taxam canonum antiquorum (g), prout communiter (h) Theologi ſumunt.

(g) Toletus.

(h) Soto, Navar. Valentia, Bonacina, Noſtri Gratianus, Lezana.

22. Indulgentia de pœnitentiis injunctis, dicitur & eſt, quâ remittitur tanta pœna, quanta remitteretur per pœnitentias taxatas à Confeſſariis, & Sacris canonibus pro illis peccatis impoſitas. Ita Layman, Bonacina, & NN. Reverendiſſimus Stratius, Gratianus, Lezana.

Realis, perſonalis, localis.

23. Indulgentia tam plenaria quàm non plenaria, alia eſt perſonalis, alia realis, alia localis. Perſonalis eſt ea, quæ eſt affixa perſonæ, quam videtur ſecum deferre, eamq; ubique lucrari: Sic eſt indulgentia pro articulo mortis v.g. quam Clemens XI. cōceſſit pro ducentis Alumnis Noſtræ Congregationis in Polonia Reformatæ: Ubicumque aliquis Noſtrum morietur, poterit eam lucrari. Realis eſt annexa alicui rei, v.g. coro-

coronæ, Crucifixo &c. Localis est annexa loco, v.g. Ecclesiæ aut Sacello pro visitantibus & orantibus.

24. Sed quid si Ecclesia destruatur; cessatne ibi pro visitantibus indulgentia?

Quod si destruatur Ecclesia?

Resp. Vel indulgentia est in particulari illi concessa, vel in universali? prout conceditur v.g. Ecclesiæ Cisterciensium à Clemente XI. in Festo S. Stephani tertii Abbatis eorum, indulgentia plenaria omnibus Regularibus personis Ordinis Cisterciensis. Si primo modò? Imprimis certum est, quòd si per partes diruatur & reparetur, manere eandem indulgentiam, juxta omnes; & si simul tota destruatur & alia statim de novo ædificetur, sub eadem invocatione, in eodem situ, valdè probabile est, non extingui indulgentiam: quia talis Ecclesia censetur morali æstimatione esse eadem cùm sit eadem tam quoad solum quàm quoad situm. Si verò ædificetur in alio loco, probabilius est amittere indulgentiam (i): quia in tali casu, nec quoad solum nec quoad situm eadem numerô manet.

(i) Stratius, Lezana, Suarez.

25. Dicamus aliquid circa indulgentias revocatas, & non revocatas per Paulum V. in Bulla *Romanus Pontifex*, edita Anno 1606. In hac solùm revocantur indulgentiæ personales, Regularibus concessæ per Antecessores, prout à S. Congregatione declaratum refert Laurentius de Peiirinis *tom.* 1. *de subdito* 4. §. *ult.* Unde non sunt revocatæ indulgentiæ Ecclesiis Regularium pro Sæcularibus concessæ. Ita Peiirinis, Lezana *verbô Indulgentiæ.* Imò Regularibns concessæ pro defunctis, aut in periculo sive articulo mortis existentibus. Quòd non sint revocatæ quoad articulum mortis, & quoad defunctos, ratio deducit: quia quæ speciali digna sunt nota, non censentur esse sublata, nisi exprefsè nominentur, ut colligitur ex *L. Item*, apud Labeon. §. *Ait Prætor ff. de injuria.* Hoc idem colligit Alphonsus Leo *de Jubilæo*, ex quadam declaratione Sanctissimi D. Urbani VIII. facta Illustrissimo Domino Coccino Vice-Regenti Pœnitentiariæ, Anno 1625. Unde & Carmelitæ ab Eugenio IV. & Minores à Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. Callixto III. Pio II. Sixto IV. & Augustiniani à Julio II. concessa pro articulo mortis indulgentiâ plenaria gaudere possunt, servatis servandîs. Ita Lez. *verbô Indulgentiæ num.* 10. Pari ratione dicendum de indulgentiis, intuitu Regularium Sæcularibus concessis; cùm in dicta Bulla solùm revocentur indulgentiæ Regularibus pro ipsis Regularibus concessæ. Unde non est revocata indulgentia Urbani VI. concessa pro iis qui Carmelitas appellaverint Fratres Beatissimæ MARIÆ Virginis Genitricis DEI, quòd pro qualibet vice tres annos & totidem quadragenas indulgentiarum obtinuerint. Solùm personales ut dixi revocavit, & alias de novo Regulari-

Quales indulgentiæ revocatæ.

Quæ speciali digna sunt nota.

Trium annorū indulgentias nuncupantibus Carmelitas Fratres B. V. MARIÆ.

 bus concessit. Ut autem sciamus quænam sint indulgentiæ, quas omnibus ille Summus Pontifex concessit, pono per extensum præfatam Bullam.

Ex Typographia & Bullario Romano Summarium.

Revocantur indulgentiæ Ordinibus Regularibus quoquomodo concessæ; & aliæ de novo conceduntur.

PAULUS V.

Anno 1606. 23. Maji. 26. Ad perpetuam rei memoriam. *Romanus Pontifex in Beati Petri Sede constitutus, cui inter alia cœlestis indulgentiarum thesauri dispensandi cura incumbit, sollicitè prospicere debet ac solerter, ut hujusmodi indulgentiarum dispensatio & usus, ad DEI gloriam & animarum salutem præcipuè dirigatur, & ne ex eorum multiplicitate confusio aut inanis interpretatio exoriatur, proinde cùm fel. rec. CLEMENS Papa VIII. Prædecessor Noster magna cum diligentia & sollicitudine procuraverit abusus & corruptelas, tum in communicando indulgentiarum thesauros, tum in modo illas recipiendi irreptas tollere, & propterea sua quadam constitutione formam aggregandi, instituendi & rectè administrandi Societates & Confraternitates præscripserit, licèt morte præventus, hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam ut cogitaverat circa indulgentias, à plerisq; Romanis Pontificibus Prædecessoribus Religionibus & Ordinibus Monasteriis & Mendicantibus diversis temporibus concessas aliquid deliberare potuerit; Nos qui nullis Nostris meritis, sed sola DEI benignitate ad summi Apostolatûs Officium vocati sumus, susceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum Catholicæ Ecclesiæ regimen suscepimus, Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto CLEMENTE Prædecessore deputatis, de quorum numero, tempore ipsius Clementis Prædecessoris eramus, injunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, & indulgentias Regularibus concessas recognoscerent, iisq; recognitis rem Nobiscum communicarent.*

Cùm itaque præfati Cardinales privilegia, concessiones & gratias prædictis Religionibus & Ordinibus concessas diligenter inspexerint & examinaverint, ac eorumdem Ordinum Superiores & Officiales pluries audiverint, ac circa easdem indulgentias varia dubia & incertitudines & confusiones adesse compererint, & ex judicio eorumdem etiam Regularium vel aliquorum ex illis Nobis proposuerint valdè expedire pro eorum majore securitate & beneficio, ut indulgentias ipsis Religionibus & Ordinibus, adinstar vel per com-

municationem, aut alio modò hactenus concessas annullaremus & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus; Nos matura super hoc consultatione præhabita, cupientes Personis Regularibus quibuscumq; quorumvis Ordinum tam Monasticorum quàm Mendicantium spirituale solatium & juvamen afferre, infrà scriptas indulgentias & gratias, quas Personis Regularibus intra claustra, aut extra, cum licentia tamen suorum Superiorum legitima de causa illis concessa degentibus, tantummodo suffragari debere declaramus, concedendas duximus.

In omni Religione.

1. *Omnibus igitur Christi fidelibus, qui canonicè & juxta Ordines cujuslibet Religionis & Constitutiones Apostolicas habitum Regularem à legitimis Superioribus causâ profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressûs in ipsam Religionem, si verè pœnitentes & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam.*

Indulgentia plenaria in die susceptionis.

2. *Ac cuilibet Novitio qui pœnitens & confessus ac Sacra Communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit, etiam plenariã.*

Die professionis.

3. *Nec non cuilibet Religioso intra claustra sui Monasterii viventi, qui in festo principali sui Ordinis confessus, & Sacra Communione refectus fuerit, aut Missam recitans pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderit, etiam plenariam.*

In principaliori festo Ordinis.

4. *In cujuslibet verò mortis articulo, si pariter verè pœnitens & confessus ac Sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus Nomen JESU ore si potuerit, sin autem, corde devotè invocaverit, etiam plenariam.*

In articulo mortis.

5. *Qui verò ad Præsbyteratûs Ordinem canonicè, promotus & confessus primam Missam celebrabit, nec non etiam iis Religiosis qui pariter confessi ac Sacra Communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam plenariam.*

Dum primũ Sacrum celebratur.

6. *Iis verò qui de suorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium animas ad devotionem & spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo sæpe considerationes mysteriorum fidei Catholicæ, Divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis Domini Nostri JESU Christi & aliorum exercitiorum, orationum ejaculatoriarum, aut vocalium saltem per duas horas in diem & noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem vel ordinariam Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties, pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus.*

In recollectionibus.

Visitatibus.

7. *Præterea iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & ut præfertur oraverint, consequantur easdem indulgentias quas visitantes Ecclesias Vrbis & extra eam diebûs stationum consequuntur in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitarent.*

Dicenti 5. Pater & Ave 5. Anni. Similiter in via.

8. *Omnibus item Religiosis intra claustra, ut suprà viventibus, qui quinquies orationem Dominicam & toties salutationem Angelicam ante altare eorum Ecclesiæ in quolibet die, 5. annos & totidem quadragenas.*

9. *Iis verò qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes tanquam Prædicatores & Lectores quinquies eandem orationem Dominicam & toties salutationem Angelicam ante quodlibet altare similiter dixerint, etiam 5. annos & totidem quadragenas.*

60. Annos pro meditatione per Mensem

10. *Nec non etiam eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebûs spatiò mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessi & Sacra Commmunione ultima Dominicâ mensis hujusmodi refecti fuerint, sexaginta annos & totidem quadragenas.*

11. *Qui verò contrito corde & pœnitentes eorum culpas & peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos & totidem quadragenas.*

Plenaria cōvertentibus infideles hæreticos.

12. *Quotiescunque autem de licentia Summi Pontificis aut suorum Superiorum in ditiones & terras infidelium aut hæreticorum ad concionandum aut Catholicos docendum, vel infideles & hæreticos ipsos ad fidem Catholicam convertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum missi fuerint, si pœnitentes & confessi ac SSma Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut meliùs ad hujusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri se accingent, & quando in Provinciam ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus & elargimur.*

Plenaria tēpore Visitationis.

13. *Et insuper cum Superior in Visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono Visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatiô duarum horarum in diverso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non disciplinæ & observantiæ regularis augmento pias ad DEVM preces, ut suprà dictum est effuderint, si confessi & Sacra Communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam & remissionem, ut præfertur, concedimus.*

14. *Volumus autem ut omnes suprà dictæ indulgentiæ & gratiæ Religiosis Regularibus cujusvis Ordinis tam Monastici quàm Mendicantis duntaxat, ut præfertur concessæ, etiam omnibus Monialibus cujusvis Regulæ approbatæ & intra Claustra cum tribus votis solemnibus vivētibus & perpetuam clausurā servan-*

vantibus tam Ordinariis locorum, quàm etiam Regularibus cujuscunq; Ordinis, Regulæ & Instituti subjectis suffragentur, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

15. *Cæterùm omnes & singulas indulgentias quibuscunq; Ordinibus & Institutis Regularibus bujusmodi etiam Mendicantibus, & quibuslibet Personis Regularibus tam vigore privilegiorum & litterarum Apostolicarum, quàm vivæ vocis oraculô, aut aliàs quovis modô per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas & innovatas, authoritate & tenore prædictis perpetuò revocamus, cassamus, annullamus & abrogamus, & ad præsentium Nostrarum litterarum præscriptum reducimus & moderamur. Non obstantibus quibusvis Constitutionibûs & Ordinationibûs Apostolicis, ac eorum Ordinum & Institutorum Regularium, etiam juramentô, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutîs & consvetudinibûs, privilegiîs quoq; indultis & litterîs Apostolicis, etiam Mare magnum & Bulla aurea nuncupatis, eisdem Ordinibus & institutis eorumque Monasteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus & Personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibûs pro expressis, & ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunque. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillô Personæ in dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eadem fides habeatur ubique, quæ præsentibus Originalibus litteris haberetur. Datum Romæ apud S. PETRVM sub annulo Piscatoris die 23. Maji Anno 1606. Pontificatûs Nostri Anno primo.*

Revocantur indulgētiæ.

27. Non inferas ex hac Bulla revocatam esse Bullam Sabbatinam. Nam pro ea latum est decretum ab eo & S. Congregatione; ut vidimus suprà. Quidquid sit de indulgentiis Confratribus Sacri Scapularis, sicut & Carmelitis ante PAULUM V. concessis, sunt à CLEMENTE X. approbatæ & corroboratæ. Ut pateat hoc clarè in honorem Beatissimæ Genitricis DEI, pono per extensum Bullam Clementis X.

Bulla Sabbatina non est revocata.

Ex Originali Romæ in Archivio Ordinis Summarium.

Confirmantur omnes indulgentiæ aliàs Ordini Carmelitano ejusque Confratribus concessæ.

Ad hæc vide subsequens Summarium earumdem indulgentiarum à S. Congregatione sub die 27. Junii Anno 1673. recognitum & approbatum.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Anno 1673. 8. Maji.

COmmissæ nobis Divinitùs dispensationis ratio exigit, ut spiritualium gratiarum concessiones, quæ ex pia prudentique hujus Sanctæ Sedis liberalitate ad piorum operum incrementum & animarum salutem processerunt, quò firmiùs subsistant, Apostolici muniminis præsidiò constabiliamus, illasq; etiam Apostolicæ benignitatis charitate ampliemus, & alia desuper statuamus, sicuti spirituali Christi fidelium ædificationi cognoscimus in Domino profuturum.

Exponi siquidem nobis nuper fecit Dilectus Filius Matthæus Orlandus Prior Generalis Ordinis Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo, quòd cùm à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, ac etiam à Nobis nonnullæ indulgentiæ & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes tam Christi fidelibus visitantibus Ecclesias dicti Ordinis, & alia præscripta pia opera peragentibus, quàm Confratribus Sancti Scapularis ejusdem B. M. V. de Monte Carmelo, quas ubivis locorum extra hanc almam Vrbem erigendi & instituendi, illisq; certas indulgentias & gratias spirituales (servata formâ Constitutionis felicis recordat. CLEMENTIS Papæ VIII. Prædecessoris Nostri super confraternitatum aggregationibus & institutionibus editæ) communicandi facultas Priori Generali dicti Ordinis, vel illo absente ejus Vicario Generali, à rec. mem. PAVLO Papa V. Prædecessore pariter Nostro attributa fuit, concessæ fuerint, ut omnis, quæ circa illas oriri posset, dubietas recideretur, ex litteris Apostolicis desuper emanatis, fideliter excerptum fuit illarum Summarium à dilecto Filio Nostro JOANNE tituli S. BERNARDI in Thermis S. R. E. Cardinale Bona nuncupato revisum, tenoris qui sequitur, videlicet.

Summarium indulgentiarum.

Summarium indulgentiarum à diversis Summis Pontificibus concessarum Christi fidelibus visitantibus Ecclesias Ordinis Beatissimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo.

Fel.

Fel. record. SIXTUS IV. (a) *in Bulla* Dum attentæ: *data Kal. April.* 1477. *ad instantiam Fratris CHRISTOPHORI Martignoni Prioris Generalis Ordinis Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo, omnes indulgentias & peccatorum remissiones à diversis Romanis Pontificibus concessas visitantibus Ecclesias dicti Ordinis, & in dicta Bulla recensitas, confirmavit, approbavit & innovavit. Verùm quia plures illarum elargitæ à dicto SIXTO IV. confirmatæ erant sub onere porrigendi manus adjutrices Fratribus, Monialibus, Ecclesiis vel domibus præfati Ordinis, & B. PIUS V. per suam Constitutionem* Etsi Dominici gregis: *datam* 6. *Idûs Februarii* 1567. *revocaverat omnes indulgentias, pro quibus consequendis manus adjutrices porrigendæ erant, Fel. mem. Greg. XIII. in litteris Apostolicis* Ut laudes: *datis* 18. *Septemb.* 1577. *dictas indulgentias in pristinum, & eum, in quo erant ante dictam revocationem, statum restituit & revalidavit, dempta clausulâ:* porrigendi manus adjutrices, & elargiendi eleemosynas; *ita tamen quòd hi Christi fideles, qui illas cōsequi voluerint Ecclesias visitando sint contriti & confessi, & locò eleemosynæ prædictæ, septies orationem Dominicam, itidemq; salutationem Angelicam recitent, vel habitum dicti Ordinis gestent, vel Vesperas pro defunctis recitent, aut ante Sanctissimum Domini Nostri JESU Christi corpus terram exosculentur, ac pro hæresum extirpatione, Sanctæque Matris Ecclesiæ tranquillitate, Christianorumq; Principum pace & unione pias ad DEUM preces effundant, & aliàs juxta Prædecessorum suorum litterarum seriem orent, aliaque peragant.*

Summarium autem indulgentiarum concessarum est hujusmodi in dictis litteris.

I. *LEO PAPA IV. (b) omnibus Christi fidelibus, qui Ecclesias B. M. V. de Monte Carmelo hujusmodi in festis Nativitatis Dominicæ, Paschæ, Pentecostes, Apostolorum PETRI & PAULI, Assumptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis DEI Genitricis MARIÆ, S. Michaëlis Archangeli, Omnium Sanctorum, in duobus festis S. CRUCIS, Nativitatis S. Joan. Baptistæ, Sanctorum Martyrum Fabiani & Sebastiani, & in die Parasceves, & per octavas præfatarum festivitatum, & Vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis devotè visitaverint, septem Annos & totidem quadragenas.*

2. *Et Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Joannes X. Joannes XI. Sergius IV. Innocentius IV. omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus contritis & confessis, qui præfatas Ecclesias in præfatis festivitatibus, & earum octavis piè visitaverint, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxârunt.*

3. *Item CLEMENS III. Alexander II. Gregorius V. & VII. in præfatis festis, & in quolibet earundem similem gratiam largiti sunt.*

4. *Item CLEMENS IV. jisdem Christi fidelibus, qui præfatas Ecclesias* qua-

(a) Creatus 9. Aug. 1471. Concedūtur indulgentiæ visitantibus Ecclesias Carmelitarū dicentib9 7. vicibûs orationem Dominicam & Angelicam salutationē aut coram SSmo Sacramento deosculantibus orantibusq; pro hæresum extirpatione S. Matris Ecclesiæ trāquillitate Christianorū Principum pace.

(b) Anno 848. In festis Nativitatis Domini Paschæ Pentecostes Apost. Petri & Pauli, S. Michaëlis, OO. SS. in utroq; festo S. Crucis, Nativitatis S. Joannis Bapti. Fabiani & Sebastiani, & in die Parasceves & per

octava sprææfatarum devotè visitantibus 7. Anni & totidem quadragenæ. 40. dies pro 1 Pater & Ave pro vivis & defunctis, in Ecclesia Carmelitana.

40. Anni totidem quadragenæ de injunctis in festo Vocabulorũ Eccles. Carmelit. similiter in Parasceve, in festo S. Crucis, si fecerint prout præfertur supra.

Quinquies in hebdomada visitantibus Ecclesiã Carmelitarũ 40. anni, totidẽ quadragenæ fer. 2. 4. 6. Sabb. & Dominicâ. Et duplicantur indulgẽtiæ suprà nominatæ.

Die Sabbato post mortem adjutorium Beatis. V. M.

quater in Anno visitaverint, videlicet in 4. festivitatibus ejusdem DEI Genitricis MARIÆ, triginta Annos & totidem quadragenas piè concessit.

5. *Item in privilegio generali Lucii III. remittitur ab eodem peccata levia, offensæ Parentum, negligentiæ votorum fractorum, dum tamen fractor ad vota rediret, & malè acquisita, si nescitur cui restitui debeant, præfatis locis seu illorum domibus assignentur.*

6. *INNOCENTIVS IV. & GREGORIVS VIII. concesserunt quolibet die dicenti Pater Noster & Ave MARIA in dictis Ecclesiis semel pro vivis & defunctis, 40. dies indulgentiarum.*

7. *Rursus Honorius III. Nicolaus IV. verè pœnitentibus omnium suorum peccatorum veniam polliciti sunt.*

8. *Insuper Honorius IV. omnibus verè pœnitentibus & confessis, dicti Ordinis Ecclesias visitantibus 40. Annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis, videlicet in festo Vocabulorum ipsarum Ecclesiarum, & in die Parasceves, necnon in die S. Crucis, ac festivitatibus Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis & Assumptionis Genitricis MARIÆ misericorditer in Domino relaxavit & concessit.*

9. *Vlterius Benedictus XI. omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ter in hebdomada videlicet quadragesimali tempore, 2da, 4. & 6ta feriis, atque etiam in festis Vocabulorum Ecclesiarum dicti Ordinis, necnon in diebus Sabbatinis ob Beatæ DEI Genitricis reverentiam, & in Dominicis diebus easdem Ecclesias piè visitaverint, 40. Annos & totidem quadragenas, & omnium peccatorum 7mæ partis remissionem in Domino relaxavit, omnesque indulgentias & peccatorum remissiones à suis Prædecessoribus Romanis Pontificibus dicto Ordini concessas, in diebus & festis prædictis duplicando.*

10. *Item JOANNES XXII. omnes indulgentias & peccatorum remissiones à Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis dicto Ordini concessas confirmavit, ac 40 Annos & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis, universis Christi fidelibus dicti Ordinis Ecclesias in qualibet solemnitate quatuor festivitatum B. V. Genitricis MARIÆ videlicet Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis & Assumptionis visitantibus, contritis & confessis in Domino piè concessit. Idemq; JOANNES XXII. pro animabus quæ in purgatorio existunt, & habitum hujus Religionis gestarunt, vel eorum confraternitatem ingressi fuerint, vel Confratrum numero adscripti in honorem ejusdem Beatæ MARIÆ Matris DEI, die Sabbati post earum transitum intercessionibus ejusdem, continuis ipsius suffragiis & meritis, ac speciali protectione adjuvandis privilegium publicavit, corroboravit & confirmavit.*

11. *Item Vrbanus VI. perpetuò concessit iis qui Ordinem Carmelitarum, & Fratres ejusdem Ordinis, Ordinem seu Fratres Gloriosissimæ DEI Genitricis, semperq; Virginis MARIÆ de Monte Carmelo vocaverint, nominaverint, & appella-*

pella-

pellaverint, si in gratia extiterint, tres Annos & totidem quadragenas indulgentiarum.

Tres Anni, totidem quadragenæ eis, qui Carmelitas nominaverint Fratres B. M. DEI Genitricis.

12. *Nicolaus V. omnes indulgentias & peccatorum remissiones, ac omnia privilegia dicto Ordini concessa à suprà dictis Romanis Prædecessoribus suis in præfatis diebus & festis motu proprio duplicando confirmavit, atque Annos 7. & totidem quadragenas in Domino relaxavit.*

13. *Sixtus IV. omnes indulgentias Ordini prædicto, illius domibus, Ecclesiis ac Personis utriusque sexûs in genere vel in specie quomodolibet concessas, in suo robore, in suaq; firmitate confirmavit, approbavit & de novo concessit, & in Conceptionis, Nativitatis, Præsentatation. Annunt. Visitationis, Purificationis & Assumptionis B. DEI Genitricis MARIÆ festivitatibus, & per 7. dies sequentes, & in diebus Vocabulorum Ecclesiarum visitantibus Ecclesias, 30. Annos & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit.*

Per 7. dies sequentes infrà Octavam Vocab. Eccles. & festivitatum B. M. V. infrà specificatarũ 30. Anni & totidem quadragenæ de injunctis.

14. *Denique CLEMENS VII. post Joannem XXII. & Alexandrum V. eorum litteras approbando, habitum Gloriosæ & Beatissimæ Virginis MARIÆ Matris DEI gestantibus, seu confraternitatem ingredientibus, & alias servantibus, ut in eisdem litteris continetur, indulgentias, peccatorum remissiones & gratias singulis utriusq; sexûs concessas; perpetuæ firmitatis robur addidit & innovavit, ipsisq; & aliis participationem omnium bonorum spiritualium totius Ordinis Carmelitarum & universalis Ecclesiæ concessit.*

Aliæ indulgentiæ visitantibus Ecclesias Fratrum & Monialium Discalceatorum extensæ ad visitantes quaslibet Ecclesias Ordinis à SS. D. Nostro CLEMENTE X. per Breve datũ 31. 8bris 1670.

1. *SIxtus V. per litteras datas 11. Iulii 1587. concessit Christi fidelibus, qui in illorum Ecclesiis, feriis 5. Missæ, centum; qui verò prædicationi aut lectioni verbi DEI interfuerint, alios 100: necnon qui ad orandum accesserint, iterum 50 dies; qui deniq; confessi eo die ibi communicaverint, 3. annos & totidem quadragenas de injunctis seu aliàs debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit.*

Feriis quintis visitantibus Eccles. Carmelitarũ aut concionem audientibus 100. dies.

2. *Gregorius XV. per litteras datas 19. Septembris 1622. indulgentiam plenariam iis, qui confessi & Sacra Communione refecti visitaverint eorum Ecclesias in festo S. Theresiæ, & oraverint pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione.*

In festo S. Theresiæ plenaria.

3. *Vrbanus VIII. per litteras datas 10. Maji 1624. similem indulgentiam illis, qui in festo S. JOSEPHI id præstiterint, & similiter iis qui orationi quadraginta horarum de licentia Ordinariorum in dictorum Fratrum Ec-*

In festo S. Josephi plenaria.

In festo Cõmemorationis, Andreæ Corsini, Angeli, Alberti, Magdalenæ plenaria.

clesiis tantùm semel in Anno instituendæ per aliquod spatium devotè interfuerint, & ut præfertur oraverint.

4. *Denique SSmus Dominus Noster CLEMENS X. per litteras datas die 11. Augusti 1670. & 16. Maji. 1622. plenariam indulgentiam in festis Beatissimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo, SS. Andreæ Corsini Episcopi, Angeli Martyris, Alberti Confessoris, & S. M. Magdalenæ de Pazis, iis qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis visitaverint ut suprà.*

Aliæ indulgentiæ concessæ omnibus Christi fidelibus à præfato SIXTO V. in suprà dictis litteris.

Laudetur Jesus Christus 50. dies.

Pro devota nominatione Iesu aut Mariæ 25. dies.

Sic consvetis in articulo mortis invocãtibus plenaria.

300. dies pro Litaniis Nominis Iesu, 200. pro Litaniis B. M. V. devotè recitatis. Eædẽ indulgentiæ Prædicatoribus.

Illis qui hôc modô salutaverint alios, nempe suo vulgari seu latino sermone, Laudetur JESUS Christus*: & his qui sic responderint* in sæcula, *vel* amen, *vel* semper: *utrisque tam salutantibus, quàm respondentibus 50. dies ubicunq; id factum fuerit. Qui Nomen JESV ore nominaverint reverenter, vel Nomen MARIÆ, 25. dies. Qui verò in articulo mortis ore vel corde, si ore non potuerint, idem Nomen invocaverint, dummodo ante habuerint consvetudinem sic salutandi vel nominandi idem Nomen JESV, plenariam omnium peccatorum indulgentiam. Qui Litanias ejusdem SS. Nominis approbatas recitaverint, 300 dies: qui Litanias ejusdem Beatissimæ V. M. ducentos: necnon Prædicatoribus Verbi DEI, qui inter prædicandum ad hunc modum salutandi, invocandi vel recitandi, seu nominandi nomen JESV & MARIÆ Auditores monuerint, & quicunq; hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem indulgentias concessit.*

Summarium indulgentiarum á fel. memoriæ PAULO V. per litteras in forma Brevis datas 30. Octob. 1606. 31. Augusti 1609. & 19. Julii 1614. concessarum confraternitati S. Scapularis seu Beatissimæ V. MARIÆ de Monte Carmelo.

Dum inscribũtur cõfraternitati S. Scapularis verè pœnitentes & cõfessi S. Eucharistiã refecti, lucrã-

1. *COncessit omnibus utriusq; sexûs Christi fidelibus qui confraternitatem S. Scapularis ubivis locorum tam hactenus canonicè institutam, quàm deinceps instituendam, de cætero ingredientur, & habitum acceperint, die 1mo eorum ingressûs si verè pœnitentes & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, indulgentiam plenariam.*

2. *Descriptis & describendis in dicta confraternitate verè pœnitentibus & confessis, qui in festo principali Commemorationis ejusdem B. M. V. die 16. Julii, aut juxta ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediatè sequenti*

cele-

celebrari solito SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEVM preces effuderint, plenariam.

3. *Qui in articulo mortis pœnitentes & confessi ac SS. Communione refecti Nomen JESV, ore si potuerint, sin autem corde devotè invocaverint, plenariam.*

4. *Qui pœnitentes & confessi ac Sacra Communione refecti processioni in una Dominica cujuslibet mensis per dictam confraternitatem de Ordinarii loci licentia faciendæ, devotè interfuerint, & ibi ut præfertur oraverint, plenariam.*

5. *Qui ab esu carnium iis diebus quibus Confratres dictæ confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinebunt, trecentos dies.*

6. *Qui qualibet die septies orationem Dominicam & toties salutationem Angelicam in honorem septem gaudiorum ejusdem Virginis MARIÆ recitaverint, quadraginta dies.*

7. *Qui cum habitu confraternitatis pœnitentes & confessi semel in mense SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint & ut præfertur, oraverint, quinque annos & totidem quadragenas.*

8. *Qui pœnitentes & confessi in quolibet ex festivitatibus ejusdem V. MARIÆ SS. Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia vel in Capella dictæ confraternitatis devotè sumpserint, & ut suprà dictum est oraverint, tres annos & totidem quadragenas.*

9. *Qui cum lumine SS. Eucharistiæ Sacramentum, quando ad infirmum defertur, comitati fuerint & pro iisdem infirmis pias ad DEVM preces effuderint, 5. annos & totidem quadragenas.*

10. *Qui corpora defunctorum quorumcunque ad sepulturam associaverint, & pro eorundem animabus ad DEVM oraverint, 100. dies.*

11. *Qui Officium B. M. V. devotè recitaverint, 100. dies.*

12. *Qui Missis & aliis Divinis Officiis in Ecclesia seu Capella, aut Oratorio confraternitatis pro tempore celebrandis & recitandis, sive congregationibus publicis vel privatis ejusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, ac pauperes hospitiô susceperint, aut eis in eorum necessitatibus, vel in periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint, aut eleemosynas temporales vel spirituales dederint, vel pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint, seu componi fecerint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes DEI præcepta & ea quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcunq; aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum piorum operum, centum dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta, concessit & relaxavit.*

13. *Insuper concessit PRIORI Generali Ordinis, vel illo absente ejus Vicario Generali, ut hujusmodi confraternitatem Beatissimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo ubivis locorum extra Vrbem erigere & instituere, illisque suprà*

tur plenaria. Verè pœnit. & confes. S. Eucharistiâ refectis in die Commemorationis solem. orātib9 ut præfertur plenaria. Similiter in articulo mortis si saltem ore invocaverint Nomē JESU.

In Dominica Cōfraternitatis plenaria.

Feriâ 4. pro abstinentia à carnib9 300. dies.

7. Pater & totidē Ave 40. dies.

5. Annos semel in mense recipientes Eucharistiam orātes prout præfertur.

5. Annos & totidē quadragenas cū lumine Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos comitati pro eis orantes. 100. dies associātes cor-

ſuprà dictas indulgentias & gratias ſpirituales (ſervata formâ præſcripta in Conſtit. felicis record. CLEMENTIS VIII. ſuper confraternitatum aggregationibus & inſtitutionibus edita) communicare poſſit.

pus defuncti ad ſepulturam.

100. dies pro Officio parvo.

Pro quolibet pio opere 100. dies.

14. *Denique SS. Dominus Noſter CLEMENS X. per litteras ſuas in forma Brevis datas die 2. Januarii 1672. indulſit, ut omnes ſuprà dictæ indulgentiæ, peccatorum remiſſiones ac pœnitentiarum relaxationes per fel. mem. PAVLVM V. conceſſæ, animabus Chriſti fidelium per modum ſuffragii applicari poſſint. Hoc Summarium fideliter excerptum eſt ex Bullis & Brevibus citatis.*

(c) Ex Sacro Ciſtercienſium Ordine.

J. Cardinalis Bona. (c)

2dus numerus Bullæ.

2. *CVm autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat præfatus Matthæus Prior Generalis Summarium hujusmodi Apoſtolicæ confirmationis Noſtræ patrocinio communiri, nonnullaq; dubia præmiſſorum occaſione emergentia diſſolvi plurimùm deſideret; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut opportunè in præmiſſis providere & ut infrà indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

3. *Nos igitur ipſius Matthæi Prioris Generalis votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumq; à quibusvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, Summarium præinſertum, omniaq; & ſingula in eo contenta authoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, illisq; inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.*

In Dominica Confraternitatis etiamſi non ſint in proceſſione pœnit. verè & confeſſi atq; S. Euchariſtiâ refecti, & orēt ut præfertur ſuprà indulgentiā plenariā cōſequuntur.

4. *Vt Confratres & Conſorores dictarum confraternitatum S. Scapularis tam hactenus erectarum, quàm impoſterum erigendarum, qui proceſſioni in una Dominica cujuslibet menſis ab ipſis fieri ſolitæ, commodè intereſſe non potuerint, ſi verè pœnitentes & confeſſi ac S. Communione refecti Capellas ſuarum reſpectivè confraternitatum devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione & S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEVM preces effuderint, eandem plenariam omnium peccatorum indulgentiā & remiſſionem, quam PAVLVS V. Prædeceſſor illis, qui proceſſioni hujusmodi interſunt, conceſſit, pariformiter conſequantur.*

In Dominica Confratern. itinerantes & captivi lucrantur indulgētias orātesq; ut præfertur dummodo deſiderent

5. *Et ſimiliter infirmi, captivi & peregrinantes, qui Capellas hujusmodi dicta Dominicā viſitare nequiverint, ſi Officium parvum B.M.V. aut quinquagies orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam recitaverint, & ſaltem contriti fuerint cum propoſito confitendi & S. Communionem recipiendi, quamprimum potuerint; quod adimplere omninò teneantur.*

6. *Fratres & Moniales Ordinis præfati commorantes in Conventibus, in quibus non eſt erecta confraternitas S. Scapularis, vel non ſit proceſſio hujusmodi, ſi Litanias omnium Sanctorum in choro vel privatim, ſi legitimè impediti non potuerint intereſſe choro, devotè recitaverint, cæteraq; in litteris præ-*

fati

fati PAVLI Prædecessoris præscripta adimpleverint, præfatam plenariam indulgentiam & peccatorum remissionem etiam consequantur. Authoritate & tenore præfatis concedimus & indulgemus.

7. *Porro festum principale Confraternitatum S. Scapularis hujusmodi iuxta indultum ab eodem Paulo Prædecessore concessum die* 16. *mensis Julii vel Dominica immediatè sequenti quotannis celebrari solitum ob majorem devotionem vel commoditatem Christi fidelium, aut quando eadem die occurrat alia solemnitas, in aliam Dominicam ejusdem Mensis trasferri permittimus.*

Conceditur omnibus Cõfraternitatibus: quare ubique potest trãsferri hæc festivitas in Dominicam.

8. *Soli autem Superiores Generales dicti Ordinis possint extra urbem præfatam in singulis Ecclesiis ejusdem Ordinis, & in quibuscunque aliis accedente consensu Ordinariorum Confraternitates præfatas (servata cæteroquin præfatarum Pauli Prædecessoris litterarum formâ & dispositione) instituere, & nullus alius sub pœna nullitatis.*

9. *Insuper ad augendam fidelium Religionem & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus & singulis utriusq; sexûs Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis ac S. communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis in Conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis & Assumptionis ejusdem B. M. V. Immaculatæ, festis diebûs devotè visitaverint & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictarum id egerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus.*

Infest. Nativ. Præsent. Annũtiat. Visit. Purific. & Assumpt. orãt. ut præfertur verè pœnit. & confessis ac S. cõmun. refectis plenaria.

10. *Illis autem qui ad Antiphonam Salve Regina quæ quotidie post Completorium in eisdem Ecclesiis solemniter decantatur, convenient & ut præfertur orabunt,* 100. *dies de injunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consveta relaxamus.*

Qui aderunt ad Salve Regina & orabunt ut præfertur 100. dies.

11. *Illis, qui aliquam ex Ecclesiis ejusdem Ordinis in diebus Stationum Ecclesiarum Vrbis præfatæ, prout in Missali Romano exprimuntur, devotè pariter visitaverint, & ibidem prout præmittitur oraverint, ut eas omnes & singulas indulgentias, ac peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si easdem Vrbis Ecclesias in diebus Stationum hujusmodi personaliter & devotè visitarent, dicta authoritate harum serie concedimus similiter & indulgemus.*

Diebûs Stationũ orãntibus ut præfertur eædẽ quæ in Urbe concedũtur quibusvis fidelibꝰ.

12. *Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocunq; spectabit, in omnibus & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscunq; Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irri-*

tum & inane si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibûs Nostra & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de non concedendis indulgentiis adinstar, aliisque Constitutionibûs & Ordinationibûs Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

13. *Volumus autem ut earundem præsentium litterarum transumptis seu exēplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillô personæ in dignitate Ecclesiastica cōstitutæ munitis, eadē prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Maij 1673. Pontificatûs Nostri* 3. Et si quis habeat aliquem scrupulum circa harum aliquam Bullam, legat A. R. P. Sebastianum à S. Paulo a. 3. §. 9. 10. 11. & 15.

Adnotationes Reverendissimi Patris Stratii Generalis totius Ordinis Carmelitarum.

Notabile pro festo Commemorationis Solemnis.

27. PRimò circa indulgentiam plenariam concessam pro festo principali Commemorationis B. V. die 16. Julii vel Dominica immediatè sequenti celebrari solito, quòd pro illa lucranda Confratres Nostri non teneantur aliquam Ecclesiam Confraternitatis vel Ordinis Nostri visitare, cum talis visitatio illis à Pontifice non fuerit injuncta, sed solùm debent contriti & confessi Eucharistiam sumere & pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione & S. Matris Ecclesiæ exaltatione ad DEUM preces effundere. Quare in quocunque loco ista pia opera fecerint, præfatam indulgentiam plenariam obtinere poterunt. Si tamen tunc temporis reperiantur in loco in quo sit Capella Confraternitatis vel Ecclesia Ordinis, consulendum est, ut illam visitent, in illaque S. communionem recipiant & præscriptas orationes recitent.

In Mense Julio non est habenda Dominica Confraternitatis.

2do, Quia Confraternitas S. Scapularis præter ordinariam processionem quam in una Dominica cujuslibet Mensis facere solet, unam aliam magis solemnem habet in festo Commemorationis B. M. V. cum magno fidelium concursu, advertendum est, quòd Paulus V. huic tam solemni processioni intervenientibus, nullam concessit indulgentiam, imò nec de illa ullam facit mentionem. Quare consulendum est Confratribus, ut processionem ordinariam in dicto Mense Julii non faciant in determinata Dominica, sed reservent faciendam in festo Commemorationis Solemnis. In Speculo Carmelitarum num. 1862. & num. 1867.

28. Utrum indulgentias, quas lucramur, possimus applicare animabus Christi fidelium seu illas ipsis concedere? *Resp.* quòd non. Nisi in casibus in quibus expresse conceditur à Sede Apostolica. Tum quia indulgen-

indulgentiæ pendent à voluntate concedentis. Tũ quia quòd à Confratribus S. Scapularis indulgentiæ Pauli V. ſuperiùs recenſitæ, poſſint applicari animabus in purgatorio exiſtentibus, ſpecialiter pro hoc per Bullam Clementis X. (quæ incipit *Commiſſæ Nobis*) conceſſio emanata eſt, & in ſimilibus ab aliis Pontificibus.

Non omnes indulgentias applicare poſſumus animabus.

29. Quando feſtum transfertur an eo ipſo & indulgentiæ? *Reſp.* Vel illæ ſunt affixæ tali diei talis Menſis, ſcilicet diei in quo mortuus eſt Sanctus, vel non? ſed ſunt conceſſæ ſine determinatione ſimili? Si primũ, tranſlato feſtô, non transferuntur indulgentiæ; ſecùs ſi ſecundum. Ita docent Azor. Sylvius, Noſtri Antonius à S. Spiritu & Stephanus à S. Paulo diſp. 5. de Indulg. in fine.

De translatione indulgentiarum.

30. Et quid de Indulgentiis conceſſis Sacro Ordini Ciſtercienſi dicam? Plures forſan quàm Nobis, huic Sacro Ordini ſunt conceſſæ, quandoquidem Noſtri aliarum approbationem, aliarum de novo conceſſionem, per Eminentiſſimum ex S. Ordine Ciſtercienſi Cardinalem BONA, à Sede Apoſtolica obtinuerunt, qui ſicut Noſtri ita & ſui Ordinis non erat immemor. Paucarum notitiam habeo; eas tamen exponere Lectoribus non prætermittam. Sixtus Papa IV. Anno M.CD.LXXV. conceſſit Ordini Sacro Ciſtercienſi, quòd non tantùm Perſonæ hujus Ordinis utriusque ſexûs, ſed etiam Familiares & Procuratores Ciſtercienſium, ſi Ciſtercienſi Conventuali in articulo mortis confiteantur, plenariam indulgentiam lucrentur. Hoc privilegium quoad primum eſt revocatum à Paulo V. & majus conceſſum omnibus Regularibus, abſque conditione poſita à Sixto dicto, ut videre eſt hîc num. 26. pag. 262. Quoad ſecundã partem, quoad Familiares & Procuratores, non eſt revocatum revocatione Generali Pauli V. vide ſuprà n. 26. pag. 262. Gregorius XIII. Anno M.D.LXXIII. conceſſit Congregationi Ciſtercienſi Regularis Obſervantiæ in Hiſpania, ut quicumque intereſſet dum canitur *Salve Regina*, conſequeretur indulgentiam unius anni: Item ad recitationem pſalmi *De profundis*, in Capitulo. Hæc indulgentia ſicut videtur eſſe revocata revocatione Pauli V. ita iiſdem Patribus conceſſa ab eodem Pontifice, in conceſſione ejuſdem gratiæ omnibus Ciſtercienſibus Congregationis Fulienſis. Clemens X. Anno M.DC.LXXI. conceſſit indulgentiam plenariam omnibus verè pænitentibus & confeſſis ac Sacra communione refectis, in feſto S. Benedicti, Mauri, Scholaſticæ, Placidi & Sociorum Martyrum. Clemens XI. Anno M.DCC.XVI. conceſſit indulgentiam plenariam omnibus Regularibus Perſonis Ordinis Ciſtercienſis, in feſto S. Stephani tertii Abbatis Ciſtercienſis. Feſtum S. Bernardi cùm ſit principale Ordinis Ciſtercienſis, pro omnibus ejus Ordinis in eo feſto conceditur à Paulo V. indulgentia plenaria, ſervatis ſervandîs pro lucrandis

 indul-

 indulgentiis. Plures indulgentias vide num. 26. pag. 262. Et in indice libri hujus. Inter alia habet hoc privilegium hic Ordo Sacer, quòd certis diebûs celebrans Missam ad altare S. Bernardi, liberet animam è purgatorio quicunque sit Sacerdos.

SECTIO III.

In quo differunt indulgentiæ à jubilæo, & quæ ad lucrandum requiruntur?

Differentia inter jubilæum & indulgentas.

1. JUbilæum ab indulgentia plenaria in ratione indulgentiæ non differt: totum enim reatum pœnæ remittit indulgentia plenaria, qui est effectus primarius jubilæi. Plenior & plenissima indulgentia, dicitur & est solùm secundùm majorem & majorem solemnitatem & circumstantias talis (a): differt tamen accidentaliter per privilegia, quæ non ordinariè conceduntur cum indulgentiis; quæ sunt ut à quolibet approbato Confessario pœnitens possit absolvi à casibus reservatis Sedi Apostolicæ, & in plerisque votis dispensationem obtinere. Ita Toletus, Sylvius, Lezana, Stephanus à S. Paulo.

(a) de Rhodes.

Ad lucrandas indulgentias conditiones requisitæ.

2. Primò ut quis lucretur indulgentias debet esse baptizatus: quia thesaurus Ecclesiæ non distribuitur nisi inter membra Ecclesiæ.

3. Item ut non sit excommunicatus excommunicatione majori (etiamsi sit in gratia per contritionem): nam excommunicatio major privat communione bonorum spiritualium (a).

Adimpletio conditionũ debet terminari in gratia si sibi.

4. Præterea ut pro se lucretur indulgentias, debet esse in gratia, saltem tunc quando præscriptum opus completur. Non requiritur ut omnia opera ad lucrandam indulgentiam imposita exerceat in statu gratiæ, nam Pontifex non præcipit illa exequi in statu gratiæ; debet tamen adimpletio conditionis terminari in gratia: nam non est capax indulgentiæ, nisi sit in gratia; cùm pœna non remittatur ante culpam. Unde si quis in peccato mortali visitat Ecclesias, jejunat per plures dies, ultimum opus in peccato mortali existens inchoat, tandem verè pœnitet, & in gratia opus præscriptum ultimum complet, confitetur, Sacram Eucharistiam sumit & orat pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ & extirpatione hæresum, concordia Principum Catholicorum; lucratur indulgentias: aliàs antecedenter committens die jejunii peccatum mortale, deberet quolibet die jejunii sequenti exequens conditiones confiteri. Ita Toletus, Soto, Sylv. NN. Lezana, Stephanus à S. Paulo. Jam verò ut quis lucre-

Non est necesse si alteri.

lucretur indulgentiam alteri, seu defuncto, non est necesse ut lucrans sit in statu gratiæ; sed solùm ut adimpleat opus à Pontifice præscriptum (b). Ratio est: quia pretium non est opus illius peccatoris, sed indulgentia ipsa ac thesaurus meritorum Christi & Sanctorum. Nec impedit applicationem peccatum ipsius, nam ille applicat nomine Ecclesiæ, in qua nunquam deest gratia; Opus autem cum ab aliquo fit nomine alterius, non perdit valorem, quamvis qui facit illud immediatè non sit in gratia: ut v.g. si aliquis Dominus in gratia existens dat eleemosynam per servum, qui eam dat cum vana gloria, & est in peccato mortali. Unde si in Bulla dicatur, *qui dederit* talem *eleemosynam unam animam liberabit ex purgatorio*, dando illam etiam in malo statu, potest unam animam liberare (b).

(b) Naldus, Gratianus, Laym. Lezana, Stephanus à S. Paulo cōtra Lugonem.

Qui facit pœnitentiā non facit nomine alterius sed pro ipso.

5. Præterea qui vult lucrari indulgentias, debet omninò opus injunctum explere, & eo modô quo præscriptum est: quia permodum conditionis sine qua non, imponitur. Unde sive per ignorantiam, sive per impotentiam non impleatur illud, non lucratur indulgentiam: & sic si Dominus dare eleemosynam jubet, famulus non dat sed sibi retinet, non lucratur indulgentiam. Oppositum tamen tenet Lezana *num.* 14. *verb. Indulgentiæ.*

Injunctū opus omninò adimplendum.

6. Licetsi probabiliùs sit, partem operis præscripti tantùm adimplere, non lucrari indulgentiam; tamen valdè probabile est, quod si modicum tantum omittatur, v.g. cæremonia in Sacro, vel si parum suprà comedas in jejunio, non impeditur lucrum indulgentiæ. Etiamsi ditissimus Dominus, dum propter lucrandam indulgentiam danda est eleemosyna, dat exiguam valde, lucratur indulgentiam; nisi in Bulla exprimatur dandam esse pro cujusque facultate: tunc enim dives majorem dare tenetur, quam pauper. Ita Filliucius, Suarez, Sa & alii.

7. Et quia apud Theologos parum pro nihilo reputatur, & favorabilia sunt extendenda; qui ob hominum multitudinem non potest ingredi Ecclesiam, adimplens pro conditione visitationem Ecclesiæ, sufficit ut oret ante fores in cæmeterio: nam in favorabilibus, nomine Ecclesiæ intelligitur cæmeterium dicit Layman, Suar. Lezan. addens pro tutiori & secluso tali impedimentô, debere ingredi ipsam Ecclesiam. Si verò in Bulla præcipitur ingressus Ecclesiæ, necesse est tunc ingredi eam: qui enim aliquid omittit quod secundùm sententiam probabilem aut probabiliorem non est necessarium ad lucrandam indulgentiam, si à parte rei id est necessarium ad ipsam obtinendam, non lucratur eam (c); quia communis error non supplet defectum: v.g. per errorem existiment aliqui liquorem aliquem esse vinum; per hoc non erit vinum, nec in eo consecrabitur, cùm non sit de vite.

Quando ingredi oportet Ecclesiam.

(c) Bonacina, Suar. Sanch.

8. Quando datur potestas Confessariis commutandi opera præscripta, in alia, non est necesse ut fiat in confessionali; potest enim fieri extrà, & ab alio Confessario: Nam ita declaravit Gregorius XIII. (d).

(d) Henrique 2. l. 7. n. 8.

9. Non obest quòd opus præscriptum sit ex fine venialiter vitiatum: ut si det eleemosynam etiam propter vanam gloriam, vel ex aliqua circumstantia. Ita docent communiter. Vide *de Confessione ser.* 5. *num.* 6. Secùs est si mortaliter sit vitiatum: ut si ad placandum DEUM imponitur jejunium; & jejunans se inebriet. Ita Layman & alii.

10. Utrum quis eadem die per plura Opera plures indulgentias non plenarias lucrari possit? *Resp.* affirmativè (e). Ratio est: tum quia privilegium privilegio non præjudicat; tum quia Pontifex Summus, non ita concedit unam indulgentiam ut non possit quis lucrari aliā ab Antecessore concessam: cùm sine restrictione eam concedit. Et sic sive Confrater Cōfraternitatis S. Scapularis, sive Religiosus Fratrum B. M. V. descriptus in libro Confraternitatis hujus, qui intendit non diu esse in purgatorio, ut citiùs incipiat DEUM videre, ferventiùsq; eum in cœlo amare, aut ex alia pia intentione conatur lucrari indulgentias, dicit manè in Ecclesia Carmelitarum unum *Pater* & *Ave* pro vivis & defunctis, lucratur indulgentiam 40. dierum, concessam ab Innocentio IV. & Gregorio VIII. Postea dicit 7. *Pater* & *Ave* in honorem 7. gaudiorum Bmæ pro extirpatione hæresis, exaltatione S. Matris Ecclesiæ, pro concordia Principum Catholicorum, lucratur indulgentiam 40. dierum, concessam à Paulo V. Confratribus S. Scapularis. Postea recitat Officium parvum, indulgentiam 100. dierum, à Paulo V. concessam. Postea cum lumine SSmum Eucharistiæ Sacramentum si ad infirmum defertur concomitans, pro infirmis pias preces ad DEUM fundens, lucratur 5. annos & totidem quadragenas. Et si assistit sepulturæ, 100. dierum indulgentiam. Et si est feriâ quarta seu die Mercurii abstinens ab esu carnium, lucratur indulgentiam 3000. dierum, concessam à Paulo V. Et si appellet Carmelitas esse Fratres Bmæ Genitricis DEI, lucratur trium annorum indulgentiam, ab Urbano VI. concessam, totidem quadragenas. Dicit litanias ad Bmam, 200. dies lucratur. Si de Nomine JESU, 300. à Sixto V. concessos. Si venerit ad *Salve*, & oraverit ut præfertur, 100. dierum indulgentiam à Clem. X. concessam. Meditationem absolvit si est Religiosus, lucratur indulgentiam à Paulo V. concessam. Si habet medalias cum indulgentiis, dicit aliquas preces assignatas, & si non sint assignatæ dicit *Pater* & *Ave*, lucratur indulgentias ipsis medaliis sive cruci &c. affixas. Et inquantum est Statio Romæ, illa die fundens preces ut præfertur, lucratur indulgentias eas, quas Romæ lucrantur. Hoc omnibus Religiosis Paulus V. concessit; quod Clemens X. ad omnes Christi fideles

(e) Nostri Stratius, Lezana.

ampli-

ampliavit, ut eas lucrentur in Eccleſiis Carmelitarum. Addidi *non plenarias*, ad diſtinctionem plenariarum, quas ſimul lucrari plures poſſe admittunt Quintinus & alii. Sed ſublata pœna totali per unam indulgentiam plenariam, qualem effectum ſortietur ſecunda indulgentia plenaria? Dixi *deſcriptus*: nam juxta probabiliorem ſententiam ait N. Rmus Pater Stratius, Generalis totius Ordinis hæc: *Si Carmelitæ participes eſſe velint indulgentiarum Confraternitatis, quas idem Pontifex Paulus V. Confratribus immediatè conceſſit, tenentur Confraternitatem aliquam erectam ingredi, per novam habitûs benedicti ſuſceptionem; & in illius libro deſcribi.* Sicut enim indulgentiæ conceſſæ Ordini, non eô ipsô immediatè conceduntur Confraternitati; ita econtra.

Carmelitæ deſcribendi in Confraternitatem Scapularis.

11. Indulgentiæ multùm æſtimandæ ſunt: revelata enim eſt Noſtræ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis anima damnata propter hoc, quòd indulgentias contemnebat.

12. Utrum intra tempus jubilæi, intra unam hebdomadam aut diverſas, aut diem, in eadem Eccleſia, vel extra eam, poſſit quis idem opus repetendo pluries lucrari eandem quoad quantitatem, qualitatem, indulgentiam? *Reſp.* affirmativè (f). Ratio eſt: quia in favorabilibus non eſt utendum reſtrictione, quando Pontifex illam non ponit ut ſemel tantùm obtineatur: & ſic qui aſſecutus eſt intra primam hebdomadam indulgentiam jubilæi, poteſt eandem aſſequi intra ſecundam hebdomadam, eaſdem conditiones adimplendo; quod valdè eſt conveniens, ſi lapſus ſit in mortale poſt obtentam indulgentiam. Similiter philoſophandum de indulgentia plenaria per octavam in eadem Eccleſia. Probatur per hoc, quòd quando aliqua indulgentia eſt conceſſa alicui grano, ſæpiùs eodem die licet eam lucrari.

(f) Diana, Villalobos, Suar. Bonacina, Lugo, Noſtri Stratius, Lezana.

Iubilæum pluries iterandum.

13. Dices: Congregatio Cardinalium declaravit, quòd tantùm ſemel intra jubilæum quilibet fidelis poſſit & non bis lucrari indulgentias plenarias. Rdet Diana, de hac Congregationis declaratione non conſtare authenticè. Secùs tamen ſi addatur clauſula, *pro hac vice tantùm.*

14. Utrum per idem opus ſive orationem, poſſit quis plures ſimul lucrari indulgentias diverſas? *Reſp.* affirmativè (g). Ratio eſt Patris Lezanæ: quia privilegium privilegiô non aufertur; nec eſt major ratio quare aſſequeretur indulgentia à Paulo, & non à Clemente, vel econtra. Quare habens diverſas medalias aut cruces à diverſis Pontificibus, aut eaſdem, habentes diverſas benedictiones, per unicam eandem orationem aut orationes, plures diverſas indulgentias ſimul aſſequi poteſt; etiam animabus purgatorii applicabiles: ſic v.g. per unam communionem liberare duas animas è purgatorio, ſi hoc eſt conceſſum intuitu duorum medalium. Quam ſententiam eſſe probabilem exiſtimat Venerabilis P. Lezana.

(g) Henriquez, Naldus, Lezana verbô Indulgent. Stephanus à S. Paulo contra Suar. Konink.

Per idem opus plures indulgentiæ obtinentur & animæ è purgatorio liberantur.

15. Di-

15. Diſparitas eſt, quare ſi aſſignetur opus pro pœnitentia tale quod eſt aliunde præceptum, purificandum eſt ut adimpleatur ut non præceptum (ſic pro pœnitentia audiendum eſt Sacrum ſecundum die feſto, aut aliud die non feſto, niſi aliter determinet Confeſſarius); ratio eſt: quia pœnitentia eſt in vindictam; opus verò ad lucrandas indulgentias eſt ut conditio, non in vindictam.

16. Utrum opus præſcriptum ponendum eſt ex intentione lucrandi indulgentias? *Reſp.* Pro tutiori quantùm poteſt haberi, habenda eſt intentio ſaltem virtualis lucrandi indulgentiam, & faciendi id quod Pontifex per illam intendit. Ita velle intelligo V. Patrem Lezanam. Sufficit tamen in multis caſibus maximè in articulo mortis, interpretativa lucrandi eam. Ita docent Card. Lugo, Diana, NN. Stratius, Stephanus à S. Paulo & alii. Ratio eſt: quia intentio non requiritur à Pontifice. Quare juxta communem ſententiam, moribundus qui habet crucem, aut imaginem, aut numiſma cui annexa eſt indulgentia, lucratur indulgentiam, ſi ſaltem corde invocet nomen JESU; etiamſi non ſciat habere tale indultum. Nec requiritur ut illud Sanctum ſignum indulgentiæ habeat in collo aut manibus, aut in ſe quomodocumque; licèt tutiùs. Sed ſufficit ut ſit in lecto, vel juxta ipſum v.g. in pariete ſupra ipſum; niſi aliter in indulto exprimatur. Nec requiritur (licèt tutiùs) ut ſit ipſius hoc; ſed ſufficit ut ſit accomodatum (h).

Intentio ſaltem interpretativa habenda.

Et ſufficit ut numiſma ſeu corona ſit penes. Etiamſi ſit alterius.

(h) Buſenbaum.

17. Quid circa articulum mortis quoad indulgentias & econtra dicendum? v.g. Paulus V. in Bulla edita Anno 1606. 30. Octobris hæc dicit: *In mortis quoque articulo ejuſdem utriuſque ſexûs Confratribus, qui pœnitentes ac confeſſi ac S. communione refecti Nomen JESU ore ſi potuerint; ſin autem, corde devotè invocaverint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.*

18. Quæritur, utrum hæc indulgentia & ſimilis conceſſa pro articulo mortis, ſit intelligenda conceſſa pro articulo mortis vero, an pro articulo mortis præſumpto, an pro præſumpto & vero; & iterum an pro præſumpto uno, ſecundo & tertio, & tandem & pro vero valeat? Alius enim eſt articulus præſumptus, alius verus. Præſumptus articulus mortis eſt, in quo quis poſitus ſecundùm humanam exiſtimationem & judicium Medicorum moriturus eſt; non tamen moritur: Verus autem eſt ille, in quo verè moritur. Ita Rmus Stratius. *Reſp.* & dico: Quoties Summus Pontifex concedendo indulgentiam pro articulo mortis non limitat eam ad unum articulum tantùm, ut facit in aliis indultis, (puta in Bulla Cruciatæ, in qua Confeſſori electo ab habente ipſam Bullam conceditur, ut illi poſſit impertiri indulgentiam plenariam ſemel in vita & ſemel in morte. Quô pactô etiam concedit S. Scapularis Confratribus

Articulus mortis verus, præſumptus.

In quocunque & multiplicato obtinetur indulgentia plenaria.

Cle-

Clemens VII. in Constitutione *Ex Clem. Sedis Apostolicæ*, quòd eligere Confessorem possint semel in vita & semel in morte, qui illis possit indulgentiam plenariam concedere) intelligenda est concessa tam pro articulo præsumpto, quàm pro vero. Ratio est: tum quia dispositio indefinita in jure æquivalet universali, ita ut idem sit dicere in articulo mortis, ac dicere in quovis articulo mortis: tum quia in re favorabili quæ nemini præjudicat, non debemus facere restrictiones, ubi illas non facit Pontifex: sed in præfata Bulla Pontifex non limitat suam concessionem; Ergo tam pro vero quàm pro quolibet præsumpto articulo mortis intelligenda venit.

Quoties eligere Confessarium in vita potest Confrater?

19. Quæres, quid possit Confessarius extra periculum mortis, electus à Confratre virtute dictæ concessionis Sedis Apostolicæ? *Rdet* Rmus P. Stratius: Confessarius sic electus potest Confratres primò à quibusvis etiam majoris excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisq; Ecclesiasticis censuris & pœnis, à jure quavis occasione vel causa, pro tempore quô irretiti fuerint, etiamsi illorum absolutio Sedi Apostolicæ specialiter vel generaliter reservata foret, & ab omnibus peccatis eorum, criminibus, excessibus & delictis, quantumcumque gravibus & enormibus, etiam talibus propter quæ Sedes Apostolica meritò consulenda foret, exceptis, in litteris quæ in die Cœnæ Domini legi consveverunt, necnon violationis immunitatis ac libertatis Ecclesiasticæ, & clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria & urgente causa ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causâ & licentiâ concessa abutentes prædicta Monasteria ingressi fuerint, necnon violentæ manûs injectionis in Clericum, & singularis certaminis seu duelli, & ab aliis etiam casibus, tam ab ejus in Urbe Vicario, quàm à locorũ Ordinariis, respectivè reservatis & pro tempore reservandis, & etiam quavis excommunicatione ab homine lata, absolvere.

A quibusvis semel in vita & semel in mortis articulo potest Confrater absolvi à Confessario à se electo.

In Italiis, nam in Polonia etiam non electus absolvere potest Regularis.

Hoc privilegiũ pro sæcularibus ubiq;.

20. Dices: Hoc privilegium per non usum esse sublatum; maximè quia & Clemens VII. in Constitutione *Quæcunque à Sede Apostolica*, die 10. Septembris 1604. & Paulus V. addiderunt clausulam *quatenus sunt in usu hæc privilegia*. *Rdet* Rmus P. Stratius lib. IV. *de Indult.* Pro resolutione hujus difficultatis sciendum, quòd DD. declarantes hanc clausulã *quatenus sunt in usu*, quæ regulariter apponi solet à Romanis Pontificibus in confirmatione privilegiorum, dicunt: illa privilegia esse in usu quæ nec revocata sunt, nec abrogata ab habente authoritatem illa revocandi & abrogandi, nec sunt invalida invaliditate per non usum, vel contrarium usum inducta. Dico: Estò quòd nullus Noster Confrater actu nunc dictis relatis privilegiîs utatur, non enim audeo id de omnibus affirmare; non tamen illa invalida esse censenda, invaliditate indu-

Quatenus in usu.

 cta

ꝺa per contrarium uſum: quia ſolùm privilegia negativa, quæ ſcilicet dant facultatem non faciendi aliquid jure ordinario, aliàs debitum puta non ſolvendi tributa vel decimas, non habendi talia onera &c. invalidari poſſunt per contrarium uſum; privilegia autem de quibus loquimur, poſitiva ſunt, quatenus dant facultatem aliquid faciendi, ut patet. Nec etiam cenſenda ſunt invalida, invaliditate induꝺa per non uſum: quia privilegiatus cùm in ejus libera facultate ſit privilegiô uti vel non uti, quamquam illius notitiam habeat, & non ſit impeditus illo uti; tamen ex eo ſolùm quòd per ſpatium longiſſimi etiam temporis non utatur, juxta valdè probabilem aliquorum ſententiam illud non amittit, niſi in conceſſione privilegii ſit appoſita conditio, quòd per non uſum tanti temporis deperdatur; ſub qua conditione concedi ſolet privilegium nundinarum, quòd ſcilicet per non uſum decennii ceſſet: ſub qua conditione conſtat non fuiſſe conceſſa Noſtra privilegia &c. Ita hucuſque præfatus Reverendiſſimus Pater.

Non obeſt non uſus.

Hoc privilegiũ à Paulo V. approbatũ eſt; Vide Bull. pag. 328. num. 9.

21. An & quando confeſſio ad lucrandas indulgentias ſit neceſſaria? Præmitto 1. Non ſemper ante quamlibet indulgentiam obtinendam, præmittendam eſſe confeſſionem: patet in multis, ex multis obtentis indulgentiis ſine præmiſſa confeſſione. Sic lucramur indulgentias cantando *Salve*, dicendo Litanias de B. M. V. &c. & confeſſionem Sacramentalem non præmittimus.

Conſcius peccati mortalis præmittere debet confeſſionem.

22. Præmitto 2. Certum eſſe, eum qui debet S. Euchariſtiam ob lucrandam indulgentiam ſumere, & habet conſcientiam peccati mortalis, etiamſi ſit in ſtatu gratiæ per contritionem, debere præmittere confeſſionem: nam hoc Concilium Trident. exigit & præcipit, ut vidimus ſuprà.

23. Præmitto 3. Et de hoc non eſſe difficultatem inter Theologos, quòd non eſt neceſſariò præmittenda ſeu inſtituenda confeſſio ab eo, qui deſiderat lucrari indulgentiam, habeatq; conſcientiam peccati mortalis, ſi in indulto non injungatur confeſſio, ſeu ſi non addatur clauſula *pœnitentibus & confeſſis*: tunc enim ſufficit contritio; quia tantùm hoc requiritur, ut ſit in gratia. Ita communiter DD. cum Rmo P. Stratio.

24. Præmitto 4. De hoc eſſe non parvam difficultatem inter Theologos & Canoniſtas, quando in Bulla additur *verè pœnitentibus & confeſſis*, utrum vi hujus clauſulæ, habens conſcientiam peccati mortalis, omninò obligetur ad confeſſionem præmittendam, ſi velit lucrari conceſſam indulgentiam? Multi enim ſunt qui docent, quòd poſita etiam hâc clauſulâ, non obligetur omninò ad confeſſionem; ſed ad confeſſionem vel contritionem: quia iſta verba *verè pœnitentibus & confeſſis*, accipiuntur (dicunt) diviſim & diſtributivè. Quare inquiunt, ſufficit

con tritio in re, & confeſſio in voto; niſi confeſſio requiratur in Bulla tamquam conditio ſine qua non, aut elici non poſſit contritio. Ita Armilla, Toletus, Sylv. Suar. Ludovicus à Cruce, Lugo & multi alii. Nihilominus

25. Dico: Quandocumque in Bulla hæc clauſula *verè pœnitentibus & confeſſis* additur, tunc habens conſcientiam peccati mortalis, etiam contritus, tenetur omninò confiteri, ut lucretur indulgentiam: non enim tali caſu ſufficit confeſſio in voto. Ita Noſtri Stratius, Lezana & alii. Quod probo ſic: Quando præfata clauſula non additur, habens conſcientiam peccati mortalis, contritus, ut lucretur indulgentiam, debet habere confeſſionem in voto; Ergo quando additur præfata clauſula, debet habere confeſſionem in re. Præterea, quando Pontifex vi hujus clauſulæ *verè pœnitentibus & confeſſis*, non exigit actualem confeſſionem, ſubjungit hæc verba *vel propoſitum confitendi habentibus* (prout Rmus P. Stratius notat); Ergo quando non ſubjungit dicta verba, confeſſionem realem exigit. Addit Rmus P. Stratius: *Et hanc ſententiam ſine dubio in praxi fideles ſequi debent, ne ſe periculo exponant non lucrandi indulgentiam.*

26. Majus dubium eſſe videtur, utrum vi præfatæ clauſulæ *contritis & cõfeſſis*, qui non habet conſcientiam peccati mortalis, ſolùm venialium, talis teneatur confiteri? Omnes ferè conveniunt cum N. Lezana, quòd non: quia venialia amicitiam non tollunt, indulgentiã non impediunt; & confeſſio præſcripta ſeu injuncta eſt de mortalibus peccatis. Nihilominus oppoſitum Rmus P. Stratius tenet, & tenendum ſvadet, ſcilicet, quòd in tali caſu debeat inſtitui confeſſio: tum quia praxis probat, quòd multi non habent conſcientiam peccati mortalis, ſolùm venialium; & tamen ut lucrentur jubilæum, confitentur: tum quia peccata venialia, licèt non impediant effectum indulgentiæ quoad tollendam pœnam peccatis mortalibus debitam; impediunt tamen effectum indulgentiæ quoad remittendam pœnam peccatis venialibus debitam, ſeu impediunt ſublationem pœnæ peccatis venialibus debitæ: pœna enim cujusvis peccati, ipſo durante non tollitur. Quare hanc ſententiam teneo, & tenendam ſvadeo, ſaltem pro caſu quô elici non poſſet contritio. Paſqualigus pro ſententia Rmi Stratii citat Doctores 13. & videndus eſt Buſenbaum n. 19.

Et quid de eo qui non habet mortalis peccati conſcientiã?

Venialia nõ per attritionem unam tolluntur; vide infrà.

Quid ſignificet & quid ſit jubilæum?

27. Nomen hoc à voce hebraica *Jobel*, ſignificante remiſſionem, eſt deſumptum; & ab anno antiquo remiſſionis, quô apud hebræos Anno 50. jubebantur ab agricultura vacare, debita remittere, poſſeſſiones antiquis Dominis reſtituere, & ſervos liberare. *Levit.* 25. & 27. Quia ergo annus ille remiſſionis Jubilæus vocabatur, ideo

Iubilæum.

ideo Ecclesia cùm remissionem peccatorum solemniter indulget, eô nomine utitur. Est autem definitivè & in re: *Indulgentia plenaria à summo Pontifice concessa visitantibus certas Ecclesias, ac certa pia opera facientibus, cum facultatibus circa absolutionem à casibus reservatis, & commutationem in votis.* Ita ex N. Gratiano colligit P. Lezana.

Quotuplex.

28. Et vel est jubilæum anni Sancti, prout solebat antea esse annô centesimo, postea ex ordinatione Clementis VI. annô 50. quam ordinationem approbârunt Gregorius XI. Alexander VI. Paulus II. posteriores verò Summi Pontifices ad annum 25. reduxerunt; vel ex speciali Summi Pontificis beneplacito, juxta occurrentes necessitates conceditur. Has differentias important, quòd in jubilæo anni Sancti omnes aliæ indulgentiæ plenariæ suspendantur, Papa aperit portam Sanctam, fiuntq; cæremoniæ aliæ, quæ non fiunt in aliis jubilæis. Ita Gratianus.

In quali jubilæo suspēduntur indulgentiæ.

Regulares sine licentia Superioris pro jubilæo Romam ire non possunt.

29. Notandum 1. Quod licèt fideles invitentur Romam pro jubilæo anni Sancti, tamen Regulares sine licentia suorum Superiorum illuc ire propterea non possunt: hæc est mens Pontificum: aliàs hæc invitatio esset in magnū detrimentū disciplinæ Regularis. Ita Lezana. 2. Quòd quando annô jubilæi suspenduntur indulgentiæ, non suspenduntur illæ concessæ Ecclesiis Urbis Romæ, etiam illis quæ sunt extra muros; Nam causa suspendendi indulgentias ut omnes fideles veniant Romam, non militat in Ecclesiis Urbis: sed suspenduntur indulgentiæ concessæ Ecclesiis extra Urbem. Quæ insuper? Non suspenduntur indulgentiæ concessæ pro defunctis, sive Regularibus sive Sæcularibus (i); Similiter concessæ pro moribundis: Clarè deducitur ex declaratione Urbani VIII. Nec altaria privilegiata suspenduntur (k), saltem valdè probabiliter. Ratio est: nam ratio ob quam Pontifex illo annô jubilæi suspendit omnes indulgentias, ea est, ut fideles ferventiori devotione ad eas lucrandas Romam se conferant; quæ ratio cessat in defunctis, cessat & in moribundis. Nec etiam vivis concessæ non plenariæ suspenduntur (l); sed solùm plenariæ, ut communiter docetur.

Non suspenduntur indulgentiæ pro defunctis.

(i) Navar. Leo Alphonsus, Lezā. verb. Iubil.

(k) Lezan. Carillo contra Bostium, Navar.

Et moribundis.

(l) Gratianus, Lezan. Layman.

Nec vivis nō plenaria.

30. Neque suspenduntur privilegia Mendicantium, ut possint absolvere à casibus reservatis vi eorum. Ita Sanch. Cardin. Lugo, Lezana; & facit Bulla Gregorii XIII. & Clementis VIII. Sed solùm suspenditur potestas absolvendi à casibus reservatis, in ordine ad indulgentias plenarias assequendas: suspensis enim indulgentiîs plenariis, suspenditur & facultas vi illarum absolvendi. Et sicut non suspenditur potestas concessa Episcopis per Trid. *sess.* 24. *c.* 6. absolvendi & dispensandi cum suis subditis in omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, item dispensandi in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii, aut petendi debitum &c. quæ illis de jure communi competunt; ita non suspenditur fa-

Nec potestas absolvēdi à reservatis.

cul-

cultas Regularium absolvendi à casibus reservatis Episcopis, à quibus hanc licentiam habent: nam solùm in Bulla sermo est de casibus reservatis Sedi Apostolicæ; nisi id exprimatur in Bulla: favores enim ampliandi sunt non restringendi.

31. Opera quæ præcipiuntur ordinariè in ordine ad lucrandum jubilæum, sunt, jejunium trium dierum, oratio in certis Ecclesiis, quod aliis verbîs dicitur visitatio Ecclesiarum (cùm visitatio sine oratione non prodest: etiam Lutherani, Calvini, Judæi, visitant nostras Ecclesias), confessio, communio. De his aliquid dicemus. Quæ opera & quando implenda.

De jejunio jubilæi.

32. Jejunare tenentur ob lucrandum jubilæum, non tantùm qui 21. annum habent; sed etiam senes, & parvi pueri si velint id lucrari: nam licèt non sit de præcepto illud, est tamen conditio sine qua non. Ita Lezana, Layman. Qualiter autem est jejunandum pro obtinendo jubilæo, an in lacticiniis, an in oleo? *Resp.* Secundùm morem Patriæ. Ita Bonacina, Lez. Medina, Lugo & alii. Potest tamen per idem jejunium quod est de præcepto, obligationi lucrandi indulgentias satisfacere; aliàs qui ex voto jejunaret tota vitâ diem Sabbati, numquam lucraretur jubilæum, quoties assignaretur dies Sabbati ad jejunandum. Iejunandum juxta cõsuetudinem Patriæ. Per idem.

De oratione.

33. Licetsi consulendum sit fidelibus, ut longam & devotam faciant orationem dicit Lezana; sufficit tamen quæcumque, etiam brevis; juxta mentem tamen Pontificis. Ita Filliuc. Bossius & alii. Utrum verò debeat esse omninò vocalis? Sunt pro & contra DD. Attendendum ad verba Bullæ; & *tutiùs est* vocaliter orare, hoc svadet Lezana. Oratio vocalis.

De visitatione Ecclesiarum, aut altarium.

34. Notandum est: Si in eis Ecclesiis sint aliæ indulgentiæ pro iisdem operibus, poterunt simul & semel obtineri. Ita NN. Gratianus, Lezan. & alii. Et tot Ecclesiæ si non sint quot sunt visitandæ, altaria pro eis visitari possunt. Si verò tot altaria non sint, sufficit toties unam Ecclesiam vel unum altare devotè visitare. Ita Lezan. *verb. Bulla Cruciatæ.* Quomodo autem illa altaria sint visitanda? Docent hoc non pauci, non opus esse moveri localiter ab uno ad aliud altare. Et ita Bonac. Lugo, Villalobos & alii. Addit Lezana: Sed hoc non admitterem, nisi in casu quô non possent assignata altaria visitari, v.g. propter multitudinem populi. Ad plures indulgentias simul. Ab altari ad altare ire oportet.

De eleemosyna danda in ordine ad lucrandas indulgentias.

35. Eleemosynam qualem pauper, dives, dare tenetur, jam dixi su-

prà in conditionibus indulgentiarum. Hic addo, quòd etiam Religiosi ad dandam obligentur: sed non oportet ut illam omnes dent; sufficit ut illam Prælatus det, aut aliquis amicus illorum nomine. Ita Lezana, de Rhodes & alii.

De Confessario, & absolutione à casibus reservatis virtute jubilæi.

36. Notânda breviter multa utilia. 1. ut pœnitens eligat sibi Confessarium, qui illum virtute jubilæi possit absolvere à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, & ut lucretur jubilæum, seu indulgentiam, debet eligere approbatum ab Ordinario loci, loci illius in quo vult confiteri & lucrari jubilæum (m). Ratio est: quia in Bulla jubilæi ordinariè dicitur, eligendum esse Confessarium approbatum ab Ordinario loci, vel locorum. Et hoc est declaratum à S. Congregatione, quam refert Barbosa *in collectan. Bullarum verb. Jubil.* Unde quoties in Bulla additur clausula *Ordinario loci*, vel *locorum*, non lucratur jubilæum Regularis, sua peccata confitens approbato à Prælato Ordinis, non approbato ab Ordinario loci. Si autem præfata clausula non sit posita in Bulla, tunc secundùm Lezanam, Filliuc. & alios, probabiliter lucratur indulgentiam; cùm vox *Ordinarius*, benignè interpretari possit de Ordinario Ordinis.

(m) Lezana verbô Iubilæum, Octavius contra Bonacinam. Necessariò eligẽdus est approbatus ab Episcopo.

37. Possuntne Regulares sine licentia sui Superioris extra Religionem sua peccata virtute jubilæi alienis confiteri, quandoquidem habent facultatem eligendi sibi Confessarium virtute jubilæi? *Resp.* quòd non: quia hoc Regularibus Clemens VIII. per Bullam *Romani Pontificis*, Anno 1599. editam, prohibet: quod postea Urbanus VIII. Anno 1630. die 9. Junii innovat.

Non alieno.

38. Neque intra Conventum Regularis potest sine licentia sui Superioris, virtute jubilæi assumere in Confessarium aliquem extraneum, sive Sæcularem sive Regularem; imò nec sui Ordinis & Conventûs, pro se non destinatum. Sic apud Nos, non potest Sacerdos assumere alium præter destinatum pro Patribus; Clericus alium, præter destinatum pro Clericis: Nam Regulares sine expressa Superiorum licentia, non possunt uti facultatibꝰ in jubilæis aut aliis quibuscumque Apostolicis indultis concessis, & inposterum concedendis, decrevit Gregorius XIII. pro PP. Societatis JESU; consequenter pro omnibus Mendicantibus cum eis communicantibus. Vide de hoc Octavium Mariam à S. Josepho *in repertorio morali inter.* 506. & 507. aut Dianam *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 49.

Tenetur Regularis pro se destinato confiteri.

39. Quomodo se gerere debet Episcopus tempore jubilæi pro consolatione Monialium, ut eis gratum assignet Confessarium? *Resp.* Maximè con-

convenit ut eis indicet & permittat eligere sibi Confessarios 3. aut 4. aut plures, quorum nomina Episcopo mittere tenentur, ut hos omnes aut aliquos prout meliùs in Domino judicaverit pro eis approbare valeat, dando illis licentiã audiendi. Ita Octavius *interrogatione* 409. *&* 508.

40. Quæritur, utrum Confessarius qui ob certam rationem solùm pro viris est approbatus, possit tempore jubilæi, virtute ejus, excipere confessiones mulierum, si ab illis eligatur? *Resp.* Probabiliùs existimo quòd non (n): quia licetsi sit approbatus ab Ordinario, non tamen pro mulieribus; sed restrictè solùm pro viris.

(n) Bordonus, Octavius.

41. Sicut nulla regula est sine exceptione, ita confessio universalis potest esse cum exceptione. Quare justè potest quæri inter Theologos, & defactò quæritur, quando in jubilæo universaliter conceditur potestas absolvendi ab omnibus casibus Summo Pontifici reservatis, nullam mentionem faciendo de Bulla Cœnæ, sive casibus contentis in Bulla Cœnæ, utrum in tali casu, Confessarii quibus datur talis potestas, possint absolvere etiam à casibus Bullæ Cœnæ? Similiter utrum eô ipsô quòd detur potestas absolvendi à casibus reservatis contentis in Bulla Cœnæ, non exprimendo casum hæresis, utrum in tali casu eô ipsô detur potestas absolvendi ab hæresi?

Nisi exprimatur in jubilæo à casibus Bullæ Cœnæ, ab iis absolvi non possunt vi jubilæi.

42. *Resp.* quoad primum sunt duæ sententiæ. Affirmativæ sunt Bossius, Sanctarellus, Rotarius. Ratio ipsorum est: quia concessiones in re favorabili sunt ampliandæ. Negativæ sententiæ sunt Bonacina *de Censuris in communi* q. 3. *p.* 1. Suar. Garcia, Lezan. *verb. Jubilæum num.* 17. Ratio horum est: tum quia casus Bullæ specialiter reservantur, consequenter indulgent speciali concessione: tum quia ita est usu receptum, quòd quando hanc potestatem vult Pontifex concedere, exprimit in Bulla casus Bullæ Cœnæ. Quã sententiã ùti conformẽ usui & stylo Curiæ Romanæ, svadeo tenendam. Concessiones sunt quidem in re favorabili ampliandæ, si non obest opposita concedentis intentio, prout in proposito. Quoad secundum sunt 3. sententiæ. 1. Absolute affirmativa; cujus sunt Pegna, Sanctarellus. 2. Est media; quam tenet Rotarius cum Diana, asserentes posse ab hæresi absolvi in foro conscientiæ tantùm. 3. Negativa; cujus sunt Bonacina, Lezana *loc. cit.* Navar. *cap.* 22. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 16. *num.* 3. Avilla, Sanch. Suarez. Ratio horum est: quia speciàliùs sibi reservant Pontifices hunc casum, quàm alios in Bulla contentos. Ego licèt in aliis partibus ubi non grassatur hæresis, aut æquè probabilem, aut extrinsecè probabiliorem tertiam sententiam putem; in Polonia tamen, inter multos hæreticos, primam sententiam probabiliorem existimo: non propterea quòd in Bulla dicatur *ab omnibus* in Bulla Cœnæ contentis, & quòd aliàs deberet excipi

hære-

hæresis sicut excipitur votum castitatis &c. Nam etiamsi concedatur facultas absolvendi ab omnibus Sedi Apostolicæ reservatis, & non excipiantur casus Bullæ Cœnæ Dni, tamen in tali hypothesi non possumus absolvere à contentis in Bulla Cœnæ. Sed talem admitto, propter multitudinem hæreticorum, & casuum hæresis; ob quam sicut facilè Sedes Apostolica facultatem absolvendi ab hæresi concedit in talibus partibus, ita piè interpretanda mens ejus pro jubilæo.

Tempore jubilæi Episcopi concedunt facultatem absolvendi à reservatis omnibus Confessariis.

43. Notandum est hoc, quòd quando in jubilæo conceditur potestas absolvendi à casibus reservatis Summo Pontifici, non eô ipsô conceditur à casibus Episcopis reservatis. Ita Navarrus, Graffius, Bonacina. Solent tamen Episcopi publicando jubilæum, hanc potestatem omnibus Confessariis communicare.

Absolvi à reservatis nisi in intẽtione adimplendi conditiones potest.

44. Quid si aliquis non habeat animum adimplendi onera imposita pro lucrando jubilæo; potestne absolvi à casu reservato Summo Pontifici? *Resp.* quòd non: quia privilegium est affixum jubilæo; si non intendit lucrari jubilæum, non intendit absolvi à reservatis, à tali Sacerdote.

Qui non absolvit conditiones non debet iterũ confiteri.

45. Si quis habens animum adimplendi omnia requisita ad jubilæum, absolvatur à reservatis, & postea illa non adimpleat, debetne iterum quærere absolutionem? *Resp.* non debere; cùm validè & absolutè non conditionatè sit absolutus. Neque per talem non adimpletionem peccat, secluso contemptu: tum quia nec promisit Confessario adimpletionem conditionum, nec illam Confessarius ipsi pro pœnitentia injunxit, nec Pontifex in Bulla ad hoc obligavit. Ita sentit Diana & alii.

46. Qui spe absolutionis obtinendæ in jubilæo commisit casum reservatum, v.g. incestum aut sodomiam, potestne virtute jubilæi absolvi? *Resp.* quòd potest (o). Ratio est: quia Pontifex in sua concessione non excipit præfata peccata.

(o) Gratianus, Lezana, Sanchez, Diana.

Intra tempus jubilæi iteratò potest lucrari jubilæum.

47. Qui post confessionẽ iterum reincidit in casum reservatum, potestne iterum ab eo virtute jubilæi absolvi? *Resp.* quòd possit, si tempus jubilæi nondum expiravit, sive prima hebdomadâ, quòd est dicere cum Rotario; sive secundâ, quod est contra Rotarium: valdè enim probabile est, quòd possit bis idem fidelis lucrari jubilæum, ut ostendi suprà *hîc num.* 11. Ergo etiam bis absolvi à reservatis. Addo: dummodo repetat opera præscripta (p): nam si non repetit ea, iteratò non lucratur jubilæum; consequenter vi jubilæi non acquirit hoc privilegium, ut à tali Sacerdote respectivè simplici, possit absolvi.

(p) de Rhodes.

Confessarius differens absolutionem post jubilæum.

48. Si pœnitens suam confessionem non persolverit intra tempus jubilæi, possitne virtute jubilæi absolvi à reservatis? *Resp.* quòd possit. Ratio est: quia Confessarius jam tunc habet jus eum à reservatis absolvendi (p): & habet potestatem absolutionem differendi, non mins

quàmù

quàm abſolutionem correſpondentem confeſſioni Paſchali; cùm hanc Pontifex per Bullam non abſtulit.

49. Sed quid ſi intra hoc ſpatium pœnitens relabatur in caſum reſervatum? *Reſp.* Vel relabitur in eum intra jubilæum, vel terminato jubilæô? Si primum? poteſt ab eo abſolvi ab eodem. Si ſecundum? non poteſt ab eodem, ſed à reſervante caſum abſolvi debet (p): quia Confeſſarius ex vi confeſſionis inchoatæ non acquirit ampliorem poteſtatem abſolvendi à caſibus, quàm intra jubilæum habuit: ſed intra jubilæum habuit poteſtatem abſolvendi à caſibus reſervatis, qui ante aut intra jubilæum contingebant, non autem habuit poteſtatem abſolvendi à caſibus reſervatis contingentibus poſt jubilæum; Ergo ex vi confeſſionis inchoatæ poteſt abſolvere à reſervato facto intra tempus jubilæi, non poteſt verò abſolvere ab eo peccato reſervato, quod intra dictum ſpatium intra confeſſionem & abſolutionem contingit terminato jubilæô.

Quid ſi intra hoc ſpatium contingat peccatum?

50. Quid faciendum cum eo, qui toto tempore jubilæi neglexit lucrari jubilæum; tandem ultima die poſt prandium, aut manè non jejunus ad ſe reverſus adivit Confeſſarium petens à reſervatis abſolutionē? *Reſp.* Quòd adhuc poſſit à tali Sacerdote talis abſolvi à reſervatis, cùm adhuc poſſit lucrari jubilæum: dummodo ex præcepto Confeſſarii exequatur opera pietatis, in quæ commutatio facta eſt, & ſequenti die ſumat Sacramentum Euchariſtiæ. Ita de Rhodes, Alarius, Lugo & alii.

Qui toto tẽpore neglexit, in fine vult lucrari.

51. Pœnitens tempore jubilæi ſubjiciens ſua peccata, oblitus unius aut plurium reſervatorum, debetne recurrere ad reſervantem, aut ad habentem pro reſervatis caſibus licentiam? *Reſp.* Talem pœnitentem in tali caſu poſſe abſolvi à quocumque Confeſſario (q): quia juxta communiſſimam Theologorum ſententiam cenſetur in illa confeſſione tempore jubilæi abſolutus; nam pœnitens confeſſus eſt prout potuit, & Confeſſarius abſolvit habens intentionem abſolvendi ab omnib⁹ reſervatis.

Oblitus unius reſervati.

(q) Navar. Tolet. Lugo, Lezan. verbô Iubil.

52. Sed quid de eo dicendum, qui voluntariè caſum reſervatum non dixit, eò quòd non potuit ob cauſam excuſantem eum à confeſſione, v.g. inceſtum commiſit cum Sorore Sacerdotis, &c? *Reſpondent* Homobonus & Diana: quòd talis poſſit abſolvi à quocumque Confeſſario, terminato jubilæô: dummodo non eſſet alius Sacerdos tempore jubilæi præter iſtum. Ratio eſt: quia illud peccatum propter impotentiam, erat ac ſi eſſet oblitum.

Oblitus. Voluntariè non dixit.

Quoad commutationem operum, votorum.

53. Notandum, quamvis antea Confeſſarii poterant omnia opera præſcripta in Bulla ad lucrandum jubilæum, ex juſta cauſa in alia pietatis

Quæ opera, vota in jubilæo com-

tatis opera commutare; nunc nisi jejunium, eleemosynam & visitationem Ecclesiæ, in alia pietatis opera, ob impotentiam physicam aut moralem quam habent infirmi, incarcerati, navigantes aut iter habentes &c. ex postremis Bullis Pontificum valent; non autem confessionem aut communionem. Et sic ex benignitate Ecclesiæ habent infirmi, incarcerati, quòd lucrari possint jubilæum. Ita docent de Rhodes *de satisfact.* Sanch. *lib.* 4. *in Decalog. c.* 54. *num.* 17.

mutare potest Confessarius.

54. De commutatione votorum, sciendum 1. prærequiri justam causam, ob quam facienda est commutatio: quæ potest esse utilitas & necessitas, difficultas in voto persolvendo, periculum sæpiùs violandi votum &c. Ita Bonacina *de præc. Decal. d.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. § 3. Lezana *verb. Bulla Cruciatæ num.* 34. 2. Tam opera præscripta in Bulla quàm vota, virtute jubilæi, in alia opera pietatis posse commutari extra confessionem Sacramentalem. Ita communiter Doctores (r). Ratio est: Quia nullo jure præscribitur fieri debere in ipsa confessione. His positis, quæritur,

(r) Lezana, Bonacina, de Rhodes.

55. Titius virtute jubilæi obtinuit in confessione commutationem voti in aliud opus, sed postea liberè omisit præscripta opera ad lucrandum jubilæum, consequenter non est lucratus jubilæum; reviviscitne in eo votum? *Resp.* Quòd non (s): quia absolutè, non conditionatè est in aliud commutatum: Sicut tunc confessio independenter ab omnibus operibus futuris erat valida, ita commutatio rata.

(s) Lezana, Sanch. Bonacina.

Votum non reviviscit.

56. Quid dicendum de eo casu, quô pœnitens oblivisceretur in confessione petere commutationem voti, aut Confessarius commutare; possetne idem Confessarius qui eum absolvit tempore jubilæi, eô terminatô illud votum commutare in aliud opus? *Resp.* Vel pœnitens lucratus est jubilæum, vel non? Si primum? Probabile est quòd possit virtute jubilæi eô terminatô, illud votum in aliud opus commutare. Ita Portel. Diana, Lezan. *verb. Jubilæum n.* 18. tenent. Si secundum? non potest. Ita Sanchez, Lezana, Portellus.

Oblitus cōmutationis.

57. Quid si votum sit juratum? *Resp.* Etiamsi: quia etsi votum & juramenrum sint diversa vincula; tamen in ordine ad DEUM cui tam votum quàm juramentum fiunt, pro eodem moraliter reputantur. Ita Lezan. *verb. Bulla Cruciatæ num.* 35. Suar. Sanchez.

58. Vota verò peregrinationis Hierosolymam, ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum in Compostella, commutare in alia non possunt Confessarii virtute Bullæ: Tum quia ista ordinariè excipiuntur; Tum quia ista specialiter sunt reservata: speciali ergo digna sunt nota. Lezan. *loc. cit.*

Circa hebdomadas.

59. Circa illas duas hebdomadas quæ regulariter designari solent, & circa ordinem adimpletionis conditionum, dicit N. P. Lezana: *No-*

Notandum, quòd verba Bullæ requirere videantur, quòd omnia opera per illam præscripta adimpleantur in una vel altera ex illis, non autem partim in una & partim in altera ex illis: nihilominus rationabili aut necessaria subsistente causa, valdè probabile est fieri posse ita, ut pars illorum fiat in una hebdomada, v.g. jejunare, orare; & altera pars in altera, scilicet confiteri, communicare &c. Ita enim piè interpretanda videtur mens Pontificis. Imò ex sola pœnitentis voluntate id fieri posse, declaratum refert à Patribus S. Pœnitentiariæ Romanæ, Naldus *verbô Indulgentia.* Nec etiam necessarium est, ut in loco jubilæi impleat omnes conditiones: potest enim fidelis inchoare jubilæum in loco jubilæi, & iter agendo illa opera prosequi, ac lucrari jubilæum extra locum, ubi promulgatum est, vel econtra: quia satis est quòd in loco jubilæi jus acquisierit ad illud lucrandum, ad quod Pontifex duas hebdomadas concedit iis qui legitimè impediti sunt. Ita de Rhodes. Circa locū.

60. Nec obest, quòd die Sabbati immediatè ante Dominicam primam jubilæi quis præmittat confessionem. Praxis enim Ecclesiæ & necessitas propter multitudinem confitentium, favet ipsi. Ita Lezana, Layman & alii.

61. Quid faciendùm? Titius invincibiliter ignoravit esse jubilæum, terminatô eô rescivit; poteſtne illud lucrari? *Resp.* Quòd inter duas hebdomadas à die notitiæ illius possit illud lucrari. Ita Lezan. *verb. Jubilæum num.* 19. Diana & alii. Tempus.

62. Si duo jubilæa currerent per aliquos dies, quorum utrumque requireret confessionem & communionem, non est necesse bis confiteri & bis communicare; dummodo perseveret in gratia, & opera præscripta repetat. Turrianus, Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 166.

Sententiæ ab Alexandro VIII. damnatæ reducendæ ad hanc seriem.

15. Pœnitens propria authoritate substituere alium potest, qui locô ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio naturæ rei idipsum quodammodo dictante.

21. Homo debet agere tota vitâ pœnitentiam pro peccáto originali.

23. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda levi & incongrua pœnitentia seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

De absolutione Sacramentali.

Quidnam sit, & quæ de ejus essentia?

1. DIco: Absolutio Sacramentalis ac forma Sacramenti pœnitentiæ conveniens, est: Ego te absolvo à peccatis tuis, in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Amen. Cùm hæc sit expressa in Conc. Florentino *Decreto fidei*, & Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. & in omnibus Ritualibus, totiusque Ecclesiæ praxî tenetur.

Cõveniens.

2. Sufficiens & necessaria, *absolvo te.* *Sufficiens*: nam sola verba *absolvo te* ponuntur in forma, in Cathechismo Pii V. & communiter DD. cum S. Thoma docent. Quod ratio svadet: Illa forma in Sacramentis est sufficiens ad significandum & causandum ex institutione Christi effectum, quæ sufficienter absque verbis aliis significat perfectè suum effectum: sed verba *absolvo te*, ante prolationem verborum *à peccatis tuis*, perfectè significant suum effectum, scilicet remissionem peccatorum. Judex sæcularis audita rei accusatione & ejus instructione, si dicat *absolvo te*, sufficienter exprimit absolutionem à crimine; Ergo etiam Judex spiritualis, auditis peccatîs pœnitentis, dicens *absolvo te*, sufficienter exprimit absolutionem à crimine.

Sufficiens & necessaria.

3. Licèt dicta verba *absolvo te*, videantur ex se esse indifferentia ad significandam absolutionem à peccatis vel censuris, præcisis sequentibus verbîs *à peccatis tuis*; non sunt tamen indifferentia sed determinata ex subjecta materia, quòd peccata sint dicta non censuræ.

4. Licèt forma non determinetur per materiam, ex qua Sacramentum intrinsecè componitur; potest tamen benè suo modô determinari à materia, circa quam versatur. Attamen secundùm communiorem sententiam peccaret mortaliter, maximè in articulo mortis pœnitentis, qui scienter omitteret verba *à peccatis tuis* (a). Ratio est: Tum quia faceret contra praxim Ecclesiæ in re gravi; tum quia multi docent, dicta verba esse de essentia Sacramenti, & sic scienter exponeret Sacramentum periculo nullitatis.

(a) Bonacina, Bonæ Spei, Sylvius.

5. Particula *ab omnibus*, licetsi à quibusdam (b) & in novis Breviariis apponatur; non necessariò est exprimenda: quia non invenitur in Clementina forma Clementis VIII. Tridentino, Rituali Romano edito jussu Pauli V.

(b) Garcia de absol. num. 2058.

Omitti particulâ ego.

6. Particulam *ego* ita ponit Trident. *sess.* 14. *c.* 3. ut non neget posse omitti illam; cùm includatur *in ly absolvo.*

7. Ver-

In Nomine Patris & Filii & Spiritũ Sancti.

7. Verba *in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti*, similiter non sunt de necessitate Sacramenti: nam invocatio SSmæ Trinitatis in hoc Sacramento, & signum Crucis, adjunguntur ex devotione & consvetudine. S. Thom. 3. *p. q.* 84. *art.* 3. Lugo & alii communiter.

Est veniale.

Imò nullũ.

8. P. Bonæ Spei, Stephanus à S. Paulo & alii, volunt solùm esse veniale, omittere ly *ego ab omnibus* --- *in Nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Amen*: imò nullum esse, subsistente causa. (Attamen crux danda, non est omittenda, ne pœnitens existimetur non absolvi). Similiter orationes antecedentes, *misereatur* --- *indulgentiam* &c. & subsequentes, *Passio Domini &c.* omitti possunt absque peccato. Et sic in articulo mortis pœnitentis quando prudenter timetur ne pœnitens inabsolutus decedat, sufficit dicere: *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis tuis, in Nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Amen*: quoties enim timetur censura, præmittenda est absolutio à censura.

Orationes Misereatur &c. omitti possunt.

In mortis articulo absolutio.

In concursu populi.

9. In concursu magno populi sufficit incipere à verbis, *Dominus Noster JESVS Christus absolvat &c.* & desinere ante illa verba, *Passio Dni Nostri*. Attamen quando est confessio gravium peccatorum, & non occurrit satis proportionata peccatis pœnitentia, non est omittenda oratio *Passio Domini*: nam virtute illius suppletur quod deest, dicit P. Garcia *de Sacram. Pœnit. num.* 2055.

Necessaria.

10. Necessaria sunt hæc verba *absolvo te*: nam non dictô *absolvo* formaliter aut æquivalenter talî, non exprimitur absolutio à culpa, cùm non significetur actus judicialis ac scientia; & non expresso pronomine *te*, non significatur cui fit illa remissio: verbum enim *absolvo*, non habet secundùm se vim significandi.

11. Huic verbo *absolvo*, æquivalent remitto, condono peccata tua, solvo te à peccatis tuis (c), sive activè dicas, ut sunt prædicta; sive passivè, ut *remittūtur tibi peccata tua*, *condonantur &c.* dummodo in indicativo modo nō optativo proferantur: quia forma pœnitentiæ Sacramenti deprecatoria, omninò invalida est. S. Th. hîc *art.* 3. & *opusc.* 22. Scotus, Durandus, Sotus &c. Ratio est: quia implicat ut deprecatio sit sententia judiciaria, qualis debet esse absolventis.

(c) Cajetanus, Nugn9 Suar. Navar. &c.

12. Unde non sufficit dicere, *absolutionem tribuat tibi DEVS*. Et ratio est: quia per hæc verba Sacerdos non significat absolutionem fieri, sed petit ut fiat; nisi dicat imperativè (d): tunc solùm erit materialiter deprecativa, hoc est, erit secundùm modum loquendi deprecativa. Neque valet si dicas, *ego te absolutum ostendo*: nam Sacramenta novæ legis non solùm significant, sed etiam efficiunt id quod significant.

Verba non deprecatoria esse debēt.

(d) Suar. Valentia.

13. Huic verò voci *te*, æquivalet *tibi*, *tu* &c. Unde si dicas Regi, *absolvo Majestatem tuam*, aut *vestram*; vel Episcopo, *Illustrissimam Dominationem Vram*, valet absolutio. Ita Navar. Soto, Vasquez.

14.

14. Dices: Verba extremæ Unctionis sunt deprecativa; ergo & verba formæ absolutionis. *Resp.* Disparitas est: quia Christus Sacramentũ pœnitentiæ instituit permodum judicii; Sacramentum verò extremæ Unctionis non permodum judicii: quare Sacerdos in hoc Sacramento non agit ut Judex, sed ut deprecator.

15. Dices 2. In Ecclesia Græca ministri utuntur formâ verbîs deprecativis, *Domine JESU Christe qui dedisti Nobis potestatem, absolve hunc à peccatis suis.* *Resp.* Verba prædicta non sunt forma, sed oratio præparatoria ad recipiendam gratiam, eô modô quô præmittuntur in Ecclesia Latina, *Misereatur, Indulgentiam, Dominus JESUS Christus te absolvat, & ego &c.* Forma verò apud Græcos est, *Ego quoque Pater tuus spiritualis, potestate mihi à DEO & Superioribus meis concessa, absolvo te ab omnibus peccatis tuis.* (Hanc formam refert Arcadius *lib. 4. de pœnit.* & N. Garcia *num.* 2070). *Vel, Dominus Noster JESUS Christus & DEUS, qui mandatum ligandi & solvendi peccata discipulis tradidit &c. Ego verò indignus ejus servus absolvo te ab omnibus peccatis tuis.* Vel, *Ego verò condono tibi omnia peccata tua.* Vide apud nostrum Garciam *num.* 2070.

Forma Græcorum.

16. Quomodo autem ferenda est hæc sententia? *Resp.* quòd nec scripturâ, nec nutibûs sicut confessio peragi, & absolutio à censuris & pœnis publicis manifestari potest, sed oportet omninò ut voce proferatur. Ita enim habet Concilium Florentinum in Decreto Eugenii: *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert cùm dicit ego te absolvo &c.* Ratio alia non est quàm voluntas Christi, qui voluit Ecclesiæ concedere talem restrictionem ac præscriptionem formæ. Sicut Judici civili potest Legislator præscribere conditiones, quibûs omissis non valeat ejus sententia; ita Ecclesiastico, Legislator Christus per se aut Ecclesiam, potest declarare quomodonam illa sententia sit ferenda.

Non aliter quàm voce proferri debet.

17. Ordinariè pœnitens priùs debet absolvi ab excommunicatione, quàm à peccatis; eò quòd excommunicatio etiam minor, privat participatione passiva Sacramentorum; non tamen est invalida absolutio, si priùs Sacerdos absolvat à peccatis quàm ab excommunicatione (e). Ratio est: tum quia licèt excommunicatio privet participatione Sacramentorum, non tamen est interdicta excommunicato pœnitentia; sed dum est contritus, & propositum habet satisfaciendi Ecclesiæ, fit capax absolutionis: tum quia habetur *in summa Confess. tit. de pœnit. quæst.* 71. quòd Confessarius absolvere potest ab his quæ ad ipsum pertinent, & cum excommunicatione mittere ad Episcopum. *q.* 73.

(e) D.R.in 4.d. 16.q.1.a.5. Eliseo à S. Ioan. Bapt.cõtra Rotariũ, & Octaviũ.

18. Quòd forma hujus Sacramenti non possit ferri in absentem, jam dixi ser. præced. Addo tantùm: ut absolvatur pœnitens, Sacerdos cum aliquo sensu percipere debet, moraliter enim præsens esse debet, ut

Quamdiu absolvere potest?

ut forma absolutionis verificari possit. Addit P. Bonæ Spei: si inadvertenter Sacerdos non absolverit pœnitentem, potest illum absolvere quamdiu ipsum sensu percipit, & hoc absque peccato mortali.

19. Quòd absolutio sub conditione de futuro data non valeat, licèt ex justa causa de præterito & præsenti dari possit, jam dixi.

20. Qualem sensum præstat absolvo te? *Resp. Ego tibi confero gratiam sanctificantem, quæ ex se peccata mortalia remittit.* Ex hoc

21. Collige: ad verificationem formæ hujus Sacramenti, non requiritur ut pœnitens accedat in peccato mortali; 2. posse repeti formam hujus Sacramenti super idem peccatum, licèt non super eandem confessionem. Prima pars colligitur ex Conc. Lateran. *c. 1 de SSma Trinitate de fide Catholica*, & ex Trid. *sess.* 14. *c.* 1. Ratio svadet: sicut idem homo sæpiùs de eodem peccato potest dolere, ita iterum absolutionem obtinere, ùti in praxi Ecclesiæ servatur à viris timoratæ conscientiæ. Licèt idem peccatum sit, non tamen eadem confessio: & sic plures formæ non cadunt super eandem materiam proximam, sed super diversas. Secunda pars patet: quia semel prolata formâ, habetur totus effectus ejus.

22. Non potest Confessarius pro libitu suo negare absolutionem pœnitenti; sed stante iusta causa negandi, potest denegare illam. 1. propter occasiones proximas non amotas, vel rem alienam non restitutã quam in aliis confessionibus seriò promisit restituere. 2. propter frequentem relapsum, si pluries monitus se non correxit: at si advertat in pœnitentia esse firmum propositum se emendandi, jubeat illum ad se venire post unam aut alteram hebdomadam cum confessione, data absolutione, ut videat an se correxerit vel non? Et si invenerit non correctũ, poterit negare absolutionem ad unam & alteram hebdomadam, prout ipsi dictaverit conscientia & svaserit prudentia, considerando circumstantias occurrentes. Quando neganda est absolutio?

Propositiones damnatæ ad hanc seriem reducendæ.

AB *Alexandro VII.* Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. Julii 18. in Consistorio S. Congregationis Eminent. Cardinalium visa & tolerata est.

Ab eodem. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa. 4.

Ab Innocentio XI. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm con-

confessos, ratione magni concursûs pœnitentium; qualis potest v. g. contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ. 56.

Ab eodem. Pœnitenti habenti consvetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec est differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem. 60.

Ab eodem. Absolutionis capax est homo, quamvis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei, & Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri JESU Christi. 64.

Ab Alexandro VIII. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus. 19.

SERIES XII.

De effectu pœnitentiæ sive remissione peccatorum mortalium & pœnæ.

An omne peccatum mortale sit remissibile, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam?

1. RESP. Et dico: Nullum datur tale peccatum mortale, quod non possit remitti per pœnitentiam, sive contritionem perfectam (a), sive attritionem cum Sacramento pœnitentiæ. Hæc veritas est definita in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*, Coloniensi cap. *de pœnitentia.* De pœnitentia quà virtute sive de contritione, habemus apud Ezechielem 18. *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est* &c. *vitâ vivet & non morietur.* De pœnitentia quà Sacramento, Joan. 10. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.*

(a) S. Thomas 3. p. q. 86. a. 1. D. R. in 4. d. 14. q. 2. a. 3. & est de fide contra Catharos.

2. Dices: Verba Christi sunt, *qui in Spiritum S. blasphemaverit, non remittetur ei.* Luc. 2. Ergo datur tale peccatum, quod per pœnitentiam non potest remitti. *Resp.* 1. Aliud est non remittitur, aliud non potest remitti. 2. Etiam dixit Christus, *non ascendam vobiscum*; & tamen accendit: Ergo etiamsi dixerit *non remittetur*, non obest quin remittatur sub distinctione, scilicet, non remittetur faciliter, sed valdè difficulter: verba enim Christi non semper absolutè intelligenda sunt, sed plerumque sub distinctione: sic dum dixit *non ascendam vobiscum*, subintellige *apertè*, & ascendit occultè.

3. Dico 2. Quando per pœnitentiam remittitur mortale quoad culpam, tollitur ejus reatus pœnæ æternæ; non tamen semper reatus pœnæ temporalis. Utraque pars est Trid. *sess.* 6. *c.* 14. Interim probatur prima pars: quia peccatum remittitur per gratiam sanctificantem, quâ pœnitens fit Filius Dei adoptivus; Filius autem Dei etiam adoptivus, non subest

ſubeſt pœnæ æternæ. Secundum patet in David, qui dimiſſum peccatum audivit à Propheta; & tamen pro illo, & in Filio, & in ſua perſona per Abſalon Filium ſuum, eſt punitus.

4. Dices: Eſechielis 18. dicitur: *Quoties peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor ampliùs.* *Reſp.* Concedo quoad pœnam æternam; non quoad temporalem. Utique David ingemiſcebat; & tamen eſt punitus in Filio &c.

S E R I E S III.

De remiſſione venialium.

Per quæ, & quomodo peccata venialia remittantur?

1. R*Eſp.* Peccata venialia tolluntur extra Sacramenta per perfectā contritionem formalem, aut virtualem inquantum hæc ad ea extenditur. Ita S. Th. *q.* 87. *art.* 1. cum aliis communiter. Ratio eſt: quia quando talis contritio extenditur ad mortalia, tollit ea; Ergo etiam quando extenditur ad venialia, tollit ea. Addidi *inquantum hæc ad ea extenditur:* nam ſi non extendatur niſi ſolùm ad mortalia, ſolùm mortalia tollentur; venialia autem remanebunt, cùm non ſint incompoſſibilia cum gratia. Ut ſe extendat formalis contritio ad peccata venialia, debet eſſe deteſtatio etiam de minimis peccatis; aut ſi virtualis, debet eſſe amor ac actus complacendi, etiam in minimis & non offendendi in talibus.

2. Peccata venialia in juſto per quodlibet Sacramentum remittuntur, dummodo attritio ſub motivo generali de ſingulis indiſtincta, ſive præviè ſive ſimul concurrat. Ita DD. communiter poſt S. Th. hîc *q.* 87. *a.* 3. Addidi *in juſto:* nam ſi ſit conjunctum mortali, ſecùs dicendum; cùm inimico Dei non concedatur gratia Divina, conſequenter nec augmentum ejus: quia ſi concederetur augmentum gratiæ, concederetur gratia. Reſolutio verò probatur ſic. De baptiſmo habetur Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* De pœnit. Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* De Euchariſtia patet ex Trid. *ſeſſ.* 13. *c.*2. & *Can. Species, de conſecrat. d.* 2. 4. De extrema unctione Jacobi 5. *Si in peccatis fuerit, dimittentur ei;* & Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 2. & ex forma ipſa patet, in qua ſic habetur: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti.* De aliis verò (puta de Confirmatione, Ordine & Matrimonio) à pari probatur. Secunda pars reſolutionis patet ex hoc, quòd nullum peccatum ſine retractatione ſaltem virtu-

Per Sacramēta tollūtur venialia dum additur attritio.

(a) Suar. Conin. Amicus, Bonæ Spei contra Vaſq. Layman, Becanum & alios.

virtuali remittatur, ut dixi de Sacram. in gen. & Sacram. Pœnit. Et concludit S. Augustinus epist. 48. *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire.*

Quali attritione tollũtur venialia?

3. Remittuntur in justo extra Sacramenta venialia valdè probabiliter per attritionem de singulis distinctam (a). Ratio est: quia ex parte doloris, minùs cum Sacramento quàm extra Sacramentum requiritur, ut colligitur ex Trid. *sess.* 14. *c.* 4. Ergo ad sublationem venialium cum Sacramento, sufficit attritio unica indistincta, ex motivo universali sumpta; extra Sacramenta verò, de quolibet distincta: sivè, in Sacramento sufficit in confuso de omnibus; extra Sacramentum verò, distincta de omnibus: & de hoc, & de hoc, & de hoc, doleo; & hoc, & hoc, detestor.

Quomodo per Sacramentalia tolluntur venialia?

4. Sacramentalia nec sine dolore, nec seipsis immediatè tollunt venialia, sed mediatè; intantum, inquantum virtute meritorum Ecclesiæ, seu propter impetrationem Ecclesiæ positam: patet in benedictione aquæ, panis, &c. Merentur ad dolorem sufficientem eliciendum excitatio, & auxilium dandum, quô elicitô dolore, mediante eo tollunt peccatum veniale aut venialia juxta proportionem attritionis ad sensum num. 3. aut extensionem contritionis prout se extendit: si ad omnia? tolluntur omnia; si ad aliqua? aliqua. Ita N. P. Bonæ Spei *disp.* 3. *dub.* 3. *resol.* 3. (b). Quòd autem non semper impetretur auxilium, & non sequatur remissio venialium, hoc provenit ex indispositione suscipientis. Optimè illi faciunt, qui dum asperguntur aut se aspergunt aquâ benedicta, elevando mentem ad DEUM præsentant merita & preces Ecclesiæ, petendo per hæc gratiam; sicque DEUS commovet eos ad contritionem, qua mediante tolluntur venialia, imò aliquando & mortalia si adsint, & contritio ad ea extendatur: quod totum brevissimo tempore, intra duo aut tria momenta, fieri potest.

(b) Suar. Vasquez, Lugo, Bonacina contra Canũ Valentiam.

Modus optimus.

Sacramẽtalia quæ?

5. Sacramentalia de quibus in præsenti, numerantur: Oratio Dominica, aut alia quæ fit in Ecclesia consecrata (ut habetur in ritu Dedicationis Ecclesiæ) aut in alia. Oratio cum tunsione pectoris, aqua benedicta, ut habetur *de consecrat. d.* 3. Panis benedictus, ut habetur cap. *Crimen, d.* 2. Benedictio ab Episcopo aut Abbate consecrato data, ut habetur cap. *Dictum est, dist.* 1. *q.* 2. Confessio, sive ante Missam, sive in prima, sive in completorio dicatur. Largitio eleemosynæ, ut habetur *cap. Medicina, de consecrat. d.* 1. In his omnibus svadeo modum quem posui immediatè *num.* 4. in fine.

Benedictio ab Episcopo aut Abbate.

Pro discursu & solutione.

6. Dices: Ex parte doloris plus requiritur extra Sacramentum, minùs cum Sacramento: sed ad tollenda venialia sufficit attritio cum Sacramento pœnitentiæ; Ergo extra Sacramentum non sufficit ad tollenda ea.

Con-

Confirmatur: Si attritio tolleret venialia, numquam illa tollerentur Sacramentô pœnitentiæ; nam essentialiter tamquam dispositio semper præexigitur ad confessionem. *Resp.* Concedo primam & secundam propositionem; distinguo tertiam: Ergo extra Sacramentum pœnitentiæ ad tollenda venialia non sufficit attritio indistincta, Concedo; non sufficit distincta, Nego. Explico & clarifico difficultatem: Minùs in Sacramento, plùs extra Sacramentum ex parte doloris requiritur: Nam cum Sacramento sufficit attritio, etiam ad tollenda mortalia; extra Sacramentum pœnitentiæ non sufficit, sed requiritur contritio: Ad venialia remittenda sufficit attritio indistincta, extra Sacramentum verò non sufficit talis, sed requiritur attritio distincta de quolibet tali. Ex quo facilè solvitur confirmatio assumpta. Si attritio omnis tolleret venialia, nunquam tollerentur per Sacramentũ pœnitentiæ; sed non omnis tollit extra Sacramentum venialia, licèt veniale, si non est conjunctum cum mortali.

7. Instabis: Sive æquè sive non æquè, peccatis venialibus opponitur attritio indistincta sicut distincta, tamen opponitur; Ergo si attritio indistincta extra Sacramentum non tollit venialia, non tollit & distincta. *Resp.* Et facio reflexionem: Sive æquè sive non æquè, attritio ex motivo universali sumpta opponitur mortalibus sicut contritio, tamen opponitur; Ergo si attritio talis extra Sacramentum pœnitentiæ non tollit peccata mortalia, non tollit etiam contritio: non sequitur. Similiter in proposito, non tollit indistincta; Ergo & distincta attritio: non sequitur.

9. Urgebis: Si extra Sacramentum ad tollenda peccata venialia requireretur attritio distincta, hoc est multiplicata respectivè ad quodlibet peccatum tale, sequeretur quòd plus ad tollenda venialia requireretur, quàm ad mortalia: nam ad tollenda mortalia extra Sacramentum, sufficit unicus dolor, contritio; ad venialia verò tot dolores, attritiones, quot peccata venialia: hoc autem non est dicendum, quòd plus requiratur ad tollenda venialia levia, quàm ad mortalia gravia. *Resp.* Nego quòd plus: nam plus est esse contritionem, quàm millenas attritiones, quæ numquam adæquant contritionem. Item plus requiritur ad tollenda mortalia: nam etiamsi sint remissa per contritionem extra Sacramentum pœnitentiæ, aut per Sacramentum pœnitentiæ sed indirectè solùm, oportet illa necessariò confiteri; econtra venialia semel remissa, jam non est opus illa confiteri.

9. Superurgebis: v.g. sit hypothesis talis, quòd aliquis habeat 50. aut 60. venialia, & tantùm de 10. distinctam habeat attritionem extra Sacramentũ, & interea moriatur in illis venialibus: Venialia non remittuntur in

in alia vita, nam in alia vita nullus est actus meritorius aut satisfactorius; ad cœlum etiam cum venialibus non mittetur; in purgatorio etiam in perpetuum non cruciabitur anima; cùm hoc esset contra justitiam. *Resp.* Cum communiori sententia (c), quòd quando quis moritur in venialibus, tunc anima in primo instanti quô non est in corpore, statim cognoscens statum suum fertur in detestationem venialium, elicitque actum contritionis ac amoris DEI super omnia, per quem actum tolluntur omnia venialia, ùti tollerentur in hac vita per talem actum contritionis ac amoris super omnia.

(c) S. Thom. q. 7. de moral. q. 10. & 11. Bonaventura: oppositũ Bonæ Spei.

10. Neque tamen per hunc actum mereretur aut augeretur gratia: quia ad hoc requiritur status hujus vitæ (d). Ratio est: quia ex ordinatione Divina satisfactio non habet locum in altera vita, sed sola satispassio. Et licetsi hanc remissionem non possit causare permodum meriti, potest tamen permodum impetrationis. Neque Beati possunt in cœlo mereri, & tamen multa nobis impetrant; ergo etiam &c. &c. Imò S. Tho. *in 4. d. 21. q. 1. a. 3. ad. 4.* dicit: *Dicendum, quòd post hanc vitam non potest esse meritum respectu præmii essentialis, sed respectu alicujus accidentalis potest esse, quamdiu manet homo in statu viæ aliquomodo; & ideo in purgatorio potest esse actus meritorius, quantùm ad remissionem culpæ venialis.*

(d) Stephanus à S. Paulo.

DISTINCTIO VII.

Ideas concernentes Confessarium, ab aliis Sacramenti pœnitentiæ Ideis distinguens.

SERIES I.

De Ministro Sacramenti pœnitentiæ, & ejus jurisdictione.

SECTIO I.

Quis Minister hujus Sacramenti?

1. *RESp.* Est solus Sacerdos habens potestatem jurisdictionis formaliter talem. Utrumque est de fide: primum est declaratum in Concilio Trid. *sess.* 14. *c.* 10. Secundum *can.* 7.

Potestas Sacerdotalis.

2. Potestas enim Sacerdotalis est triplex. Inprimis una in corpus Christi verum, quæ aliàs vocatur potestas Ordinis simpliciter, daturque Ordinando dum ei patena traditur cum pane, calix cum vino aquâ mixto;

to; Alia eſt in corpus Chriſti myſticum, ſcilicet in fideles, quæ aliàs vocatur poteſtas jurisdictionis, daturque tunc, quando Epiſcopus manus imponens dicit: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata remittuntur eis;* conſiſtitque in charactere, per quem deputatur Sacerdos ad audiendos fideles. Alia eſt formalis ſeu proxima: hæcque vel eſt ordinaria, ſeu annexa officio, vel eſt delegata, ex privilegio: Ordinaria reſpectu omnium fidelium, competit SSmo Domino Papæ; reſpectu Diœceſis, Epiſcopo; reſpectu Parochianorum (ſive ſint laici, ſive Clerici, ſive Sacerdotes ſæculares), Parocho. Competit etiam illa Vicariis Generalibus Papæ, Legatis à latere, Supremis Pœnitentiariis, Vicariis Generalibus Epiſcopi, & Pœnitentiariis Eccleſiæ Cathedralis, ubi pœnitentiaria ſimiliter ſit in officium vel beneficium erecta. Item Abbatibus reſpectu Monaſteriorum, Prioratuum & Præpoſiturarum; Generalibus reſpectu totius Ordinis ſui; Provincialibus reſpectu totius Provinciæ: quia iſti omnes jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habent (a). Item Prioribus, Vicariis Prioribus, Guardianis, Monialium Patribus ſpiritualibus: quia iſti jurisdictionem habent quaſi Parochialem (a). Delegata aliter dicendo, quæ eſt ex commiſſione.

Iurisdictionis radicalis

Formalis.

(a) Lezana, Bonæ Spei.

SECTIO II.

Vtrum ſaltem in aliquibus caſibus una harum poteſtatum ſola ſufficere poſſit?

Qualibet neceſſaria.

1. RESP. Ita quæcumque harum eſt neceſſaria, ut ſi una illarum deſit in aliquo Sacerdote, validè nequeat abſolvere quemquam non ſolùm à venialibus extra periculum mortis, ſed etiam in articulo ipſo mortis. Pro prima poteſtate, eſt voluntas Chriſti: quia voluit non alium eſſe Miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ, quàm Sacerdotem, prout colligitur *Joan.* 20. ubi ſolis Apoſtolis cæteriſque Sacerdotibus eorum Succeſſoribus dixit: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Cujus ratio eſſe poteſt quoad Catholicos: ut qui habet poteſtatem in Chriſtum Sacramentaliter extiturum, habeat in membra ejus exiſtentia. Hanc voluntatem eſſe probat Eccleſiæ traditio, traditionem perpetua praxis fidelium, & numquam interruptus ſæculorum uſus in Eccleſia. Pro ſecunda & tertia parte ratio eſt: quia ad judicium omninò requiritur in Judice juriſdictio.

Pro diſcurſu & ſolutione.

2. Dices: Cap. *Fures*, *de jure* dicitur: *Si Presbytero vel Diacono confeſſus fuerit, non privetur communione.* Et apud Cyprianum & alios, invenitur confeſſio facta non Sacerdoti. *Reſp.* Præfati capitis ordinatio-

nem intelligit, ut Diaconus Eucharistiam in casu necessitatis pœnitenti si dederit signa pœnitentiæ, quod est aliquo modo confiteri, non deneget; non verò ut confiteatur ei expresè sua peccata in ordine ad obtinendam absolutionem: nam neque ille dare potest absolutionem, neque præstita haberet aliquem effectum confessio. Ad Cyprianum & alios canones dico, quoties reperitur confessio facta non Sacerdoti, non potest intelligi de confessione Sacramentali, sed facta ob humiliationem confitentis. Unde si errore non tangeret patenam cum pane, calicem cum vino Ordinandus, non reciperet potestatem Ordinis; consequenter etiamsi esset approbatus Ordinatus ad audiendas confessiones, numquam etiam in articulo mortis absolvere posset, cùm non esset Sacerdos.

Solus Sacerdos absolvere potest.

Habens jurisdictionē.

3. Contra 2. & 3. partem dices: In omni Sacramento ad validam administrationem ejus non requiritur jurisdictio distincta ab ordinatione: & sic etiamsi quis millies prohibeatur conficere corpus Christi, si est ordinatus, hoc est Presbyter, validè potest conficere Corpus Christi; Ergo ad validam absolutionem non requiritur distincta jurisdictio ab ordinatione. *Resp.* Disparitatem esse: quia alia Sacramenta non sunt per modum judicii, hoc verò est; ad judicium autem omninò exigitur jurisdictio in Judice: ut jam dixi.

Completam.

4. Instabis: Sed potestas Ordinis est jurisdictio. *Resp.* Et addo: est incompleta, Concedo; completa, Nego.

5. Superinstabis: Jurisdictio præfata potest reddi completa aliunde, scilicet per submissionem pœnitentis Confessario: per illam enim dat jurisdictionem in se, prout patet ex eo, quòd Superior Conventûs eligere sibi Confessarium etiam non approbatum à suo legitimo Superiore potest, dummodo non sit excommunicatus, interdictus. Similiter & à fortiori Episcopus aut Patriarcha confirmatus, ut habetur *cap. ult. de pœnitentia*. *Resp.* Non sufficit quòd se quis subjiciat Confessario, si ab Ecclesia non subjiciatur, aut hanc authoritatem non habeat ab Ecclesia: quia Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. hæc habet: *Si Episcopus elegit non subditum, debet eligere approbatum; Si subditum, tunc approbat esse idoneum.* Et quando Prior aut Guardianus eligit in Confessarium subditum non approbatum, in tali casu Sedes Apostolica concedit jurisdictionem subdito absolvendi Superiorem illum, prout habetur in *cap. Ne pro dilatione* 16. *eod. tit. de pœnit. & remiss. Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis, ut etiam præter sui Superioris licentiam providum & discretum sibi possint eligere Confessarium.* Quare quia hoc non habetur privilegium pro habente beneficium curatum, talis non potest in Confessarium simplicē Sacerdotem eligere non approbatum, ut patet ex propositione 16. damnata ab Alexandro VII.

Quis potest eligere Cōfessarium.

Gregorius IX. concessit.

6.

6. Privilegium hoc concessum Prælatis, non est revocatum per Tridentinum; nam Tridentinum solùm ex parte Confessoris posuit conditionem necessariam, ut sit idoneus. Ita Eliseus à S. Joann. Bapt. *casu* 110. Sed

7. Quæritur, utrum Prior strictioris Observantiæ Carmelitarum, in Conventu sive suo sive alio ejusdem Observantiæ, possit confiteri alteri Sacerdoti non exposito pro Sacerdotibus hujus Ordinis & approbato à Provinciali, sive approbato ab Episcopo sive non approbato?

8. Licetsi iste casus non contingat in Nostro Ordine, tamen casu quô id contingeret pono nonnulla. In primis quòd in via, quando sunt aliquot Nostrorum Sacerdotes non approbati à Provinciali pro Nostris, possit eligere aliquem illorum: patet ex Statutis *p.* 1. *c.* 23. *num.* 8.

9. Secundò, quando nullus esset Regularium Nostrorum Sacerdotum, quòd tunc posset eligere quemcumque alium Regularem, aut Sæcularem: quia locô citato in Statutis hoc expresè conceditur cuicumque Nostrûm his verbîs: *Fratres tamen itinerantes, vel extra Monasterium occupati, cuicumque Sacerdoti Professo Nostri Ordinis, etiam Novitio, vel defectu Sacerdotis Ordinis Nostri, extraneo Religioso aut Sacerdoti Sæculari confiteri possunt.* Et pro quibuscumque Regularibus habetur privilegium in monumentis Ordinum; referturque in Compendio Privil. Minorum Privilegium Sixti IV. quòd *extra Conventus suos duntaxat, valeant confiteri quibuscumque Sacerdotibus Regularibus vel Sæcularibus, & quòd similiter possint facere ipsi Prælati.* Donatus *q.* 19.

10. Hoc eodem privilegiô uti possunt etiam Novitii, docent communiter Doctores, dummodo de licentia Prælati sint in via: nam privilegia loquuntur indifferenter de Fratribus, non distinguendo inter Fratres Novitios, & Fratres Professos.

11. Sed quid si in via aut in Conventu suo sine licentia sui Prælati hoc facerent; essetne valida confessio? *Resp.* Quòd esset, dummodo alicui approbato ab Episcopo. Ratio est: quia Novitii ex parte rei adhuc sunt fæculares. Ita docent Armilla *verb. Novitius*, Sylv. *verb. Relig.* §. 6. Diana 1. *p. tract.* 6. *de paupertate Religiosa resol.* 27. Donatus *loc. cit. q.* 28. Non tamen hoc licitè facerent; cùm & Novitii debeant cum Regularibus Professis servare decreta. Donatus *ibid. num.* 6.

Novitii cui possunt cõfiteri in via?

12. Imò præfatus Prior sicut quicumque alius posset eligere in via simplicem Sacerdotem, hoc est non approbatum, sive ille esset Regularis sive Sæcularis. Ita docent Navar. *in sum. c.* 4. *num.* 6. §. *Porro in fine, cap. Placuit, de pœnit. in* 6. *num.* 28. Sotus *in* 4. *sent. dist.* 18. *q.* 4. *a.* 2. Sorbus Capucinus in suis *additam. & in compend. privil. verb. Absolutio ordinaria quoad Fratres*, & Bordon. 1. *p. variar. resol.* 34. *num.* 1. Donatus locô citato *q.* 22. Rationem dedi *serie* 8. *num.* 15.

13. Item in dubium non voco, quòd licèt Prælatus apud alios Religiosos, ficut poteft dare licentiam fuo inferiori ut confiteatur alterius Ordinis Confeffario in alio Conventu (a), ita ille hofpes ibi poteft five in eodem five in alio Conventu eligere fibi Confeffarium, cui non contradicunt propria Statuta; tamen apud Carmelitas Strictioris Obfervantiæ, Prior nec dare licentiam poteft inferiori fuo confitendi in alio Noftro Conventu alteri, præter deftinatum & approbatum à Provinciali, à fortiori ut extraneo Religiofo ibi confiteatur, nec ipfe fibi ibi exiftens hofpes eligere Confeffarium fine fpeciali licentia: quia exprefsè hoc fub nullitate confeffionis vetant Statuta locô citato num. 7. his verbis: *Nemini autem liceat fine licentia Superioris præterquam quòd abfolutio nulla fit, confiteri alteri Sacerdoti, nifi à Provinciali approbato & à Priore ut fuprà defignato, fub pœna graviori &c.* Unde tenetur ibi ipfe confiteri deftinato pro Patribus, & Frater Laicus fervitor ipfius Confeffario Laicorum; fi Clericus, eligere Confeffarium Clericorum debet. Secùs faciens abfolutionem recipit nullam. Idem dicendum de Fratribus (b) Ordinis S. Auguftini Difcalceatis aliifque ad fuum Conventum ut hofpitibus venientibus.

(a) Lezana tô. 1. c. 18. nû. 27. Diana tract. 3. de dub. Regul.

(b) Octavius num. 531.

14. Sed quid fi Nofter Prior habeat fecum fuum Confeffarium? *Refp.* Quòd non tantùm in via, fed etiam in Conventu Noftro in quo eft hofpes, poteft fuo Confeffori confiteri, five fit Prior five quicumque alius ipfius Confeffarius, à Provinciali pro ipfo approbatus. Idem dicendum de aliis Regularibus, quibus Statuta non vetant: Maximè de Confeffario fui Superioris ob *cap. fin. de pœnit. & remiff.* apud Lezan. *verb. Confeffio num. 22.* quòd fcilicet ubicunque. Imò in eo Conventu ficut Prior localis poteft audire quemcumque fuum inferiorem, fi ad eum fpontè accedat; ita hic Prior hofpes poteft fuum fervitorem Laicum, aut Sacerdotem Confefforem audire: quia uterque Prior vì Conftitutionum *pag.* 382. *num.* 11. & *part.* 4. *cap.* 17. *num.* 4. poteft fuos inferiores ad fe fpontè accedentes Sacramentaliter audire, & ab excommunicatione five Provinciali five Generali &c. referyata in foro confcientiæ abfolvere, fic & ab incurfa ob percuffionem ejus fubditi Religiofi.

Prior eft Cõfeffarius fuorum inferiorum.

15. Reftat tantùm de hoc difficultas, utrum Prior Carmelitarum Strict. Obferv. in fuo Conventu poffit fibi eligere Confeffarium, & quem? Et videtur quòd fic: quia poteft dare licentiam in fuo Conventu fuo inferiori, ut confiteatur non approbato à Provinciali, ut habetur in Statutis *loc. cit. num. 7.* Ergo etiam ipfe poteft fibi eligere talem, cùm non fit deterioris conditionis fuo inferiore. Quando Prior poteft abfolvere à refervatis Patri Provinciali, tunc & ipfe à fuo inferiore poteft abfolvi, ut videbimus infrà; Ergo etiam à pari, fi poteft

dare

dare licentiam inferiori ut confiteatur non approbato à Provinciali, potest & sibi eligere talem. Hoc tamen debet quoad utrumque intelligi non universaliter, aliàs per placitum Prioris subverteretur authoritas majoris Superioris, nempe Provincialis, qui scriptô Confessarios destinavit. Quare aliter. *Resp.* & dico: Prior Carmelitarum strictioris Observantiæ in suo Conventu aut quasi Conventu, in quali necessitate existenti inferiori suo potest dare licentiam confitendi non destinato à Provinciali, in tali etiam existens ipse potest sibi eligere Confessarium non destinatum à Provinciali, ea lege ut moneat de casu facto Provincialem; conformiter tamen ad Statutorum *num.* 8. *loc. cit.* scilicet, eligere sui Ordinis non alterius, cùm hoc caveant ipsa Statuta Nostra *eodem num.* Et si non potest sui Ordinis, tunc saltem potiùs Regularem quàm Sæcularem, ut ex eodem *num.* 8. colligitur. Idem vetant Constitutiones Ordinis Prædicatorū, prout Donatus *de Confessariis Regularium tr.* 5. *q.* 9. *n.* 3. dicit sequentia: *Hinc in nostris Constitutionibus dist.* 1. *c.* 14. *de Novit. fol.* 49. *col.* 3. *in principio dicitur, quod Prior Fratri suo subdito concedere potest, ut etiam confiteatur Priori vel Fratri alterius Conventus, aliàs legitimo ad confessiones audiendas, sed non Sacerdoti alterius Religionis; ergo multò minùs Sacerdoti Sæculari: quod adeò verum est, ut nec ipse Pater Generalis possit sine legitima causa Fratribus licentiam dare ut confiteantur Sacerdoti Sæculari, nisi fortè deficiente copia Confessoris Ordinis Nostri, ut ibidem subjungitur, & expresse dicitur col.* 4. *ibi.* Nec sibi contradicit Donatus *loc. cit. q.* 1. Ut autem hoc possit facere, necessitas hoc exigere debet. Colligitur inde quod in Statutis Nostris *loc. cit. num.* 12. habetur: *Nulli verò Priori locali licet absque ipsius R.P. Provincialis facultate quemquam instituere Confessarium, nisi toties quoties maxima id necessitate exigente, & ea lege ut statim P. Provincialem monere teneatur &c.*

16. Dices: Hoc intelligendum esse quando Prior instituit Confessarium quoad sæculares, ut habetur in novo Regestro, non verò quoad Regulares. *Resp.* Ita, habetur hoc in Regestro; sed non in lege: ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. *Præses Provinciæ* 3. *ff. de Officio Præsidis.* Nec est ratio, quare teneatur monere quando exponit pro sæcularibus; quare non teneatur exponens pro Regularibus Fratribus sui Ordinis?

Ubi lex nō distinguit, nec nos distinguere debemus.

17. Non debet tamen intelligi necessitas maxima, hoc sensu, quòd petens absolutionem sit in peccato mortali; sed quòd velit confiteri, & non est pro ipso à Provinciali approbatus.

18. Quando abscedunt ex Conventu, à Provinciali destinati & approbati pro Regularibus hujus Ordinis, cessat quæstio: in tali casu potest Prior & sibi eligere quem vult, & pro aliis destinare, nec monere Pro-

vincialem tenetur; cùm hoc minimè sit contra ipsius dispositionem & authoritatem, & hoc Statuta concedunt, ut colligitur *ex loc. cit. num. 7. & 8.*

Pro Regulari extraneo Confessario.

19. Ad Regularem hospitem extraneum, non sui Ordinis audiendum, potest deputare quemcumque etiam non approbatum à suo Provinciali, neque ab Episcopo: quia Regularis potest cuicumque Sacerdoti confiteri in defectu sui, ut colligitur ex antè dictis.

20. Ad hoc adnoto nonnulla breviter. 1. Debere esse cautos pœnitentes in electione Confessarii, ne exponant Sacramentum nullitati. 2. Valdè conveniens esse, ut Provinciales & alii Prælati per tales & similes clausulas irritantes absolutionem, non intendant nullitatem absolutionis, sed oppositum, instituendo Confessarios; sicque per suam intentionem multas absolutiones quæ aliàs essent nullæ, revalidare possunt: ipsi enim multa possunt dicere ad terrorem, & aliud mente intendere (e). 3. Quòd rigidè sunt puniendi tam pœnitentes, quàm Confessarii absolventes contra voluntatem sui Superioris; cùm temerè exponant Sacramentum nullitati.

(e) Lezana verbô Confess. num. 20.

SECTIO III.

A quibus jurisdictio validè & licitè delegari possit?

1. R*Esp.* A Summo Pontifice inconsultis Episcopis pro tota Ecclesia, ab Episcopo loci inconsultis Parochis pro tota Diœcesi, à Generali pro toto Ordine inconsultis Provincialibus, à Provinciali pro tota Provincia inconsultis Prioribus localibus, Guardianis, pro Conventu quocumque sigillatim, potest cuicumque delegari licitè & validè jurisdictio absolvendi: nam sic definivit Joannes XXII. Clemens IV. Leo X. & alii: nec sic impediuntur, sed adjuvantur Parochi per Religiosos.

Confessio Paschalis 1592. 22. Decembris.

2. Quòd verò licitè audiant Religiosi Mendicantes confessiones Paschales sæcularium, & alii Privilegiati, declaratum est in Concilio Generali Viennensi sub Clemente V. in Clementina *Dudum*, *de sepulturis*; in Lateranensi V. sub Leone X. *sess.* 11. Præterea quia sic habetur in Bulla Clementis VIII. quæ incipit *Significatum fuit Nobis &c.* num. 2. *Et tam dictis Fratribus Prædicatoribus & Presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis privilegiatis, quibus id à Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen & ab Ordinariis approbatis, peccata sua etiam quadragesimali, Paschali, & quovis alio tempore confiteri licitè posse, dummodo tamen iidem sæculares Christi fideles Sacramentum Eucharistiæ die festo Paschatis Resurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho sumant.* In Bull. Ord. Carm. *p.* 2. *pag.* 262.

3. Hoc idem declaratum est in S. Congregatione cujus tenor est talis: *Die 9. Julii Anno 1644. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Trid. Interpretum post maturam discussionem, censuit Archi-Episcopum Burdigalensem non posse prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, ut à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè administrare non valeant personis sæcularibus Sacramentum confessionis; posse tamen iisdem prohibere, ut personis sæcularibus in die Paschatis non administrent SSmū Eucharistiæ Sacramentum, etiamsi dictæ personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto Ecclesiæ.*. Hoc Decretum est approbatum ab Innocentio X. per Bullam *Exponi Nobis nuper &c.* Anno 1645. Insuper hoc idem corroboratum est Bullâ Clementis X. quæ incipit *Superna magni Patris*, 1670. 21. Junii.

Vide Bullarium Carmel. part. 2. fol. 570.

4. Utrum inconsultis Parochis, Mendicantes possint audire Confessiones sæcularium infirmorum? *Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita, inhærens declarationibus aliàs desuper editis censuit, Regulares prædictos à locorum Ordinariis, ad audiendas personarum sæcularium confessiones approbatos non posse ab eisdem Ordinariis prohiberi, ne earundem personarum ægrotantium in propriis illarum domibus confessiones audire possint absq; licentia Parochorum, dummodo relinquant schedulam vel notificent ipsis Parochis, quòd pœnitentiæ Sacramentum hujusmodi fuerit ab eis ministratum.* Romæ die 13. Sept. 1641. in Bullar. Ord. *p.* 2. *pag.* 488.

5. In Clementis X. Bulla quæ incipit *Superna Magni &c.* Anno 1670. die 21. Junii edita, sequentia habentur. *Posse quorumcumq; etiam infirmorum confessiones audire absq; ulla Parochorum vel ipsius Episcopi licentia; De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere: & hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.*

SECTIO IV.

Qualisnam jurisdictio, utrum præsumpta, dolô aut vî obtenta sufficiat?

1. RESP. Ad 1. Jurisdictio per ratihabitionem de futuro, seu quòd postea resciens Superior ratum habebit actum, est insufficiens. Similiter hæc conditionata, *Si Superior sciret, potestatem mihi delegaret, sive jurisdictionem conferret*, non valet (a). Ratio est: quia ad valorem absolutionis requiritur necessariò, ut Sacerdos dum absolvit habeat jurisdictionem.

(a) Bonæ Spei, de Rhodes, Petrus à S. Iosepho.

2. Di-

2. Dices: Regula juris est *in 6. ratihabitionem retrò trahi.* *Resp.* Regulam illam habere locum in iis, quæ possunt pendere à conditione aliqua de futuro, quales sunt contractus humani; at verò absolutio non pendet nec pendere potest à cõditione de futuro, ut jam sufficienter dixi.

Præsumpta jurisdictio.

3. Jurisdictio verò præsumpta de præsenti, quòd v.g. Superior videat aut sciat actum exerceri, sciens illum alioqui illicitè exercendum nisi ei concedat jurisdictionem, interea non contradicit dum potest, valet (b). A fortiori dum signo aliquo talem actum exercendum approbat (c). Ratio est: quia hoc ipso quòd non contradicat dum facilè potest, jurisdictionẽ concedere censetur. Ita P. Bonæ Spei, Petrus à S. Josepho & alii.

(b) Bonæ Spei. (c) de Rhodes, Henrix.

4. Ad 2: *Resp.* Vel dolus, fallaciæ, mendacia erant causa impulsiva & finalis adæquata concessionis? Vel non, sed erat aliud majus principale motivũ, ob quod Episcopus concessit aut concessurus erat jurisdictionem? Si primum? Nullitatis est jurisdictio obtenta. Si secundum? Non caret suo valore. Ita Bonæ Spei *num.* 32.

5. Ad 3. *Resp.* & dico: Jurisdictio per metum cadentem in constantem virum extorta, est valida (b): quia delegatio sive concessio illius jurisdictionis est simpliciter voluntaria; licèt secundùm quid involuntaria: quare irritanda, sicut donatio simili modô extorta. Secùs dicendum de externa absolutione à censura: quia hæc expresè & sola *cap. unico de his qui per vim in* 6. irritatur.

SECTIO V.

An licitum sit uti dubia, probabili, jurisdictione; & quamdiu jurisdictio duret?

1. *Resp.* Ad 1. Jurisdictione delegata sub dubio purè negativo, utrum sit concessa, aut utrum cessaverit, numquã etiam conditionatè ut postea confiteantur alteri, licitum est uti (a). Ratio est: quia jurisdictio est de essentia absolutionis & Sacramenti: Ergo sicut non licet uti purè dubio Sacramentô extra extremam necessitatem, ne exponatur Sacramentum periculo nullitatis; ita jurisdictione sub dubio purè negativo, de qua cessat quæstio in extrema necessitate (b), cùm in ea quilibet Sacerdos etiam hæreticus, imò degradatus si alius non est, potest absolvere: nam id Ecclesia ei concedit.

(a) Cõmuniter. (b) Contra Marchantium.

Degradatus potest absolvere.

2. Ad 2. *Resp.* quòd in omni administratione Sacramenti pœnitentiæ, licitum est uti jurisdictione probabili, quando Sacerdos bona fide putat, quòd usu illius non peccetur. Ita Bonacina, Diana, Lugo, Petrus à S. Josepho, NN. Lezana, Bonæ Spei. Addit Bonæ Spei, *etiam relictâ*

cer-

certâ & tutiori. Vide *de Sacram. Pœnit. ser.* 3. *num.* 7. Et Lezana: *quod est valde notandum pro Regularibus, quando sunt opiniones diversæ ad valorem privilegiorum, quæ habent ad absolvendum.* Ratio communis DD. est: quia non est major ratio, cur Ecclesia suppleat jurisdictionem quando adest error communis & titulus coloratus, v.g. quòd aliquis pro vero Parocho habeatur, & est intrusus aut simoniacus; & non suppleat quando adest probabilis DD. opinio circa jurisdictionē delegatam, cùm in hoc casu eadem incōmoda & damnatio animarū, sicut in primo casu sequatur.

Licitum est uti jurisdictione probabili.

3. Dices: Non licet in Sacramentis uti materia & forma probabili tantùm relictâ certâ, ne anima periculo damnationis exponatur; Ergo similiter non licet uti probabili jurisdictione ob eandem rationem. Quod potest comprobari: moneta probabili tantùm, non satisfit debito certo; Ergo nec jurisdictione probabili tantùm, debito certo pœnitentiæ Sacramentum administrandi. *Resp.* Ad 1. Disparitas est, quare Ecclesia nec materiam nec formam supplet: quia sunt institutionis Divinæ; jam verò jurisdictio est concessionis Ecclesiæ. Ad comprobationem disparitas est etiam similis: quia Ecclesia monetam non instituit, non est ipsius supplere eam.

4. Ad 3. dico: Omnis jurisdictio per Episcopum absolutè & irrestrictè delegata ad absolvendum à peccatis, per mortem Episcopi nen cessat. Ita communiter DD. Nam in Extravag. *Inter cunctos de privilegiis*, ita declaratum est his verbîs: *Datam verò licentiam, per Diœcesanorum mortem nolumus terminari.* Et sic per hoc salvantur multi confitentes in partibus remotioribus, in quibus nondum de morte Episcopi constat. Quòd verò Vicarii Episcopi Officium per mortem Episcopi desinat esse, ratio est: quia hoc decretis Summorum Pontificum decisum est, cum Vicarius ille, unus cum Episcopo moraliter censeatur; Delegatus verò, persona distincta ab ipso delegante. Unde usu receptum est, perseverare talem jurisdictionem donec à Capitulo vel successore legitimè revocetur. A pari respectivè ad Successorem dicendum de jurisdictione delegata per Provincialem: nam ob eadem incommoda vitanda, eodem modo mens Ecclesiæ est interpretanda.

Jurisdictio irrestrictè data per mortē Episcopi non expirat.

Jurisdictio restricta cū tempore expirat.

5. Si autem sub restrictione est concessa jurisdictio, ad certum tempus, expirat cum tempore: quia gratia concessa non excedit concedentis voluntatem, neque hæc plùs operatur quàm verbîs exprimit. Attamen expiratio temporis non impedit actum inchoatum: quia hoc cautum est jure *cap. Gratum*, & *cap. Relatum de officio Delegati.* Unde si ob justam causam judicat Confessarius absolutionem differendam post diem secundā, tertiam, & ultrà, potest illam differre; non obstante expiratione citiùs, aut eâ die quâ confessionem excipit.

Nisi sit actus inchoatus.

SECTIO I.

Quid approbatio, ad quas personas necessaria, & quid circa eam dicendum?

Approbatio.

1. Approbatio est judicium authenticum sive publicum, quô fides fit Sacerdotem esse idoneum & capacem, cui committitur jurisdictio. Ita de Rhodes & alii. Ut autem sciamus ad quas personas absolvendas est necessaria approbatio Episcopi; in primis videndum est Tridentinum, quod *sess.* 23. *cap.* 15. hæc habet verba: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem quæ gratis detur obtineat, privilegiîs & consvetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibûs &c.*

Ab Episcopo.

2. Collige ex hac Sacra Synodo, quando Parochus relinquit beneficiũ, ut possit audire confessiones sæculariũ, debet approbari ab Episcopo.

Non quoad Religiosos absolvendos necessaria.

3. Secundò colligitur, quòd quoad Regulares exemptos absolvendos, non requiratur approbatio Episcopi, cùm hoc decretum Tridentinum requirat illam, tantùm ab Episcopo quoad absolvendos sæculares; & Regularium absolvendorum Prælati Ordinis habent jurisdictionem pastoralem, cùm sint illorum Pastores ordinarii. Secùs dicendum de Confessariis Monialium: nam in Nostris partibus pro Monialibus etiam subjectis Regularibus, Confessarii debent esse approbati ab Episcopo, propter constitutionem Gregorii XV. quæ incipit *Inscrutabili*. Cui adde declarationes S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quibûs declaratur: *Regularem ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii.* Item *Confessarios extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, non posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum confessiones audire; sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis cõtigerit*: apud Donatum *pag.* 339. Plura de hoc dixi *ser.* 8. *num.* 16. & *dist. hîc*, *ser.* 7. *sect.* 2. *num.* 7.

Sed quoad Moniales.

Et sæculares etiam Sacerdotes.

4. Tertiò colligitur, quoad sæculares absolvendos, etiam Confratres aut Sacerdotes, ita necessariam esse approbationem Episcopi, ut omnibûs ponendîs positis præter eam, nulla sit absolutio.

5.

5. Casus est. Regularis N. non approbatus ab Episcopo, in via præsente Parocho (in cujus Parochia est Conventus illius) & aliis non paucis approbatis, absolvit suum vectorem, qui causâ devotionis & utilitatis non necessitatis, est ipsi confessus; quæritur an valida sit ipsius absolutio? *Resp.* Vel præfatus vector erat conductus; aut de familia sed non verè de familia, solùm ferè ordinariè inserviens; vel erat verè de familia & commensalis seu verè familiaris? Si primum aut secundum? Nulla est absolutio. Si tertium? Valida est absolutio. Pro approbatione responsionis adduco decisionem Sacræ Congregationis. Auriga confitetur Regulari non approbato.

6. Anno Domini 1568. die 14. Augusti *Sacra Congregatio censuit, quòd Prælati Regulares seu alii Religiosi Confessores non possint audire confessiones sæcularium, qui sunt de familia, & deserviunt ipsorum Monasteriis, absque approbatione vel licentia Episcopi; secùs tamen si illi sæculares sint verè de familia & continui commensales.* In Bullario Ordinis *p. 2. pag. 164.* Hoc idem habetur in Clementina *Superna Magni Patris.* Tutiùs tamen est, ut Superior ad familiares audiendos deputet Confessarium Regularium, etiamsi non sit approbatus ab Episcopo: quia in præfata Clementina Pontifex utitur his verbîs, *posse Confessores Regularium &c.*

7. Sed quis est familiaris vere? Respondet Lezana *tom. 2. c. 16. num. 1.* *Familiares seu servitores Regularium in præsenti appellantur illi, qui ipsis inserviunt, & cum illis cohabitant, ita ut sint ipsorum quasi commensales.* Ita enim colligitur ex cap. ult. *de verb. significat. in 6.* Rota Romana divers. *part. 2. decis.* 303. *num. 2.* *Nec est necessarium ut aliquis familiaris censeatur, quòd propter stipendium vel mercedem inserviat: nam si aliquis gratis servire velit Monasterio, familiaris utique erit.* Et sicut Regularis, in via non desinit esse Regularis; ita familiaris, in via non desinit esse familiaris.

8. Possuntne Parochi exquirere ex familiaribus Regularium, utrum præcepto Ecclesiæ satisfecerint? *Resp. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum censuit, si hujusmodi laici verè sint familiares & continui commensales Regularium, eisq; actu inserviant, esse cum eis eodem jure censendos, ut scilicet ad Superiores Regulares, & non ad Episcopos pertineat inquirere ab eis, an præcepto Ecclesiæ satisfecerint.* Bullar. Ord. *part. 2. pag.* 350. Sub Paulo V.

9. Colligitur 4. ex suprà posito Trid. quòd Regulares etiam graduati in S. Theologia, debeant aut possint examinari, prout videbitur Episcopo: Cùm Trid. universaliter de omnibus Regularibus dicat, & per Constitutionem Pii V. quæ incipit *Romani Pontificis providentia*, statutum sit.

10. Quòd si (quod absit) ex induratione, mala voluntate, odio aut alia illegitima causa, noluerit Episcopus dare licentiam audiendi confessiones sæcularium, docent communiter DD. quòd in tali casu possint audi- Quod si Episcopus nollet approbare.

audire confessiones: tum quia quoad hoc non est revocata per Concilii Trid. Clementina illa *Dudum de sepulturis*, quæ hoc statuit: tum quia non est credibile, Concilii decretum procedere in hoc casu. Alii malunt Episcopum peccare mortaliter in tali casu, quàm admittere pro sufficiente petitam & non obtentam approbationem (a). Ego censeo tales Sacerdotes non esse exponendos ad audiendas confessiones sæcularium: tum ob vitanda scandala, perturbationes &c. tum quia Trid. *loc. cit.* dicit: *Nisi quis approbatus fuerit ab Episcopis, non potest confessiones audire:* quod videtur intelligi velut illud Joan. *nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum DEI.*

(a) Bonæ Spei.

11. Collige 5. Omnes qui habent beneficium Parochiale, non egere approbatione: quia hos excipit Trid. Tales autem sunt Episcopi etiam non consecrati (b), Abbates habentes jurisdictionem Episcopalem, Parochi omnes. Secùs dicendum de Prælatis aliis Ordinum, uti sunt Generales, Provinciales (c). Qua propter

(b) de Rhodes.

(c) Diana, Rodriquez, de Lugo.

12. Quæritur, utrum Prælatus Regularis possit aliquem Sacerdotem sui Ordinis sibi subditum, ab Episcopo non approbatum, ad audiendas confessiones designare in Parochum? *Resp.* negativè: quia hæc est mens & praxis Ecclesiæ, quòd non alios quàm approbatos ad audiendas confessiones, designent Prælati Ordinis in Parochos. Donatus *de Reg. Confess. sæcularium quæst.* 8.

SECTIO II.

Approbatio in Regularibus necessariò requisita ad audiendas confessiones sæcularium, à quonam obtinenda sit?

Parochus nondum Sacerdos potest dare licentiam audiendi confessiones.

1. Responsioni præmitto nonnulla. His temporibûs certum esse, Parochum non posse dare licentiam audiendi confessiones Regulari non approbato; Secùs approbato, etiamsi nondum ipse Parochus, sit ordine Sacerdotali initiatus: quia habet potestatem jurisdictionis, quæ est annexa tali officio. Ita Navar. *cap. Placuit, de pœnit.* Filliuc. Bonacina &c.

2. Certum est apud omnes, quòd Officiales ex commissione Episcopi, Capitulum Sede vacante, possint dare approbationem in ordine ad confessiones excipiendas sæcularium. Neque de hoc est difficultas, quòd Episcopus electus nondum confirmatus nequeat quemquam approbare, cùm nondum jurisdictionem recepit; econtra confirmatus nondum consecratus, potest approbare: quia tali casu jam recipit jurisdictionem (d). Sed de hoc difficultas est inter Theologos, à quonam Episcopo obtinenda

(d) Bonæ Spei, de Rhodes.

est

eſt approbatio, an áb Ordinario Sacerdotis? ùt volunt plurimi Theologi ac Juriſperiti cum Suare, Reginaldo, de Rhode; an ab Ordinario pœnitentis? ùt vult Vaſquez; vel ab alterutro? ùt vult Bonæ Spei; an ab Ordinario loci in quo excipiuntur confeſſiones? ùt docent Navarrus, Ugolinus, Barboſa *de poteſtate Epiſcopi;* an à quocumque horum? ùt exiſtimant Henriquez, Diana, Thomas Sanchez & alii. Hîs præmiſſis

3. *Reſp.* Et dico: Obtinendam eſſe ab Ordinario loci (e): Sic enim reſponſum eſt à S. Cõgregatione Archi-Epiſcopo Valentino: *Approbatum ab alio quàm à Valentino Archi-Epiſcopo, in Diœceſi Valentina non cenſeri approbatum ab Ordinario.* Et in Conſtitutione Clementis X. quæ incipit *Superna* 1670. edita, ita habetur: *Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quàmvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati.*

(e) Bonacina, Proſper, Lezana t. 1. c. 19. nũ. 19.

4. Debetne in ſcriptis dari approbatio? *Reſp.* Quòd non: cùm hoc Trid. non requirat. Ita Barboſa & alii communiter.

SECTIO III.

Regulares approbati in una Diœceſi poſſuntne ſaltem aliquo titulô audire confeſſiones ſæcularium in alia Diœceſi?

1. AFfirmativè reſpondent Auguſtinus Abbas Einſidlenſis, Lezana *loc. cit.* de Rhodes, Sotus, Ledeſma, Donatus & alii multi: ſic enim ſuam ſententiam exponunt, quòd Confeſſarius approbatus in una Diœceſi, quamdiu in illa non deſerit domicilium, in alia Diœceſi hoſpes exiſtens poteſt excipere confeſſiones, etiam illius Diœceſis civium; ſimiliter tranſiens per alias Diœceſes: quando autem illud domicilium deſerit, & in alia nondum habet approbationem pro confeſſionibus, tunc iter agendo non poteſt in alia Diœceſi audire confeſſiones ſæcularium; nec etiam morans una hebdomadâ in aliqua Diœceſi approbari ab Ordinario illius loci, cùm non ſit illius ſubditus (f). Et decretum Clementis X. in hoc ſenſu ſumunt & explicant, prout facit præfatus Abbas dicens, hanc eſſe mentem Clementis decimi. Religioſos qui deſeruerunt ſuũ domicilium in ſua Diœceſi, non poſſe in alia Diœceſi abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire &c. non autẽ Religioſos qui non deſeruerunt in ſua Diœceſi domicilium. Sed pro oppoſita mea ſententia notandum 1. Si Summus Pontifex eſſet hujus mentis, non adderet, *in ſua Diœceſi approbatos:* qui enim deſeruerunt domicilium & Diœceſim, non eis eſt

(f) de Rhodes.

Diœcesis suæ. 2. Præterea libenter scirem, quo titulô in una Diœcesi approbati, possunt in alia audire? cùm jam illa sententia communis, quòd *Regularis in una Diœcesi approbatus, est approbatus pro tota Ecclesia*, corruit: ut patet ex propositionibus qualificatis, infrà positis. Nec etiã privilegium pro hoc aliquod extat: nam omnia antè concessa Regularibus per Constitutionem Urbani VIII. *Cum sicut accepimus*, editam 1628. die 12. Septembris, extincta sunt: Sic enim habetur in præfata Constitutione: *Cùm sicut accepimus, aliquibus Religiosis quorumcumque Ordinum seu Congregationum à Sede Apostolica indultum fuerit, ut Sacramentales personarum sæcularium confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis Diœcesanis ad id examinati & approbati non fuerint. Nos omnia & singula indulta hujusmodi audiendi sæcularium confessiones absque Ordinarii examine & approbatione, quibúsvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societati JESV, Congregationibus & Ordinibus, tam Mendicantium quàm non Mendicantium, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, Capellanis, Confessariis, aut aliis quocumq; nomine nuncupatis de Apostolicæ potestatis plenitudine, hactenus quomodocumque & qualitercumque ex quavis etiam de necessitate exprimenda causa, & aliàs quomodolibet concessa Apostolica authoritate, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus & annullamus, viribusq; & effectu evacuamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata & annullata, viribusq; & effectu vacua esse & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati JESV, in posterum ullo modô suffragari.*

In aliena Diœcesi potest Parochus suum diœcesanum audire non autem Regularis.

3. Donatus cum P. Lezana, quòd Curati possint absolvere suos subditos ubicunque repertos, probant ex Clementina *Dudum de sepulturis* id posse & Regularem approbatum in aliena Diœcesi; eò quòd Regulares æquiparantur Parochis, ut expresè dicitur in Clementina *Dudum loc. cit.* Sed Fagnan. adfert à S. Congregatione decisum oppositum. An sit, vel non? omitto illud; cùm sit in Clementina *Superna*, in anteriori Sectione *num.* 3.

SECTIO IV.

Quando Episcopus potest restringere ad tempus approbationem, & quando iteratò Regulares ad examen vocare, & ab audiendis confessionibus suspendere, aut absolutè facultatem eis adimere?

1. IN Clementina *Superna Magni Patris* habetur sic: *Illos autem Religiosos qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopis, generaliter quoq; & indistinctè absq; aliqua limitatione temporis, certorumq; locorum aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos.* Quo-

Quoad cæteros verò qui non adeò idonei reperiuntur, petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipsos cum limitata facultate prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere.

2. *Sacræ Congregationis Cardinalium negociis Episcoporum & Regularium præpositorum. Illustrissimi ejusdem S. Congregationis Patres statuunt ac decernunt, Archi-Episcopis, Episcopis, aliisq; locorum Ordinariis, ad quos Confessarios approbandi jus spectat, Confessarios Regulares aliàs ab ipsis liberè approbatos ab audiendis confessionibus suspendere posthac minimè licere, nisi ex nova causa, eaq; ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum. Statuunt insuper, eosdem Archi-Episcopos, Episcopos, locorumq; Ordinarios, confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventûs Regularibus Confessariis, eadem S. Congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse. Quod quidem decretum ut iidem Illustrissimi Patres opportunum & necessarium duxerunt, ita inviolabiliter jubent observari.* Datum Romæ 20. Novembris 1615. in Bullario Ordinis *part.* 2. *pag.* 371. §. 41. Sub Paulo V.

3. In Clementina *Superna Magni Patris*, sic habetur: *Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine, simpliciter & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secùs autem si ab ejus Vicario aut Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem qui sic approbavit iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam aperiri sibi postulaverit. Porro si Regulares cum scandalo aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judiciô videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cùm præcipua Ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas ac morum honestas, utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere aut repellere à confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem, omnibus simul unius Conventûs Regularibus Confessoribus, adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse.* Causæ ob quas Episcopus prohibere potest audiendi confessiones.

4. Collige ex his 1. Posse vocari Regularem ad examen, si sine examine approbatus sit. 2. Ab Episcopo, à quo non est examinatus. 3. Etiamsi sit examinatus, sed nova causa necessitat Episcopum ad novum examen novamque approbationem vel reprobationem. Attamen licèt non teneatur Regularis post aliquot annos reversus ad suam Diœcesim in qua habuit domicilium petere iteratò approbationem ab eodem Episcopo, à

 quo

quo illam, aut ejus Vicario illimitatè obtinuit; coram novo tamen Episcopo, si illam ab Antecessore datam revocaverit vocando ad examen, omnes se sistere debent, si ita velit Episcopus: si secùs, potest per suum Superiorem aut alium obtinere novam approbationem. 4. Posse novū Episcopum approbationes ab Antecessore concessas revocare, in ordine ad novum examen: quia sic habetur in Bulla Pii V. *Romani Pontifices*; à Successore autem Episcopo, pro majore conscientiæ quiete examinari de novo poterunt. Et iste providus est saluti modus, quô utuntur Episcopi dum licentiam Prædecessoris concessam Confessoribus non revocant aut solùm à reservatis revocant, dum eos ad examen vocant: sic enim multas difficultates oriundas circa salutem animarum sufferunt. Videndus Lezana *Consult.* 40.

Vide Sect. 5. num. 4.

5. An Sede vacante possit Capitulum revocare facultatem, quam habent Regulares audiendi confessiones sæcularium? *Resp.* Quòd sic, ex justa causa: quia Capitulum Sede vacante potest omnia exercere, quæ de jure communi pertinent ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, exceptis nonnullis speciatim jure prohibitis. Barbosa *p.* 2. *de offic.* & *potest. Episc. allegat.* 36. *num.* 9.

Ad hanc seriem & anteriorem addendæ sunt sequentes propositiones qualificatæ.

Decretum feriâ quinta die 30. Januarii 1659.

6. In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram SSmo Domino Nostro Alexandro Divina Providentiâ Papa VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in Universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

7. Cum nuper à Regularibus Mendicantibus Diœcesis Andegavensis judiciô Sedis Apostolicæ (ad quam duntaxat controversias fidei & morum Universalis Ecclesiæ pertinet definire) infrà insertæ propositiones fuerint oblatæ, de mandato SSmi Domini Nostri Alexandri Divina Providentiâ Papæ VII. plurium Theologorum & Canonistarum à Sanctitate sua ad id specialiter deputatorum examini sint commissæ, quô peractô, & relata Sanctitati suæ unanimi eorundem Theologorum atque Canonistarum censurâ, idem SSmus auditis votîs Eminentissimorum & Reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, easdem propositiones prout infrà qualificatas authoritate Apostolica declaravit & decrevit, & tales ab omnibus haberi præcepit.

8. Pri-

Propoſitiones qualificatæ.

8. Prima. Concilium Trid. non obligat Regulares in Gallia, ád obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut ſæcularium confeſſiones audire poſſint; neque ex illius Concilii authoritate privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cùm in Gallia receptum non ſit, præterquam in deciſionibus fidei; neque etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.

9. Eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, in hæreſim & ſchiſma inducens, S. Concilio Trid. & Sedi Apoſtolicæ injurioſa.

10. Secunda. Ubi Concilium Trid. eſt receptum, non poſſunt Epiſcopi reſtringere vel limitare approbationes quas Regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas, neque illas ulla ex cauſa revocare: quinimo Ordinum Mendicantium Religioſi ad eas approbationes obtinendas non tenentur. Et ſi ab Epiſcopis non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac ſi approbatio conceſſa fuiſſet.

11. Complexè accepta, eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa & erronea.

12. Tertia. Regulares Ordinum Mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad confeſſiones audiendas in ſua Diœceſi, habentur pro approbatis in aliis Diœceſibus; nec nova Epiſcoporum indigent approbatione. Regulares habent poteſtatem abſolvendi à peccatis Epiſcopo reſervatis, etiamſi ab Epiſcopo authoritas ipſa ipſis indulta non fuerit.

13. Quoad primam partem, eſt falſa, & animarum ſaluti pernicioſa; quoad ſecundam partem etiam eſt falſa, & authoritati Epiſcoporum & Sedis Apoſtolicæ injurioſa.

14. Quarta. Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam confeſſionem, nec ad Miſſas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, Divinam legem, fidei rudimenta morumque doctrinam, quæ ibi in cathecheſibus annuntiantur & docentur.

15. Quoad primam & ſecundam partem ſimpliciter accepta, eſt erronea & temeraria; ſuppoſitis verò privilegiîs Apoſtolicis, nullam meretur cenſuram: & quoad tertiam partem de auditione verbi Dei, ſervetur diſpoſitio S. Concilii Tridentini.

16. Quinta. Talem legem in hac materia nec Epiſcopi nec Concilia Provinciarum, vel Nationum ſancire, nec delinquentes aliquibus pœnîs aut Eccleſiaſticis cenſurîs mulctare poſſunt.

17. Suppoſitis itidem privilegiîs Apoſtolicis nullam meretur cenſurã. Verùm iſta non eſt prædicanda, nec publicè docenda, prout nec præcedens quarta.

18. Sexta. Regulares Mendicantes petere poſſunt licitè à Judicibus ſæcularibus, ut injungant Epiſcopis, quatenùs ipſis mandata concedant ad prædicandum in Adventu & Quadrageſima. Quodſi renuant facere

Episcopi, decretum Judicum sæcularium tandundem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset.

19. Est falsa, erronea, & in hæresim & schisma inducens.

20. Hanc ergo qualificationem & declarationem à cunctis tenendam, sequendam & in praxi observandam esse Sanctitas sua declaravit, sub pœnis contra Schismaticos, temerarios, seditiosos ac de hæresi suspectos impositis, contrariis quibuscumque non oppositis. Signatum Joannes Lupus S. Romanæ & Universalis Ecclesiæ Notarius. (✠) Locus Sigilli.

Propositiones damnatæ.

Ab Alexandro VIII. Consvetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. 18.

Ab eodem. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt vel invalidæ. 20.

A Joanne XXII. Confessus Fratri admisso in forma *Dudum*, tenetur eadem peccata in numero iterum Curato confiteri.

Ab Alexandro V. Confessio Fratribus admissis facta, est dubitabilis & incerta: quapropter omnes tenentur dimittere incertum, & sic solùm confiteri suis Sacerdotibus curam animarum habentibus sub pœna peccati mortalis.

Ab eodem. Quàmvis Fratres admissi habeant authoritatem absolvendi & audiendi confessiones, tamen populus subjectus non habet potestatem accedendi ad Mendicantes, sine licentia proprii Sacerdotis.

Ab Eugenio IV. Nullus Parochianus cujuscumque Parochiæ potest accedere ad aliquem Fratrem admissum in forma juris secundùm Capitulum *Dudum* gratiâ confessionis faciendæ, sine licentia proprii Sacerdotis sive Curati Parochialis.

Ab eodem. Confessi Fratribus secundùm formam Capituli *Dudum*, tenentur iteratò eodem annô omnia peccata sua, ac eadem peccata denuò confiteri suo proprio Sacerdoti.

SERIES III.

Quibus censurîs & qualiter latis impeditur jurisdictio ad præstandam validè absolutionem?

Quibûs impeditur jurisdictio.

1. IDem non est, non posse uti jurisdictione ac carere eâ, non minùs quàm non posse gladium è vagina educere & eô carere. Quibùs autem censurîs impeditur jurisdictio, sunt: excommunicatio, suspen-

ſpenſio & interdictum; ſed non qualitercumque latis, ſed publicè & nominatim. Unde ſi quis publicè ſed non nominatim, hoc eſt non expreſſo nomine ejus, aut appoſitis variis ſignis illum certò monſtrantibus declaretur excommunicatus, aut nominatim ſed privatim; talis excommunicatus, non eſt vitandus ſed toleratus, juxta Concilium Conſtantienſe (a): conſequenter licèt illicitè (niſi rogatus) tamen validè abſolvere poteſt, niſi obex ſit ex parte pœnitentis. Vide *diſt.* 1. *ſer.* 7. Hæc enim duo exigit Concilium Conſtantienſe ad vitandum excommunicatum (a). Idem dicendum de vitando ſuſpenſo &c. Et ut talis vitari debeat, neceſſe eſt ut probabiliter conſtet eum eſſe denuntiatum, ſive per famam publicam, ſive per virum aliquem probum & fide dignum id ſciatur (b): quòdſi econtra conſtet famam eſſe falſam, aut ipſum eſſe jam abſolutum, non debemus eum vitare.

(a) Bonacina de excom. §. 3. Filliuc. Petrus à S. Joſepho.

(b) Petrus à S. Joſepho reſ. 5.

2. Unde ſi Titius excommunicetur publicè nominatim cum ſuis fautoribus, non exprimendo nomina eorum, fautor ipſius Cajus qui eſt Confeſſarius, non eſt vitandus: quapropter audiens confeſſionem, validè abſolvit.

Quis Clerici percuſſor, excommunicatus vitandus?

3. Similiter ut Clerici percuſſor ſit vitandus, ex declaratione ejuſdem Concilii Conſtantienſis hæc duo requiruntur. 1. Ut ea percuſſio ſit adeò notoria majori parti vicinorum, ut nulla tergiverſatione celari poſſit (b). 2. Ut percuſſor Clerici nullo juris ſuffragiô ſe excuſare valeat.

4. Unde vel percuſſit Clericum ſed percuſſio eſt occulta, vel publicè hoc fecit ſed ignoravit eſſe Clericum? Primô caſu excommunicatus eſt; ſed non vitandus. Secundô nec propterea excommunicatus: quia excommunicatio fertur propter conditionem perſonæ talis cognitæ, occiſæ aut percuſſæ (c).

(c) Sanchez, Bonæ Spei de jure d. 19. num. 134. Stephanus à S. Paulo pag. 894. Petrus à S. Joſepho.

5. Sunt præterea caſus quos adferunt Doctor Reſolutus *in* 4. *d.* 18. *q.* 3. *a.* 1. & 2. Lezana *verb. Clericus*, in quibus percuſſor Clerici non incurrit excommunicationem.

Non incurritur excommunicatio quando Clericus ideo percutitur.

6. Primò, quando quis percutit Clericum per jocum, non ex odio; cùm taliter percuſſio non ſit ſvadente diabolo, *cap.* 1. *de ſent. excom.* D.R. *loc. cit.* 2. Quando id fortuitò contingit: ut ſi aliquis dum irruentẽ turbam cohibet, fortuitò percutit Clericum vel Monachum: non propter hoc incurrit excommunicationem. Ita habetur *cap. Si verò* 1. *de ſent. excomm. cap. Etiam.* 3. Quando quis percutit Clericum vim vî repellendo, cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defenſionem ſui, etiamſi occidat; non eſt excommunicatus, nec irregularis, ut habetur *in Clementin. unic. de homicidio* in eodem *cap. Si verò*: cùm talis percuſſio non cenſeatur violenta, ſed defenſio jure naturæ debita. Toletus *lib.* 1. *cap.* 33. Lezan. *locô cit.* 4. Quando ſæcularis capit Clericum, & in carcerem trudit de

Aut fortuitò.

Aut vim vî repellendo.

man-

Aut quando capitur.
Causâ disciplinæ à Prælato.
Quando Parens non Sacerdotẽ percutit Filiũ.

mandato sui Prælati Ecclesiastici: hoc enim conceditur Prælatis *cap. Si Clericos de sent. excom. in* 6. quòd poterunt id per alios exequi. Bonac. *de cens. d.* 2. *q.* 4. *p.* 1. 5. Quando Clericus percutitur causâ correctionis & disciplinæ ab habente legitimam potestatem, v.g. à Prælato aut Magistro; & non exceditur modus in correctione; neque percutitur ex odio aut ira, *cap.* 1. *cap. Ex tenore, cap. Cum voluntate.* Bacconius, Lezana *locô cit.* Navar. *in Man. c.* 27. *num.* 81. 6. Casus est, Parens sæcularis percussit suum filium Clericum causâ disciplinæ & correctionis; an per hoc incurrit excommunicationem? *Resp.* Vel percussus tantùm est Clericus, hoc est in minoribus constitutus? Parens facta tali percussione non incurrit excommunicationem: quia hoc canon expresè concedit. Ita dicit Tolet. *locô cit.* Sylvius, Tabiena, Navar. apud Lezan. *suprà.* Vel percussus est insuper dignitate Sacerdotali decoratus? Negant Panormitanus *cap. Cum voluntate*; & Toletus Parentem posse licitè & absque incursu censuræ percutere talem. 7. Quando quis percutit Clericum turpiter agentem, inventum cum Matre, Filia, Uxore, vel Sorore: tunc enim licèt peccet percutiendo, per *cap. Inter hæc* 33. *q.* 2. non tamen contrahit excommunicationem, *cap. Si verò de sent. excomm.* eò quòd Ecclesia non reputet hujusmodi percussionem factam esse svadente diabolo; sed ex vehementi passione, aut potiùs dolore, ùt D.R. Lezan. Navar. Secùs dicendum dum inveniretur cum alia Persona consanguinea, v.g. nepte, prout significatur in dicto *cap. Si verò.* Lezan. Bonac. Laym. aut cum Matre, sed non in actu inhonesto. Addit Toletus *locô cit.* casum: Si mulier percuteret Clericum de stupro illam tentantem; modò tentatio fiat factô, & non solo verbô. Navar. *in sum. cap.* 27. *num.* 85. 8. Quando quis percutit Clericum privatum hoc privilegio canonis. Qui autem tales sint, vide *ser.* 4. *sect.* 6. *num.* 9. 9. Casus est *de Clerico deposito & tradito Curiæ sæculari: de judic. Cùm non ab homine. Secùs si non sit traditus, quàmvis degradatus, nam talis privilegium non perdit.* 81. *d. dictum, & hoc in memoriam præteriti officii.* Sunt verba D. Resoluti à quo citato canoni addendum cap. quod incipit *Degradatio in* 6.

Incontinentẽ cum Matre, Filia, Uxore, Sorore.
De stupro tentantem.
Quãdo quis percutit Clericum privatum privilegiô canonis.
Degradatũ traditum Curiæ.

Qui gaudẽt privilegiô canonis.

7. Ad hæc addendum 1. Quòd privilegiô canonis non tantùm Clerici in sacris constituti gaudeant, aut prima tonsurâ initiati *cap. Cùm contingant, de ætat. & qualitat.* Sed etiam omnes Regulares utriusque sexûs, etiam Novitii: quia omnes isti sunt de sorte Domini, & Dei cultui specialiter dicati. Sylvius, Bonac. *de leg. d.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. §. 2. cùm res sit in materia favorabili.

Quid de initiatis tõsurâ.

8. Quid si initiati tonsurâ, aut in minoribus constituti non deferant habitum clericalem, neque tonsuram. *Resp.* Tales gaudere privilegiô canonis, non fori. Ita Lez. *loc. cit.* Bonac. *num.* 20. & alii.

9. Ad-

9. Addendum 2. quòd ad incurrendam excommunicationem requiratur actio externa & interna mortalis. Unde si intentio percutiendi sit mortalis, & percussio externa venialis quia valdè exigua, non incurritur excommunicatio. Ita Bonac. *de cens. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. *num.* 7. §. *Ex quo patet*, Layman, Lezana & alii.

Qualis actio requiratur.

SERIES IV.

Circa restrictionē & ampliationem jurisdictionis Confessarii.

1. SIcut jurisdictio Confessarii restringitur per reservationem casuum, ita per facultatem absolvendi ab eis ampliatur. Quòd autem sit potestas in Ecclesia reservandi casus, est de fide, prout habetur in Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. & eâdem *sess. can.* 11. & contra Viclefum ostendit Noster Thomas Valdensis *tom.* 2. *de Sacram. cap.* 149. Ratio svadet sic: Est potestas in Ecclesia dandi facultatem absolvendi à casibus; ergo etiam est potestas restringendi eam ad non tales, sed ad alios casus. Et quia casus dicitur à cadendo, sicut quis potest cadere in peccatum, ita in censuram; ideo utrumque dicitur casus, & non raró reservatus. Potestas autem reservandi eos residet in Summo Pontifice, in Episcopis, & aliis Prælatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem ordinariā: ùt sunt Generales, Abbates, Provinciales; imò juxta multos Parochus respectu suorum subditorum casus sibi reservare potest. Ita Major *in* 4. *d.* 17. *q.* 5. Sylvius *q.* 2. Card. de Lugo *l. c. sect.* 1. *num.* 2. Petrus à S. Joseph, Toletus *l.* 3. *cap.* 14. in fine. Ratio est: quia in foro interiori habet jurisdictionem ordinariam. Tamen cavere debet ne sibi reservet casus Episcopo reservatos: nam superfluè & inutiliter sibi reservaret, cùm habens facultatem ab Episcopo, ab illis absque licentia Parochi absolvere possit; & non habens facultatem ab Episcopo, de licentia Parochi nequit ab illis absolvere, cùm inferior non possit in Superiorem. Neque sua authoritate valet Parochus excommunicare; cùm illi nullibi in jure id concedatur. Hîs positis fit de casibus utrisque, tam peccatis quàm censuris reservatis

Casus reservati in genere & specie.

Parochus quid potest?

SECTIO I.

Qui sunt casus Summo Pontifici reservati?

1. R*Esp.* In primis reservati sunt omnes casus contenti in Bulla Cœnæ Domini. *Bulla Cœnæ* sunt litteræ Apostolicæ cum sigillo plumbeo Summi Pontificis, in Cœna Domini solitæ pro-

In Bulla Cœnæ excommunicantur.

mulgari: ex quo habent suam denominationem *Cœnæ Domini.* In his continentur & excommunicantur quâlibet Cœnâ Domini sequentes. 1. Hæretici cujuscumque sectæ, eorumque fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & schismatici. 2. Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium eorumque fautores. 3. Piratæ, atque eorum receptatores & fautores. 4. Naufragorum Christianorum cujuscumque generis bona, etiam in littoribus inventa surripientes. 5. Imponentes nova pedagia & gabellas, vel eas augentes. 6. Falsificantes litteras Apostolicas, aut falsò fabricantes. 7. Deferentes arma & alia usui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, & ad Reipublicæ Christianæ statum pertinentia iisdem in damnum Christianorum nuntiantes. 8. Impedientes eos qui victualia & alia necessaria Romam convehunt. 9. Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes sua aut aliorum operâ lædentes, & sine jurisdictione vexantes in Curia commorantes. 10. Romipetas ac peregrinos etiam in Urbe morantes vel abeuntes, lædentes. 11. Offendentes S.R.E. Cardinales & alios Prælatos. 12. Ad Romanam Curiam pro negotiis suis recurrentes, per se vel per alios lædentes. 13. Appellantes à gravamine vel futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem. 14. Executionem litterarum Apostolicarum aut aliarum expeditionem impedientes, aut prohibentes ad gratias impetrandas accedentes. 15. Judices sæculares qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant. 16. Impedientes Prælatos ne sua jurisdictione utantur, quique illorum & delegatorum judicia eludentes ad Curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium. 17. Usurpantes Sedis Apostolicæ & quarumcumque Ecclesiarum jurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes. 18. Imponentes decimas & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus. 19. Judices sæculares qui se interponunt in causis capitalibus seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas. 20. Occupantes bona & terras Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictionem usurpantes.

2. Confessarii omnes deputati ad confessiones audiendas, tenentur ex præcepto Urbani VIII. habere transumptum Bullæ Cœnæ Domini. Ita Lez. *tom.* 1. *c.* 19. *num.* 44. Barbosa *de Officio Parochi c.* 19. *num.* 61. Quaranta & alii.

Animadvertenda ad Bullam præfatam.

Quæ requiruntur ut quis dicatur & sit verè hæreticus.

3. PRimò. Ut aliquis sit hæreticus comprehensus in hac Bulla, ac incurrens hanc excommunicationem, requiruntur duo, ita ut unum sine altero non sufficiat; scilicet quòd mente discredat, & quòd

signô

fignô aliquo externo fuum pertinaciter prodat errorem. Idem dicendum de Apoftatis. Lez. *verb. Bulla Cœnæ Domini num.* 8. Ratio primi eft: quia abfque errore non eft hærefis. Ratio fecundi eft: quia nifi externa peccata Ecclefia refervat & punit. Unde in utroque cafu talis poteft abfolvi à quocumque Confeffario, propter datas rationes: quibus addo authoritatem S. Thomæ 1. 2. *q.* 91. *a.* 4. Tolet. *lib.* 1. *c.* 19. *num.* 13.

4. Quid dicendum de eo qui non tantùm internè difcredit, fed etiam in angulo nullo præfente, & fubmiffa voce dixit hærefim, cum pertinacia tamen, & quod dixit pertinaciter tenet? *Refp.* Talis verè eft hæreticus ob rationem pofitam *num. anter.* & incidit in excommunicationem Papæ refervatam. Ita tenent Cajet. *verb. Hærefis*, Sylv. *verb. Excomm.* Gloffa 24. *q.* 1. Toletus *l.* 1. *c.* 19. *num.* 4. & alii communiter. Addidi *pertinaciter:* nam nec error manifeftatus fufficit; fed requiritur infuper pertinacia formalis, ut habetur 24. *q.* 3. *Can. Dixit Apoftolus*, & *can. Qui in Ecclef.* quæ confiftit in hoc, quòd quis fciens aliquid Ecclefiam Catholicam docere, ipfe oppofitum profiteatur. Ita Toletus *loc. cit. num.* 2. Lezana & alii.

5. Quid de dubio hæretico? *Refp.* Talem cenferi effe verè hæreticum *cap.* 1. *de hæretico*, ubi dicitur: *Dubius in fide, eft infidelis cap.* 1. *de fumma Trinit.* Ratio eft: quia cum dubio folet conjungi judicium. Ideo talis in fide dubius cum pertinacia tali, quâ fuum dubium externè manifeftavit, denuntiari debet. Nec liberatur ab excommunicatione; quia tenebatur tale dubium deponere, & credere Ecclefiæ.

Dubius hæreticus eft verus hæreticus.

6. Secundò. Quia fchifma, eft voluntaria & pertinax fubtractio & feparatio ab obedientia Univerfalis Ecclefiæ, vel Summi Pontificis ut definit S. Thom. 2. 2. *q.* 39. *a.* 1. fchifmaticus non eft, qui fe feparat ab obedientia illius, quem probabiliter putat non effe Papam, quando dubium eft quifnam fit talis? Ille enim non recedit ab obedientia Summi Pontificis formaliter; fed hujus perfonæ, quem credit non effe talem. Ita Valentia, Naldus, Lezana *loc. cit. num.* 9.

7. Tertiò. Quàmvis numquam detur hærefis fine fchifmate, cùm omnis hæreticus recedat ab obedientia Ecclefiæ & Summi Pontificis, quatenùs renuit credere illa quæ proponuntur: tamen poteft reperiri fchifmaticus, & non hæreticus (a). Si aliquis à Papa feparetur, quia videlicet eum putat malè electum, vel ob aliquos defectus Pontificali dignitate privatum. Ita Azor *tr.* 1. *inftit. moral. l.* 8. *c.* 20. *q.* 4. *ex S. Thoma & Cajet.* vel quando ex mala voluntate erga Papam non vult fubjici ipfi, fed feparari ab unitate Ecclefiæ. Ita Sanchez. *l.* 2. *in decal. c.* 36. *num.* 8.

(a) Reginaldus, Bonac.

8. Quartò. Catholici qui fub hæretico Principe vivunt v.g. in Anglia,

(b) Sanchez, Lezana.

eique ut supremo capiti Ecclesiæ exteriùs obediunt, quàmvis in conscientia pœnas hæreticorum effugiunt, eò quòd intùs in intellectu errorem non habent, non tamen pœnas schismaticorum (b); cùm verè sint schismatici.

Pœnæ schismaticorũ.

9. Pœnæ autem schismaticorum sunt, privatio Ecclesiasticæ potestatis, id est jurisdictionis Ecclesiasticæ, *cap. Didicimus 24. q. 1.* Inhabilitas ad beneficia in futurum consequenda, *cap. Diligentia de elect.* & excommunicatio de qua hîc. Similiter licèt hæc censura non liget foventes, receptores, aut defensores schismaticorum, quia in Bulla non comprehenduntur; ligantur tamen excommunicatione & aliis pœnîs contentis in Bulla Pauli IV. quæ incipit: *Cùm ex Apostolatûs officio.*

Fautores schismaticorum incidũt in excõmunicationem.

10. Ad 2. Ut appellatio ipsa sit actu secuta: nam verba regulariter intelligenda sunt cum effectu ipso, quem propriè significant, dicit P. Lezana *loc. cit.* Præstantes his favorem, consilium, auxilium, post appellationem, non incurrunt hanc excommunicationem; licèt secùs ante eam, prout patet ex verbis ipsius Bullæ: *Appellatum fuerit.* Suarez, Naldus, Lezana.

11. Ad 3. Primò, licetsi secundùm Bullas antiquas ad incurrendam hanc excommunicationem reservatam, requirebatur interfectio, mutilatio; secundùm Bullam tamen Cœnæ Domini, sufficit discurrere per mare, intentione id faciendi. Toletus *num.* 5. Suar. & alii. Non incurritur tamen ab illis qui spoliant infideles. Lezana. Secundò, quòd comprehendantur milites, & alii qui veniunt cum piratis in navibus vel triremibus, eos adjuvantes: fautores enim sunt. Secùs tamen dicendum de remigantibus Christianis, qui vî coacti triremes vehunt piratarum infidelium. Ita Navar. Graff. Imò à mortali peccato excusant eos, Sanch. Cornejo apud Lezanam.

12. Ad 4. Primò requiritur, ut surreptio talium sit injusta: nam si titulô belli aut alio pactô, erit justa, non incurritur Bullæ pœna. Naldus, Lezana. Secundò, ut fit in ipso naufragio, aut post; non antè. Naldus, Lezana. Non tamen requiritur ut per aliquam moram detineantur talia: per solam enim surreptionem incurritur excommunicatio hæc. Suar. Toletus. Non extenditur hæc censura ad consulentes, mandantes, juvantes, cùm horum non meminit Bulla.

Subditi Turcarum arma parantes nõ incurrũt excommunicationem.

13. Ad 7. Primò hanc censuram non comprehendere Christianos subditos Turcarum, fabricantes arma apud ipsos, aut equos eis vendentes eo fine, ut illîs utantur ad licitos usus; cùm talis venditio sit indifferens ad hoc, ut tali opere benè vel malè utantur infideles. Secundò eos qui deferebant talia, sed pœnitentiâ ducti ea non tradiderunt, hæc censura non afficit: nam verba legis (maximè in odiosis) intelligenda sunt cum effectu. Naldus, Lezana.

14.

14. Ad 8. Communiter Authores intelligunt, si injustè: nam si justè, non animô impediendi sed consulendi propriæ Patriæ hoc faciant, v.g. ne veniens Romam peste inficiat alios, veniens ex illa regione in qua grassatur pestis; aut negãtur victualia evehenda ex sua Patria, ne ipsa deficiat Patria; tali casu impedientes, aut in simili, non incurrunt latam censuram. Lez. *loc. cit.* Cajet. & alii. Peregrini possunt impediri.

15. Ad 9. Primò, non comprehendi Regulares, qui veniunt ad suos Generales Romam; secùs si ad S. Congregationem Regularium: quia nomine Sedis Apostolicæ veniunt hæ Congregationes. Secundò, nomine Sedis Apostolicæ non intelligitur Roma omninò: sed locus vel civitas ubi Papa residet. Lezana. Qui impedit Regularem recurrentẽ ad Generalẽ non incurrit censurã.

16. Ad 10. Comprehendi venientes Romam causâ visitandi limina Apostolorum, lucrandi indulgentias, etiamsi non resideat Papa Romæ; & adjuvantes, consulentes &c. Patet ex verbis Bullæ. Cajet. Tolet. Naldus.

17. Ad 11. Primò, nomine Episcopi in præsenti intelligi consecratum, non tantùm electum aut confirmatum: quia is non est simpliciter Episcopus, sed tantùm secundùm quid, scilicet quoad jurisdictionem. Ita Cajet. Suar. Lezana *verb. Bulla Cœnæ Domini.* Secundò, per illa *rata habentes*, non intelliguntur quicumque consentientes, approbantes, vel laudantes tale factum, cùm tales non influant in actiones, non incurrunt censuram; sed illi solùm quorum nomine & mandatô, expressô vel virtualî factum fuit: patet ex regula juris *in 6. num. 9. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.*

18. Præter casus Bullæ Cœnæ, alii casus reservati. 1. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ, in terminis Constitutionis Gregor. XIV. quæ incipit *Quia aliàs nonnulli.* 2. Violatio clausuræ Monialium ad malum finem. 3. Provocatio & pugna in duello. 4. Injectio manuum violentarum in Clericum. 5. Simonia realis scienter contracta, & confidentia beneficialis. Hi casus à Clemente VIII. & per decreta S. Congregationis specialiter reservati sunt Papæ, quæ inferiùs ponentur. Casus præter Bullam Cœnæ Domini reservati.

19. Sed ut sciant Confessarii à quibus ratione violationis immunitatis Ecclesiasticæ possunt absolvere, aut non? scire tenentur, quis quando violat immunitatem Ecclesiæ, extrahendo aliquem ex loco tali, qui gaudet immunitate Ecclesiastica. Quare

20. Per abbreviationem valdè necessaria adnoto. 1. Quòd Ecclesia non tantùm consecrata, aut non consecrata, sed benedicta (c), imò nec benedicta si obsequiis Divinis dedicata sit, quòd in ea Divina officia celebrentur, ut deducitur ex *cap. Ecclesiæ de immunitate Ecclesiæ*, etiamsi sit interdicta, polluta (d), imò diruta dummodo non authoritate Superioris, si adsit reparationis spes (e), gaudeat privilegiô ĩmunitatis Ecclesiasticæ.

(c) D.R. in 4. d. 13. art. 1. Suarez, Bonac. de Lugo.

(d) Suar. Laymã.

 2. Cœ-

2. Cœmeterium sive conjunctum sive separatum obtinet idem privilegium (f). Item porticus Ecclesiæ adhærens, *cap. Si quis contumax* 17. *q.* 4. (g). Item fores & janua ipsius Ecclesiæ, si à delinquentibus tangantur. Sanch. Barbosa. Imò scalæ Ecclesiæ, ex declaratione S. Congregationis de qua Barbosa *loc. cit. num.* 66. Item ex declaratione S. Congreg. campana Ecclesiæ, intra 30. passus ab ea distans: quam declarationem habet Barbosa *in collect. Bullar. verb. Immunitas.* Item hac immunitate gaudent domus Parochorum seu Clericorum, intra 30. vel 40. passus positæ, *cap. Si quis* (h). Addit Bonacina, id verum esse etiamsi non inhabitent ibi Sacerdotes, sed laici: quia privilegium hoc concessum est directè locis. Idem dicendum est de hospitalitiis oratoriis, authoritate Episcopi constructis. Ita Sylvester, Navar. Barbosa *num.* 67. & 68. Lezan. *num.* 2. *verb. Immunitas.* Item palatium Episcopi etiamsi separatum sit ab Ecclesia, *cap. Id constituimus* 17. *q.* 4. Sed difficultas de eo est inter Doctores, si extra 40. passus situm sit, de quo videndus Bonac. *num.* 8. Barbosa *num.* 70. Palatia etiam Regum & Imperatoris gaudent sua immunitate. Et de Venerabili Sacramento quid, dum portatur per plateam? *Resp.* Ita honoratur & honorari debet SS. Sacramentum portatum in platea, ut si accedat delinquens vel appropinquet Sacerdoti portanti SS. Sacramentũ, non possit capi. Ita profitentur D.R. *loc. cit.* in margine, Sylv. Layman, Lezan. Quidquid dicat Bonacina: magis enim debet honorari ipse Christus sub speciebus panis, quàm Basilica, quæ honoratur propter eum.

(e) Bonac. Barbosa de jure Ecclesiastic. l. 1. c. 3. n. 67.

(f) Lezana verbô Cœmeterium n. 3.

(g) Barbosa suprà n. 64. Layman & alii.

(h) Navar. Sãch. Lezan. verbô Immunit. Eclesſ. n. 6.

21. Quòd non tantùm Ecclesiæ Regularium, sed & Monasteria gaudeant immunitate Ecclesiastica, hoc supponit Bulla Gregorii XIV. posita inferiùs; & colligitur ex dictis. Gaudent domus Parochorum, in quibus laici habitant; ergo à fortiori Monasteria, in quibus in perpetuum Deo dicatæ personæ Regulares resident.

Quid nomine Monasterii?

22. Nomine Monasterii non tantùm dormitorium, sed & hortus intra septa habitus, prout in re favorabili, intelligi debet. Ita Sanch. Bonac. Lezan. Quidquid dicat Barbosa: cùm hoc totum sit locus sacer. Secùs dicendum de oratoriis, capellis in domibus privatis, prout ex aliquibus declarationibus S. Congregationis colligit Barbosa *num.* 68. *suprà.*

23. Quos Ecclesia non protegit ad eam fugientes, aut alia loca specificata, declarat Bulla Gregorii XIV. incipiens *Cùm alii multi*, sequentibûs.

Bulla declarans quos non protegit Ecclesia.

24. *Vt laicis ad Ecclesiam locaq; sacra & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumq; grassatores qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quique homicidia & mutilationes membrorum in Ecclesiis eorumve cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, vel Assasini, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.*

25.

25. Hîs demptis, omnis fidelis hoc est baptizatus, etiam hæreticus, dummodo ob crimen hæresis non fugiat ad Ecclesiam gaudet protectione Ecclesiæ. Ita Sylvester *verb. Immunitas*. Suar. Diana, Lezana; aut excommunicatus, suspensus, interdictus: cùm nullus textus excludat eos à participatione hujus privilegii. Sylvius, Navar. Lezana & alii. Judæus, paganus, dum fugit ad Ecclesiam, vel non petit baptisma? Non gaudet protectione Ecclesiæ. Ita immediatè citati DD. cum Lezana: debet enim esse (ut colligitur ex suprà dictis) fidelis actu, aut desideriô. Vel petit baptismum? Protegit eum Ecclesia. Ita colligitur ex *L. 2. de his qui ad Ecclesiam confugiunt*, & ex declaratione S. Congreg. quam refert Barbosa *verb. Immunitas num.* 44. Diana *tr.* 5. *in collect. num.* 39. Unde

Explicatio per D. R. Bonæ Spei & alios.

26. Licèt latro notorius notoreitate juris aut facti (i) extra civitatem, & grassator qui vias in civitate obsidet, & sæpiùs hoc crimen committit, sive occidendo sive spoliando, publicus qui famâ publica talis existimatur (k), per *cap. Inter alia de immunit.* & Bullam Greg. XIV. suprà hîc positam ab hoc privilegio excludatur; non tamen occultus, qui semel aut bis spoliavit aliquèm, semel aut bis hoc fine grassatus est, aut occidit non insidiosè, sed ex impetu vel casu fortuito. Ita Innocentius III. apud D.R. *loc. cit.*

(i) Barbosa de Iure Eccles. Lezan. verbô Immunitas.

(k) Barbosa, Bonacina, Lezana.

Qualem depopulatorē agrorū?

27. Et licèt depopulator agrorum, sive nocturnus sive diurnus, id est qui diripit segetes, & agros sive vineas vastat, & committens occisionem aut mutilationem in cœmeterio aut Ecclesia consecrata, aut non consecrata, ex proposito vel rixa, etiamsi extra Ecclesiam stans, sagittâ aut pilâ plumbea per sclopetum emissa, in Ecclesia aut cœmeterio existentem attingat, occidat aut mutilet (l), vel econtra existens in Ecclesia occidens existentem extra Ecclesiam & cœmeterium, prout asserit Lez. cum Navar. contra Bonacinam; non tamen in Ecclesia existens, mandans occidere aliquem extra Ecclesiam existentem (m): quia censura hæc non extenditur ad mandantem. Neque committens talia in Monasterio, dormitorio, privatur propterea immunitate Ecclesiastica: cùm jura expressè loquantur de Ecclesia & cœmeterio; & extensio in pœnalibus non est facienda. Barbosa *num.* 117. Lezana *num.* 117.

(l) Covaruvias, Sãchez, Lez. num. 11.

Sufficit una mutilatio vel occisio, praxis Ecclesiæ ita tenet.

(m) Bonacina, Lezana, Decianus.

Proditoriè occidentē?

28. Item proditoriè occidens aliquem, hoc est dolosè, simulando amicitiam, nulla interveniente causa rixæ, socium viæ v.g. aut Parentem qui necem non sperabat (n). Mater occidens filium infantem, ex declaratione S. Congregationis quæ habetur apud Barbosam *verb. Immunitas*, non gaudet immunitate Ecclesiæ. Similiter committens homicidium in veneno, aut mulier per medicamenta procurans abortum, privatur immunitate præfata, propter declarationē S. Congregationis apud Dianam 5. *part. in collect. illarum*, & aliam apud Barbosam *num.* 92. Non

(n) Bonacina, Diana, Lezana.

ta-

tamen occidens inimicum suum, etiam à tergo, aut dormientem, vel ex insidiis: talis enim prævidere poterat & debebat se occidendum (o), cùm afferente Diana *loc. suprà citato* ita sit declaratum à Clemente VIII. in quodam Brevi, Archi-Episcopo Panormitano porrecto. Attentans occidere proditoriè sed non est secuta mors, etiamsi vulneret, non privatur hoc privilegio: quia verba Gregorii scilicet *occiderint*, præsertim in materia pœnali & odiosa requirunt actum consummatū cum effectu. Ita Lezan. *num.* 12. Peregrinus, Diana, Suarez, Bonac. *de Immunitate Ecclesiæ.*

(o) Bonacina, Ambrosinus, Lez. nū. 12. Diana.

Assasinum?

29. Item reus Assasini seu Assasinus, hoc est qui pecuniâ aut aliô pretiô accepto vel promissione conductus, hominem incautum non prævidentem necem, occidit, sive sit infidelis sive fidelis, qui etiam in dubio præsumitur talis; aut tradita pecuniâ mandavit occidere, etiamsi solùm vulneratio non mors sequatur (p), ut patet ex *cap. Pro humani, de homicidio in* 6. aut corruptus pecuniâ, innocentem ad mortem damnavit (idem de teste in tali casu, fautoribus, receptoribus Assasini): repelluntur à participatione hujus privilegii (q). Non tamen qui sine pretio aut ejus promissione, sed ut alteri rem gratam faceret interfecit alium, aut ut succedat in bona ipsius, aut accepit pretium sed pro itinere ad occidendum faciendo, aut accepit pretium pro vulnerando, percutiendo, non occidendo, aut hoc præstitit ob pretium aut promissionem vagam, v.g. quòd mandans mandatario promiserit numquam defuturam suam gratiam, aut determinatum accepit pretium, sed ille quem occidit erat inimicus ipsius. Ita Bonacina *num.* 18. Barbarosa *num.* 97. Diana, Ambrosinus & Lezana quoad omnia *num.* 23.

(p) Lez. nū 13. Thesaurus & alii.

(q) Marius, Peregrinus, Bonacina. Attamen oppositum alii tenent.

Quo casu hæreticum?

30. Item licèt hæreticus aut de fide suspectus ob crimen hæresis, timens judicium, pœnam &c. fugiens ad Ecclesiam aut cœmeterium non gaudeat immunitate Ecclesiæ, ut docent Ambrosinus, Diana, Lezana *loc. cit.* non tamen saltem secundùm probabiliorem sententiam ob aliud crimen ad Ecclesiam uti ad asylum confugiens. Ita Bonac. Sylvius, Filliucius, Suarez.

Reum criminis læsæ Majestatis?

31. Item licèt reus criminis læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis, hoc est in talem, qui in sua jurisdictione non agnoscit Superiorem, qualis est Summus Pontifex, Imperator, Rex, Cardinalis (cùm tales æquiparentur Regibus, & Principes Romanæ Ecclesiæ juxta *cap. Felicis de pœnit. in* 6. *Bonifac.* nuncupentur), Princeps, Marchio, Comes vel Baro plenum jus in sua jurisdictione habens, Dux Reipublicæ Venetæ, Florentiæ, Salmandriæ &c. occidendo, vulnerando, percutiendo, conjurando, hostiliter insequendo personā talis Principis, & sui Capitis, revelando hostibus secretum ejus ut capiatur, etiamsi effectus

non ſequatur, privatur hôc privilegiô immunitatis; non tamen qui offendit uxorem Regis, Principis, aut perſonam Filii, aut miniſtrum Regis, Principis, aut Principem ſed non ſuum, alienum. Ita Bonac. Farinacius, Ambroſinus, Peregrinus, Diana 3. *p. reſol.* 7. & 20. Lezana *num.* 15. Ratio anterioris partis eſt: quia expreſsè in præfata Bulla addit Pontifex, *in perſonam ipſiusmet*; pœnalia verò non ſunt extendenda, ſed reſtringenda.

32. Sed quid de fure, adultero, debitore, ad Eccleſiam fugiente? *Reſp.* Capite *Id inſtituimus*, quantùm ad pœnam corporis Eccleſia præſtat ei immunitatem: de hoc D.R. *loc. cit. art.* 2.

33. Quid ſi quis in Eccleſia furtum vel ſacrilegium commiſerit, nunquid hac immunitate gaudebit? *Reſp.* Affirmativè: quia jura canonica certas perſonas non has excipiunt, ut patet *de immunit. Eccleſ. cap. Inter*, & *cap. Immunitate.* Et P. Lezana *loc. cit. num.* 8. dicit: *Vnde declarationem video à S. Congregatione immunitatis* 18. *Martii* 1631. *apud Barboſam in collect. Bullarũ verb. Immunitas quòd immunitate Eccleſiaſtica gaudet furans in Eccleſia.* Poteſt tamẽ capi in ea, ſi deprehendatur, & extra caſtigari. Quid de fure?

34. Pro debitore debitô civili adfert Lezana declarationem S. Congregationis, factam in una Coronenſi 21. Julii 1617. ſed non liberat ipſos debitores Eccleſia à ſolutione debiti: imò ex declaratione S. Congregationis non diu tolerandi ſunt. De debitore

35. Similiter ex declaratione S. Congregationis, ſodomitæ, ſimoniaci, monetarii, condemnati ad triremes, gaudent immunitate præfata. Simoniaco?

36. Dices: Clemens VIII. Anno 1595. & Anno 1607. April. 11. nonnullis Nuntiis, Prælatis ſignificavit, ne condemnatos bardidos, latrones, decoctores, debitores, alioſque id genus homines permitterent ab Eccleſiis recipi, injunctâ recipientibus pœnâ. *Reſp.* Sed non dicit Summus Pontifex ut non gaudeant immunitate, aut ut extradantur poteſtati laicali; ſed ſolùm ut non admittantur, ac manuteneantur. Bonac. Genuenſis, Peregrinus. Quos Eccleſia protegit poſſunt non admitti.

37. Qui gaudet immunitate Eccleſiaſtica, ita gaudet ut nec capi queat in locis præfatis à laica poteſtate, nec ita teneri aut ſtringi poſſit, ut aliquid victualium rerum, aut veſtis negetur, aut requies. Ita habetur *cap. De his qui ad Eccleſiam confugiunt*; alias cogeretur exire: & ſic inutile eſſet privilegium. Nec poteſt bonîs ſpoliari, quæ ibi juſtè in Eccleſia poſſidet, *cap. Definivit* 17. *q.* 4. Nec examinari poteſt à Judice ſæculari, etiam de licentia Superioris Conventûs, imò Ordinarii loci; ſive ſit in Eccleſia, ſive in cœmeterio, Monaſterio aut alio loco gaudente privilegiô immunitatis Eccleſiaſticæ. Bonac. Sanch. Suar. quia judicium ibi exerceri non poteſt, ubi eſt tutela refugii, *cap. Cùm Eccleſia, de immu-* Qui gaudet, quomodo gaudet?

munit. Nec (quamdiu ibi existit) damnari ad mortem aut pœnam corporalem (ut sunt exilium, triremes, servitus &c.) *cap. Id constituimus* 17. *q.* 4. *cap. Inter alia de immunit.* Et si delinquens per vim aut dolum extrahatur, restitui Ecclesiæ debet, *cap. Sicut antiquitùs*, & *cap. Minor* 17. *q.* 4. etiamsi extractus juri suo cedere velit: quia hoc privilegium, est immediatè concessum loco. Et etiamsi post extractionē injustam aliud crimen perpetrasset, propter quod esset puniendus: quia Ecclesia per injustam extractionem detrimentum in sua immunitate pati non debet: quare si ei Ecclesiæ commodè restitui non potest, quia jam est in alio loco procul, debet restitui alteri Ecclesiæ, ut quantùm potest restituatur honor Ecclesiæ. Videatur de hoc Bonacina, Peregrinus, Farinacius. Secùs dicendum, si precibûs, blanditiîs aut promissionibûs extrahatur; cùm sic non sit invitus.

Extractus vî, cui restitui debet?

38. Et si Judex sæcularis in reum vî extractum è loco sacro non secundùm formam præscriptam, ferret aliquod decretum, nullius momenti esset: quia fundatur in captura juridicè nulla, declarata in Bulla Gregorii XIV. his verbîs: *Necnon irritum decernimus & inane; si secùs super his per quoscumque quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

Decretū Judicis sæcularis est nullum latū cōtra manentē sub protectione Ecclesiæ.

39. Neque Clericus servum suum extrahere ex Ecclesia valet: sic enim habetur *cap. Nullus Clericorum* 27. *q.* 4. ubi dicitur, *Nullus Clericorum servum aut discipulum suum fugientem ad Ecclesiam extrahere audeat, vel flagellare præsumat.*

Neque Clericus servū suum extrahere potest.

40. Potest tamen Clericus non solùm ille qui beneficium non habet, habitum & tonsuram non defert (qui juxta decreta Trid. *sess.* 23. *cap.* 6. à Judice sæculari delinquens capi potest extra Ecclesiam), sed & habitum tonsuramque deferens, à ministris Ecclesiasticis è loco Sacro extrahi: tum quia immunitas Ecclesiæ non præjudicat potestati Ecclesiæ: tum quia jura Ecclesiæ loquuntur de laicis, non Clericis; ut ex Bulla præfata Gregorii XIV. colligitur. Covaruvias, Suarez, Bonac. Peregrinus contra Ambrosinum, Marium Italia. Et ligari potest laicus, aut custodiri in Ecclesia de mandato Episcopi, donec declaretur utrum reus gaudeat necne immunitate Ecclesiastica. Ita Ambrosinus, Marius Italia, Bonacina *de immunit.* Potest & spoliari à ministris Ecclesiæ, illîs quæ injustè in Ecclesia possidet; ut si ad Ecclesiam fugiat fur cum veste furtô sublata: imò à Judice sæculari secundùm communiorem & probabiliorem sententiam, potest spoliari bonîs quæ possidet justè extra Ecclesiam, si citatus à Judice sub pœna confiscationis bonorum, negligat comparere coram Judice; dummodo pœnam corporalem non timeat. Ita D.R. *loc. cit.* Bonac. Suar. Farinacius, Gambacurta, Peregrinus contra Joan. de Vischio.

Potest Clericꝰ extrahi.

Et ligari potest laicus, custodiri & spoliari.

41. Imò debet de licentia Episcopi, aut Superioris Conventûs in sua Ecclesia, aut alio loco sacro capi, & tradi Curiæ sæculari, si ab ea exquiratur ille quem jus exceptivum Greg. XIV. superiùs expressum excludit à participatione immunitatis Ecclesiæ: non aliter tamen quàm servata formâ, de qua sequentia.

Forma extradendi reum ex Ecclesia.

42. Forma præscripta extradendi reum de loco sacro quæ? *Resp.* Primò, in hoc consistit, ut antequam delinquens extradatur Curiæ sæculari, obtineatur ab Episcopo aut ejus Officiali facultas expressa capiendi, & extradendi delinquentem. 2. Dum extrahitur reus è loco sacro, intersit persona Ecclesiastica ab Episcopo vel Officiali deputata. 3. Ut delinquens dum capitur, non statim tradatur potestati laicæ; sed in carcerem nomine Episcopi conjiciatur, & detineatur donec ab Episcopo vel ejus deputato cognitum fuerit, an sit reus delicti cui est annexa privatio immunitatis Ecclesiæ: quòd si Episcopus recusaret, & licentiam & deputationem assignandam ad extrahendum delinquentem de loco sacro, tunc reverentiæ Ecclesiæ & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes minori quò id fieri poterit cum scandalo & tumultu, extrahere curent (dicit pronominatus Pontifex) & Episcopo præsentare tenentur, ut cognoscat in eo crimen. Marius Italia, Farinacius. Videatur prænominata Bulla.

43. Potest etiam sine licentia Episcopi aut Officialis, imò debet extradi Domino servus, famulus, si injustè aufugit ad Ecclesiam; non aliter tamen quàm accepta à Domino cautione juratoria, sive assecuratione, quòd non malè tractabitur ab illo, *cap. Qui ad hoc*, & *cap. Inter alia.* Ita Ostiensis & D.R. *loc. cit.* Bonac. & alii. Et hoc si sine armis veniat ut se à servitio Domini subtrahat: nam si cum armis venerit, extrahatur, §. *De his qui ad Ecclesiam.* Et si post præstitum juramentum Sacerdos non extraderet servum, quærere illum tenetur. Si verò Dominus post præstitum juramentum fidem non servaverit, pœna est Domino, *cap. Constituimus* 17. *q.* 4. quòd pro contemptu Ecclesiæ excommunicetur. Ita D.R. *loc. cit.* Quid si servus noluerit exire postquam Dominus juraverit? *Resp.* Quòd à Domino possit occupari, & invitus compelli, *cap. Inter alia.*

44. Qualem pœnam & quando incurrit vî extrahens reum è loco sacro? *Resp.* Et dico: Omnis sive sit persona privata sive publica, vî, non secundùm formam præscriptam extrahens è loco sacro, aut attentans, aut mandans, aut minîs cogens, aut Judex hæc sciens reum Ecclesiæ non restituens, aut extractum secundùm formam præscriptam non in Ecclesiastico sed in sæculari carcere sine licentia Episcopi reponens, aut sine ejusdem licentia ex carcere ab Episcopo destinato extrahens ante declarationem Episcopi quòd non gaudeat immunitate Ecclesiastica, incurrit

 ipsô

ipsô factô excommunicationem Summo Pontifici reservatam; insuper incurrit pœnam læsæ Majestatis, & capite punitur, *cap. De his qui ad Ecclesiam confug. leg.* 2. apud D.R. *locô cit. a.* 3. & apud Lezan. *num.* 21.

45. Quid de Regularibus? *Resp.* Regulares cùm continuò in Ecclesiis vel juxta eas in dormitoriis maneant: capi in eis possunt & puniri; aliàs delicta eorum manerent semper impunita, & incorrecti pejorarentur. Ratio ulterior est: quia immunitas Ecclesiæ non debet præjudicare Prælatis Ecclesiæ. Apostatæ licèt non valeant capi in aliis Ecclesiis; secùs tamen in Ecclesiis sui Ordinis. Ita Lezana cum aliis apud ipsum *loc. cit.* Imò puto & ibi posse de licentia illius Prælati; cùm non pro privatione, sed emendatione vitæ quærantur.

Quid de duello dicendum? Anno 1582. Anno 1592.

46. De duello nonnulla pro Confessariis valdè necessaria breviter adnoto. Duellum græcè *Monomachia* dictum (quod à Concilio Triden. *sess.* 25. *de Reform. cap.* 19. à Greg. XIII. per Constitutionem quæ incipit *Ad tollendam*, & à Clemente VIII. per Constitut. *Julius vices* prohibetur sub pœna excommunicationis & aliis pœnis) est pugna duorum aut plurium privata authoritate, ex pacto invicem inito, statuto tempore & loco, cum periculo mortis aut mutilationis, aut vulnerationis gravis. Ita communiter DD. apud Bonac. *de Censur. d.* 2. *q.* 6. *punct.* 2. *num.* 1. Unde

47. Non incurritur pœna duellantium, quando duo subito iræ furore, aut ex aliqua alteratione, vel propter inimicitias quas inter se habent cùm sibi obviant, se invitant ad pugnandum, & eô locô pugnant; aut ad alium vadunt, & ibi hoc præstant: sic enim rixa potiùs est quàm duellum: quia in anterioribus casibus designatio loci, in ultimo casu designatio temporis deest; quæ duo ita requiruntur, ut sine uno illorum non committatur duellum. Rotarius. Neque incurrunt pœnas duellantium invitantes se ad pugnandum statuto tempore & loco, pugnantesque sed instrumentis absque periculo occisionis, mutilationis, aut gravis vulnerationis: ut si id facerent pueri, instrumentîs *vulgò* palcatis. Ita Filliuc. Peregrinus, Bonac. Lezan. Neque ille duellum intenderet, qui inimico suo in Ecclesia aut loco sibi periculoso existens (eò quòd alter ibi haberet adjutores) diceret *exeamus hinc*, non determinando locum, sed potiùs ut fugeret irreverentiam Ecclesiæ, & suum periculum. Bonac. *loc. cit.* De eo qui alium provocat ad pugnam sic dicens, *tecum pugnabo, prima vice quâ tibi per urbem obviam ero*, non conveniunt DD. Bonacina suprà dicit, talem incurrere pœnam duellantium. Negant Diana *part.* 5. *tract.* 23. *resol.* 59. ex Macino, Lezan. *loc. cit.* Rotarius & alii. Ratio est: quia tunc non designatur locus certus, aut tempus certum. Neque tunc duellum committitur, quando in bello sive multi, sive decem, locô & tempore præsignato adversarii publica authoritate pugnant. Ita Lezan. Rotarius & alii.

48.

48. Pœnam excommunicationis Papæ reſervatam propter duellum, incurrunt *illud ineuntes, ſvadentes, provocantes, opem, conſilium vel favorem præſtantes, equos, arma & commeatus præbentes, aut comitantes, vel circa chartulas ſeu libellos, litteras hujuſmodi quomodolibet peccantes, hujuſq; delicti ſocii, de induſtria ſpectatores, patrini, fautores, defenſores* (r), *& quicunque nomine Domini locum in terris ſuis concedentes, permittentes, non impedientes* (s) *dum facilè impedire poſſunt, illud fieri mandantes, etiamſi nulli patrini ſociiq; ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullæve provocatoriæ litteræ aut denuntiationis chartulæ præceſſerint, & etiamſi illi qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerint impediti pugnam non commiſerint, ſi per ipſos non ſteterit quominus committatur* (t). *Et ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepulturâ* (u).

(r) Clemens VIII. (s) Trident. & Greg. XIII. (t) Greg. XIII. (u) Tridēt. Clemens VIII.

49. Animadvertendum 1. Illos non incurrere excommunicationem, qui caſu tranſeuntes per locum ubi fit duellum, illud vident; etiamſi curioſitate moti. Rotarius. 2. Etiamſi ineuntes duellum pervenientes ad locum pugnæ impediti ne pugnent, incurrant excommunicationem; non tamen impediti ne perveniant ad locum pugnæ. Primum exprimitur verbîs Gregorii ſuprà. Secundùm ab oppoſito, & non expreſſo in lege pœnali habetur. Alarius *verb. Duellum num.* 7. Rotarius *num.* 3.

50. Quid ſi pervenientes ad locū pugnæ non impediti ſponte non pugnarent? *Reſp.* Stando in terminis Conc. Trid. & Gregorii XIII. non incurrerent excommunicationem: quia excommunicatio lata ob aliquod crimen, non incurritur niſi ſecuto effectu, aut aliter verbîs Legiſlatoris declaretur intentio. Utrum autem ſtando in terminis Clementis VIII. incurrerent? Controvertunt DD. Naldus & alii apud Dianam, dicūt quòd ſic. Hurtadus de Mendoſa cum aliis negat. Sed Naldi ſententia prior, eſt probabilior & conformior verbis Pontificis & ſtylo Curiæ, dicit Lezan. *verb Duellum num.* 11. Et ſic etiam ſtando in terminis Clementis VIII. ſive perveniat una pars ſive nulla ad locum pugnæ, utraque pars incurrit excommunicationem, inquantum erat iniens, provocans.

51. Tertiò, ſi aliquo tempore poſt peractum duellum obierint, etiamſi ob vulnus in duello acceptum, non ſunt privandi Eccleſiaſtica ſepulturâ: Pontifex enim & Conc. loquuntur de illis qui in ipſo conflictu, non poſt ipſum deceſſerint. Ita Lezan. *loc. cit. num.* 14. Portellus *Reſpons. caſ. conſcient. p.* 3. *caſ.* 10. *num.* 3. & 4. quidquid dicat Joannes Sancius, & Homobonus: in pœnalibus non eſt facienda extenſio, ſed potiùs reſtrictio.

Mortui non in duello, nō ſunt privandi Eccleſiaſtica ſepulturâ.

52. Dices: Iſti moriuntur in excommunicatione; debent ergo privari ſepulturâ Eccleſiaſtica, *cap. In ſacris de ſepult.* Cornexo. *Rdet* Lezana, hæc non obeſſe: tum quia poſſunt ante mortem abſolvi, vel ſaltem

tem post mortem quoad hunc effectum: tum quia id procedit solùm in excommunicatis vitandis, scilicet publicis percussoribus Clericorum, aut declaratis; non in aliis. Si verò in ipso duello moriantur, etiamsi signa doloris dederint, sepeliri non possunt in locis sacris, propter Decreta Concilii & Clem. VIII. tum quia id habetur in Rituali Romano Pauli V. in Rubrica de exequiis. Utrum verò pro talibus possint offerri sacrificia Missæ? *Respondet* Diana *part.* 4. *resol.* 92. cum Portello quòd sic: eò quòd non erant excommunicati denuntiati, aut percussores Clerici; nec certò constat eos in peccato mortali esse mortuos; imò ex signis doloris, oppositum esse videtur.

Qui duellãtes posśũt sepeliri in loco sacro.

Pro ipsis Sacra offerri possunt.

53. Estne tamen casus in quo licitum sit acceptare duellum, absque incidentia in censuram? In primis tamquam certum suppono, quòd vir equestris ad duellum provocatus, non possit illud acceptare; etiamsi timiditatis notam apud alios incurrat? quia oppositum hujus, est damnatum ab Alexandro VII. *in propositione secunda.* Nec etiam propterea, ne jacturam honoris incurrat: quia potiùs per duellum notam infamiæ incurrit: sic enim habetur in Trid. *loc. cit.* *Qui verò pugnam commiserint, perpetuò infamiæ pœnam incurrant.* Unde responderi potest: Qui duellum ineunt infames in Ecclesia sunt; propter hanc causam inter alias, non admitto illud. Vel si aliter importunum expedire non posset, dicere posset: *Ne putes me duellum recusare ex timore aut animi dejectione, sed præcisè quia Christianus sum, ac Deum offendere nolo; quare paratus sum me contra te defendere, ubi & quando me aggressus fueris.* Ita Baccarius, Fulgensis, Bassæus, Stephanus à S. Paulo. Quo præmisso

Responsio provocanti ad duellum.

Casꝰ in quibus licitum est duellum.

54. Est casus 1. Si Judex iniquus duos ad mortem destinatos, ordinaret ad hanc sortem, *qui alterum occiderit, liber evadet.* Ita Bonacina, Rotarius, NN. Joan. Beetz, Lezana *loc. cit.* quia tunc esset defensio suæ vitæ necessaria: dummodo alter non sit ipsi notoriè innocens, addit Layman *l.* 3. *de justit. tom.* 3. *p.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. 2. Si quis aliàs Titium certò sit occisurus, à cujus manibus evadere nullatenus potest, nisi concedat electionem duelli; in tali casu pugnare in duello potest: nam sic est se defendere unico sibi possibili modô, quod est de jure naturæ. Ita Bonacina, Naldus, Laym. Lezan. *num.* 16. 3. Quando authoritate publica, ab honestum finem: ut si ante conflictum hostes pagani aut hæretici duellum offerant Catholicis. Talem pugnam esse licitam, Homobonus malè negat cum Rotario: quia licitum est Christiano exercitui ignominiam Christianorum avertere; nec est talis pugna contra leges Pontificias suprà citatas, ut patet legenti. Ita Cajet. *in Sum. verb. Duellũ,* Navarrus, Valentia, Lezan. *loc. cit.* Et talis praxis servatur inter Polonos & Turcas, & alios, præmittendi particulares pugnas destinato locô

&

& tempore, quæ non prohibentur ab Ecclesia illam sciente. Maximè si causa bellandi terminaretur pugnâ duorum: dummodo non exponatur periculo periclitandi fides per talem pugnam; pugna talis authoritate publica, est licita. *Propositio ab Alexandro VII. damnata ad hanc sectionem reducenda.* Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. 2.

55. Casus Papæ reservati præter enumeratos, sunt 1. Effractio & spoliatio Ecclesiæ. 2. Ingressus mulieris in Monasterium Regularium. 3. Violatio libertatis Ecclesiasticæ quoad fugientes ad Ecclesiam. Reliquos vide in Bullariis, & aliis.

SECTIO II.

Quis à Casibus in Bulla Cœnæ contentis absolvere possit?

1. Dictis jam nonnullis de hoc *num.* 23. 24. 25. 26. *&c.* præmitto, certum esse quòd Regulares Prælati (à fortiori inferiores) nequeant sæculares in foro conscientiæ absolvere ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa: quia oppositum est damnatum ab Alexandro VII. *in proposit.* 4.

2. Similiter tamquam certum præmitto, Regulares etiam à quocumque alio casu contento in Bulla Cœnæ occulto, non posse absolvere, tam à censura quàm peccato (a): nam si hoc possent facere, tunc virtute privilegii à Paulo III. Societati JESU concessi, per Bullam quæ incipit *Inter cunctas*: sed vî hujus non possunt: nam in ea additur, *exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini*: tum quia hæc sententia, asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis & aliorum criminum quando publica sunt &c. damnata est ab Alexandro VII. *in propositione* 3. tum quia Sacra Congregatio 1601. 9. Januarii, quòd à contentis in eadem Bulla, nullo casu, etiam necessitatis vel impedimenti, nisi in mortis articulo valeant suos pœnitentes absolvere Regulares aut alii, decrevit.

(a) Lezan. t. 1. c. 18. num. 38. Bonæ Spei d. 10. num. 32. Donatus t. 5. quæst. 51.

3. In Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 6. conceditur facultas Episcopis absolvendi à casibus in Bulla Cœnæ contentis, quando sunt occulti: ita enim habetur ibi: *in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque subditos in Diœcesi sua, per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari; idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum.* Quod indultum Pius V. per Bullam quæ incipit *Romani Pontificis circumspecta benignitas*, extendit ad Prælatos Ordinis quoad suos subditos Regulares his verbis:

Quia

PP. Dominicanis.

Idem potest Prælat9 in suos quod Episcop9 in sæculares.

Quia Sacrum Oecumenicum generale Trid. Concilium concessit Episcopis, ut absolvere possint in foro animæ seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sess. 24. c. 6. habetur: ne Prior Conventualis & Superiores Prælati totius dicti Ordinis in hac parte deterioris sint conditionis, quàm Clerici aut sæculares existant; eisdem Priori Conventuali & Superioribus præfatis ut ipsi per se ipsos idem omninò in Fratres & Moniales d. Ordinis sibi subditos, tam quoad absolvendi & dispensandi hujusmodi, quàm aliàs quascunque facultates, eadem authoritate & tenore perpetuò concedimus, indulgemus, & etiam declaramus. Apud Donatum *de potest. Prælati q.* 7. & apud Lezan. *tom.* 1. *c.* 18. *num.* 31. Hanc facultatem Episcopis & Prælatis Ordinum concessam, P. Lezana *verb. Bullæ Cœnæ num.* 52. demonstrat esse revocatam, per sequentia verba Papalia præfatæ Bullæ: *Cæterùm à prædictis sententiis, nullus per alium quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum & indultorum, quibuscumque Ecclesiasticis, Sæcularibus & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali vel alia majori dignitate præditis, ipsisq́; Ordinibus & eorum Monasteriis, Conventibus, & domibus, & Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, necnon Laicis etiam Imperiali, Regali, & mundana excellentiâ fulgentibus, per Nos & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decretà verbò & innovatorum, ac concedendorum & innovandorum.*

5. Quare subscribunt P. Lezanæ, Fuscus Genuensis, Suar. Sanchez, adferentes pro sua sententia declarationes Gregorii XIII. Clementis VIII. S. Congregationis & Inquisitionis Romanæ, stylum & praxim Curiæ Romanæ.

6. Attamen multi (imò plures teste Lezana) oppositum tam quoad Episcopos quàm quoad Regulares Prælatos tuentur, adducendo pro Prælatis Regularibus declarationem Sixti IV. in Bulla quæ est *Mare magnum Prædicatorum*, reperiturque apud ipsum Lezan. *t.* 1. *c.* 18. *num.* 33. in qua excipiuntur aliquot tantùm casus, in quibus necessariò recurrendum ad SSmum Dominum Papam; in aliis verò à quibuscunque absolvi possunt inferiores à suis Prælatis: hos autem excipit, *hæreticos relapsos, schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, duntaxat esse ad Sedem prædictam meritò destinandos. Reliquis verò omnibus etiam simoniæ qualitercunque irretitis, posse illos quibus inibi conceditur, absolutionis beneficium & dispensationis gratiam, juxta casuum indigentiam impartiri.* Hoc privilegium conceditur Ordini Prædicatorum & Ordini Carmelitarum, ut videre est apud P. Lezanam *loc. cit.*

7. Item adferunt declarationē Julii II. factam Em. Cardinali Cajetano,

tunc

tunc Magistro Generali Ordinis Prædicatorum; cujus tenor sequitur: *Exponi nobis fecisti, quòd Sixtus IV. Prædecessor Noster declaravit, in quibus casibus sit recurrendum ad Sedem Apostolicam pro absolutione & dispensatione, à censuris & irregularitate &c. super fratres tuos; nihilominus propter clausulas derogatorias in Bulla Cœnæ Domini, quæ singulis annis publicatur, dubitas facultatem Ordini concessam, esse ademptã &c. Nos igitur volentes tollere occasionem vagandi, attendentes multa contineri in prædicta declaratione, quæ etiam in Bulla Cœnæ Domini habetur, decernimus, quòd illi quibus in prædicta declaratione Sixti IV. concessa est potestas absolvendi & dispensandi, licitè possint perpetuis futuris temporibus, absolvere & dispensare ab omnibus, & singulis, ac si prædicta Bulla Cœnæ facta non fuisset, nec fieret; præterquam à conspiratione in Pontificem Romanum, & ab aliis propter quæ Sixtus IV. Prædecessor, voluit ad dictam Sedem meritò esse recurrendum &c.*

Quid Prælati circa inferiores.

8. Spectanda tamen propria Statuta. Vide Donatũ *de Potestate absolv. tr.* 11. *q.* 18. ubi adfert privilegium PP. Societatis JESU à Gregorio XIII. concessum 1588. Martii 18. quod habetur in *Compendio privileg. Societ. verb. Absolutio* §. 7. & privileg. PP. Minor. de Observantia à Greg. IX. & alia similia. Item Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 8. *c.* 1. *num.* 265. refert ita fuisse in sacra Pœnitentiaria responsum 1617. Vide eundem Donatum *de Confessariis Regularium q.* 53. ubi adducens multos DD. pro sua sententia, solvit difficultates per distinctionem & explicationem: quòd verba Papalia *suprà num.* 4. posita, respectu Episcoporum, sint ad casus manifestos, non occultos in sæcularib⁹; respectu verò Prælatorũ Regulariũ quoad sæculares, non quoad Regulares; & ratione hæresis quoad manifestum casum, non quoad occultum, propter declarationẽ Pii V. *num.* 2. positam.

9. Nec concedunt declarationem Pii V. suprà positam esse revocatam per constitutionem Gregorii XIII. quòd privilegia Pii V. Regularibus concessa, adversantia Tridentino, ad terminos Tridentini sint reducta: quia hæc concessio *num.* 2. posita, non adversatur Trid. Concilio; nec fuit nova concessio, sed ejusdem Concilii Tridentini interpretatio, ut constat ex verbis, *Ne Regulares sint deterioris conditionis &c.* patet ex verbis, *Item ex hac declaramus:* qui enim declarat, nihil novi profert. Reflexioni optimæ P. Lezanæ quòd quolibet anno per promulgationem revocentur quæcunque privilegia, opponunt declarationem Julii II. & suam reflexionem, quòd si revocarentur omnia quæcunque privilegia, deberet apponi clausula hôc modô, videlicet, quòd dicti Prælati Regulares per nullum privilegium possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, quod non ponitur. Rodriq. Suar. Peir. Donatus *loc. cit.*

10. Notandum, quòd sint revocatæ facultates Superioribus Regularibus antea concessæ, cognoscendi causas subditorum ad officium S. Inqui-

sitionis pertinentes. Et sic si aliquis Regularis (quod absit) fieret hæreticus, aut de fide suspectus, Superior ejus Regularis non posset circa hoc examen juridicum instituere, aliàs incurreret pœnam privationis dignitatis, vocis activæ & passivæ, atque inhabilitatis ad ea, insuper pœnam excommunicationis Papæ reservatam; sed deferendus talis ad S. Inquisitionem, aut si non est in iis partibus, ad Episcopos viciniores: sic enim ordinatur à Paulo V. per Bullam quæ incipit *Romanus Pontifex*, in Bullario Ordinis *pag.* 347. *p.* 2. Non tamen est eis prohibitum posse absolvere Sacramentaliter in foro conscientiæ; cùm hoc in præfata aut alia Bulla non exprimatur.

Nemo se tenetur prodere in judicio forensi.

11. Licetsi quis suspectum de fide, sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, sive Fratrem sui Ordinis, sive Patrem naturalem ob Decretum S. Inquisitionis (apud Lezanam *verb. Accusare num.* 7.) & Pauli V. latum teneatur ad Sacram Inquisitionem aut Episcopos viciniores deferre; non tamen seipsum denuntiare extra Sacramentum confessionis: nemo enim tenetur seipsum prodere in judicio externo, prout habetur *in cap. Si quis aliquando de pœnit. d.* 1. Sanctarellus, Diana apud Lezan. *loc. cit. num.* 10.

12. Quando non potest sine sui proditione denuntiare complicem, non tenetur eum denuntiare, ob datam rationem immediatè, & propter *cap. Si quis;* Secùs quando hoc præstare potest sine proditione sui: & sic puella sollicitata à Confessario, quæ sollicitationi consensit, ea tenetur denuntiare illum Confessarium, occultando proprium consensum. Similiter qui alicui hæretico dogmatizanti assensum præbuit, tenetur illum denuntiare, occultando suum præstitum assensum.

A quo absolvendus hæreticus occult9 & quãdo.

13. Quid faciendum, si quis lapsus sit in crimen hæresis quod adhuc est occultum & præceptum urget communicandi, aut periculum, aliàs scandalum magnum, infamia &c? Et supponamus quòd Apostolicus Legatus non sit, aut adiri non possit. Secundæ sententiæ superiùs specificatæ DD. dicunt, talem si est Regularis posse absolvi à suo Prælato; si est sæcularis, ab Episcopo; vel à suo Parocho addunt Burghaber, Wiggers & alii apud N. Stephanum à S. Paulo *de Sacram. dub.* 10. *num.* 253. deduciturque ex textu *in cap. Nuper de sentent. excomm.* ubi habetur: *A suo absolvatur Episcopo, vel proprio Sacerdote.* Ex quo infert Glossa, *ergo simplex Sacerdos absolvere potest.* Manet tamen obligatio penes pœnitentem, postea comparendi coram Summo Pontifice, si facta est confessio Parocho (b); secùs si Episcopo (c). Lezana verò quem Octavius & alii primæ sententiæ sequuntur, dicit, pœnitentem debere vel per se vel per Confessarium recurrere pro absolutione ad sedem Apostolicam mittendo litteram ad Cardinalem, Majorem Summi Pontificis Pœnitentiarium, eò mo-

(b) Burghaber centur. 3. cas. 9.

(c) Communiter cũ P. Bonæ Spei.

modò scribendo qui in fine libri apponetur, & interim communicare; vel si est Sacerdos, celebrare potest toties quoties talis necessitas aut periculum occurrit, præmissa confessione omnium etiam reservatorum, ùt dixi suprà: protunc enim absolvitur directè ab aliis, & indirectè ab hæresi, cum onere procurandi absolutionem ab ea. Quoties verò non occurrit tanta necessitas aut periculum, tenetur abstinere à Communione, aut celebratione si est Sacerdos. Quod idem dicendum de excommunicatione, & alio simili casu, in similique circumstantia reservato ab Episcopo, aut aliquo Prælato Regulari.

Similiter excommunicatus.

SECTIO III.

Possuntne Regulares ab aliis casibus, non contentis in Bulla Cœnæ, reservatis Summo Pontifici, & reservatis Diœcesano absolvere sæculares?

Casus Episcopales de jure.

1. RESolutioni præmitto nonnulla: quòd casus Episcopales reservati, alii sint de jure, quales ostendunt Doctores, peccatum quod à jure habet annexam publicam pœnitentiam, item id quod habet annexam excommunicationem majorem, similiter peccatum quod habet annexam irregularitatem, item peccatum incendiarii, item publica blasphemia. Reverendissimus P. Stratius cum P. Lezana, hos omnes casus dicunt non esse de jure; quia ille casus est de jure reservatus Episcopis, qui jure per aliquem textum juris, ipsis reservatur: talis est unicus abortus, quem aliàs ex Constitutione Sixti V. Papalem, Gregorius XIV. fecit Episcopalem. Alii de consvetudine. Alii ex expressa reservatione, prout sibi reservant Episcopi.

2. Posita ab Episcopo reservatione casuum, credere debemus nullum alium casum in ea Diœcesi ex consuetudine reservatum esse: quia si talis esset, ipsum Ordinarius deberet excipere. Ita Lezana *verb. Casus reservati num.* 5. Excipe casum abortûs, cùm eum Papa reservaverit Episcopis, ùt dixi immediatè. Hîs præmissis

3. Dico: à contentis in Bulla Cœnæ Domini, nullibi; à specificatis suprà 5. casibus, extra Urbem intra Italiam; à reservatis Diœcesano, intra Diœcesim, Regulares absolvere non possunt sæculares; à reliquis verò Papæ reservatis, & illis 5. extra Italiam ubique eos absolvere queunt: dummodo in iis locis sint approbati. Nam

4. *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita censuit, propter confirmationes privilegio-*

rum quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Trid. Concilium obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ex ipsius Congregationis Decretis sublata atque extincta, si quæ habebant absolvendi à casibus Ordinario loci reservatis; quemadmodum nec indulta absolvendi à casibus contentis in Bulla quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, utpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires aut robur acquisivisse ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam necessariò exprimendi, nec intra nec extra Italiam, in vim privilegiorum aut confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reservatis: Ac si secùs egerint, absolutiones nullas atque irritas fuisse ac fore. Ab aliis verò casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis siquidem Regulares habent à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem S. Congregationis Decretis hac de re editis, jussu San. mem. Clementis VIII. Quam S. Congregationis sententiam Sanctitas sua ad se relatam approbavit, mandavitq; ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter observari. Romæ 17. Novembris 1628. Unde

In Bullario Ordinis Car. sub Urbano VIII. part. 2. pag. 418.

5. Possunt Regulares privilegiati vi suorum privilegiorum extra Italiam, à peccato & censura per duellum incursa, sæculares absolvere. Ita Naldus, Peirinis, Lezan. *verb. Duellum num.* 13. Franciscus Bonæ Spei *disp.* 8. *dub.* 8. *num.* 142. Loth *tr.* 6. *art.* 6. & 7. Barbosa *in cap.* 19. *de Officio & potestate Parochi in fine.*

Confessarii qui non possunt à peccatis absolvere, nequeũt à censuris.

6. Et quia sub Paulo V. dubitatum fuit utrum Regulares possint absolvere à censuris Sedi Apostolicæ & Episcopis reservatis, estò non à peccatis; Sacra Congregatio 1617. 7. Januarii ex mandato ejusdem Sanctissimi declaravit, in præfato Decreto comprehendi absolutiones à prædictis censuris. Ita Erasmus Chokier *in tract. de Jurisdict. in exempt. p.* 4. *q.* 56. Barbosa *de Offic. c.* 19. *num. ult.*

7. Ordinariè Papa reservat sibi peccata ratione censuræ, licèt secùs posset (d); Episcopus verò frequenter reservat casus, qui annexam censuram non habent.

8. Quæritur, quando conceditur potestas absolvendi à peccatis, utrum eô ipsô concedatur & à censura? *Resp.* Secundùm probabilissimam sententiam (e), qui habet à Superiore licentiam absolvendi à casibus, habet potestatem absolvendi à peccatis & censuris; nisi oppositum colligatur ex concessione. Tum quia censuræ etiamsi sint pœna in communi modo loquendi, comprehenduntur nomine casûs, ùt dixi suprà. Sicut dicitur homo cadere in peccatum, ita dicitur cadere in excommunicationem: tum quia conceditur in Trid. *sess.* 24. *c.* 6. Episcopis potestas absol-

(d) Navarr. Suar. Reginaldus.

(e) Lezana.

absolvendi á casibus occultis Papæ reservatis. Communi sensu Theologorum, nomine casûs veniunt censuræ. Et sic inquantum ipsis conceditur potestas absolvendi à casibus, conceditur etiam à censuris. Respondent alii, id tantùm esse verum de Papalibus casibus, quibus semper est annexa censura. Dico, hoc esse verum etiam de Episcopalibus casibus, quando eis est annexa censura; aliàs disparitatem dent, qui ita velint respondere.

9. Qualem pœnam incurrunt absolventes à Papalibus aut Episcopalibus, non habentes facultatem absolvendi? *Resp.* Si hoc extra articulum aut periculum mortis audet quis aut præsumit facere & facit, incurrit ipsô factô pœnam excommunicationis latæ sententiæ, privationis officiorum & dignitatis, aut beneficiorum, & inhabilitatis ad quæcunque officia, prælaturas & beneficia, soli Papæ reservatam: ita enim habetur in decisione S. Congreg. Cardin. Episcoporum & Regularium 1601. Januarii 9. & Anno 1602. 26. Novembris. In primo Decreto posita, in secundo sublata est *pœna inhabilitatis audiendi confessiones.* Primum habetur in Bullario Ordinis *part.* 2. *p.* 312. Utrumque apud Donatum *p.* 128. *de Potestate absolvendi, tract.* 11. & apud Bonæ Spei *de Casuum reservatione disp.* 10. *dub.* 2. *p.* 230. In primo habetur *super quibus à nemine nisi à Romano Pontifice habilitatio dispensatiove aut absolutio, præterquam in mortis articulo possit impartiri.* Ex his

10. Collige 1. Nunc etiam intra Italiam Regulares Mendicantes, & alios privilegiatos sive Regulares sive Sæculares, habentes privilegia absolvendi à Papalibus, posse absolvere à quibusvis casibus Papalibus reservatis, præter enumeratos: nam in moderatione Decreti, S. Congregatio hanc clausulam ponit, *in quibus omnibus jam enumeratis casibus dumtaxat* (f). 2. Quòd non quilibet incurreret præfatas pœnas qui absolveret à specificatis casibus reservatis Papæ aut loci Ordinario, sed qui auderet & præsumeret absolvere; cùm ita exprimatur in Decreto, & in pœnalibus non sit facienda extensio. Unde si quis absolveret sub spe ratihabitionis, aut ex inconsideratione, aut ignorantia, non tamen crassa aut affectata, non incideret in excommunicationem &c. Ita Lezan. *tom.* 1. *c.* 19. *num.* 43. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 73. & *part.* 10. *tr.* 23. *resol.* 22. *versu Sed prorsùs*, ubi pro hoc refert per extensum quandam Epistolam S. Congregationis de mandato Innocentii X. directam Archiepiscopo Neapolitano. Octavius *num.* 512. & 727. & alii. Idem dicendum de eo qui absolveret excommunicatum à sententia per Statuta Provincialia vel Synodalia, si hoc auderet aut præsumeret facere, ipsô factô incurreret excommunicationem reservatam Papæ, propter Clementinam *de Privilegiis cap. Religiosi.* Ita D. Antoninus, Cajetanus, apud Lezan. *loc. cit.*

(f) Lezan. tō. 1. c. 19. nū. 16.

Excommunicatus per Statuta Provincialia vel Synodalia non absolvitur à Regulari.

Qui sunt casus quos sibi reservare possunt Superiores Regulares, quandoq; tenentur concedere Confessoribus facultatem absolvendi ab eis, & quomodo, in quibus circumstantiis sunt absolvendi?

1. Quoad 1. per Decretum Clementis VIII. destinantur casus sequentes, quos sibi reservare valeant Prælati Regulares. Veneficia, incantationes, sortilegia. 2. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa, Monasteria seu Conventus fiat egressio, nocturna ac furtiva è Monasterio seu Conventu egressio, etiam animô non apostatandi facta. 3. Proprietas contra votum paupertatis quæ sit peccatum mortale. Juramentum falsum in judicio Regulari seu legitimo. 4. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto. 5. Falsificatio manûs aut sigilli Officialium Monasterii, aut Conventûs. Furtum de rebus Monasterii seu Conventûs, in ea quantitate quæ sit peccatum mortale. 6. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus. 7. Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujusque personæ (a). 8. Malitiosum impedimentum aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad Inferiores, & Inferiorum ad Superiores. 9. Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione & consensu. 10. Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi spontè & proprio motu id ab eis petierint. 11. Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero, majori vel minori; iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius judicaverit. 12. Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii qui ad superioritatis gradus fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. 13. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis, à Confessariis imponendas; quæ subditos ab hujusmodi per-

(a) Potest Superior Regularis ex privil. Apostolico sibi reservare casum Papæ reservatum ob occisionem aut gravem vulnerationem; ergo & absolvere ab eo.

perpetrandis cohibere possint. 14. Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sunt, observari mandavit. Non obstantibus Constitutionibûs & Ordinationibûs Apostolicis, ac cujusvis Concilii etiam Generalis Decretîs, necnon consvetudinibûs etiam ab immemorabili tempore observatis, aut regulîs in Generalibus seu Provincialibus Capitulis editis, statutîs & constitutionibûs, etiam Apostolica authoritate confirmatis, privilegiîs, indultîs & concessionibûs quibuscumque, quorum tenores hîc pro expressis haberi voluit, cæterîsque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum die 26. Mensis Martii Anno Domini 1593.

2. Sanctitas sua deinceps declaravit & declarat, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absolvere.

3. Pro explicatione notandum, quòd quàmvis prædictus Clemens VIII. in dicto Decreto præscribat numerum casuum quos sibi & alios reservare valeant Prælati Regulares; non tamen per hoc revocat casus antiquos in Religionibus per Regulam & Constitutiones reservatos (a): tum quia nullum verbum in præfato Decreto reperitur, hanc facultatem revocans: tum quia Papa loquitur ibi de casibus ab homine, hoc est authoritate propria, non de casibus de jure, vî Regulæ aut Statutorum reservatis, ùt patet ex verbis dicti Decreti; & ex hoc, quòd aliàs Constitutiones & Regulæ toties à Summis Pontificibus approbatæ, ruerent, Religiosique qui eas sub juramento promittunt observare, essent absoluti à juramento, & observatione earum. Ita Donatus. Tum quia decisio est S. Congregationis pro Regularibus hac in parte, cujus tenor sequitur: *Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita censuit, absolutionem à transgressionibus votorum, etiam obedientiæ & vitæ quadragesimalis, ùtique Prælatis ejusdem Ordinis ad præscriptum Regulæ esse servatum, & Decreto S. Mem. Clementis VIII. dispositionem, ejusdem Regulæ hac in parte minimè sublatam fuisse.* Romæ. die 22. Augusti 1631.

F. Antonius Cardinalis S. Onuphrii.

F. Fagnanus Secretarius.

(a) Miranda, Lezan. Donatus.

Non revocatur facultas reservándi casus reservandos vî Statutorum aut Regulæ.

4. An licitum sit Regularibus Prælatis sine consensu Capituli tam Generalis quàm Provincialis, alicui peccato non contento in Constitutione Clementis Papæ VIII. annectere excommunicationem, ejusque absolutionem sibi reservare? *Resp.* Quòd non: quia decisio est talis S. Congregationis, cujus tenor sequitur:

5. *Cùm à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in Decreto felic. record. Clementis Papæ VIII. Anno* 1593. 26. *Maji, super qualitate casuum ab eorum-*

dem

dem Regularium Superioribus reservandorum edito, censura etiam comprehenderentur, ita ut iisdem Superioribus absque Capituli Generalis aut Provincialis consensu, aliquibus peccatis in Decreto hujusmodi non contentis, excommunicationem annectere, ejusdemq; absolutionem sibi reservare liceat; Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præpositorum Illustrissimo Bandino referente, censuras in prædicto Decreto comprehendi censuit. Romæ 7. Julii 1617.

Quãdo Prælati possunt sub excommunicatione prohibere?

6. A fortiori non valent Superiores pro non culpis aut parvis culpis, excommunicationem imponere, & sibi reservare; cùm excommunicatio juxta S. Concilium Trid. *sess.* 25. *in Decreto de Reform. c.* 3. reservetur ad graviora crimina, aut res permagni momenti. Non impeditur tamen potestas Prælatorum Regularium per dictam decisionem, quin possint juxta Constitutiones suas imponere censuras suis inferioribus, prout habetur & in nostris approbatis ab Urbano VIII. Anno 1629. *part.* 4. *c.* 17. *num.* 2.

(b) Lezana num. 7.

Superior debet faciliter concedere licẽtiam absolvendi à peccatis.

(c) Bonæ Spei.

7. Ad 2. & 3. partem interrogationis. Licètsi regulariter loquendo, Superior potiùs se facilem quàm difficilem exhibere ad dandam alteri licentiam absolvendi eum à reservatis (b), magis quando credit subditum nolle ei confiteri ob rationes legitimas, maximè quando subditus fundatè timet damnum grave, v.g. fractionem Sigilli, infamiam apud alios, odium Superioris, persecutionem in externo regimine: imò quotiescumque credit graviter obfuturam negationem hujus licentiæ (c). Ratio est horum: quia moraliter loquendo minus periculi est in concessione quàm negatione: tum quia reservatio cùm sit medicina, potiùs debet temperari quàm augeri.

Quando eã negare.

8. Nihilominus tamen potest denegare illam licentiam Prælatus Regularis, quando scit subditum tantùm ob rationem verecundiæ, vel simile incommodum nolle confiteri Superiori (b), imò quando fundatè advertit, quòd concedendo immineat damnum notabile Communitati, vel tertio alicui, aut in pœnitente subsit aliàs periculum recidivi, aut certè ob nimiam ad istiusmodi facultatem concedendam facilitatem, disciplina Religiosa notabiliter relaxetur, his casibûs tenetur negare licentiam aliis absolvendi subditum, aut subditos à reservatis. Ita Em. Lugo *de Sacram. pœnit. disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 4. Candidus, Lezana *loc. cit.* Bonæ Spei *hîc* & alii. Ratio est: cùm inter duo mala, minus eligendum; minus autem in tali casu malum, negare quàm concedere. Addit P. Bonæ Spei: *Caveat tamen Superior ista temerè supponere; nam valdè extraordinaria sunt.* Et ne laqueum multis injiciat, curiositatem omnem à se repellat: Nam Angelicus D. *in* 4. *d.* 17. *q.* 3. *a.* 3. *quæstiunc.* 4. *ad* 6. ait: *Illi qui sunt nimis solliciti ut conscientiam subditorum per* con-

confeſſiones ſciant, multis laqueum damnationis injiciunt & per conſequens ſibi ipſis.

9. Quid ſi pœnitens confiteri nolit Superiori, & inſtat neceſſitas celebrandi aut confitendi? *Reſp.* Debet per ſe aut per alium (maximè Confeſſarium) à Superiore petere facultatem concedendam alteri, ut eum abſolvat à reſervatis; & quando Confeſſarius ipſius eam expoſcit à Superiore, ita cautè exigere eam debet, ut Superior non deveniat in notitiam perſonæ: imò Superior mortaliter peccaret, ſi à Confeſſario inquireret quiſnam ſit ille, qui tale ſcelus perpetravit (d): hoc enim eſt procurare ut ſigillum Sacramentale frangatur, quod ſine gravi culpa fieri nequit. Et ſi Superior petitam licentiam concedere non vult pro quacunque vice, ſive primâ, ſive ſecundâ, ſive decimâ &c. petitur, ſi nondum negante Superiore facultatem abſolutus eſt, poteſt pro hac vice abſolvi præfatus pœnitens à quocumque Confeſſario; deſtinato tamen à Prælato ad audiendas confeſſiones: *Nam Sanctitas ſua deinceps declaravit & declarat, ut ſi hujuſmodi Regularium Confeſſariis, caſûs alicujus reſervati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate abſolvere.* Ex quo

Et quid ſi pœnitens Superiori confiteri nolit?

(d) Petrus à S. Joſepho.

10. Collige duo: Unum, quòd Sacerdos non habens facultatem abſolvendi à reſervatis, non benè abſolveret pro prima vice, non negante nec ſciente Superiore. Secundum eſt, quòd qui abſolvit una vice negante Superiore, eumdem ſecunda vice negante Superiore abſolvere non valeat: nam *illa vice*, idem valet ac una vice tantùm. Ita Ludovicus à Cruce, Tamburinus *de jure Abbatum t. 2. diſp.* 13. *q.* 8. *num.* 4. Lezana *verb. Caſus num. 7.* quidquid dicat Diana; aliàs gratis adderetur à Pontifice particula *illa vice*, ſi intelligeretur toties quoties. Unde

11. Si præfatus pœnitens jam una vice (à fortiori ſi ſecunda) negánte Superiore facultatem abſolvendi, abſolutus eſt, & Superior omninò exigit hoc ut pœnitens adeat ipſum pro abſolutione obtinenda, conſulitur pœnitenti ut ſe ſiſtat; & ſi pudet ipſum dicere ei ſua peccata, explicet ei caſum reſervatum & abſolvatur à cenſura, ſi ſit annexa, ac impoſita ſalutari pœnitentia dimittatur, ut abſolvatur ab alio Confeſſario à peccato reſervato, & non reſervatis (e), quod tenetur Prælatus facere: aut ſaltem in genere proponere lapſum ſeu caſum reſervatum, petendo licentiam pro Confeſſario, ut poſſit in Sacramentali judicio ab eo in ſpecie & individuo commiſſo abſolvere. Si verò nolit pœnitens hæc præſtare, aut Superior niſi præmiſſa Sacramentali confeſſione Sacramentaliter abſolvere, tunc conſiderandum, vel pœnitens non vult illi Superiori confiteri, ideò, quia pudet ipſum dicere ſua peccata Superiori?

(e) Stephanus à S. Paulo.

vel propter aliquod incommodū ſimile? Tunc tenetur in tali circumſtantia confiteri illi Superiori (f): quia talis difficultas non eſt ſufficiens ad deobligandum. Et ſi nolit ei confiteri, ab alio nullo modo eſt abſolvendus, etiamſi obtineat facultatem; niſi de hoc eliciat dolorem, cùm illo ſecluſo non ſit capax abſolutionis, propter mortalem pertinaciam (g). Si verò nolit confiteri quia timet aliquod damnum multùm grave, ùt dictum eſt ſuprà, tunc tenetur alteri confiteri tam non reſervata quàm reſervatum, ut ab illis directè, ab hoc indirectè, ſcilicet cum onere hoc confitendi habenti poteſtatem eum abſolvendi ab hoc. Ita Toletus *lib.* 3. *c.* 13. Lezan. *tom.* 1. *c.* 18. *num.* 29. Bonæ Spei, Stephanus à S. Paulo. Taliter etiam poteſt abſolvi toties, quoties Superior adiri non poteſt, & inſtat neceſſitas celebrandi aut confitendi; ſemper indirectè, numquā directè: quia Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. dicit: *Extra mortis articulum Sacerdotes nihil poſſe in cauſis, in caſus reſervatos* (ſubaudi directè & ſine onere).

(f) Lezana.

(g) Bonæ Spei num. 3.

Quomodo poteſt abſolvi quando Superior adiri nō poteſt?

12. Docent hoc aliqui cum Ludovico à Cruce, quòd poſſit Superior obligare ſuum inferiorem ad comparendum coram ſe obtenta abſolutione à Confeſſario à ſe deſtinato; ſed hoc non videtur mihi: nam hoc propriè non eſſet petitam facultatem concedere, ſed onus duobus confitendi imponere. Quod dico de itinerantibus, ſicut de manentibus in Conventu: hæc eadem enim ratio pro utroque caſu militat, niſi ſit rariſſimus, urgentiſſimè cogens ad hoc Superiorē caſus. Lezan. *num.* 8.

SECTIO V.

Regulæ generales pro caſuum reſervatione.

1. Licetſi peccata merè interna poſſint reſervari (a), cùm non minùs ad eorum abſolutionem juriſdictio requiratur quàm ad externa, & non minùs reſtricta committi poſſit ad interna quàm ad externa; nullum tamen internum reſervatur defactò. Continua praxis ita reſervandi, & communis ſenſus Theologorū ita intelligendi, hoc monſtrat.

(a) Suarez, Lezana, Bonæ Spe.

2. Dices contra primum: Eccleſia actus internos præcipere, aut prohibere non poteſt. *Reſp.* de legibus tractans, negando Antecedens: nam in concilio Trid. *ſeſſ.* 6. prohibetur, ne quis deinceps audeat aliter credere &c.

3. Quàmvis venialia ſaltem à Summo Pontifice poſſint reſervari (b), non tamen defactò reſervantur; nec expedit ea ſuperfluè reſervari, cùm venialia poſſint pœnitentes non confiteri. Unde ſi actio externa eſſet nondum deveniens ad materiam ſufficientem ad peccatum mortale, etiamſi intentio eſſet mortaliter peccaminoſa, per eam non incurreretur

(b) Lezana, Bonæ Spei, Bonacina.

caſus

casus reservatus. Clarificat exemplum: v.g. si sit casus reservatus, loqui cum Monialibus; qui paucissima verba cum aliqua loqueretur, aut cum aliquibus, etiamsi intentio esset inhonesta mortaliter, non incurreret casum reservatum: quia reservatio requirit casum externum peccaminosum mortaliter. Ita Lezan. cum Bonac. & aliis. Illa intentio esset quidem mortaliter peccaminosa; sed prout actus internus, non reservatur Superiori.

Debet esse actio mortaliter peccaminosa ut incurratur cẽsura.

4. Imò per actionem externam mortaliter peccaminosam, non incurritur casus reservatus, si actus non sit completus, consummatus moraliter: quia crimen non intelligitur nisi sit consummatum, juxta *cap. Hæc autem d.* 1. *de pœnit.* juncta Glossa *ibidem*: & verba debent intelligi cum effectu *l.* 1. *Hæc verba ff. Quod quisque juris* (c). Unde incestum committens sine effusione seminis, non incidit in casum reservatum. Ita Lezan. Finel. *de Casibus reserv. c.* 5. *num.* 4. Secùs est, quando ipsa attentatio criminis expressè reservatur: tunc enim non requiritur consummatio, completio operis. Ita Layman, Pejrinis apud Lezan.

(c) Bonacina, Laymã, Lezan.

Crimen non intelligitur nisi consũmatum.

5. Quando dubitatur de peccato, an sit mortale, an veniale? Reservari illud non posse, docet Comitolus *in Resp. moral.* 1. *q.* 34. *n.* 2.

6. Reservatio casuum sine causa, licet sit illicita, tamen valida. Ita Suar. & Lezan. qui addit, oppositam sententiam esse probabilem; cùm potestas Prælatorum sit in ædificationem, non destructionem. Pejrin. *t.* 2. *de Prælat. q.* 3. *c.* 2. *num.* 7. Attamen in dubio standum est pro Superiore quòd habuerit justam causam reservandi. Vasq. Pejrin. Lezana.

SECTIO VI.

Dubia quædam circa casus reservatos, quibus satisfit.

1. Quid dicendum de impuberibus? v.g. impubes 12. annorũ, actum commisit ob qualem alii incidunt in casus reservatos; inciditne & ille? *Resp.* Impubes vel commisit incestum, quem non consummavit? Tunc non incidit in casum reservatum, ob rationes *num.* 4. *sect. anter.* adductas à Lezana. Vel commisit alium actum quem complevit, v.g. percussit Parentem? Tunc incidit in casum reservatum; cùm non sit ratio cur impuberes à reservationis præcautione & remedio excusentur ac eximantur. Ita P.B. Spei *de Casuum reserv. disp.* 10. *n.* 2.

Quando impubes incurrit casũ reservatum?

2. Sed quid si censura annexa sit casui reservato, censuraturne eâ impubes incidens in casum reservatum? *Resp.* Vel censura annexa peccato est lata ab homine? Illâ non censuratur impubes, nec potest licitè censurari: licèt posset valide. Ita Bonacin. *de Censuris*, Diana, Octavius

 num.

num. 746. Vel est lata à jure? Talî non censuratur impubes. Ita docent Em. Sa, Bonæ Spei, Andreas Mendo: Ecclesia enim non solet cogere quemquam suis censurîs ante annos pubertatis, compatiens fragilitati illius ætatis, ut probat textus *cap. Referente* 2. *cod. tit.* Et liquet ibi, *quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris ætatis humanæ leges ducunt severiùs puniendum.* Excipe casum propter percussionem Clerici (a), & censuram latam contra ingredientes Monialium Monasteria: quia prima *cap. Super eo* 1. *de sent. excomm.* secunda in Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 5. expressè afficit impuberes; cùm exprimantur in utraque lege. Ut censura afficiat impuberes, non sufficit colligere hoc ex aliquo verbo, sed debent exprimi in lege censurante; cùm in pœnalibus non sit facienda extensio, sed potiùs restrictio.

(a) Castro palao p. 1. t. 3. d. 1. punct. 24. §. 2. num. 9.

Non sciens incidit in casum reservatum.

3. Quid dicendum de pubere qui bona fide confessus est, non sciens casum esse reservatum, & excommunicationem annexam; aut Confessarius invincibiliter ignoravit amisisse jurisdictionem per reservationem casuum? *Resp.* ad 1. talem incidisse in casum reservatum, quà peccatum (b); non autem in censuram (c). Ratio est primi, quòd non sit necessarium ad incurrendam reservationem, scire tale peccatum esse reservatum: quia reservatio non tam in pœnam, quàm in præcautionem ab enormibus peccatis remedium est. Ratio secundi est: tum quia censura est pœna: tum quia lege hoc cautum est: *cap. Felices de pœnis in* 6. *cap.* 2. *in fine, de his quæ fiunt à majori parte Capituli, dicente: nec pœna sit ulteriùs protrahenda, quàm delictum fuit.* Unde

(b) Bonæ Spei, Rotarius.

(c) Bonæ Spei d. 10. nũ. 2.

Sed non in censuram.

Responsio ad secundũ.

4. Præfatus pœnitens debet hoc peccatum reservatum aperire reservanti, aut Confessario habenti facultatem à tali absolvendi, ut ab eo directè absolvatur; cùm ille Sacerdos qui bona fide absolvit, directè non potuit: sicut enim ignorantia amissionis gratiæ non dat gratiam, ita ignorantia jurisdictionis non dat jurisdictionem. Non tenetur tamen alia iterum confiteri peccata: quia ille Sacerdos ad ea habuit jurisdictionem, & potuit ab eis absolvere, remittendo cum reservato ad reservantem, ut dixi suprà.

5. Quid dicendum de eo qui dubitat utrum casus sit reservatus? *Resp.* Tres esse circa hoc sententias. 1. absolutè asserens non debere se existimare incurrisse actum reservatum, & posse absolvi à quocunque Confessario. Ita Portellus, Diana, Rotarius, Bonac. qui ait, qui dubitat homicidium commisisse, vel complevisse aliquod peccatum reservatum, v.g. incestuosam copulam, non debet censeri reservatione innodatus. Media sententia est Lezanæ, quæ excipit duos casus, scilicet quando dubium est an percussio Clerici sit levis an gravis? tunc enim credendum est esse gravem, juxta Extravagantem quandam, quam refert

Navar-

Navarrus *in Manual. c. 27. num. 91.* et quando eſt dubium de caſu quòd contineatur ſaltem dubiè in Bulla Cœnæ, propter ordinationem Apoſtolicam, ſuprà poſitam. Adfert ratioñ Lezana pro Bonacina & pro ſe: quia reſervatio eſt materia odioſa, reſtringi debet. *Rdet* Sanchez & dicit *l.1. de Matrim. diſp.39. Lex quàmvis pœnalis, lata principaliter in favorē animarū eſt favorabilis.* Rotarius pro prima ſententia deciſioñ S. Congregationis intimat; ſed non conſtat de Authentica: & contra eum aliosque ſuprà citatos ponunt duas Regulas Canoniſtæ, unam pro foro externo, ſcilicet quòd Judex in dubio non debet quemquam irregularem judicare; aliam pro foro interno, quòd quilibet in foro interno in dubio debet ſeipſum irregularem judicare, juxta *cap. Enim de teſtibus* (d). Quare aliter

Regulæ pro foro interno & externo.

(d) N. Eliſeus à S. Ioan. in ſuo Manuali.

6. Dico: Qui dubitat an ſit caſus reſervatus vel non? cenſeri debet reſervatus. Ita Sanchez *loc. cit.* Armilla *verb. Caſus num. 23.* Corduba *in Regulam S. Franciſci c. 7. q. 7. punct. 1. caſ. 5.* Bonæ Spei *diſp. 10. dub. 1. reſol. 2.* Cabrinus & alii apud ipſum. Ratio eſt: tum quia alioqui reſervato abortu, poſt animationem ſi dubium foret de animatione, non eſſet caſus reſervatus; & tamen ut ſic annexam irregularitatem habet, *cap. Ad audientiam*, & *cap. Significaſti de homicid.* tum quia debemus confiteri mortalia peccata dubia ut dubia; ergo etiam reſervata dubia, ut dubia reſervata: tum quia tutiùs eſt confiteri ùt tali, hoc eſt habenti poteſtatem à tali abſolvendi, quàm non confiteri ùt talia, ſeu confiteri non ùt talia, & exponere caſum nullitati abſolutionis; nam ſi eſt noſtra ſententia vera, nulla eſt abſolutio per ſimplicem Sacerdotem data. Plura dicere poſſumus prout de dubiis peccatis.

Qui dubitat ſe incidiſſe in reſervatū debet ſe pro tali habere in foro interno.

7. Habentes facultatem à reſervatis abſolvendi, Epiſcopi à Papalibus, Vicarii Generales ab Epiſcopalibus, Provinciales à Generalibus, Priores, Guardiani à Provincialibus utrum poſſint abſolvi ab eis à ſuis inferioribus, dum incidunt in eos? *Reſp.* Affirmativè: cùm pro Epiſcopis habeatur deciſio S. Congregationis (e); pro Prælatis Regularibus, privilegium Julii II. Minimis conceſſum (f), niſi data facultas reſtringatur tantùm ad inferiores. In quæſtione additum eſt *habentes facultatem &c.* Nam ſi non habent facultatem Superiores ab his abſolvendi ſuos inferiores, ipſimet abſolvi ab eis non poſſent, cùm nullibi pro hoc extet aliquod privilegium, teſte Donato & aliis.

(e) Sanch. Henriq. apud Bonac. p. 223.

(f) Donatus de Confeſſ. q. 16. n. 3.

8. Sed quid ſi Prior eſſet excommunicatus, eligens ſibi Confeſſarium ſubditum, poſſetne ab eo abſolvi ab excommunicatione? *Reſp.* Vel ille Superior eſt excommunicatus vitandus, vel non vitandus? Si vitandus? Sicut ipſe alumnos ſui Conventûs abſolvere non poteſt à quibus poterat, cùm per talem excommunicationem careat juriſdictione in eos; ita non po-

poteſt abſolvi ab aliquo illorum Confeſſariorũ, cùm non noſcant ipſum eſſe Superiorem; nec licitè poſſunt ipſi obedire, niſi ex urbanitate in re valdè levi. Ita Lezana *verbô Excomm. tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 38. Cornexo *s. tom. in* 3. *p. diſp.* 10. *de Excomm.* Suar. *tom.* 5. *de Cenſuris diſp.* 15. *ſect.* 7. Vel eſt excommunicatus non vitandus, ſed toleratus? Tunc ſicut ipſe Superior (non tantùm quando ignoranter, ſed etiam quando ſcienter talis rogatur) poteſt propter privilegia Regularium abſolvere ab omnibus peccatis & cenſuris, tam à jure quàm ab homine generaliter latis, & Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter non reſervatis (prout habetur in Conſtitutionibus PP. Prædicatorum *fol.* 4. *col.* 3. *verſ. Item declaramus*, & in Noſtris quoad forum conſcientiæ *part.* 4. *cap.* 17. *de ſentent. Excomm. num.* 4.); ita poteſt abſolvi à ſuo inferiore ab iiſdem, propter dicta *num.* 7. cùm per excommunicationem talem non reddatur vitandus, gaudet jure ſui Superioratûs. Vide Lezanam *verbô Excomm. num.* 35. & Donatum *de Confeſſ. quæſt.* 17.

9. Caſus eſt. Duo Clerici ſe percuſſerunt; à quo ſunt abſolvendi? *Reſp.* Priùs ſciendum, an inciderint in excommunicationẽ? Poſtea à quo abſolvendi: Nam vel ſunt Clerici Rutheni Uniti, uxorati, bigami, bigamia reali aut interpretativa tali, prout reperiuntur in Ruſſia? Tales ſe percutientes non incurrunt pœnam Canonis; poſſunt ergo abſolvi à quocunque, niſi ſibi reſervet illorum Epiſcopus percuſſionem talem: imò conjugati non habentes beneficium (g), imò non uxorati Clerici Eccleſiæ Latinæ qui reliquerunt habitum & tonſuram Clericalem, & ter moniti ab Epiſcopo reaſſumere nolunt (h), aut hiſtriones, ſcurræ, ter moniti à Prælatis, non deferentes talem ſtatum, *cap. Unico de vita & honeſtate Cleric. in* 6. (i). Item facti milites, ſeditionem facientes & iniquã guerram, *cap. Perpendimus de ſent. excom.* (k). Hi & ſimiles privantur privilegiô Canonis. Item Clerici qui non privantur privilegiô Canonis, vel ſunt maturi, vel pueri? Hi enim rixantes, ſe invicem percutientes pugnô, ita ut ſanguis è naribus eliciatur, non incurrunt excommunicationẽ, etiamſi in templo id contingat: quia plerumque hæc injuria inter ipſos levis cenſetur. Ita Sum. Diana *verbô Cenſura num.* 21. Mendo *verbô Excomm. num.* 4. Octavius *num.* 963. Attamen ad circumſtantias reflectere debet Confeſſarius: nam aliquando talis poteſt eſſe gravis injuria, ut reflectunt ſuper hoc Cornejo, Layman, Molina & alii. Vel maturi? quos & ætas & injuria de commiſſa excommunicatione accuſat? Tunc primò conſiderandum, an levis, an mediocris, an gravis ſeu enormis percuſſio ſit?

(g) Tolet. Bonac. Lezana.

(h) Panormitanus, Sylv. verbô Excõ.

(i) Suar.

(k) Suar. Laym. Lezan. verbô Clericus.

Levis percuſſio.

10. Levis percuſſio regulariter eſt; quæ fit pugnô, palmâ, manu, pede, digitô, lapide, aut baculô, quæ nullam maculam neque ſigillationem carnis relinquit, neque membrum abſcindit, ſine dentium effra-

ctio-

ctione, sine evulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. Ita habetur in Extravagante, prout videre est in Nostris Statutis *parte* 4. *cap.* 10. *num.* 4. & apud N. Lezanam *verbô Clericus num.* 11.

11. Dixi *regulariter*: quia aliquando ex circumstantia loci, scandali, personæ, si est Magister, Judex, Prælatus &c. percussio levis fit gravis, prout colligitur ex Extravaganti. Unde reflectendum est ad circumstantias aggravantes.

12. Mediocris est, quâ vel dens extrahitur, vel capillorum copia evellitur, aut sigillatio carnis relinquitur, aut sanguinis copia effunditur, absque tamen gravi læsione. Ita Bonacina *punctô* 5. *num.* 2. Lezana *loc. cit.* Mediocris percussio.

13. Gravis verò seu enormis (inquit Lezana) est, quæ fit cum occisione aut membri mutilatione, vel magna sanguinis effusione (in alia parte quàm naribus), vel magno vulnere aut ictu, etiam sine sanguine, v.g. ad pectus aut latus &c. *cap. Cùm illorum de sent. excomm.* Gravis.

14. Sciendum etiam hoc, quòd in dubio de levitate, judicandum potiùs esse gravem: tum quia hoc est in favorem Ecclesiæ: tum quia hoc exigit Extravagans, ùt legenti patet & in Nostris Statutis *locô citato.* His suppositis Quid si dubium circa eam?

15. Sciendum, vel præfati Clerici sunt Sæculares, vel Regulares? vel Sæcularis & Regularis? Si Sæculares? & percussio est levis, per quam contracta est excommunicatio? Episcopus potest eos, & laicos quoscumque à tali & simili absolvere, juxta textum *cap. Pervenit de sent. excom.* Barbosa *de Officio & potestate Episcopi alleg.* 41. *num.* 2. Si Regulares ejusdem Conventûs? Superior localis potest eos absolvere jure communi, juxta *cap. Monachi de sent. excomm.* & *cap. Cùm illorum eodem tit.* ubi dicto *cap. Monachi*, ampliatur potestas ad omnem percussionem, quæ non est enormis, nec in Episcopum, Abbatem, Priorem &c. Ita Tamburinus *de Jure Abbatum tom.* 2. *disp.* 41. *q.* 10. *n.* 1. Additur *jure communi*: nam secùs est spectatis propriis Statutîs: in Nostris, si levis est, pro foro externo relinquitur Provinciali (m); in foro verò interno seu conscientiæ, à suo Priore absolvi potest, *part.* 4. *Constit. c.* 17. *num.* 4. *de Sentent. excommunicationis.* (m) p. 4. c. 10. num. 3.

16. Dices: In præfatis Statutis *cap.* 10. *num.* 3. habetur, quòd si læsio fuerit levis, poterit absolvi à Provinciali; quoad forum verò interius petatur absolutio à Sede Apostolica: ergo non potest absolvi à Priore. *Resp.* hoc totum esse verum de jure communi; secùs de jure speciali. Et habetur *de Officio Provincialis* in iisdem Statutis *part.* 3. *c.* 18. *num.* 18. *Reverendus Provincialis authoritatem habet* (n), *excommunicatos per manuū in Fratres Ordinis injectionem violentam absolvendi in utroq; foro; si tamen gravis percussio, absolvat nomine Generalis.* (n) Sixti IV. Dum attenta.

17.

Superior percussi absolvere debet.

17. Vel sunt diversorum Ordinum? aut ejusdem, sed Conventuum diversorum? Tunc uterque à Prælato percussi absolvendus est, juxta *cap. Cùm illorum.* Sylv. *verbô Absol.* nisi aliud ex Statutis colligatur. Vel potest Superior percussi, dare licentiam Superiori percutientis, ut eum absolvat. Ita Lezan. *Sylv.* Attamen non debet ei confiteri; sed sufficit ut absolvatur à censura: nam ablata censurâ, ipsa peccata possunt tolli à quocumque Confessario. Ita Tol. *l.* 3. *cap.* 14. *num.* 2. Navar. *in Summa c.* 27. *num.* 254.

Ablata censurâ à quolibet Confessario tolli potest peccatum.

18. Vel isti Clerici sunt, unus Regularis alter Sæcularis? Tunc quàmvis Regularis qui percussit Clericum Sæcularem, propter *cap. Cùm illorum,* à solo Papa sit absolvendus; tamen ex *cap. Religioso de sent. excomm. in* 6. absolvi potest ab Episcopo, non Prælato Religiosi percutientis. Ita Toletus *suprà num.* 2. Tamburinus *suprà num.* 3. Quod totum intelligendū est, stando juri communi, prout toties repetii. Secùs autem est, spectatis specialibus privilegiîs Regularium, quæ habent, quòd possint Prælati Regulares suos inferiores, non solùm ab excommunicatione propter percussionem levem, sed etiam propter mediocrem & enormem. Vide Lezan. *verbo Clericus* nisi aliter habeatur in Statutis, prout in Nostris habetur, quòd à Prælato percussi absolvendus sit, *locô cit. c.* 10. *n.* 5.

19. Si mediocris percussio est, quàmvis talis magis sit Papæ reservata excommunicatio; tamen Episcopus suos Clericos potest absolvere, quando Clerici collegialiter vivunt, & unus alium percussit, *cap. Quoniam de vita & honestate Clericorum.* Ita Navar. & alii communiter. De Regularibus dixi *num.* 17. *hîc.*

Impediti Romam ire.

20. Si gravis percussio sive enormis est, vel illi Clerici sæculares sunt impediti, ita ut non possint ire Romam, quia vel sunt infirmi, vel valdè pauperes, senes, aut animarum curam habentes & temporale dominium, prudenterque timetur ne propter absentiam illorum aut illius, oves vel Vasalli patiantur detrimentum? Tunc Episcopus potest ipsos absolvere. Similiter (& à fortiori) eos qui non sunt sui juris, propter *cap. Mulieres de sent. excomm.* ubi conceditur Episcopis, ut tales absolvant à dicta excommunicatione. Similiter Prælati Regulares possunt suos inferiores absolvere; cùm non sint sui juris.

Quomodo absolvendi?

21. Cum hac tamen clausula, Episcopi suos debent absolvere, quòd si illud impedimentum ratione cujus non possunt adire Romam sit perpetuū, ùt si sunt senes, cæci, claudi &c. tunc absolutè, sine onere se præsentandi Papæ; Si verò illud impedimentū temporaneum sit, ut si infirmi, tunc injungere tenentur præceptū cum juramento comparendi coram Papa, cessante illo impedimento, *cap. De cætero*, & *cap. Quàmvis de sent. excomm.* ubi excipiuntur pueri; quare nec postea obligantur. Si autem

ablo-

absoluti negligant postea comparere, non solùm perjuri fiunt, sed etiam incidunt in eandem excommunicationem, ùt habetur *cap. Eos qui, de sent. excomm.* Ita Sylv. *verb. Absolutio*, Toletus, Cornexo, qui addit, satis esse se præsentare per Procuratorem. Sayrus quidem asserit, quòd si absolvendus potest adire Legatum Apostolicum, in tali casu non potest etiam ab Episcopo absolvi: sed hoc negant Cornexo, Henriq. & alii.

22. Notandum: quando Clerici percussio occulta est, potest Episcopus absolvere ab excommunicatione absolutè, etiamsi sit nullum impedimentum comparendi coram Papa; sed in foro conscientiæ tantùm, ex facultate Trid. *sess.* 24. c. 6. Si occulta percussio.

23. Idem dicendum de Regularibus: nam ob privilegium Pii V. suprà *ser.* 4. *sect.* 4. *num.* 3. positum, Prælati Regulares idem possunt in suos Fratres inferiores, & Moniales sui Ordinis, quod possunt Episcopi in Clericos & Laicos sibi subditos, tam quoad absolvendi & dispensandi, quàm alias quascumque facultates.

24. Propter hoc quòd percussio Clerici sit notoria, non est licitum percussoribus Regularibus, absque licentia sui Prælati comparere coram Summo Pontifice; quia hoc decreta Summorum Pontificum vetant, ut tollantur occasiones vagandi (o): quia Sixtus IV. Julius II. & alii decidunt, in quibus casibus tantùm & non in aliis, ad Sedem Apostolicam Regulares recurrere debent; & percussio Clerici enormis non excipitur. Licetsi jure communi Prælati Regulares non possint absolvere suos inferiores ob enormem percussionem, sed per Procuratorem aut litteras, coram Sede Apostolica procurare absolutionem teneantur; tamen jure speciali ob privilegia Apostolica Sixti IV. Julii II. & aliorum, saltem in foro interno seu conscientioso absolvere solent, nisi obsint propria Statuta, quæ videnda sunt.

(o) Sixtus IV. Julius II. & alii.

25. Sed quid si ille Clericus aut alius percussor Clerici petat à Regulari Confessario absolutionem; potestne absolvi per eum ab incursa censura propter percussionem Clerici? *Resp.* Ille qui petit absolutionem, vel est Regularis, vel est Sæcularis? Si Regularis? Vel est alienus, vel ejusdem Ordinis cujus est & Confessarius? Si alienus? Non potest absolvi: nam si potest absolvi, tunc à Prælato percussi, aut suo aut ab alio ab eo destinato. Si ejusdem Ordinis? Spectanda sunt Statuta propria, utrum hoc concedatur. In Nostris 1. *part. c.* 23. *num.* 9. sic habetur: *Sciant autem omnes, Confessarios Ordinarios, non posse Regulares Nostros absolvere à censuris, puta ob violentam manuum injectionem in Clericos, vel gaudentes Clericorum in hac parte privilegiis, nec etiam ab excommunicatione quã incurret aliquis transgrediendo præceptum sibi singulariter & directè factũ à Provinciali vel Priore, sub pœna excommunicationis.* Parte verò 4. *cap.* 17. *num.*

A Confessore percussor petit absolutionem.

num. 4. *Si quis in foro conscientiæ à suo Priore juxta privilegia fuerit absolutus ab excommunicatione, iterum in publico absolvatur, ut suprà.* Unde talis directè à Confessario est absolvendus ab aliis, & remittendus cum hac excommunicatione ad illum, ad quem de jure spectat.

26. Si verò est Sæcularis? Vel percussio Clerici est casus reservatus ab Episcopo (quem, legens multarum Diœcesum casus quos de consvetudine solent reservare Episcopi, non inveni reservatum)? Svadeo remittendum talem pœnitentem ad Episcopum, aut ad destinatum ab eo. Si non est casus ab Episcopo reservatus? Tunc Regularis Confessarius à quo petitur absolutio, vel est non habens, vel habens facultatem absolvendi à casibus Papalibus? Seu vel est existens intra Italiam extra Urbem, vel extra Italiam v.g. est in Germania, aut Gallia, aut Polonia? Si primum? Absolvere non potest. Si secundum? Absolvere potest, prout ex declaratione S. Congregationis suprà positæ *num.* 4. *sect.* 2. patet, & in Lez. *verbô Clericus.*

Sacerdotes se percutientes.

27. Et si Clerici invicem percussores sint Sacerdotes ad unam Ecclesiam, ubi non est alius qui eos absolvere potest; aut plures sunt, sed omnes se invicem percusserunt, & necessitas urget celebrandi, & populum absolvendi? Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 12. & Tamburinus *de Jure Abbatum tom.* 2. *disp.* 14. *q.* 11. distinguunt: quòd si talis casus, consequenter excommunicatio sit occulta, potest ille qui est eorum Superior absolvere subditum, cùm per talem excommunicationem non sit privatus jurisdictione, & communione cum illo; & postea ab illo non excommunicato absolvi. Si verò est publica, cessat hoc remedium; cùm protunc uterque sit vitandus, careatque jurisdictione. Quare qui est eorum Superior debet quærere alium Sacerdotem, qui eum valeat absolvere ab excommunicatione præfata, & postea ipse absolutus, absolvere potest suum subditum. Econtra verò Tabiena *verbô Absolutio* 2. §. 10. Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regular. quæst.* 20. *art.* 12. Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. q.* 35. *cap.* 4. *num.* 82. Lezana *verbô Clericus num.* 17. dicunt, absque distinctione & ulla restrictione, sive illorum sit unus Superior, alter inferior, sive æquales, possunt se in tali casu invicem absolvere: nam necessitas caret lege, inquit Lezana. Quam rationem non admitto: aliàs si ipsi duo Sacerdotes abessent, simplex non approbatus Sacerdos posset sacramentaliter audire accedentes ad Confessionem causâ devotionis; quod non docetur. Aliam ergo rationem do: quia non statim est vitandus quia percussit Clericum, sed ut vitetur, debet declarari percussisse N. & incidisse in pœnam Canonis. Ita Donatus *verbô Bullæ & decreta tract.* 2. *q.* 1. *num.* 15. Id pariter constat ex dicto *cap. Cùm secundùm leges, de hæred. in* 6. ibi: *donec sententia fuerit*

pro-

promulgata super crimine. Nisi percussio sit notoria notorietate facti, & nullo jure percussor à censura excusari valeat. Vide *de Censur. d. 2. ser. 1. num.* 4. 7. & 8. Debet tamen habere se in foro conscientiæ pro excommunicato, donec absolvatur. Ita communiter DD. Et pro tutiori, aperire casum coram habente potestatem absolvendi à talibus.

Sacerdos facultatem habens eligendi Cōfessarium non eô ipsô à reservatis potest absolvi.

28. Sacerdos qui obtinuit ab Episcopo licentiam sibi eligendi Confessarium, potestne absolvi à reservatis? *Resp.* quòd possit absolvi à peccatis, non autem à reservatis; nisi ille quem elegerit, habeat facultatem absolvendi à reservatis: quia *cap. Si Episcopus, de pœnit. & remiss. in 6.* dicitur: *Si Episcopus suo subdito concesserit ut sibi possit idoneum eligere Confessarium, ille quem is elegerit, in casibus qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitùs potestatem.* Idem à pari dicendum de Regularibus, maximè de Prioribus, Guardianis &c. qui habent facultatem eligendi sibi Confessarium, quòd nequeant absolvi à reservatis Provinciali, nisi aut absolvens, aut ipse Superior localis habeat eam facultatem absolvendi alios à reservatis Provinciali, ùt colligitur ex dictis *num.* 5.

29. Utrum Sacerdos habens facultatem absolvendi à reservatis, possit alicui hanc delegare ut ipsum à reservatis absolvat? *Respondent* sub distinctione Navar. Donatus & alii: vel est delegatus ad universitatem casuum reservatorum, vel ad aliquem tantùm casum, seu pro una tantùm vice? Si primū? Potest eam facultatē delegare alteri, ut eum absolvat. Si secundum? Non potest. Sed optimè reflectit P. Lezana *verbô Casus num.* 29. quòd si facultas pro utroque foro concessa est ùt Judici, Prælato, prout solet Generalis concedere Provinciali, vel Provincialis Priori, aut Guardiano, cum facultate explicita vel implicita subdelegandi, potest illam delegare alteri ut eum absolvat, pro hocque habetur *cap. de Judice final. de Officio delegat.* Si verò concessa est alicui ùt Confessario duntaxat, & solùm pro foro interno, tunc hanc potestatem alteri delegare non potest, ùt patet ex usu Ecclesiæ. Ita Lezan. & Portellus apud ipsum.

30. Potestne delegatus ab absolvendum à reservatis, tollere reservationem, & remittere pœnitentem pro absolutione Sacramentali ad alium Confessarium? *Resp.* Hoc esset propriè subdelegare (p), quod solus reservans, non delegatus facere potest, ùt dixi suprà.

(p) Rotarius.

31. Prælatus concessit facultatem inferioribus ut sibi eligant Confessarios quoscumque, dummodo approbatos, ut eos à peccatis reservatis absolvant; interim post obtentam concessionem unus illorum incidit in novum casum reservatum: quæritur an vì datæ concessionis possit absolvi ab eo casu, per quemcumque Confessarium à se electum? *Resp.* Vel casui reservato in quem incidit ille, est annexa censura, vel non? Si non? Tunc juxta communem sententiam potest absolvi, à quocumque

Quando datur poteſtas abſolvendi à cenſuris ex eo, quòd detur à reſervatis.

Confeſſario vî illius conceſſionis: ita enim docent Martinus Bonacina *de Legibus diſp.1.q.3.p.7.§.1. num.11.* Diana *part.4. tract.4. reſol.*109. Donat⁹ *de Confeſſar. Regular. q.*43. Vel eſt annexa? Quæro, vel Prælatus conceſſit inferioribus facultatem eligendi Confeſſarios, ut abſolvant à cenſuris? Tunc eadem eſt ſolutio, quæ pro anteriori datur; cùm ſit eadem ratio. Vel non conceſſit à cenſuris? & vel non conceſſit purè negativè, ſcilicet nullam de eis fecit mentionem? In tali caſu, poteſt abſolvi & à cenſura. Ita docent Suar. *de Cenſuris d. 7. ſect. 4. num. 13.* Navar. Portell. *verbô Caſus reſerv. num. 3.* Donatus *locô cit. quæſt. 46.* Vel non conceſſit poſitivè, ſcilicet ipſemet Prælatus abſolvens à cenſuris, hîſque ſublatis, dans licentiam abſolvendi ab illis reſervatis, prout declaratur exemplô apud Regulares: In Vigiliis Nativitatis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes &c. abſolvuntur à cenſuris ſub hac forma: *Si tenemini aliquô vinculô excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti; inquantum ſe extendunt gratiæ & privilegia Ordini noſtro indulta, mihi commiſſa, & vobis conceſſa, ego abſolvo vos, & reſtituo vos Sacro Sanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni, & unitati fidelium, in Nomine Patris & Filii &c.* Hæc abſolutio eſt data manè in vigilia, & Regularis incidit in caſum reſervatum eadem die poſt prandium, aut noctu ante confeſſionem, de quo eſt difficultas non parva, utrùm in tali circumſtantia abſolvi queat? Ad quem *Reſp.* Sive illud novum poſt illam conceſſionem peccatum commiſſum ſit, cui annexa eſt cenſura v.g. excommunicatio, ſive non eſt annexa, ſed eſt reſervatum, vî hujus conceſſionis abſolvi non poteſt ab hoc, niſi per ipſum reſervâtem aut deſtinatum ab eo: colligitur ex intentione Prælati, quòd illa tunc ſicut ſe extendit ad cenſuras commiſſas non committendas, ita ad peccata reſervata commiſſa, non committenda: patet ex verbis formæ, quoad cenſuras, pœnas: *Si tenemini - - - ſi quam contraxiſtis - - - remittimus vobis pœnas quaſcumque vobis debitas propter tranſgreſſionem Regulæ;* quoad peccata, quia cum eis mittit ad Confeſſarios, pro quibus pœnas remittit: patet ex verbis formæ: *Eadem authoritate facultatem vobis damus, ut poſſitis abſolvi à Confeſſoribus per nos vel alios Superiores veſtros approbatis, pro hac vice eligendis, ab omnibus caſibus nobis reſervatis, & ab omni tranſgreſſione Regulæ &c. Item remittimus vobis pœnas quaſcumque vobis debitas propter tranſgreſſionem Regulæ, fractionem ſilentii* &c. Alia ratione probat P. Bonæ Spei *d. 10. de Caſuum reſervatione num. 63. pag 239.*

32. Ex occaſione dictorum quæritur, an Regularis in ſolemnitatibus Nativitatis Domini, Paſcharis, Pentecoſtes (& apud Nos in Commemoratione ſolemni), poſſit quivis cuicumque Confeſſario (dummodo ſit ſaltem pro ſæcularibus approbatus) confiteri? Dices quòd poſſit: quia in dicta forma ſic habetur: *eadem authoritate facultatem vobis damus, ut*

poſ-

possitis absolvi à Confessoribus, per nos vel alios Superiores vestros approbatis, pro hac vice eligendis. Subsumo pro Nostris: atqui apud nos, qui sunt approbati solùm pro sæcularibus, non sunt approbati pro Nostris Fratribus, & Patribus; & qui sunt approbati pro Patribus, non sunt approbati pro Fratribus Studiosis, aut Laicis; & aliqui sunt approbati pro Fratribus, non sunt approbati pro Patribus: ergo dictis festivitatibus, non possunt Fratres confiteri eis, qui non sunt approbati pro Fratribus; & Patres eis, qui non sunt approbati pro Patribus; alioquin absolutio est nulla, prout declaratur in Nostris Statut. *p.* 1. *cap.* 23. *n.* 7. Nec sufficit apprehendere hæc verba, *facultatem vobis damus, ut possitis absolvi à Confessoribus, per nos vel alios Superiores vestros approbatis, pro hac vice eligendis;* Sed oportet ultrà legere, & benè considerare, quòd hæc dicta referantur ad sequentia, *ab omnibus casibus nobis reservatis.* Non datur ergo facultas Fratribus, eligendi pro suo placito alios quàm approbatos pro eis, similiter Patribus; sed facultas conceditur, quòd possint absolvi à reservatis, ab approbatis pro eis. Et sic quicumque interrogatus à Provinciali in Visitatione celaverit veritatem, potest absolvi, Pater à quocumque destinato pro Patribus, & Frater ab approbato pro Fratribus; cùm eam det facultatem Provincialis in absolutione generali eis, per dictam suprà formam: non potest autem absolvi ab hoc casu reservato Provinciali, si sibi eligat alium, v.g. Pater, Confessarium approbatum non pro Patribus: nisi Provincialis intendat & velit, tales absolutiones esse validas. Nec juvat apud nos in hoc casu velle Prioris: quia non est ipsius Confessarios approbare, nisi in casu magnæ necessitatis licentiam dare confiteri alteri quàm approbato à Provinciali, ùt vidimus suprà.

33. Utrum Regulares existentes extra Conventum, vi habitæ licentiæ confitendi cuicumque Sacerdoti (ùt vidimus suprà) possint absolvi à reservatis per eos Confessarios electos? *Resp.* quod non, nisi hoc expresse concedant Statuta propria: nam casus reservati non veniunt in generali concessione, nisi in specie concedantur, exprimantur. Ita habetur *cap. Si Episc.* 2. *de pœnit. in* 6. & *cap. Consulti sumus, de procurat.* & colligitur *ex Juris Reg.* 81. *in* 6. *Casus reservati non veniunt in generali concessione.*

34. Regulares divertentes ad alios Conventus sui Ordinis, & sæculares ad aliam Diœcesim, possuntne absolvi à casibus reservatis? *Resp.* posse: tum quia quoad Regulares habetur privilegium Sixti IV. per Bullam quæ incipit, *Regimini universali*; & quoad sæculares habetur in Bulla Clementis X. quæ incipit, *Superna Magni:* quod etiam intelligitur de peregrino, etiam eo qui suam Diœcesim non habet, sed continuò vagatur per mundum. Ratio est: quia peregrinus reus, debet judicari jux-

juxta leges, & consvetudinem loci. Ita Navar. *in Manual. cap.* 7. *num.* 276. Suar. *de Pœnit. d.* 30. *sect.* 1. *num.* 4. Bonac. *de Sacram. d.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. §. 2. *num.* 9. Octavius *n.* 723. Donatus *loc. cit. q.* 39. Dummodo ibi non sint iidem casus reservati, aut hoc non fiat in fraudem reservationis: tum quia fraus & dolus nemini debent patrocinari, ùt habetur textu *cap. Sedes Apostolica, de rescriptis*: tum quia hoc est cautum Constitutione Clementina, quæ incipit, *Superna Magni*; in ea enim statuitur, *Posse Regularem Confessorem in ea Diœcesi in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi, à peccatis in ipsa reservatis absolvere; nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad aliam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* In Bullario Ordinis *pag.* 572.

35. Qui in aliena Diœcesi commisit peccatum cui annexa est reservatio, inciditne in casum reservatum? & potestne absolvi à proprio Episcopo ab excommunicatione, si eam ibi contraxit? *Resp.* quòd sic (p): sed licetsi possit in propria Diœcesi à casu reservato absolvi à quocumque Confessario, si in ea casus non est reservatus: quia in Bulla immediatè citata hoc conceditur; non tamen etiam ab Episcopo suo potest absolvi ab eo & excommunicatione ei annexa: si est ibi excommunicatus per sententiam particularem, prout in Jure *cap. Proposuisti, de foro competenti* decernitur, ut nonnisi Episcopus ille absolvere possit, in cujus Diœcesi deliquit. Ita Diana *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 9. Suar. *de Censur. disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 19. & 26. Layman & alii: quia causa ad eum pertinet, ubi est cœpta. Si per sententiam generalem, posset ab illo Episcopo ubi residet absolvi, docet Bonacina *de Censur. d.* 1. *q.* 3. *punctô* 1. *num.* 7. Octavius videndus est *num.* 299.

(p) Navar. Suar. Azor. cum Octavio nũ. 725.

Absentem à censuris absolvere.

36. Quid debet facere Confessarius qui à censuris absolvit, & non poterat? *Resp.* Debet obtinere à Superiore licentiam absolvendi, & absolvere absentem: quia absolutio censurarum fieri potest in absentem, ignorantem, & existentem in peccato mortali. Ita Toletus *l.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. Bonacina *de Censur. dis.* 1. *quæst.* 3. *punctô* 4. *num.* 4. Lezana *verbô Absolutio num.* 6. Plura dixi in aliis locis.

Non aliter quàm in foro interno à Confessariis absolvuntur ab excõmunicatione.

37. Concludo ordinatione & admonitione Clementis X. *Superna*: *Vigore suprà dictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfacta parte, absolvere pœnitentes à censuris quoad externum & judiciale forum; & absolutos ab eis in foro pœnitentiali, ùtique non censeri absolutos in exteriori judicio & contentioso. Quinimo censuris Ecclesiasticis irretitos, & denuntiatos ab Episcopis, cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti.*

38. In articulo aut periculo mortis à casibus reservatis per simplicem Sacerdotem absolutus, convalescens, teneturne comparere coram

Su·

Superiore, ut iterum abſolvatur? *Reſp.* Vel eſt abſolutus à caſibus reſervatis, quibus non erat annexa cenſura, excommunicatio &c? Tunc non tenetur: quia in articulo vel periculo mortis, omnis reſervatio ceſſat. Vel abſolutus eſt ab excommunicatione, aut alia cenſura? Tunc quamprimùm poteſt, tenetur cum ſola cenſura v.g. excommunicatione comparere coram reſervante; non ut iterum abſolvatur, ſed ut obtemperet Superioris mandatis, & obedientiam præbeat Eccleſiæ, recipiatque majorem pœnitentiam, ſi velit eam Superior injungere: quia in tanto caſu parva valdè eſt aſſignata; hoc enim Canones jubent. Quòd ſi non facit, reincidit in eamdem cenſuram; non in eandem numerò: cùm illa ſit ſublata; ſed in eamdem ſimilitudine. Ita Navarr. *in Manual. c.* 26. *num.* 27. Sylv. *verbô Abſolutio*, Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 67. Octavius *num.* 64. Rotarius & alii.

Abſolutus à cẽſura comparere tenetur.

39. Sed quid, inciditne ſtatim in eamdem cenſuram, ſi primam occaſionem præſentandi ſe Superiori negligat? *Reſp.* quod non, niſi hæc negligentia fiat ex contemptu; cùm Canon imponens hanc pœnam, expreſsè habeat, *qui contempſerit.* Ita Suar. *de Cenſuris*, Rotarius & alii.

Propoſitiones ab Alexandro VII. damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus reſervatis Epiſcopis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate. 12. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum. 36. Aliæ videndæ ſunt *infrà de Abſolutione.*

SERIES V.

Quid præterea Confeſſarii in Sacramento pœnitentiæ poſſint?

1. RESP. & dico: In primis certum eſt apud Theologos, quòd Confeſſarii quicumque ab Epiſcopo approbati, jure communi poſſint abſolvere ſæculares ab omnibus peccatis, & cenſuris non reſervatis: quia ut habetur ex Regula juris in *cap. Nuper, de ſent. excomm.* & *cap. Si Clerici, de judic.* quæ ſpecialiter non reſervantur, jure conceſſa cenſentur. Ita Miranda *tom.* 1. *Manual. q.* 46. *a.* 2.

Quid poſsũt Confeſſarii tam Sæculares quàm Regulares?

2. Item poſſunt ab excommunicatione minori; cùm hoc minus ſit quàm abſolvere à mortalibus, quod poſſunt facere. Navar. *in Manual. c.* 27. *num.* 26. *de Cenſuris Eccleſ.* ad quod allegat *cap. Placuit, de pœnit. d.* 6.

3. Item

3. Item possunt absolvere ab excommunicatione majori non reservata' ob rationem in *cap. Nuper*, datam *suprà*. Ita Cornexo 2. *tom. in* 3. *part. D. Thom. p.* 46. *tract.* 5. *de Excomm. disp.* 11. *dub.* 1. ubi tamen adfert aliquas exceptiones.

4. Numquam tamen tam Sæculares quàm Regulares, possunt dispensare in irregularitate aliqua cum sæculari, seclusò speciali privilegiô. Addit P. Lezana, quod non video alicui Religioni concessum, respectu sæcularium: quia irregularitas omnis de jure communi solùm tollitur Papæ dispensatione, exceptis illîs quæ Episcopis & Prælatis Regularibus quoad suos subditos conceduntur. Ita Sylvester *verb. Dispensatio q.* 9. 10. Navarr. *in Manual. c.* 27. *num.* 254. & Suar. 5. *tom. de Reserv. disp.* 41. *de Irregul. sect.* 2. Unde

Confessarii Regulares.

5. Nec possunt Confessarii Regulares dispensare in irregularitatibus propter privilegium Pauli III. Societati JESU concessum, vi cujus Confessarii possunt absolvere à pœnis Ecclesiasticis: quia licèt aliquæ irregularitates sint pœnæ Ecclesiasticæ, ùt sunt illæ quæ incurruntur celebrando cum censuris; tamen secundùm stylum Romanæ Curiæ (qui facit legem), sub generali clausula absolvendi à pœnis, non venit irregularitas, sicut nec depositio aut degradatio. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 10. *l.* 9. *c.* 4. *num.* 43. Benè tamen ab interdicto personali particulari non reservato, propter rationem *cap. Nuper*, datam *suprà num.* 1. Cornexo *suprà*, Lezana *verb. Confess. num.* 4. cum conditionibus satisfactionis, juramenti vel cautionis de jure necessariis, appositis. Ita Suar. *t.* 5. *de Censur. sect.* 2. Cornexo, Lezana *loc. cit.*

Ab interdicto quali & qualiter absolvere possunt.

Tam Sæculares quàm Regulares.

6. Item tam Regulares quàm Sæculares Confessarii, ex delegatione Ordinarii loci possunt in suos pœnitentes id, quod in eosdem potest Ordinarius loci, in vim *cap.* 6. Concilii Trid. *sess.* 24. *de Reform.* incip. *Liceat Episcopis*, cujus formalia hæc sunt: *Liceat Episcopis in irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliîs deductis ad forum contentiosum dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua, per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tantùm non eorum Vicariis sit permissum.*

7. Hîc reflectere oportet ad aliqua verba, & dubitationes solvere. 1. Ad ly *ex delicto*, quòd Confessarii super irregularitate aliunde proveniente, sicque super illegitimitate, etiamsi sit occulta, dispensare nequeant, cùm illegitimè nasci, non sit delictum nascentis. Ita Navarr. *in Manual. c.* 27. *num.* 194. & 201. Barbosa *in Collect.* ad dictum *cap. Trid. num.* 27.

2. Ad

Occultum.

2. Ad ly *occultum*, quòd sufficiat illud non esse divulgatum, seu non famosum, posseque aliqua tergiversatione celari, prout multi apud Navarr. *loc. cit. num.* 154. Barbosam *num.* 29. Donatum *num.* 3. *q.* 40. *tract.* 4. *de Confessione sæcularium*, docent; & quòd delictum publicum in uno loco, in alio ubi non est publicum nec est spes publicationis, subjiciatur facultati Ordinarii loci in quo est occultum, & petitur absolutio. Avila *de Censur. p.* 2. *c.* 7. *disp.* 1. *q.* 11. *conclus.* 3. Sanchez *in Summa librô* 2. *c.* 11. *num.* 20. Donatus *loc. cit.* 3. Ad ly *deductis ad forum contentiosum*, quòd lis contestata fuerit de hoc, ùt probat textus *cap. Ex parte* 30. *de verb. signif.* forum enim contentiosum est, ubi contenditur.

Regulares utrum possint à pœnis absolvere?

8. Quòd Regulares communicantes in privilegiis cum PP. Societatis JESU, virtute privilegii Pauli III. possint absolvere à quibusvis pœnis Ecclesiasticis, prout sunt privationes, inhabilitates, incapacitates & similes, quæ in Constitutionibus Summorum Pontificum apponi solent contra transgressores; probabiliter admittunt quoad forum conscientiæ, Sanchez *l.* 6. *Summ. c.* 15. *num.* 78. *in fine*, & Faustus *de Paupertate Religiosa l.* 8. *q.* 232. Negant Suarez *tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 9. *c.* 2. *num.* 49. Lezana *verb. Confessio.*

Vota cõmutare.

9. Item Confessarii (sed Regulares) communicantes cum PP. Benedictinis & Jesuitis, ob privilegium Eugenii IV. concessum Benedictinis Observantiæ Italiæ, & privilegium Pauli III. concessum PP. Societatis, possunt commutare vota etiam quæ propriè Episcopalia sunt (a), in alia pietatis opera (b), etiam in opera minùs bona (c), & toties quoties devotioni prædictorum expedire videbitur (d), ex quacunque Diœcesi venientium (e), demptis votîs 5. de jure Papæ reservatis: prout sunt vota Religionis, castitatis, peregrinationis Romam causâ visitandi limina Apostolorum, Hierosolymam & Compostellam, ùt habetur in Extravagant. *Etsi Dominici* 2. *de pœnit. & remiss.* quando perfecta sunt & absoluta: nam si horum 5. votorum aliquod votum deficiat à perfectione voti, vel quia animus voventis solùm fuit se obligare ad culpam venialem, aut solùm ad pœnam, vel quia ex parte materiæ imperfecta sunt, ùt si votum Religionis non approbatæ, vel partis voti, scilicet castitatis conjugalis, tunc etsi dispensari non possint à Regularibus, possunt tamen commutari ob dicta privilegia suprà, dicit Lezana *tom.* 1. *c.* 19. *num.* 24. Additur *quando sunt absoluta*: nam quando conditionata & pœnalia, possunt commutari secundùm aliquos. Corduba *in Summa quæst.* 52. Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Lezana *loc. cit.*

(a) Lez. tom. 1. c. 19. n. 23. Laym. in Theol. moral. l. 4. tr. 4. cap. 8. num. 17.

(b) Casarubius, Donatus, Lez. tom. 1. c. 19. num. 23. Passerinus.

(c) Bonacin. de Præcep. decal. p. 7. §. 3. num. 11.

(d) Donat° locô cit.

(e) Pejrin. de Relig. Octav. num. 855.

Solvitur objectio.

10. Nomine casûs vel censuræ, de quibus decreta S. Congregationis jussu Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII. non veniunt vota, nec eorum commutatio vel dispensatio, prout communis sententia docet. Ita

Armilla *verb. Casus num.* 1. Rodriqu. *tom.* 1. *q.* 15. *art.* 6. Navarr. & alii.

11. Et quid si vota sint jurata? *Resp.* etiamsi; dummodo commutatio in præjudicium alterius non fiat. Ita Rodericus *in Compend. quæst. Regul. resol.* 31. *num.* 31. Lez. *loc. cit.* Pejrin. Octavius *num.* 856.

12. Imò multi docent, quòd non tantùm commutare vota valeant Regulares, sed etiam dispensare. Sed tutiùs est commutare quàm dispensare: Nam hoc privilegium Innocentii VIII. quòd Confessores Ordinis Minorum Observantiæ, præsentati secundùm formam quam ipse tradidit (id est debitè præsentati), possint dispensare in omnibus votis in quibus Episcopi, exceptîs peregrinationis ultra duas dietas, quod adferunt DD. signanter Casarubius, vivæ vocis oraculum fuit, ut ipse fatetur: imò incertum & dubium, ùt Corduba ibi notat; propterea (dicit Lezana) inutile hoc tempore: quia à SS. D. Urbano VIII. omnes concessiones per vivæ vocis oracula factæ, sunt revocatæ. Quare addit Lezana *verb. Affinitas num.* 4. & sanè ita erat, tempore quo ipsi scripserunt; modò tamen post annum 1631. quô à SS. D. Urbano revocatæ sunt omnes concessiones per vivæ vocis oracula factæ, diligentiùs res expendi debet.

13. Adferunt aliud privilegium Pii V. ex Compendio privilegiorum *verb. Dispensatio* §. 9. vî cujus posse Regulares dispensare cum sæcularibus ad petendum debitum, si post emissum votum castitatis, defacto contraxerint, docent communiter Theologi. Ita Rodriquez *tom.* 1. *q.* 63. *a.* 2. Vivaldus *in Candelabro aureo de Sacram. matrim. num.* 141. Miranda *tom.* 1. *Manual. q.* 47. *art.* 2. Donatus *de Confessariis tract.* 4. *q.* 40. *num.* 6. Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 16. *num.* 3. & *in Decal. lib.* 4. *cap.* 47. *num.* 6. Vî hujus privilegii ampliant facultatem Confessariorum Mendicantium ad hoc, quòd possint cum eis dispensare ante consummatum matrimonium, dummodo non sit votum ingrediendi Religionem approbatam: cum tali enim non possunt dispensare, neque ut petat, neque ut reddat debitum, dicunt Sanchez *loc. cit.* Sayrus, Bonæ Spei, Stephanus à S. Paulo; quia neque Episcopus hoc facere potest: quia nihil impedit ne votum impleat. Secùs si jam esset consummatum, dicit P. Bonæ Spei *de Relig. disp.* 7. *dub.* 5. *num.* 82. Sed nobis incumbit demonstrare, qualenam sit hoc privilegium, utrum non sit vivæ vocis oraculum, ùt habet P. Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 25. Nam hoc privilegium dicit jam non habere suum robur. Et Corduba *in Annotat. ad collect. privileg. Mendicant.* consulit Mendicantibus, ut non utantur eô. Ratio est: quia est per vivæ vocis oraculum; vivæ vocis verò oracula, omnia sunt revocata, cassata, annihilata. P. Bonæ Spei *loc. cit.* ex Pejrino *tom.* 1. *c.* 12. *constit.* 18. dicit, privilegium hoc Pii V. non esse re-

Dispensare in voto castitatis.

vo-

vocatum ab Urbano VIII. per Bullam quæ incipit *Aliàs felicis*, Anno 1631. editam; eò quòd sit ab eodem Pio V. postmodum cum aliis suæ vivæ vocis oraculis, ex certa scientia confirmatum. Sed restat demonstrare quomodo sit confirmatum: Si per vivæ vocis oraculum? Sicut alia, ita & hoc est revocatum; cùm omnia vivæ vocis oracula sint revocata, cassata. Si per aliquam Bullam? Quomodo incipit? Quintanas *Singular. tract.* 9. citat duas Bullas authenticas Eugenii IV. Unam ex Bullario Rodriquez *fol.* 8. quæ incipit *Regularem vitam*, alteram ex eodem *fol.* 83. *Et si quaslibet.* Ex quibus ostendit in eisdem, idem posse Regulares, quod Episcopi. Sed hoc idem posse quoad Sæculares, ibi non reperio.

14. Similiter quòd possint Regulares Confessarii cùm conjugibus incestuosis post contractum matrimonium, ad petitionem debiti dispensare, communiter docent Theologi. Sed multi Regulares vî generalis doctrinæ communis dispensant cum talibus, etiam Mendicantes non habentes potestatem dispensandi. Ne ergo & nobis in tenebris ignorantiæ hoc contingat, lumen Theologorum adfero: In primis quòd hoc possint omnes Mendicantes vî privilegii Pii V. negat Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 25. & in alio tom. *verb. Affinitas* clarissimè deducit oppositum, per rationem *hîc num.* 12. positam. Quòd autem hoc possint vî privilegii Martini V. hoc privilegium Lezana invenire authenticum non potuit, etiamsi illud Romæ per multos annos existens quærebat; forsan illud etiam est vivæ vocis oraculum, prout asserit ipse P. Lezana *verb. Affinitas num.* 4. imò magis constat illud tale esse. Et si tale est, non suffragatur nobis, & pœnitentibus. Multa adferuntur privilegia etiam parvis litteris expressa; sed quia vivæ vocis oracula sunt, his temporibûs nullius valoris sunt.

Multi dispensant & non possunt.

15. Est tamen Julii II. quod adfert Rodriquez inter Bullas Julii II. *num.* 23. concessum Congregationi S. Benedicti Vallisoletanæ, vî cujus PP. Benedictini, & qui cum illis habent communicationem privilegiorum, possunt in præfatis impedimentis dispensare cum conjugibus incestuosis. Ita Lezan. *locîs citatis*. Ratio ipsius est: quia declaratio non tantùm fuit vivæ vocis oraculum, sed etiam fuit rescriptum quoddam, vel Breve Summi Pœnitentiarii authoritate Apostolica editum. Quare manet in sua vi, & ipso uti possunt tam prædicti Regulares, quàm alii quicumque cum illis communicantes.

Regulares possunt dispensare cū incestuosis: sed pauci.

16. Animadvertenda autem sunt ista, ut cum conjugibus incestuosis valeant Regulares ad petitionem debiti dispensare virtute privilegii Pii V. si subsistat (ùt semper addit Lezana), non sufficit generalis facultas audiendi confessiones fidelium, sed debent specialiter esse ad hoc munus à Provinciali deputati: tum quia oppositam sententiam refutat

Qui & quomodo?

Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 14. tum quia in eo privilegio sic exprimitur: *ex commissione Provincialis dispensare possint in foro conscientiæ tantùm ad petendum debitum, cum his qui consanguineum vel consanguineam sui conjugis post matrimonium carnaliter cognoverunt.* Ut verò id faciant virtute privilegii Julii II. debent ad hoc munus esse specialiter destinati à Priore Conventûs: quia hoc ipsum privilegium Julii II. sonat. Et tam illi destinati à Provinciali, quàm hi à Priore locali, debent esse viri docti; cùm hoc utrumque, privilegium exigat. Hoc verò discrimen est inter hæc privilegia, quòd vî illius (si subsistit) Provincialis potest dare licentiam suis inferioribus dispensandi cum talibus, quotquot tales ad hoc judicat deputandos; vî hujus verò Prior localis solùm tres aut quatuor, si in majori Conventu; si in parvo, unum aut duos tantùm ad hoc munus deputare potest, habens prætereа ipse hanc facultatem pro sua persona. Quoad numerum in majoribus Conventibus & Priores, habetur in præfato privilegio; quoad numerum minorum Conventuum, colligitur ex eo privilegio apud Lezan. *loc. cit. num.* 4. & 5. & Cassianũ à S. Elia *in Arb. opin. moral. verb. Affinitas num.* 21. Octavium *num.* 942. Secundum discrimen est, quòd vî illius privilegii Pii V. destinati à Provinciali possint etiam in alienis Ecclesiis, vî verò hujus Julii II. solùm in Ecclesiis suis valeant in præfatis impedimentis dispensare. Ratio est: quia primum privilegium sine restrictione concessum est, ùt legenti patet; secundum verò cum hac restrictione, ut hoc valeant in suis Ecclesiis, ùt notat Lezana *locô cit. num.* 6. Tertium discrimen est, quòd illi vî privilegii Pii V. (addit Lezana si subsisteret aut de novo confirmaretur) possint extra Sacramentũ confessionis dispensare in præfatis, quia verbum illud *in forô conscientiæ*, non restrigitur ad Sacramentum confessionis, ùt notat Lezana *loc. cit. num.* 5. & *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 45. Jam verò hi vî privilegii Julii II. dispensare non possunt extra Sacramentũ, sed in ipso Sacramento pœnitentiæ hoc præstare debent: quia ita supponitur in prædictis litteris illis verbîs: *confessiones diligenter audire, & illis pœnitentiam salutarem injungere.* Ita Lezana, Cassianus à S. Elia & alii in eis litteris legunt. Quarum discrimen est, quòd mortuo Provinciali, aut mutatô in aliud officium, non cessat in deputatis; econtra mortuo aut mutato Priore locali, desinit esse facultas in destinatis ad hoc munus. Ratio primi est: quia Papa est qui concedit talem facultatem. Ita Portellus, Villalobos *tom.* 1. *tract.* 13. *difficult.* 5. *num.* 5. & *difficult.* 52. *num.* 10. Lezana *loc. cit.* Ratio secundi est: quia designatio hæc, ad nutum concedentis est revocabilis, prout habetur in prædictis litteris; gratia autem quæ datur ad nutum concedentis, expirat cum concedente. Ita Lezana *loc. cit.* & multi post ipsum apud Octavium.

17. Quòd Nos Mendicantes gaudeamus præfato privilegiô, declaratur: tum quia gaudent communicatione privilegiorum Mendicantium, Benedictini per Eugenium IV. Cistercienses per Gregorium XIII. Ergo etiam Mendicantes gaudent privilegiîs Benedictinorum: tum quia Clemens VII. *Constit.* 8. communicationem privilegiorum indultorum, extendit ad privilegia omnium Religiosorum non Mendicantium, teste N. Urbano ab Ascensione Domini, Congregationum etiam S. Philippi Nerii. Ita P. B. Spei *de Privil. disp.* 11. *num.* 35. Signanter pro Carmelitis ad instantiam Nicolai Audet Generalis, ac Provincialium & Priorum ejus Ordinis, hæc habentur in Bulla quæ incipit: *Ex clementi Sedis Apostolicæ num.* 3. *Ipsosq. Fratres, Moniales, Sorores, Personas, Monasteria, Domos, Ecclesias, & alia loca hujusmodi, omnibus & singulis privilegiîs, immunitatibûs, exemptionibûs, indultîs, indulgentiîs, citra tamen plenarias, peccatorum remissionibûs & gratiîs quibusvis, Congregationibus dicti & aliorum Ordinum etiam Mendicantium Fratribus & Personis, ac Confraternitatibus suæ professioni non contrariis, aliisq. Ordinibus quibuscumque, etiam non Mendicantium quomodolibet concessîs, & concedendîs in genere, uti, frui, & gaudedere posse atque debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si eis concessa fuissent, decernimus. Nec non potiori pro cautela, ea omnia etiam de novo concedimus.* In Bullario Ordinis 1. *part. num.* 48.

Cistercîẽses gaudent privilegiîs Mẽdicantium.

Cum omnibus Regularibus cõmunicatio in privilegiis.

18. Ex quibus colligit P. Bonæ Spei, nullum esse privilegium in vigore & firmitate pro Regularibus sive Mendicantibus sive non Mendicantibus, quô tuta conscientiâ Mendicantes uti non possint; nisi expresè per Summum Pontificem prohibeatur communicatio.

Mendicãtes quibus privilegiîs uti possint.

19. Causa dispensandi sufficiens est, si pœnitens juvenis sit, & non possit abstinere à petitione debiti. Lezana *loc. cit. num.* 6.

Causa dispẽsandi.

20. Quid si Episcopus sibi reservet dispensationem præfatam? Asserunt alii quòd in tali casu non possent dispensare Regulares sine speciali Episcopi licentia: quia à casibus reservatis Episcopis non possunt absolvere; ergo etiam &c. E contra alii hoc negant, eò quòd dispensatio & votorum commutatio nomine casuum non veniant. Ita Pejrinis *tom.* 1. *de Subd. q.* 1. *cap.* 21. §. 1. Donatus *loc. cit. tract.* 4. *q.* 41.

Quid si Episcopus sibi reservet dispẽsationẽ?

SERIES VI.

De obligatione Confessarii antecedente absolutionem ab eo dandam.

An & qualis ad Sacramentum administrandum requiratur bonitas, scientia, & prudentia in Confessario?

Qualis bonitas.

1. Ut validè detur absolutio, omninò requiritur in Confessario hæc bonitas, ut sine fictione, ac cum intentione debita proferat absolutionem. Ut autem licitè, insuper requiritur, ut Confessarius sit in gratia; aliàs mortaliter peccat. Sed de hoc jam *dist.* 1. *de Sacram. in gen. ser.* 5. *per totum fol.* 9.

Scientia, prudentia.

2. Requiritur scientia & prudentia: quia Confessarius est Medicus, & Judex. Unde sicuti Medicus tenetur scire suam artem, & Judex quæ ad justum judicium adhibenda sunt, prudentiam adjungendo; ita Confessarius tenetur scire, quæ ad hoc judicium conscientiosum necessaria sunt. Quapropter

Quid tenetur scire Cõfessarius.

3. Tenetur scire quid est peccatum mortale, quid veniale; & quæ peccata habent annexam excommunicationem, & quæ non; quæ reservata, quæ non. Species, circumstantias mutantes speciem, & intra eandem aggravantes; impedimenta matrimonii; obligationes & onera restitutionis, satisfactionis; & similia. Undè graviter peccat Superior secundùm omnes, exponens subditum qui caret scientiâ requisita ad audiendas confessiones; & Confessarius extra periculum mortis exponens se ad tale officium, nisi id faciat ex obedientia, quia credit suo Superiori judicanti eum esse idoneum ad confessiones audiendas. Ita Navarrus, Bonacina, Bonæ Spei, Petrus à S. Joseph.

4. Excipe tamen casus adhuc duos, quibûs ignarus absque peccato potest audire confessionem Sacramentalem: scilicet, si novit eum cujus confessionem excipit esse virum doctum, qui solet explicare omnes species, & circumstantias prout debet. 2. Quando audit personas spirituales, quæ nisi venialiter peccare solent. Ita Petrus à S. Josepho *de Pœnit. resol.* 8.

Quid faciẽdum quando cõtingit casus difficilis.

5. Et si casus difficilis contingat, potiùs pœnitentem suspendat, & interim doctiores aut libros consulat; & si utrumque deest, ad doctiorem cum causa remittat, quàm aliquid temerè resolvat, & postmodum cum rubore resolutionem suam retractare cogatur, dicit P. Bonæ Spei. Durum utrumque est, remittere pœnitentem, aut retractare sententiam cum majori rubore. Quare ignarus Confessarius deponat suam negligentiam, diligenter potiùs legat librum moralem, & non sit præceps in resolutione dubiorum circa materiam impedimentorum matrimonii, con-

contractuum, justitiam vel injustitiam, censuras, casus reservatos, simoniam, beneficia & restitutiones. Attamen benigniorem sententiam fero, quòd in tali casu possit absolvere pœnitentem, dummodo pœnitens promittat se facturum id, quod judicatum fuerit. Ita Sylv. *verbô Confess.* 3. *num.* 13. *quæst.* 10. Navarr. *in Manual. cap.* 26. *num.* 3. Bonacina *de Sacram. disp.* 5. *q.* 7. *punctô* 4. §. 2. *num.* 10.

6. Ad prudentem Confessarium spectat, ut reflectat ad omnes circumstantias peccantis & peccati; hoc enim prudentis est. Attamen licèt omnia & singula peccata mortalia (quantùm rationabiliter potest) debeat reflectere, quando proferuntur; non tamen quando absolvit, omnia peccata in memoria retinere. Ita communiter DD. quia aut valdè est difficile, aut impossibile. Unde peccat Confessarius qui per suam negligentiam peccata non intellexit, & absolvit, licèt validè, si saltem aliquod illorum percepit. Ita communiter DD.

7. Quando Confessarius probabiliter credit, pœnitentem ex negligentia mortali aliquid spectans ad integritatem confessionis omittere, tenetur illum interrogare circa id, aliàs peccat mortaliter: quia tali modô applicat formam absolutionis insufficienti materiæ, nempe confessioni non integræ formaliter. Ex inadvertentia verò invincibili omittens interrogationem circa id, nullum; ex negligentia levi, leve peccatum committit. Interrogare prudenter.

8. Quòd si quid absque ulla probabilitate, & ex scrupulo tantùm putet à pœnitente commissum esse, eum interrogare non tenetur.

9. Item, si ex alterius relatione pœnitentem sciat peccatum perpetrasse: si neget se illud commisisse, illius dicto standum est, vel existimandum est, alteri confessum esse.

10. Quòd si Confessarius sciat, quia vidit pœnitentem peccasse, & interroganti non vult veritatem fateri, tunc si probabiliter judicare potest eum alteri confessum, absolvere eum potest; secùs si constet nemini esse confessum, & interrogatus neget: quia qui non vult formaliter integrè confiteri, absolvendus non est. Si autem id peccatum sciat ex confessione complicis, tenetur non interrogare, ob periculum indirectæ revelationis & fractionis sigilli confessionis; etiamsi complex dederit licentiam, ob periculum scandali, nisi à longè in communi: quod potiùs relinquendum, si constet pœnitenti de confessione complicis huic Confessario exhibita.

11. Maximè in materia castitatis Confessarius debet esse cautus, ita ut interrogationes sint parcæ & cautæ, ut non det occasionem pœnitenti postea ridendi aut peccandi, si ab eo addiscat quod antè non scivit. Ita Layman, Fagundez. Quapropter à longè quærere oportet, utrum

habu-

habuerit cogitationes impuras? deinde illis inhæserit cum aliqua delectatione? utrum ex illa delectatione senserit aliquos motus in corpore? utrum tactus inhonestos habuerit? utrum solus, vel cum alio aut alia? Et sic Confessarius deveniet ad peccatũ, vel pollutionis vel fornicationis.

SECTIO II.

Qualẽ ignorantiã pœnitentis Confessarius teneatur tollere?

Ignorantia cognoscitur vincibilis & invincibilis.

1. RESP. Ignorantia vel est invincibilis, vel vincibilis: utramque explicui tractans *de Ignorantia.* Illam cognoscet Confessarius in pœnitente ex eo, quòd pœnitens se esse in bono statu putet, nec circa statum suum formet ullum scrupulum, si generalibus interrogationibûs non moveatur: hanc cognoscet ex eo, quòd pœnitens agendo vel non agendo, conscientiæ remorsum habuerit; vel ex eo, quòd confiteatur se neglexisse inquirere.

Necessariorum tolli debet.

2. Iterum illa, vel est necessariorum necessitate medii ad salutem æternam? Talem tollere tenetur omninò: & sic quando advertit pœnitentem ignorare mysteria fidei, scilicet quòd in Venerabili Sacramento sit verum corpus & sanguis Christi, quòd Christus sit passus pro nobis, & similia, sicut quid est SS. Trinitas; debet de his pœnitentem instruere priùs, quàm absolvere: patet ex propositione 64. ab Innocentio XI. damnata.

Quid in periculo mortis?

3. Si talis ignarus mysteriorum necessariorum ad salutem, infirmitate gravatus instrui nequeat, potest absolvi sub conditione; imò debet, quando signa dat contritionis: quia præsumi potest quòd DEUS illuminaverit eum circa fidei, Trinitatis & Incarnationis mysteria, hôc ipsô quòd cor ejus contriverit, & hôc suppositô proderit ei absolutio, dicit N. P. Eliseus à S. Joan. Bapt.

Non necessariorum.

4. Vel ignorantia est non necessariorum necessitate medii ad salutem? Tunc vel speratur fructus ex sublatione illius, & non timetur grave malum? Justè illam detegere & tollere tenetur. Vel prudenter non speratur ex sublatione ejus fructus, & timetur grave malum, v.g. si ex declarato matrimonii impedimento, cum qua bona fide contractum est matrimonium, immineat periculum incontinentiæ? Tenetur tunc illud non dicere pœnitenti: nam durante tali ignorantia, peccatum est tantùm materiale, & post declarationem Confessarii esset formale. Ita S. Augustinus *de Pœnit. dist. 7.* dicit: *Si scirem non tibi prodesse, non te monerem.* Et si Confessarius dubitet de monitionis successu in bonum aut malum, tenetur potiùs vitare peccatum formaliter mortale futurum,

Et si prævideat Confessarius.

quàm

quàm materialiter tale. Unde si prævidet Confessarius pœnitentem non restituturum rem alienam aliquô titulô injustô retentam, si detegatur nullitas tituli, quam pro se esse putat, non tenetur detegere, nisi interrogetur à pœnitente dubitante de justitia tituli, tunc tenetur veritatem fateri prudenter Confessarius, non plus dicendo quàm rogatur, & hoc in quocumque simili casu: sic v.g. si roget Cajus an post votum simplex castitatis matrimonium contractum valeat, possitque ac teneatur reddere debitum? Respondendum quòd sic, tacendo obligationem non petendi debitum. Layman, Lugo, Bonæ Spei & alii communiter. Et si ultrà interroget, v.g. utrum possit petere debitum, & prudenter judicetur non vitaturus periculum incontinentiæ, & alia valdè perniciosa secutura, tunc quantùm sine peccato fieri potest, veritas apertionis occultari debet, dicendo v.g. *multi in tali statu excusantur; DD. dicunt ex tali statu DEUM non offendi:* aut similia. Nisi advertat Confessarius hanc ignorantiam provenire ex ignorantia vincibili, seu ex remorsu conscientiæ; non verò ex inadvertenti ignorantia, ùt non raró contingit. Ita N. P. Bonæ Spei.

5. Vel ignorantia est vincibilis? Talem semper tenetur Confessarius tollere, sive sit juris Divini, sive humani: quia aliàs nec Sacramento nec pœnitenti consuleret; cùm sic pœnitens sit indispositus. Idem dicendū de invincibili crassa; cùm ignorantia crassa non excuset à peccato. Ignorantia vincibilis tollenda.

6. Similiter conscientiam erroneam tenetur in pœnitente tollere: nam tenetur Confessarius pœnitentis bonum in ordine ad salutem procurare, & eum in viam salutis dirigere; ad quod conscientia erronea impedit pœnitentem, si putet illicitum quod non est tale, & facit. Similiter conscientia erronea.

7. Quid si Confessarius Principem videat ex ignorantia vincibili mortis reum liberare; aut reum ex eodem crimine propter quod ad mortē damnaretur se extricare? Si moneat, videtur incurrere irregularitatem; Si non moneat, videtur peccare mortaliter, non tollendo ignorantiam vincibilem. *Resp.* quòd etiam in tali circumstantia teneatur utrumque præfatum pœnitentem monere, & ignorantiam vincibilem tollere: nam tenetur sacrilegium vitare. Neque credibile est, Ecclesiam tali actui ad Sacramenti valorem & pœnitentis salutem, necessariò voluisse irregularitatem illam esse annexam. Ita Nostri Cornejo, Bonæ Spei & alii: quibus subscribit Arriaga *hîc disp.* 43. *num.* 26. Casus notabilis.

SECTIO III.

An teneatur Confessarius sequi opinionem pœnitentis contra suam?

 1. De

De improbabilitate.

1. DE opinione multa præsuppoſui, & dixi alibi. Quare breviter dico: Vel opinionem pœnitentis Confeſſarius judicat improbabilem, falſam? Tunc de improbabilitate, falſitate, tenetur pœnitentem monere; & ſi illam relinquere non vult, eum non abſolvat (a): nam Alexander VII. damnavit Caſuiſtarum Apologiſtam, qui quadraginta Doctorum patrociniô tuebatur hanc propoſitionem: *Confeſſarius non ſolùm poteſt, ſed etiam debet ſub mortali pœnitentem abſolvere ſecundùm ipſius opinionem, quàmvis eam ipſe falſam & improbabilem exiſtimet; modò probabilis reputetur ab aliquibus Doctoribus piis & doctis.* Vel judicat eſſe probabilem, licèt ſuam probabiliorem? Tunc tenetur pœnitentem penes ſuam ſententiam relinquere, & abſolvere: quia pœnitens licitè & prudenter operatur, ùt ſufficientiſſimè demonſtravi tractans ex profeſſo de opinione. Addo, niſi agatur de valore Sacramenti: ùt ſi in lixivio baptizet, aut *in Nomine Genitoris, Geniti & Procedentis*, aut de detrimento tertii, ſcilicet, quia ſi ſequatur pœnitens ſuam ſententiam minùs probabilem relicta probabiliori, ſequitur damnum, detrimentum: non poteſt enim tunc ipſum abſolvere, ſi nolit eam deſerere. Multæ ſententiæ erant multùm probabiles, quæ nunc ſunt prorsùs improbabiles: ſic opinio probabilis erat multorum Theologorum, quòd Sacerdos pauper poterat accipere ad ſui congruam ſuſtentationem plura ſtipendia pro una Miſſa, inquit Lezana; modò verò poſt Decretum Sacræ Congregationis, prorsùs eſt improbabilis.

(a) Rotarius part. 1. cap. 1. de Miniſt. Eliſeus à S. Joan. B. caſu 129.

SECTIO IV.

Quando eſt, aut non, neganda abſolutio?

Neganda abſolutio.

1. NOnnulla *diſt.* 6. *ſer.* 11. *num.* 22. de hoc jam dixi. Quibus hîc plura adjungo: ſcilicet quòd neganda eſt omninò abſolutio ſequentibus caſibûs, quando conſtat Confeſſario eſſe indiſpoſitum pœnitentem. Primò, quando pœnitens nullam præbet materiam. Unde ſi pœnitens ſit extremè rudis vel ſimplex, qui dicit ſe dolere de peccatis & nullum in ſpecie nec in genere dicit peccatum, nec revocare poteſt memoriæ, danda eſt ei benedictio non abſolutio, permittaturque communicare. Ita Layman.

2. Secundò, quando ignorat myſteria fidei neceſſaria ad ſalutem, prout dixi hîc. *ſect.* 2. *num.* 1. primò enim debet inſtrui de eis. De aliis verò ùt 10. præceptis, oratione Dominica, ſalutatione Angelica, inſtrui poteſt ab alio poſtea.

3. Tertiò, cùm poſſit & non vult reſtituere honorem aut rem injuſtè

ſtè poſſeſſam, ſibi appropriatam, aut aliquô titulô retentam: imò etiamſi promittat reſtituere, ſi multoties ſit mentitus: quare priùs reſtituat quàm abſolvatur. Ita Navar. Bonacina & alii.

4. Quartò, qui manet in proxima occaſione peccandi & eam relinquere non vult. Unde debet non abſolvi qui vult redire ad actum illicitum, puta uſurarius ad uſuram, meretrix ad proſtibulum, concubinarius ſive publicus ſive occultus, ſi non vult concubinam rejicere. Quare Confeſſarius interrogare pœnitentem debet de conſvetudine peccati; & pœnitens eam fateri tenetur, patet ex *propoſitione*, 58. ab Innocentio XI. damnata. Et ſi multoties ſit monitus in confeſſione, & ſe non emendavit, nec occaſionem peccandi amovit, dicendum ipſi ut ſe primò emendet, occaſionem illam proximam peccandi vitet, poſtea veniat pro abſolutione obtinenda: patet ex *propoſitionibus* 60. & 61. ab Innocentio XI. damnatis.

5. Quia ignarum video Confeſſarium, otio vacantem, ne otio vacet, cùm S. Carolus Borromæus per viſcera miſericordiæ D.N.J.C. exhortetur eum ad legendum continuò libros qui caſus conſcientiæ ex profeſſo tractant, ut ad hoc proficuum animabus ſalvandis opus alliciam, adducã adhuc ad eum pœnitentes pro abſolutione, proponendo ei caſus.

6. Primus caſus eſt. Dominus Cajus vir magnæ pietatis, Mercator Civitatis N. venit cum tota ſua familia, vult confiteri & communicare, ut exaudiatur & in ſua neceſſitate juvetur à DEO, cujus filii duo toto anno non tantùm in occaſione proxima peccandi libidinosè verſabantur, ſed & in ipſis actibus venereis volutabantur, non obſtantibus monitionibûs Confeſſorum; quid faciendum cum eis, ſunt ne abſolvendi? Timet Confeſſarius abſolvere, ne iterum, imò faciliùs DEUM offendant; non abſolvere etiam eos, periculoſum eis eſt: nam adverteret Cajus eos non communicantes quos videt confitentes, timendum ne mirabilia faciat cum filiis, aut ne occidat ancillam, cùm ea deſtruxerit filios, qui erant antea ùt Angeli. Et ſi abſolvantur, ne peccent quia debent vitare occaſiones proximas peccandi (quæ cenſentur per Authores eſſe in hoc, quòd cohabitantes ſingulis quindenîs bis terve carnaliter commiſceantur, ob deperditum ad invicem pudorem, cenſendi ſunt in periculo mortali peccandi) debetne illa ancilla fugere? — Caſus notabilis.

7. *Reſp.* Vel aſſignavit aliquis Confeſſarius eis remedia ad non peccandum, vel non? Si non? Non ſunt repellendi ab abſolutione, ſed potiùs probandi: quia licetſi (prout colligitur ex inſtructione S. Caroli Borromæi *cap.* 15.) conſultum ſit ordinariè abſolutionem differre eis qui luxui dediti, crapulam & amores inhoneſtos ſequuntur, qui libidinibûs paſcuntur, verba obſcæna proferunt, murmurant, in odiis ac detra- — Quibus negãda eſt abſolutio ordinariè.

ctionibus versantur quotidiè, & confessionem differunt in ultimos quadragesimæ dies, moniti non correcti; secùs tamen extraordinariè in tali casu, salubri instructione & remediis non assignatis, incorrecti (a).

(a) N. Gaspar à S. M. Magdalena cap. 1. num. 25.

Remedia ad non peccandum.

8. Remedia autem à variis varia assignantur: à S. Carolo Borromæo apud N. Gasparum à S. Magdalena de Pazzis *num.* 30. ne solus unquam cum sola (vel illi cum illa) versentur, orationes augeat, corporis macerationem aliquam adhibeat, frequenter confiteatur, cibum Angelicum reverenter & devotè sumat (cùm juxta Trid. hic sit, quô non tantùm à culpis quotidianis liberamur, sed etiam à peccatis mortalibus præservamur). Item ut uno eodem utatur Confessario prudente. His remediis meum addo, quod posui tractans de *Eucharistia dist.* 4. *ser.* 4. *sect.* 2. *num.* 9. Nunc commemoro Confessario, quòd inter omnia remedia debeat pro primario ponere amotionem occasionum proximarum.

Proxima occasio peccãdi.

9. Occasiones proximæ sunt secundùm alios, mutua cohabitatio: & sic dupliciter errant quidam Confessarii, qui pœnitentes (maximè ancillas) ad fugam cogunt, non adhibitis remediis; cùm possit esse mutua cõhabitatio, & non proxima occasio peccandi: proxima enim occasio peccandi, est occasio quâ positâ, homo talis frequenter labitur in peccatũ mortale tale, seu ùt alii, necessariò moraliter, hoc est ordinariè, sive statim aut quasi statim labitur (b). Et sic qui est valdè debilis potentiæ, apprehensa manu mulieris ex sensuali delectatione, statim incidit in delectationem veneream, & polluitur; alius ex conversatione; alius dum incipit cum ea loqui cum qua habet inordinatam confidentiam, statim incidit in libidinosam cogitationem, colloquium inhonestum &c.

(b) N. Stephanus à S. Paulo.

Non proxima & proxima occasio.

10. Et licetsi non sit proxima occasio peccandi, dormire prope mulieres ignotas in multitudine populi, prout itinerantibus contingit in diversorio, tempore hyemis in hypocausto, & maximè tempore belli Svetici non raro contingebat, quando multi & multæ ad unum hypocaustũ congregabantur; est tamen proxima occasio peccandi libidinosè, dormire solum cum sola in eodem hypocausto, maximè si cum ea cum qua habet confidentiã sine pudore: ubi enim pudor deest, periculum adest.

Remota occasio peccãdi.

Remota occasio peccandi est, quâ positâ, non frequenter seu non necessariò moraliter labitur. Illas ergo & similes occasiones quæ sunt in potestate pœnitentis, tenetur deferere pœnitens, aliàs non est absolvendus: nam cùm sint in potestate ejus, & non vult eas deponere, signum est quòd non habeat firmũ propositũ non peccandi (c). Ita communiter.

(c) Rotarius sect. 4. num. 5. de Monial.

11. Vel assignavit aliquis Confessarius eis remedia, & illa vel erant sufficientia repressalia ad non peccandum, vel inepta? Si inepta? Assignare alia convenientia & sufficientia tenetur, & non negare absolutionem in dicto passu (d). Vel erant remedia ex se sufficientia? Tunc vel adhi-

(d) Rotarius loc. cit. Lugo disp. 14. de Pœnit. num. 151.

adhibuerunt ea pœnitentes, vel non? Si adhibuerunt, & se correxerunt per ea, hoc est, jam non tam frequenter & taliter ùt antea relapsi sunt? Absolvi debent (e): tum ob emendationem vitæ: tum ob periculum scandali & infamiæ; sed sub clausula, ut ad eumdem Confessarium statuto brevi tempore veniant, ut videat ulteriorem eorum emendationem. Aut non? Et tunc faciliùs si opus fuerit ipsos suspendere poterit, dummodo id promittant & verè doleant, & habeant propositum firmum DEUM non offendendi. Si verò aut non adhibuerunt remedia sibi assignata, aut inefficaciter eis adhibitis vitam suam non emendaverunt, tunc ad casum & alium similem reflectunt DD. Sa, Pourre & alii dicunt, si occasiones proximæ peccandi non erant in potestate ipsorum, possunt absolvi: sic ancillæ quæ sæpiùs peccârunt cum Dominis suis, quando scilicet servitium suum deserere non possunt sine detrimento magno: quia in dicto casu non dicuntur occasiones illas voluntariè eligere, sed involuntariè tolerare. Quod idem dicendum de filiis assvetis peccare cum ancillis, quas nec expellere possunt, nec ipsi paternam domum deserere. Et etiamsi septuagies relabantur, absolvi tales volunt Pourre, Sancius apud Dianam, Burghaber *casu* 63. Quos non sequor, nec svadeo sequi: nam hæc propositio, *proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrerit*, damnata est ab Innocentio XI. *num.* 62. posita. Damnum enim animæ, prævalet damno corporis (f); maximè quia pœnitens exponitur periculo moriendi in peccato mortali, quod præponderandum est omnibus aliis incommodis. Ita Marchantius, Stephanus à S. Paulo. Quare non est insistendum illi laxæ sententiæ. Sed vel illa ancilla jam post tot confessiones vitam suam non emendavit, vel quantùm ex se emendavit, occasiones proximas fugiendo, scilicet colloquia & alia; de nocte tamen consortium illorum filiorum etiamsi se abscondebat, aufugere non poterat? Debet ergò expostulare à D. Caja ut in eodem hypocausto ubi ea dormit, dormiat; allegando terrores nocturnos, ut sic effugiat manus peccatorum. Et si & hoc fecit, & tamen non potest habere pacem ab eis, & assequi emendationem vitæ suæ, tenetur aufugere, etiamsi esset subdita illius Domini; & tenentur ei illi filii dare tantum pro servitio, quantum illa promeruit; & si nolint aut non habeant unde, nec ipsa possit surripere tantum in compensationem salarii, tenetur pro suis delictis carentiam solutionis sustinere, & fugere illuc quò illi pervenire non possent, & interim absolvi debet, cùm verum dolorem & propositum habeat ùt supponitur, quandoquidē parata est id facere.

(e) Cōmuniter.

(f) Rotarius locô cit.

12. Et quid si illa post absolutionem remaneat, & corrigatur aliquomodo? Absolvenda est. Si verò postea iterum reincidens veniat, tunc jam

 aut

aut ſuſpendatur, aut non abſolvatur; cùm non urgeat periculum infamiæ &c.

13. Filii illi ipſa abſente ad nihil tenentur: Sed ſi iterum, v.g. cum aliqua conſanguinea ſuæ Novercæ hoc ſine emendatione vitæ poſt multas monitiones Confeſſariorum, aut Confeſſarii faciant, ad deſerendam domum Patris ſui obligatur.

14. Caſus ſecundus eſt. Nobilis habens bona & Uxorem in Ruſſia, in minori Polonia penes ſe retinet inhoneſtè ex majori Polonia Nobiliſſam præclaræ Familiæ, dicens cum ea in majori Polonia contraxiſſe Matrimonium; in majori verò per litteras ſpargit, ſe cum ea contraxiſſe in Ruſſia: quare tam in majori quàm minori Polonia creditur ipſi quòd ſit uxor ipſius. Tandem venit in majorem Poloniam cum ea ad conſanguineos ipſius, & ductus pœnitentiâ, in præſentia conſanguineorum illius petit abſolutionem Sacramentalem; quid cum eo faciendum, eſt ne abſolvendus vel non?

15. *Reſp.* Dicet Confeſſarius quòd non ſit abſolvendus; & benè: quia DD. cum S. Carolo communiter volunt concubinarium extra mortis periculum ne quidem ſemel abſolvi poſſe, niſi priùs concubinariam ejecerit (g), etiamſi ſit paratus jurare ſe cum illa caſtè cohabitare, quod juramentum Sacerdos nec exigere nec admittere debet, monet Konik *diſp.* 8. *num.* 133. maximè ſi jam antea aliquoties promiſit eam rejicere, aut cum ea caſtè cohabitare, prout præfatus nobilis fatetur ſe promiſiſſe, & non feciſſe. Sed præfatus Nobilis dicit, illam non poſſe nunc à ſe abdicare, aliàs conſanguinei illius occiderent eum; aufugere etiam ab ea non poteſt, quia habet ſummam vindicandam in his partibus ipſum concernentem. Reſpondendum ergò ipſi eſt, tamdiu non eſſe abſolvendum, quamdiu illam non rejecerit. Promittit ſe hoc facturum quando venerit extra majorem Poloniam: Benè, tunc etiam abſolvetur à peccatis. Allegat præfatus Nobilis grande ſcandalum oriri ex negatione abſolutionis: quid enim dicent præſentes conſanguinei putativæ Uxoris, quando videbunt non communicantem, quem viderunt confeſſum; forſan ſuſpicabuntur quòd iſta non ſit uxor, ſed concubina; & ſic timetur magna perturbatio & mors ſubſecutura. Apud P. Stephanum à S. Paulo volunt aliqui etiam interdum concubinarium poſſe abſolvi, qui concubinam dimittere non valet ſine magno ſcandalo, ſi verè doleat & firmiter proponat emendationem; ſunt verba P. Stephani, licèt non ſententia. Et Gaſpar à S. Magdalena dicit, quòd non appareat interea cur in caſu extraordinario ſemel abſolvi non poſſet, intuitu promiſſionis quamprimum ejiciendi concubinam: *cap.* 6. *num.* 292. Quid ergò faciet Confeſſarius cum eo? Promittit ſe cum illa caſtè velle cohabitare. Quomodo caſtè cohabitabit, quan-

(g) Gaſpar à S. Maria Magdalena, Rotarius.

Resolutio.

quando ad apparentiam consanguineorum debet penes illam in eodem lecto, ùti Maritus penes Uxorem decumbere? Salvo meliori aliorum Judiciô, ego in tali casu non dicerem ipsi quidquam, quòd sim ipsi negaturus absolutionem, sed præmissa adhortatione ne DEUM offendat ulteriùs, assignatis repressaliis contra incitamenta peccandi, juberem ipsum quamprimum peccaverit venire ad me pro confessione ad locum separatum; tunc ipsum non absolverem, aut suspenderem, prout mihi ratio & conscientia dictaret, nisi priùs eam concubinam à se expediret, ad doloremque majorem & majorem, & propositum firmum allicerem illum; cùm ratione doloris extraordinarii fortior evadat pœnitens ad resistendum, ita ut antecedenter occasio quæ proxima peccandi erat, jam talis non sit. Ita Joannes de Lugo *disp.* 14. *de Pœnit. num.* 151. Et si hoc non esset possibile ut veniat ad me, obligando eum ut jam ampliùs DEUM cum ea non offendat, & quamprimum poterit eam à se expediat, simpliciter absolverem, ob tollendam infamiam & periculum allegatum, cùm pro hoc citentur DD. cum quibus idem docet Cardinalis Lugo *locô citatô*, Vivaldus, Sancius apud Rotarium *p.* 84. *num.* 6. Et in oppositum pro tali casu non reperio.

Per dolorē fortior contra tentationes evadit pœnitens.

Casus.

16. Casus est. Prior Conventûs N. deputavit Sacerdotem non approbatum ab Episcopo, ad audiendam Confessionem Sacramentalem mulieris Tertiariæ sui Ordinis: postea in absentia Prioris Vicarius Conventûs alium Sacerdotem non approbatum ab Episcopo jussit audire confessionē Sacramentalem Tertiarii ejusdem Ordinis, & communionem Paschalem dare; quæritur, utrum utriusque Sacerdotis valida sit absolutio, & communionis Paschalis administratio licita? *Resp.* Primus invalidè, secundus validè absolvit: sed illicitè communionem Paschalem administravit, si extra Conventum sine licentia Parochi. Primum declaravit Sacra Congregatio his verbîs: *non posse Sacerdotes Regulares audire confessiones Sacramentales mulierum tertii Ordinis, quæ de pœnitentia dicuntur, nisi ab Ordinario approbati fuerint ad confessiones Sæcularium audiendas; neque posse illas communicare in Paschate.* Et patet inde, quòd non possit Regularis Sorores Regulares suas absolvere, nisi approbatus ab Episcopo. Secundum constat inde, quòd Sacra Congregatio dicat de Confessariis virorum tertii Ordinis. Tertium inde, quòd declaratum sit à Sacra Congregatione apud Barbosam in *Collectan. Bullar. verbô Regulares* 1. Regulares non debere extra Conventum ministrare Sacramenta suis Tertiariis, præter Sacramentum pœnitentiæ. Lezana *t.* 2. *cap.* 14. *num.* 34.

Non Tertiariam, sed Tertiarium sui Ordinis, Sacerdos nō approbatus ab Episcopo validè absolvit.

Propositiones damnatæ ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab Alexandro VII. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam con-

concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii vulgò *Vegalo*, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædiô magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur. 41.

Ab Innocentio XI. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere; quinimo directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit. 61.

Ab eodem. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrerit. 62.

Ab eodem. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi. 63.

SERIES VII.

De Obligatione subsequente absolutionem.

SECTIO I.

Quid debet facere Confessarius, qui defectum absolvendo commisit.

Confessarius committens defectum essentialem.

1. RESP. & dico 1. Si Confessarius commisit defectum omittendo id quod essentialiter requiritur, v.g. absolvit sine intentione, aut non habens jurisdictionem, aut culpabilem confessionis dimidiationem dissimulavit, & sive culpabiliter sive inculpabiliter hoc fecit, debet omnem diligentiam adhibere, ut confessio repetatur (a). Unde inventô eô, debet illum monere de nullitate absolutionis, etiamsi talis monitio esset cum periculo gravis detrimenti famæ, & honoris sui (b): quia periculo detrimenti famæ & honoris, infinities præponderat periculum æternæ damnationis; cujus est causa Confessarius: nam pœnitens putans se esse absolutũ, fortè in posterum dolorem suum ad illa peccata non extendet, & sic morietur in statu æternæ damnationis. Et si in tali casu Confessarius non obtineret à pœnitente licentiam loquendi de confessis, non debet ad hoc attendere; tenetur eum monere ut iteratò cõfessa peccata confiteatur. Ita Suar. apud Rotarium *de Sigillo confessionis*: quia sic pœnitens irrationabiliter est invitus, & agitur de ejus animæ salvatione, & periculo æternæ damnationis: imò in primo & secundo casu (scilicet quòd ipsum absolverit sine intentione, aut non habens jurisdictionem) non tenetur petere licentiam à pœnitente: quia non defectum pœnitentis, sed suum errorem manifestat, non frangit sigillum

(a) Cõmuniter.

(b) Bonæ Spei.

con-

confeſſionis, ſed abſolutionis, qualis erat, veritatem detegit. Et ſi adhibita omni diligentia non poterit devenire ad hoc ut pœnitentem moneat, Deum pro eo rogare tenetur, ut ipſi det ſuam gratiam, ut dolorem contritionis ad ea peccata dirigat & extendat.

2. Dico 2. Si Confeſſarius commiſerit defectum accidentalem, v.g. pœnitenti reſtitutionem non imponendo ad quam tenebatur, tenetur poſtea in confeſſione ſi ejus eſt ordinarius Confeſſarius, aut extra confeſſionem obtenta licentiâ ſi commodè obtineri poteſt, monere eum. Si verò commodè obtineri non poteſt, aut negatur à pœnitente, tunc ad nihil tenetur Confeſſarius. Ita Bonæ Spei, Tamburinus, Sanchez & alii communiter contra Navar. & Sotum. Accidētalē.

3. Dico 3. Si Confeſſarius pœnitenti negationem illius reſtitutionis ſvaſerit, tenetur reſarcire damnum quod tertius patitur, niſi pœnitentem modô immediatè dictô ad reſtitutionem inducat, etiamſi culpabiliter monitionem omiſerit. Ita Bonacina cum aliis non paucis.

4. Dico 4. Si Confeſſarius commiſerit defectum accidentalem, v.g. pœnitenti reſtitutionem imponendo ad quam non tenebatur, & hoc culpabiliter fecit, tenetur eum monere: alioquin ad reſtitutionem damni adſtringetur. Si verò hoc fecit inculpabiliter, monere eum obligatur, ſi poteſt; Si non poteſt, ad reſtituendum per alios obligatur, per alios deobligatur: quod & N. Bonæ Spei docet.

SECTIO II.

Quid ſigillum confeſſionis, quanta hujus ſecreti ſit obligatio, & quæ ſub hoc ſigillum cadant?

1. RESP. Et dico 1. Sigillum confeſſionis eſt obligatio ſervandi ſecretum circa ea, quæ in confeſſione Sacramentali ſunt dicta, ſive formaliter ſive æquivalenter. Hæc Reſolutio explicatur per ſequentes. Quare Sigillum cōfeſſionis.

2. Dico 2. Hæc obligatio ſecreti ita eſt ſtricta, ut in nullo caſu abſque licentia pœnitentis etiam minimū quid, quod ſub tali obligatione cadit, revelari poſſit, ſive directè ſive indirectè, etiam poſt mortem pœnitentis: patet *cap. Omnis utriuſque ſexûs, & cap. Sacerdos d. 6. de pœnitentia & remiſſ.* ubi ſic habetur: *caveat autem omninò, ne verbô aut ſignô aut aliô quôvis modô aliquatenus prodat peccatorem.* Unde nec torvo oculô aſpicere poſſet pœnitentem immediatè poſt confeſſionem niſi adveniente aliunde aliqua talis actionis causâ; aliàs confeſſio eſſet odioſa & injurioſa. Obligatio.

Unde? Qualis pœna?

3. Dico 3. Hæc obligatio oritur non ſolùm de jure Eccleſiaſtico ùt immediatè vidimus (ubi *cap. Omnis*, ſecretum Sacerdoti præcipitur ſub pœna depoſitionis, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monaſterio); ſed etiam de jure naturali: nam ſi alicui extra confeſſionem ſub ſecreto aliquid eſt revelatum, jure naturæ tenetur illud occultare; à fortiori dum aliquid in confeſſione eſt revelatum, tenetur ſub ſecreto id retinere. Sed eſt & de jure Divino, ùt diximus in Theologia ſpeculativa.

Quæ cadunt ſub ſigillũ? (a) Bonæ Spei, Rotarius, & alii communiter. (b) Rotarius.

4. Dico 4. Non ſolùm peccata mortalia in ſpecie, ſed etiam omne mortale in genere (a), & venialia in ſpecie aut in multitudine (b), ſive occulta ſive publica, & circumſtantiæ ſpeciem mutantes, & intra eam aggravantes, & omnia quæ in confeſſione Sacramentali propter declaranda peccata etiamſi non neceſſariò dicuntur, ſic defectus naturales, complices delicti, item pœnitentia gravis injuncta, dilatio abſolutionis, negatio ob caſus reſervatos, & quidquid minuere poteſt bonam famam pœnitentis (b) & traditur permodum culpæ, ùt dicit D.R. *in* 4. *diſt.* 16. *q.* 2. *art.* 3. talia cadunt ſub ſigillum confeſſionis. Ratio omnium eſt: quia horum revelatio reddit confeſſionem odioſam & injurioſam.

Quando frãgitur ſigillũ cõfeſſionis.

5. Quare frangit ſigillum confeſſionis Confeſſarius toties, quoties peccata mortalia in genere, aut venialia in ſpecie, aut alia narrata ita declarat ut ex ejus loquela audientes in notitiam perſonæ deveniant, & toties violare videtur, quoties in ſuſpicionem perſonæ inclinantur. Unde frangit ſigillum confeſſionis, ſi dicat de parva Civitate aut arcto Monaſterio, ibi talia & talia multiplicata audiviſſe. Ita communiter DD. cum Bonacina. Hoc enim eſſet graviter offendere pœnitentes eos, qui ad iſtum Confeſſarium accedunt; & fortè facta inductione poſſent devenire in cognitionem, qui tali vitiô irretiti ſunt. Et licèt non violet ſigillum, dicens Felicianum ſibi dixiſſe venialia, aut ſua peccata; ſecùs tamen ſi dicat gravia, aut multa venialia (b), aut gravia venialia (b), aut caſum reſervatũ, aut eum non abſolvi. Ita communiter apud Bonacinam. Item violatur ſigillum confeſſionis, quando Confeſſarius defectum naturalem alicujus pœnitentis dicit, de quo ipſe erubeſcit. Ratio eſt P. Bonæ Spei: quia defectuoſi multi, maximè quando defectus ſunt occulti, mallent ſua peccata revelari certis caſibûs, quàm tales defectus eorum: ùt patet de ſpurio.

6. Quid ſi Confeſſarius de pœnitente dicat, eſſe ſcrupuloſum, caput Confeſſarii nugîs & impertinentiîs frangere, eſſe difficilem &c? *Reſp.* eſſe rem in controverſione: Lugo enim & alii dicunt per hoc non frangi ſigillum; econtra Bonæ Spei. Conveniunt tamen de hoc quòd per hoc non frangatur ſigillum, quando Confeſſarius de ſuo pœnitente dicit eſſe blæſum, habere habitum fœtentem, tardum in concipiẽdo &c. quia hæc ſunt extra confeſſionem obvia, & extra materiam confeſſionis. 7.

7. Licetsi secundùm omnes licitum sit Confessario revelare peccatum quoad se & quoad circumstantias, si nullum prorsùs sit periculum ne in pœnitentis suspicionem veniatur; attamen plerumque propter acutissima ingenia, cautissimè de auditis in confessione loqui debemus, ne ob loquelam nostram hoc contingat, quod contigit olim (de quo scribit P. Bonæ Spei) quòd quidam Confessarius dixerit coram viro aliquo, *prima persona quam audivi, adulterium confessa est;* & deinde post aliquot annos isti eidem coram viro suo, *tu es prima persona quam in confessione audivi.* Unde vir ille utrumque combinando, intulit uxorem esse certò adulteram; & illam occidit.

8. Si quis in confessione deprehendatur uxoratus, Nobilis, aut Religiosus, poteftne manifestari? *Resp.* Vel posita revelatione esset invitus, vel non? Si secundum? Potest revelari. Si primum? Quia v.g. ipsius notitia esset ipsi nociva, non potest manifestari. Ita Rotarius & alii.

9. Unus pœnitens habet duos Confessarios; licetne eis adinvicem de ejus peccatis colloqui? *Resp.* quòd non (c): quia forsan uni adfert specialia, alteri venialia; vel semel huic specialia, secundò illi. Item quia uterque sigillô obstrictus est.

(c) Sotus, Em. Sa verb. Confessor num. 22.

SECTIO III.

Ex quali confessione oriatur obligatio hujus sigilli, & quæ personæ contrahant obligationem?

1. RESP. & dico 1. Hæc obligatio sigilli in summo rigore accepta, oritur ex confessione omni & sola Sacramentali. Ita D.R. *in 4. dist.* 16. *quæst.* 2. *art.* 3. & *quodlib.* 3. *q.* 3. & alii communiter post ipsum. Explicatur. *Ex confessione omni*, sive completa sive incompleta seu non finita, sive validè sive invalidè facta. *Ex sola* tamen *Sacramentali:* id est factâ permodum culpæ, animô se accusandi in foro conscientiæ in ordine ad claves, seu ad absolutionem Sacramentalem obtinendam; aliàs Sacerdos non tenetur sigillô confessionis tale depositum retinere, etiamsi deponens flexis genibûs præmissô *confiteor*, dixerit se illud sub sigillo Sacramentali deponere (a). Verumtamen ut Sacerdos hoc celet, omninò expedit propter scandalum vitandum (b): quia est tamen naturale secretum.

2. Si verò dubitet Sacerdos, utrùm sit permodum culpæ, tenetur sigillô confessionis: in favorem enim pœnitentis præsumendum, ne confessio reddatur odiosa. Ita Graffius, Onuphrius, Bonacina.

(a) Bonac. de Pœnit. Sacram. disp. 5. quæst. 6. sect. 5. punctô 2. n. 3. Rotarius part. 1. cap. 8. de Sigillo num. 3. Layman, Fagûdez.

(b) S. Thomas, Doctor Resolutus.

Causa excusans à secreto sigilli.

3. A fortiori non stringitur sigillô confessionis Sacerdos ad celandum id, quod ipsi pœnitens proponit animô trahendi ipsum ad peccatum: imò quidam Cardinalis teste Soto, mulctatus fuit à Summo Pontifice, eò quòd non manifestaverit conspirationem in Summum Pontificem, quam alter ipsi aperuerat in confessione, non intentione se accusandi, sed animô ipsum trahendi ad eandem conjurationem. Ita Bonacina hîc, Reginaldus, Onuphrius, Navarrus, Vasquez & alii.

Qui sigillô confessionis obligantur.

4. Dico 2. Omnes sigillô confessionis obligantur, qui notitiam Sacramentalem ex confessione tali acceperunt. Proinde hôc sigillô tenentur: 1. Confessarius etiam fictus: fraus enim non debet patrocinari delinquenti. Bonacina, Bonæ Spei. Secùs autem esset, si pœnitens sciret Confessarium debere esse Sacerdotem, hunc autem non esse Sacerdotem; sic enim non esset Sacramentalis confessio: nam non esset ad obtinendam absolutionem. 2. Superior qui pro reservatis aditur, si deveniat ad notitiam personæ aut delicti, conferens potestatem alteri absolvendi à reservatis. 3. Interpres alienæ confessionis. 4. Qui voluntariè aut casu peccatum aliquod confitentis audit: ille mortaliter, hic non delinquit audiendo. 5. Is cui Confessarius confessionem sacrilegè revelavit. 6. Illi coram quibus in casu necessitatis v.g. instante naufragio confessio facta fuit, qui nec quidem colloqui secum possunt de auditis. 7. Qui cum venia pœnitentis consulitur (c). Ratio est: quia sicut interpres cum pœnitente, ita consiliarius Confessarii cum Confessario facit unum; ideoque eodem modo obligatur ad secretum Sacramentale. Ratio prætereà est: quia pœnitens præsumitur dare licentiam Confessario, ut aliquem consulat sub hac clausula, ne ille id revelet alicui. 8. Qui scriptam confessionem legit tempore confessionis, certum est quòd teneatur sigillô confessionis non minùs quàm ille qui audit. Sed utrum teneatur sigillô confessionis, qui ante illam aut pòst veniens hoc facit, controvertunt Authores. Negant Suar. Layman, Lugo, putantes talem solùm ad secretum naturale teneri, & solùm venialiter peccare legendo ex animo curiositatis. Navar. Bonac. Oppositum verò docet P. Bonæ Spei cum Vivaldo, Fagundez, Diana, Konink. Ego svadeo medium tenendum: Si charta est tradita ad obtinendam absolutionem, tunc cum P. Bonæ Spei; & sic paritas tenet quam deducit ille de interprete, & illo quem consulit Confessarius de licentia pœnitentis, quòd sicut ille sic & hic legens teneatur servare secretum sigilli. Si verò inveniatur charta antè, probabiliùs dicendum cum Bonacina & aliis communiter, quòd non teneatur magis ad secretum sigilli, quàm ille qui audiret aliquem examinantē se, & dicentem clarè sua peccata; licèt teneatur ad secretū naturale, ùt volunt cōmuniter DD. quia est ordinatio ad confessionē Sacramētalem.

(c) Lugo, Bonæ Spei & alii communiter contra Vasquez, Dianam.

5. Pœ-

5. Pœnitens licèt tam respectu dictorum à se quàm sibi à Confessario, non teneatur ad secretum sigilli; tamen per accidens ad secretum naturale respectu utriusque obligatur. Ratio primi est: quia sigillum confessionis in favorem pœnitentis est inductum; ergò sicut potest dare Confessario licentiam, ita ipse solus potest de confessis à se loqui. Secundi ratio est: quia pœnitens, non Confessarius ex vi confessionis secretum deponit. Ratio tertii est: quia quando ex dicendis sequeretur infamia, aut aliquod præjudicium, teneretur pœnitens silere: quia quivis de jure naturæ præjudicium alterius ex sua locutione secuturum, tenetur avertere quando potest.

Pœnitens ad secretũ naturale nõ sigilli obligatur.

6. Violans sigillum confessionis, duplex peccatum committit: sacrilegii contra reverentiam Sacramento debitã, & injustitiæ ex pacto virtuali inito de secreto servando. Quare tenetur ad restitutionem damni ex violatione secuti, non minùs quàm si revelaret secretum naturale, & inde damna sequerentur. Nec levitas materiæ excusat à mortali, licèt excuset inadvertentia. Ita Sotus, Navarrus, Reginaldus, Nugnus *de Sigillo*.

Quot peccata cõmittit violans sigillum cõfessionis.

SECTIO IV.

An & qualis requiratur licentia pœnitentis, ut possit loqui Confessarius de dictis in confessione; sine qua quomodo violatur sigillum confessionis, & utrùm notitiâ confessionis uti possit Confessarius?

1. Dico: Semper in confessione, numquam extra confessionem sine licentia pœnitentis respectivè tali, licet Confessario uti scientiâ confessionis ipsius, quando periculum revelationis aut molestiæ ipsi inferendæ timetur.

2. Explicatur & probatur. In confessione potest uti scientiâ confessionis pœnitentis, monendo ipsum; cùm id Ecclesia exigat & practicet per Confessarios: solent enim Confessarii ob nimis frequentem in eadem peccata relapsum absolutionem negare, alii post absolutionem pœnitentiam imponere, & communiter svadetur pœnitentibus, Confessarium non mutare: & quare? Nisi quia ab eodem Confessario ob præcedentium confessionum notitiam, faciliùs diriguntur: neque sic uti scientiâ, est uti eâ contra sigillum, sed sub sigillo confessionis.

Semper in confessione, nunquã extra confessionem lіcitũ est uti scientiâ confessionis.

3. Extra confessionem numquam uti potest: quia pœnitens pro foro interno, non pro externo aperuit & concredidit ei suam conscientiam. *Nisi de pœnitentis licentia respectivè tali.* Dico *respectivè tali*: nam in odiosis

Qualis licẽtia requiritur.

sis requiritur licentia expressa; non sufficit interpretativa, virtualis, tacita. Deinde, ut non sit vî, injuriâ, dolô, precibûs importunis extorta. Ita Henriquez, Fagundez & alii. Unde debet cavere Pater Spiritualis, maximè si est vir authoritativus, cujus valdè est necessaria gratia pœnitenti Regulari, exposcere licentiam loquendi de confessis: quia sic ob timorem & gratiam daret pœnitens non tam libenter quàm reverenter licentiam ei colloquendi de confessis.

4. Sufficienter autem datur licentia Confessario, quando ipsum de suis peccatis alloquitur pœnitens, tunc potest loqui Confessarius de eis etiam adjunctis; secùs alloquens aut monens pœnitentem extra confessionem sine obtenta licentia, frangit sigillum.

5. In gratis verò saltem secundùm pauciores DD. sufficit licentia interpretativa, dum non dicuntur in præjudicium pœnitentis, sic dum ejus virtutes narrantur, aut innocentia declaratur; cùm hæc non sit permodum culpæ dicta. Sed tu cum pluribus sine talia dicere: quia contingit aliquando pœnitentes accedere cum confessione ad eos Confessarios, qui ipsos possent juvare, ex trigis liberare, excogitareque innocentias & virtutes, ne ex convictione eorum constet mendacia commissa in confessione, & tam Confessario quàm pœnitenti fiat confusio.

6. Secundùm omnes DD. tamen de licentia interpretativa potest Confessarius uti scientiâ confessionis hoc casu, si ex confidentia pœnitens in confessione declaret murmurationes de nimia ejus duritia & severitate, tunc potest Confessarius Paterque Spiritualis (habens potestatem mortificandi, puniendi in refectorio coram aliis, sive sit Prælatus v.g. Prior) benigniùs cum eo procedere, affectum ei paternum monstrare, eumque magis diligere, & pro eo interim DEUM rogare, ut quod ipse emendare nequit, hoc DEUS suppleat. Ita P. Bonæ Spei *de Sigillo cõfessionis dub.* 4. *n.* 48.

SECTIO V.

Sub qua solvuntur casus.

Confessarius quàmvis non absolvit dare testimonium Parocho tenetur.

1. SI Parochus exigat testimonium à Confessario in scriptis de Parochiani confessione, tenetur illud dare, licèt non absolverit eum, aut suspenderit propter justam causam. Nec potest repellere talem à sumptione S. Eucharistiæ, aut impedire clam ne contrahat matrimonium, quem ex confessione scit accedere cum impedimento dirimente (licèt de illis, obtenta licentiâ monere possit), nisi sciat aliunde; tunc statim addere debet notitiam illam. Ita communiter DD.

2. Secundùm probabiliorem, communiorem & veriorem sententiam, nec claudere fores potest, quibus suum pœnitentem de nocte solere exire

pro

pro actibus inhonestis scit ex sola confessione; quia sic objiceret illi crimen, daret occasionem ad celandum scelus in confessione futura: neque potest Superiorem monere etiam indirectè, ut fores omnes claudantur; secùs esset, si aliunde sciret.

Nec claudere fores. Nec Superiorem monere.

3. Controvertunt DD. utrùm Confessarii suis pœnitentibus possint denegare vota affirmativa ad promovendum eos, quos sciunt esse indignos talibus ad quæ promoventur? V.g. Clerici ad Ordines, Patres ad officia. Ad quem casum, *Resp.* quòd non possint eis denegare vota affirmativa, nec ipsos ad officia clam impedire (a). Ratio est: tum ne reddatur confessio odiosa & injuriosa: tum quia plerique mallent peccata sua cum excusatione revelare, quàm clanculò ob ea audita in confessione impediri ab officiis, & dignitatibus: tum quia quando imminet grave damnū, detrimentum famæ, non tenetur pœnitens fateri suum scelus, ùt dixi *suprà*: atqui si possent Cōfessarii denegare vota promoventia pœnitentium, & eos impedire ne promoveantur, timerent grave damnum pœnitentes, scilicet carentiam officiorum, quæ ipsi magno affectu assequuntur.

(a) Bonæ Spei contra Henriq. & alios.

Nec votum denegare.

4. Magis controvertunt DD. de casu, quo in mortem Confessarii tres conspirassent, ut eum aut vinô, venenô pro sacrificio assumendo infecto, quòd jam est tale ad altare ejus allatum, aut aliter noctu in cella occidant, quorum unus ante Sacrum confitetur ei hoc totum; potestne aliud vinum assumere, aut simulare infirmitatem ne celebret? Item in alia cella dormire ne occidatur? Multi docent DD. quòd posset simulare infirmitatem, ut non celebret: similiter occasionem, ut cum illis latronibus non intret sylvam; similiter ut non dormiat in sua cella. Ita Scotus *dist.* 21. *quæst.* 2. Henriq. Tamburinus, Konink, Sotus & alii. Econtra Bonæ Spei, Vasquez, Lugo, de Rhodes & alii. Illorum est ratio, quòd in hoc non sit proditio sceleris; horum, quòd sociis est objectio sceleris. Quare distinctè *Resp.* Vel pœnitens venit ad Sacerdotem non animô obtinendi absolutionem, sed animô faciliùs occidendi Sacerdotem? Tunc fugere potest: nam talis confessio non inducit sigillum confessionis, cùm non sit Sacramentalis, sed nulla. Vel venit animô obtinendi absolutionem ab illo? Facilè potest obtineri licentia fugiendi mortem: quia absolvi non debet nisi desistat à suo intento, & det licentiam fugiendi; imò & alios monere tenetur ut desistant à suo intento, & impedire quantùm potest si potest: si verò nec impedire necem, nec dare licentiam Sacerdoti potest, quia inde timet secuturam mortem, si est v.g. puer aut subditus sui Domini qui hoc ipsi imposuit ut confiteatur ficte, & si potest commodè occidat Sacerdotem; illum verò ductum pœnitentiâ, verè pœnitet intentionis non bonæ: quid tunc faciendum? Fugam svadet Layman, Sylvester, si placet Sacerdoti; Konink, etiam si mors immineat

Sciens Confessarius ex confessione quòd velint eum occidere, an fugere possit? simulare infirmitatē ne celebret&c?

pœ-

pœnitenti à sociis. Econtra Bonæ Spei cum Lugone probat, fugam esse fractionem sigilli: quia per fugam objicit sociis hoc peccatum esse confessum: tum quia Confessarius non potest uti notitiâ confessionis ad externam gubernationem; ergò nec ad gubernationem propriam. Ego verò aliter dicam: In primis si verè pœnitet pœnitens, occidere non potest Sacerdotem: quia potiùs debet mortem subire, quàm mortaliter DEUM offendere. Ad alios verò casus, medium dico: Vel nullum est periculum violationis sigilli, & detrimenti pœnitentis (quod esset si ita confiteretur, ut illi non scirent de confessione illius)? Posset in præfato casu simulare infirmitatem, & ob eam simulatam non celebrare; ad sylvam non ire; similiter dormire alibi, in infirmario v.g. vel ad infirmũ ire pro nocte &c. Vel est periculum fractionis sigilli, & detrimenti pœnitentis, prout in casu ponitur? Tunc deberet se pro morte disponere Confessor, & consecrare in illo vino, in cellaque sua dormire (b): cùm frangere sigillum Confessionis, & reddere confessionem injuriosam, sit peccatum mortale; non sunt autem facienda mala ut eveniant bona.

(b) Suarez, Bonæ Spei.

5. Si ex sola confessione audita, Elias scit Timotheum pœnitentem non esse Sacerdotem, aut non habere jurisdictionem, quem solet pro deponendis suis peccatis adire, si nullum periculum revelationis aut infamiæ est, non tenetur ampliùs ad illum accedere. Si secùs, tenetur simulare confessionem: est communis sententia.

6. Interrogatus Confessarius de confessione pœnitentis, commodissimè respondet, *pœnitens fecit quod ad ipsum spectabat; ego similiter.* Et si cogeretur ad fatendum veritatem juramentô, jurare posset sine ulla restrictione, se non audivisse quod audivit: quia ex communi acceptione, verba ista in circumstantiis talibus idem significant, quod *non audivi ut revelem, male interrogas, non teneor tibi dicere.* Nec Sacerdos decipit interrogantẽ; sed ipse se decipit, non attendens quòd verba *non audivi* &c. in his circumstantiis mutent significationem: ad instar dicti Christi, quando dixit: *de die autem illo nemo scit neque Filius*, qui tamen defactò scivit; sed non scivit, ut tunc illis adstantibus revelaret. Cautiùs tamen est nolle jurare, & dicere Judici se non posse loqui de auditis in confessione. Ita Rotarius. Cui addo, si ex tali responsione non sit periculum suspicandi & deveniendi ad hoc quòd est confessus. Unde uti hoc termino Rotarii non svadeo, scilicet quòd *non possum loqui de auditis in confessione*; sed aliam cautiorem adhibere responsionem oportet. Si sustineret Confessarius in tali casu aliquas pœnas, sustineret pœnas Martyrii propter justitiam.

SERIES VIII.

De Confessariis solicitantibus.

Quid hîc venit nomine solicitantis?

1. R*Esp.* Ex Bulla Gregorii XV. quæ incipit *Universi Dominici*, venit non mulier solicitans Confessarium, sed Confessarius (a) solicitans mulierem, aut (quod absit) puerum ad aliquem actum inhonestum: quia id exprimitur illô verbô, *personas, quæcumque illæ sint*; & hoc sive sit in actu Sacramentalis confessiōnis sive antè, & sive sequatur aut non confessio, ùt si fœminam accedentem ad confitendum solicitet, dilata confessione in aliud tempus (b), dissvadens ipsi confessionem ut interea faciliùs in ordine ad venerea eam inducere possit (c); vel pòst immediatè, ùt si petat à pœnitente domum suam, ut eò deducat concubinam (d), vel pœnitentem, ut ad eum veniat pro actu inhonesto. Quare secùs dicendum, si post longum tempus id fiat (d): cùm in dicta Constitutione dicatur, *sive antè sive pòst immediatè.* Item *si occasione confessionis:* Unde audiens Confessor in confessione fœminam esse levem, si ipsâ finitâ lenonem mittit domum ipsius ut eam solicitet (e), à fortiori si petat ab ea licentiam loquendi de confessis, & eâ obtentâ eam ad peccandum solicitet, quia hoc facit occcasione confessionis, nomine solicitantis venit. Item sive solicitet ut consentiat alteri, aut tradat ei aliam personam nempe filiam suam: quia hoc exprimitur illis verbîs Constitutionis, *sive inter se sive cum aliis* (f); & sive in confessionali sive in alio loco, dummodo prætextu confessionis id faciat: quia in Constitutione præfata, ita habetur: *simulantes confessiones audire.* Unde secùs esset si alibi solicitaret illam, & in loco destinato ad confessiones audiendas noctù faceret cum ea aliquid inhonestum (g); & sive faciat aliquid inhonestum sub prætextu aut causa seu occasione confessionis ùt dictum est, aut alliciat pœnitentem, & vel palàm vel tacitè, amphibologicè, offerendo tunc ei munus magni valoris (h): quia muneribûs, fœminæ allici & provocari solent: imò aliquando parvi valoris talibûs, nisi aliunde constet de bona intentione Confessarii: à fortiori si det antè aut pòst immediatè ei chartam seu epistolam amatoriam, ut postea legat domi (e): imò etiam si tantùm eam laudet de pulchritudine, dummodo immediatè ante aut post confessionem (c). Item *tractantes de turpi cum pœnitente.* Unde si fœmina aut alia persona confitetur Confessario, habuisse animum peccandi cum eo, aut illum in confessione illa solicitaret, & ipse consentiret ei manifestando suum consensum, tunc probabiliùs esset

(a) Sāctarellus, Bonacina.

(b) Diana, Lezana verbô Denūtiatio.

(c) Cōmuniter apud Dianā p. 4. tr. 5.

(d) Lezana.

(e) Graffis, Lezana.

(f) Graffis, Sāctarellus.

(g) Rodriquez, Quaranta.

(h) Diana, Octavius num. 882. Ledesma & alii.

de numero horum comprehenforum in Bulla præfata: quia in ea dicitur, *aut cum eis illicitos & inhoneftos fermones five tractatus habuerit;* & infrà, *feu tractantes.* Et fi ipfe Confeffarius quidem renueret ei quoad fornicationem, folùm quoad ofcula eam folicitaret (i).

(i) Joannes Sãcius, Diana, Octavius. num. 184. p. 1.

2. Hi omnes comprehenfi in præfata Bulla peccant mortaliter graviffimè peccatô facrilegii, & licetfi poffint abfolvi à tali peccato per quemcumque fimplicem Confeffarium, quia nullibi in lege refervatur, nifi Epifcopus fibi refervaret (k); funt tamen deferendi omnes tales ad Sacram Inquifitionem, aut Ordinarium loci. Unde

(k) Rotarius.

Nemo tenetur fe prodere in judicio.

3. Obligatio Confeffarii eft, monere pœnitentem talis Confeffarii qui inhoneftè vel verbô vel actibûs fe gefferit, five non confenferit ipfe pœnitens five confenferit, quòd teneatur denuntiare illum Confeffarium Inquifitori vel Ordinario loci, five fit Sæcularis five Regularis, alioquin abfolvi non poteft, nifi id per fe aut per alium prius præftiterit: imò fi hoc facere nolit, incurrit excommunicationem (k), dempto cafu in quo non poffet eum denuntiare fine denuntiatione fui delicti: quia nullus tenetur denuntiare aut accufare feipfum extra confeffionem Sacramentalem: Nemo enim tenetur fe ipfum prodere in judicio externo, prout habetur in *cap. Si quis aliquando, de Pœnitentia* (l).

(l) Sãctarellus, Diana de Denuntiatione.

4. Et quid fi Confeffarium poft folicitationem ftatim pœniteat folicitaffe, & hoc afferit pœnitenti folicitatæ? *Refp.* non obftante tali facto & dicto, tenetur pœnitens Confeffarium folicitatorem denuntiare (m), fub novo peccato committendo; cùm fit tranfgreffio præcepti in te graviffima. Denique licèt talis fit contritus aut confeffus, non tamen punitus: quod fieri debet ob bonum publicum. Nec correctio fraterna habet in eo locum, cùm fit de fide fufpectus, ùt videre eft de hærefi; omnes autem levi etiam fufpicione de hærefi fufpecti, deferri debent ad S. Officium, vel locorum Ordinarios, cùm fic decretum fit in S. Inquifitione his verbîs: *Omnes & fingulos hæreticos feu de hærefi quomodolibet fufpectos &c.* Etiam fi nulli nota fit talis folicitatio: bonum enim commune hoc exigit: & etiamfi materia folicitationis non videatur in genere luxuriæ effe gravis, fed levis: quomodocumque fit, femper fit gravis injuria Sacramento. Ita Sancius.

(m) Boffius, Rodericus, Bonacina, Lezan. tom. 3. verb. Denũtiatio n. 5.

5. Et quid de illo qui fub figillo fecreti naturalis à pœnitente refcivit, illum effe folicitatum à tali N. Confeffario; teneturne illum denuntiare? *Refp.* quod fic: quia hæc revelatio eft in favorem fidei, & propter bonum publicum.

6. Dices: Sed jurando promifit non revelare? *Refp.* etiamfi: nam tale juramentum eft de re iniqua, confequenter obligare non poteft. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *ad* 2. Sylvefter, Suarez, Lezana *verbô Hærefis.*

7. Di-

7. Dices 2. Sed Confessarius est non habens jurisdictionem, seu fictus; estne talis deferendus? *Resp.* Sive talis Confessarius non habens jurisdictionem seu fictus, sit Sacerdos (n), cùm omnis Sacerdos sit Confessarius saltem pro aliquo casu, consequenter comprehenditur in præfata Bulla, sive sit Diaconus, Clericus, Laicus, etiam si non absolvat, cùm sit talis de fide suspectus, ùt talis deferendus est. Ita Leander *de Sacrament. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *quæst.* 37. 38. 39. apud Dianam *part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 32. Octavius *interrogat.* 883. *part.* 2.

(n) Cōmuniter cum Lezana & Rotario.

8. Quomodo sibi consulere potest solicitator? *Resp.* debet spontè, nullis præventus indiciis, integrè scelus tale coram Judicibus fidei, hoc est coram S. Inquisitione, aut si non est, coram Ordinario loci confiteri, seu fateri: Nam si nullis præventus indiciis hoc fecerit, gaudebit beneficiô spontè comparentium. Et si fuerit præventus indiciis, gaudebit beneficiô comparentium non citatorum, nec vocatorum. Ita Lezana *tom.* 4. *consult.* 21. *num.* 36. Peirinis, Octavius *num.* 357. & in alia parte *num.* 889. Carena *de Offic. S. Inquisit. tit.* 6. §. 20. *num.* 109.

DISTINCTIO VIII.

Sacramenti extremæ unctionis Ideas complectens.

1. QUòd hæc unctio extrema de qua nunc instituitur doctrina, sit verum Sacramentum, decisum est in Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. ubi sic dicitur: *Instituta est autem hæc Sacra unctio infirmorum tanquam verè & propriè Sacramentū novi testamenti à Christo Domino* &c. *Can.* autem 1. *Si quis dixerit extremam unctionem non esse verè & propriè Sacramentum, & à Beato Jacobo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.*

Sacramentū extremæ unctionis est verum Sacramentum à Christo Domino institutum.

2. Quando autē hoc Sacramentū sive hanc unctionē instituit Christus? *Rdet* Doctor Resolutus *in* 4. *dist.* 23. *art.* 1. *Marci* 6. *dicitur, quòd Christus misit discipulos suos, & ungebant oleô & sanabant: postmodum in Canonica sua Jacobus exercitium promulgavit dicens: infirmatur quis in vobis, cap. ult.*

Quando?

3. Oppositum quidem docent Henriquez, Valentia, Suar. de Rhodes, asserentes tunc Apostolos nondum fuisse Sacerdotes: sed hæc ratio non evertit authoritatem D. Rti: nam sicut Sacramentum baptismi administrant non Sacerdotes, ita ex ordinatione & dispensatione Christi, poterant Sacramentū extremæ unctionis, Apostoli nondū Sacerdotes administrare.

4. Definitur hocce Sacramentum rectè itâ: *est unctio ex oleo olivarum in sensibus moribundi à Sacerdote, sub præscripta verborum forma.* De hac unctione sive Sacramento, sit

SERIES Unica.

SECTIO I.

Quotuplex hujus Sacramenti materia, & quæ forma?

Sacramenti extremæ unctionis materia remota.

1. MAteria remota hujus Sacramenti, est oleum olivæ simpliciter benedictum.

2. Addidi *simpliciter benedictum*, hoc est sine admixtione balsami, per hoc enim differt à chrismate, quòd chrisma sit mixtum ex oleo & balsamo; oleum autem non.

3. Non addidi *ab Episcopo benedictum:* nam licèt id exprimatur in Concil. Florent. in instructione Armenorum, & cõmuniter Theologi omninò id requirant; non tamen omninò id est necessarium, ad rationem & valorem Sacramenti, ut sit immediate ab Episcopo benedictum: cùm oppositum apud Græcos à primordiis Ecclesiæ ortum habeat, approbante Clemente VIII. Ita Cajetanus, Victoria, Sotus, Valentia, Martinon &c. Si possunt potestate delegata Græci, cur non possent & Latini illud benedicere?

4. Si parùm de non benedicto addatur benedicto, major pars consecrati trahit in se minorem partem non consecrati (a); Similiter si major pars non benedicti immittatur, per partes successivè superadditas, materia non redditur insufficiens, sed manet sufficiens, ut tali possit infirmus ungi, respondit Sacra Congregatio 28. Septembris 1680.

(a) Clemens à S. Pontiano.

5. Et quid si quis infirmus ungeretur chrismate? Puto non deesse Sacramentum unctionis; cùm sit valdè parum balsami, non amittitur nomen olei (b): peccaret mortaliter, qui hoc scienter extra casum necessitatis faceret, non tamen propter hoc reiterare deberet sacram unctionem. Ita de Rhodes.

(b) Bonæ Spei, de Rhodes.

6. Notandum, quòd licètsi ex præcepto *cap. Litteris, de Consecr. dist.* 3. debeat administrari hoc Sacramentum in oleo hoc anno benedicto (c), aliàs committitur peccatum mortale, cùm sit transgressio in re gravi; tamen in casu extremæ necessitatis sive periculi mortis, licitum est uti oleô veteri: nam ita declaravit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium, teste Gavanto *in Manual. Episc. verb. Extrema unctio in* 6. Quod etiam dicendum in casu quô non acquireretur oleum novum. Ita Lezana *verb. Extrema unctio num.* 13.

(c) Bonacina.

7.

7. Materia proxima hujus Sacramenti, est ipsa unctio: in omnibus enim Sacramentis, materia proxima est ipsa applicatio materiæ remotæ. Materia proxima.

8. Licetsi à Concilio Florent. septem numerentur unctiones, nimirum unctio oculorum, aurium, narium, oris, manuum, pedum & renum; non tamen omnes sunt de essentia Sacramenti, aut de præcepto: nam juxta Rituale Pii V. in fœminis unctio renum seu lumborum (d), & praxim communem propter honestatem, imo & in Religiosis propter eandem causam, omittitur (e); licèt apud nos oppositum fiat, propter humilitatis exemplum, ùt dicit Pater Lezan. *num.* 9. Imò in sæculari omitti potest, si absque periculo moveri non potest (e). Potest etiam imò debet omitti ex decentia unctio pedum mulieris, docent Rotarius, Stephanus à S. Paulo, Petrus à S. Joseph & alii. Ergò solùm quinque sensoriorum, scilicet aurium, narium, oculorum, oris, manuum, necessitate præcepti extra casum necessitatis necessaria est unctio: patet ex Rituali Mechliniensi à Doctoribus Lovaniensibus approbato.

(d) Bonæ Spei, Rotarius.

(e) Naldus, Lezan. verb. Extrema unctio.

9. In manu carente aut aure &c. pars vicinior ungi debet: & in iis qui à nativitate perpetuò cæci sunt, ungi debet cavitas ubi esse solent oculi (f); neque propterea falsa est forma, *quidquid per visum deliquisti:* quia etsi per actum externum illius sensus peccatum non est, potuit tamen committi peccatũ internum circa illum sensum, v.g. ex desiderio videndi.

(f) de Rhodes.

10. Quando Sacerdos ungitur hac Sacra unctione, non palma ungi debet, cùm jam sit uncta in susceptione Sacerdotii (g), sed infra palmam, aut manûs pars superior ungenda est (g), prout Cæremoniale nostrum habet.

(g) Vivald9, Lezan. Laym. de Rhodes & alii.

11. Utrùm verò ad essentiam Sacramenti sive in casu necessitatis sufficiat unctio in uno sensorio? V.g. si Sacerdos timeat ne à pestifero contrahat contagionem, aut quia infirmus jamjam expirat. Multi negant cum S. Thoma; multi etiam affirmant cum Scoto, Medina, Serario & aliis. Ratio est horum: quia tota anima reperitur in uno sensorio. Ego verò pro tutiori addo conditionem & dico, quòd sufficiat in tali casu unctio sub conditione administrata in uno sensu, v.g. manu aut oculo, aut aure &c. dummodo præfata forma sit virtualiter omnes partiales continens (h): quia hoc ad significationem Sacramenti sufficit, & ab obligatione & consvetudine Ecclesiæ necessitas excusat. Similiter in casu necessitatis gravis, propositæ, non est necesse ungi duos oculos aut duas aures, & sic de cæteris; sed sufficit unctio unius (i).

(h) Naldus, Filliucius, Lezan. nũ. 7.

(i) de Rhodes.

12. Quòd debeant unctiones fieri in modum Crucis, nec est de præcepto, cùm nullibi sit tale de hoc; nec consvetudo Ecclesiæ videtur obligare sub mortali, cùm non videatur cum tanto onere obligare; nec est de essentia Sacramenti talis unctio, aliàs esset præcepta. Quare saltem

 in

in câsu necessitatis excusatur à peccato mortali Sacerdos, si administrat non permodum Crucis. Ita Lezan. *num. 11.*

13. Non tamen est necesse, ut unctio fiat manu Sacerdotis, sed tempore pestis potest fieri virgâ oblonga lignea aut argentea. Ita docent Sylvius, de Rhodes, & NN. Lezana, Bonæ Spei & alii.

14. Dixi *potest:* quia cùm non sit necessarium necessitate medii hoc Sacramentum, omitti potest.

Forma.

15. Forma hujus Sacramenti conveniens, à Florentino plerisque Ritualibus assignata est hæc: *per istam Sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum*, dum visus inungitur; & sic de aliis sensibus dicendum. Forma una virtualiter omnes partiales continens, est hæc: *per hanc sacram unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi DEVS quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum & gressum.* Non tamen omnia verba sunt de essentia hujus formæ: hæc enim *per suam piissimam misericordiam*, & nomina Personarum Sanctissimæ Trinitatis, *in nomine Patris & Filii &c.* non sunt de essentia hujus formæ. Sicut additio ita detractio hujus formæ, vitanda est: nam si in substantiali sit mutatio, forma redditur irrita.

Semper deprecatoria.

16. Hoc certum est apud omnes, quòd hæc forma semper debeat esse deprecatoria: patet ex verbis S. Jacobi, *orent super eum.* Unde si quis mutet formam in absolutam, dicendo v.g. *absolvat DEVS*, irritum erit Sacramentum: si verò locò *indulgeat*, quis dicat *parcat*, *condonet*, *remittat*, vel quid simile deprecatorium, validum erit Sacramentum.

SECTIO II.

Quodnam subjectum sit hujus Sacramenti capax?

1. RESP. Ut validè quis suscipiat hoc Sacramentum, debet esse baptizatus (a), cùm baptismus sit janua Sacramentorum.

(a) Concil. Florent. in instructione Armenorũ.

2. Debet esse adultus, aut talis qui aliquando est usus ratione (a). Unde licèt possit conferri hoc Sacramentum pueris qui sunt capaces Sacramenti pœnitentiæ, licèt nondum sint capaces Sacramenti Eucharistiæ (b), & amentibus qui aliquando sunt usi ratione & Catholico modô vixerunt, dummodo non constet illos quando erant sanæ mentis voluntatem contrariam habuisse; tamen infantibus, pueris, aut perpetuò amentibus qui nunquam usi sunt ratione, negari debet (a): cùm non verificaretur forma, *quidquid deliquisti.*

(b) de Rhodes.

Quibꝰ potest deferri hoc Sacramentum.

3. Tertiò, ut sit in articulo sive periculo mortis constitutus. Ita Florent. (a) D. R. *in 4. dist. 23. art. 5.* Bonæ Spei, Petrus à S. Jos. Decus S. Ordinis Cisterciensis, & alii communiter. 4.

4. Unde illi *qui intraturi sunt justum bellum, vel mare navigaturi, non debent inungi: quia tales licèt sint in periculo mortis secundùm fortunam, non tamen secundùm naturam*, dicit Doct. Resolutus *loc. cit.*

5. Neque iis administrari debet qui ultimo suppliciô mulctandi sunt (c): quia hoc Sacramentum pro infirmis, non pro sanis institutum est: patet ex *Marc.* 6. & verbis Jacobi, *infirmatur quis*.

(c) Concil. Mediol.

6. Dixi *ut sit in articulo sive periculo mortis constitutus*: nam si infirmitate communi & levi ægrotanti conferretur hæc Sacra unctio, Sacramentum non esset validum. Ita Bonæ Spei, Suarez, Granadus, Amicus & alii communiter; quidquid dicat Lessius & Quintana: nam in Concil. Florent. statutum est, *quòd hoc Sacramentum nisi infirmo de cujus morte timetur, dari debet.* Unde si ordinaria partûs molestiâ laboret mulier, non eô ipsô danda est ei extrema unctio (c); Secùs si habeat majus mortis periculum (d). De seniô confectis de quorum subitanea morte timetur, quòd sint planè viribus destituti, vix loqui possunt præ debilitate quæ in eis reperitur, indeque causatur quòd continuò in vita sua in lectione & consideratione librorum se fatigabant, talibus in illa communi infirmitate potest dari extrema unctio (e); cùm senectus ipsa morbus est ad mortem, ùt monet Catechismus Romanus *tit. de Extrema unctione.*

(d) Rubeus, Victorellus.

(e) Bonæ Spei, tract. 6. de Extrema unction. disp. 1. dub. 4.

7. Neque expectandum cum hoc Sacramento donec in infirmo sit absolutè salus desperata, & sensibûs carere incipiat: quia tale tempus expectantes, colligitur ex Catechismo Romano *par.* 2. *cap.* 6. *num.* 9. peccare mortaliter. Ita Petrus à S. Joseph *de Extrema unctione, resol.* 5. Quare ministrari debet si potest adhuc tunc, quandò infirmus usu rationis gaudet, ut se magis ad majorem fructum hujus Sacramenti disponat.

Tempore pestis quando administranda est sacra unctio?

8. Tempore pestis (cùm hæc infirmitas sit fallax & inopinatè accidens) potest dari in principio talis infirmitatis hæc Sacra unctio, docent Lezan. *loc. cit. num.* 6. Suar. 4. *tom. in* 3. *part. disp.* 44. *sect. ult.* in fine, Laym. *lib.* 5. *tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 4. Imò quando probabiliter dubitatur (à fortiori si & à Medico) utrùm sit homo ille peste infectus, tunc propter morbi talis fallaciam potest, sed conditionatè administrari tali hocce Sacramentum. Ita Lezan. *suprà*, Chapeavilla *de Sacram. ministr. tempore pestis, cap.* 5. *quæst.* 11. Naldus & alii.

Conditiones ad licitam susceptionē.

9. Ut autem licitè hoc Sacramentum suscipiatur, requiritur status gratiæ in suscipiente: patet ex antè dictis.

10. Notandùm, quòd in eadem infirmitate prolixa potest homo pluriès inungi, si occurreret pluriès periculum mortis: quia hæc medicina respicit statum infirmitatis & peccata venialia, quæ in longa infirmitate repetuntur. Ita D. R. *suprà art.* 6. quem alii in hoc communiter sequuntur.

Quisnam Minister hujus Sacramenti?

Minister Sacramenti extremæ ūctionis.

1. RESP. & dico: Hoc Sacramentum solus & omnis Sacerdos validè in omni casu, licitè in casu necessitatis; extra eum, nisi sit aut proprius Sacerdos aut delegatus, aut utens privilegiô.

2. Explicatur & probatur. Quòd solus Sacerdos, non Subdiaconus aut Diaconus sit Minister, colligitur ex Trident. *sess.* 14. *can.* 3. & *Jacobi* 5. *inducat Presbyteros.* Quòd omnis Sacerdos etiam excommunicatus, degradatus, validè hoc Sacramentum conferre possit, etiam extra casum necessitatis seu præsentibus aliis, urget paritas de baptismo, Eucharistia &c. Et ratio, eò quòd non administretur permodum judicii, non est opus jurisdictione,

3. Extra casum necessitatis, non potest conferre hoc Sacramentum nisi sit proprius Sacerdos; qualis est respectu Regularium Prælatus eorum, respectu Sæcularium Parochus aut delegatus ab eo, hoc est habens licentiam ab eo, aut utens privilegiô: nam quoad hoc exstant privilegia (a). Alexādri IV. & Sixti IV. pro Carmelitis, Clemētis IV. pro Minoribus, Martini V. pro Benedictinis, Leonis X. pro Minimis, Pii V. pro omnibus; quòd Regulares præfati & cum eis in privilegiis communicantes, possint Sacramentum extremæ unctionis suis familiaribus & Tertiariis sui Ordinis intra septa Monasterii ægrotantibus administrare. Addo *intra septa Monasterii:* quia extat declaratio Sacræ Congregationis apud Barbosam *in Collectan. Bull. verb. Regulares*, Regulares non debere extra Cōventum ministrare Sacramenta suis Tertiariis, præter Sacramentum pœnitentiæ. Ita Lezan. *tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 34. Imò ex privilegiis Sedis Apostolicæ possunt Regulares familiaribus suis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus, hoc Sacramentum licitè administrare. Ita Lez. *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 10. & Miranda *in Manual. tom.* 1. *quæst.* 49. *art.* 1. referens varia privilegia, specialiter Alexandri IV. pro Carmelitis, & Sixti IV. in Bul. *Dum attenta.*

Privilegia Mēdicantiū pro danda extrema unctione.

(a) Apud Rodriquez tom. 2. Quæst. Reg. quæst. 67. art. 1. Lezan. tom. 2. cap. 16. nū. 20. & 22.

4. Seclusa autem necessitate & privilegiô, solus proprius Sacerdos aut ab eo delegatus, potest hoc Sacramentum administrare; cùm ita habeatur in variis Canonibus.

Casus.

5. Utrùm possit Parochus ad hoc Sacramentum administrandum mittere suum Vicarium suspensum, excommunicatum, aut quem scit impiè vivere, & in mortali existere? *Resp.* quoad 1. & 2. negativè: quia sicut excommunicatus vitandus, suspensus, non potest, ille ex se excommunicationem, iste suspensionem deponere, nec habet facultatem pro casu

casu necessitatis dandi extremam unctionem, cùm non sit Sacramentum necessitatis, sicut est Sacramentum pœnitentiæ. Quoad 3. affirmativè, si alius Sacerdos probus haberi, nec Parochus id præstare potest; cùm ille delegatus talis potest, & tenetur se constituere in statu gratiæ, per contritionem (b): Secùs tamen dicendum ob scandalum populi, si præfatus Vicarius esset publicus peccator.

(b) Rotario.

Extra necessitatem, Regularis adminiſtrās utrū incurrat excommunicationem?

6. Utrùm verò Regularis incurrat excommunicationem administrans Sacramentū extremæ unctionis sine licentia Parochi extra casum necessitatis, nō cōveniūt in hoc DD. Lezana & alii cū eo asserūt, quòd incurrat Papalem, propter Clementinam, *Religiosi*. Negant Victoria, Konink, Bonacina & alii apud ipsos.

7. In casu verò necessitatis, quando proprius Sacerdos sive Parochus non est, aut non vult administrare, & adiri non potest Superior, infirmusque ferè exspirat, tunc potest Regularis aut quicumque alius Sacerdos hoc Sacramentum tali infirmo administrare. Ita docent communiter. Ratio est: quia in tali casu & Parochus est irrationabiliter invitus, & censetur haberi piæ Matris Ecclesiæ consensus.

Obligatio Parochi.

8. Parochus tenetur ex justitia hoc Sacramentum subditis suis ministrare sub mortali, nisi periculum vitæ immineat inde Parocho. Ita communiter.

9. Quando jam in agone est constitutus infirmus, omitti & psalmi & orationes præcedentes unctionem, possunt.

Quādo plures simul possunt ungere aut successivè.

10. In casu necessitatis gravis, urgente morte, possunt plures Sacerdotes simul administrare hanc Sanctam unctionem, ita ut unus unum sensum ungat proferendo formam partialem, alter secundum, tertius tertium: colligitur ex *Jacobi* 5. ubi in plurali Sacerdotes dicuntur, *inducat Presbyteros &c.* Et si Sacerdos ungens peracta unctione unica moreretur, secundus posset alias supplere. Ita Bonac. Laym. Lezan. *suprà n.* 9.

Si contingat infirmum mori.

11. Si contingat infirmum mori dum movetur ex præcepto Sacerdotis ad unctionem, non incurrit propterea irregularitatem Sacerdos. Ita Stephanus à S. Paulo *dub.* 4. *num.* 19. Antonius *tract.* 8. *disp.* 1. *sect.* 8. *n.* 59. Lezan. *num.* 19. Ratio est: quia nullibi talis irregularitas exprimitur.

In dubio utrùm vivat quid faciendum?

12. Quid si Sacerdos vocatus ad administrationem hujus Sacramenti, dubitet infirmum jam esse mortuum, quid facere debet? *Resp.* Si probabiliter existimat posse esse vivum, potest sub conditione administrare. Ita sentiunt Homobonus & Rotarius. Si interim exspiret, statim cessare debet.

De obligatione hoc Sacramentum suscipiendi, & effectibus ejus.

Obligatio. 1. DE obligatione pauca dicam, quod communis sententia Theologorum docet, infirmum non obligari sub mortali ad suscipiendam extremam unctionē, nisi se existimet aut non posse sine scandalo gravi susceptionem ejus omittere, aut casus est quòd nullum aliud Sacramentum recipere potest (a); attamen secundùm aliquos videtur mortaliter peccare contra charitatem, sicut & negligentes adductionem Sacerdotis cum oleo sacro ad quos spectat (a): quia licèt hoc Sacramentum non sit necessarium necessitate medii, est tamen valdè utile contra fortiores dæmonum incursus, in momento à quo pendet tota æternitas.

(a) Rotarius.

Effectus. 2. Effectus hujus Sacramenti primarius, est augmentum gratiæ sublativæ venialium, ejusque corroborativæ animæ contra tentationes dæmonum in ultima lucta; sic salus spiritualis. Secundarius effectus, est salus sive sanitas corporis: sic enim dicit Doct. Resolutus, hoc Sacramentum eò quòd remittit venialia, alleviat animam quæ regit corpus, & illam alleviando ab onere venialium, removet molestias corporales, si expedit saluti spirituali, *in 4. dist. 24. art. 4.*

DISTINCTIO IX.

Sub qua Sacramenti Ordinis ordinantur Ideæ, multiq; casus proponuntur & solvuntur.

SERIES I.

De Quidditate Ordinis.

SECTIO I.

Quid Ordo & quotuplex?

Vide nū. 6. 1. R*Esp.* & dico: Ordo de quo hîc, est Sacramentum quô specialis potestas respectivè ad conficiendam Eucharistiam cæteraque Sacramenta, traditur. Ita Bonac. Lezan. Rotar. & alii.

2. Quòd

2. Quòd Ordo de quo hîc, sit verè & propriè unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis Sacramentum, hoc declaratum est in Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 3. & *can.* 3. *Si quis dixerit, Ordinem sive Sacram ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum &c. anathema sit.* Unde

Ordo est verè Sacramē-tum à Christo Domino institutum

3. Tonsura non est Ordo, quia non est Sacramentum, nec per illam confertur potestas ulla; sed solùm est præparatio seu dispositio ad Ordinem (a). Attamen tonsurati, utpote deputati ad Ecclesiam, nomine Clerici veniunt, *cap. Cùm contingat, de Ætat. & qualitat.* (b), gaudentque privilegiô fori, servantes conditiones Concilii Trid. *sess.* 23. *cap.* 6. Ita declaravit Sacra Congregatio 24. Januar. 1631. & 29. Junii 1628. & 2. Augusti 1631. & 18. Martii 1628. apud Barbosam *in Collectan. Bull. verb. Clericus,* & Dian. 5. *part. in Collectan. hujusmodi.*

Tonsura nō est Sacramē-tum.

(a) S. Thō. & alii communiter.

(b) Sylv. verb. Excom. Lezan. verb. Clericus nū. 5.

4. Conditiones autem quas Tridentinum requirit sunt hæ, quòd beneficium Ecclesiasticum habeant, aut Clericalem habitum aut tonsuram deferant, alicuique Ecclesiæ de mandato Episcopi deservientes, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Universitate de licentia Episcopi quasi in via ad Ordines suscipiendos versentur (c). Gaudent etiam privilegiô Canonis, etiamsi habitum Clericalem aut tonsuram non deferant, nec deserviant alicui Ecclesiæ, nec versentur in aliqua Universitate vel schola de licentia Episcopi: quia dicto *cap. Cùm contingat,* hoc conceditur omnibus prædictis; nec est sublatum à Concilio Trident. prout declaravit Sacra Congregatio, afferente Lezan. *loc. cit.* dummodo ab Episcopo ter moniti non sint, ut habitum & tonsuram deferant.

(c) Henriq. Lezan. loc. cit. num. 20.

Privilegium tonsurati.

5. Privilegium autem fori est, quòd gaudentes hocce privilegio conveniri non possunt pro delicto ad forum sæculare: *can. Non placuit* 26. *quæst.* 7. *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de Constit. & cap. Decernimus, de Judiciis.* Quod est intelligendum tam de spiritualibus quàm de temporalibus, dicit Lezan. *loc. cit. num.* 19. quia prædicti textus pluresque alii referendi, universaliter loquuntur. Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 5. *cap.* 12.

Privilegium fori.

Tam in spiritualibus quàm temporalibus.

6. Privilegiū Canonis est, quòd si quis gaudentē eô percutiat suadente diabolo, sit excōmunicat⁹: *cap. Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. ex Innoc. II.

Privilegium Canonis.

7. Insuper tonsurati sunt capaces beneficii, utpote ad Ecclesiam deputati. Rotar. *de Ord. sect.* 1. *num.* 3.

8. Ordo juxta Resolutionem Trident. *sess.* 23. *can.* 2. est septuplex, scilicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Presbyteratus est institutus à Christo Domino *Luc.* 22. quando Christus dixit: *hoc facite in meam commemorationem.* Et in hoc omnes alii, ùti eminentialiter in eo contenti, sunt instituti. Ita docent S. Thom. *in* 4. *sentent. dist.* 24. *quæst.* 2. *art.* 1. & *quæst.* 1. *ad* 2. Doct. Resol. Lezana & alii.

Quotuplex Ordo.

Quando instituti sunt Ordines.

9. Ho-

QuilibetOrdo est verè Sacramentum.

9. Horum, quilibet Ordo est Sacer: quia quilibet est Sacramentum characterem imprimens, & gratiam conferens: colligitur ex Concil. Trident. quod *sess.* 23. *can.* 2. hos omnes numerat inter Ordines, & postea *can.* 3. absolutè dicit, Ordinem esse Sacramentum. Item ex Concil. Flor. in Decreto Eugenii, ubi postquam dixit Ordinem esse Sacramentum, statim ponit exempla de Ordine Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, & addit: *sic de aliis Ordinibus.* Jam verò secundùm omnem Theologiã, Ordo characterem imprimit & gratiam confert in subjecto capaci; ergò si Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, sunt verè Ordines, verè imprimunt characterem (cùm etiam iterari nequeant), & gratiam conferunt; quidquid dicant in oppositum multi, quòd tantùm majores Ordines sint Sacramenta: contra hos sunt Concilia nunc citata, & S. Thom. *in Supplement.* 3. *part. quæst.* 35. *art.* 2. S. Bonav. *in* 4. *dist.* 24. *art.* 2. Lezan. Bonæ Spei & alii plures.

(d) Tridēt. sess. 23. cap. 2. & 3. can. 2. 3. & 4.

Ordines 7. quomodo tot & quomodo unum Sacramentum.

10. Non erunt tamen plura Sacramenta in Ecclesia Catholica, quàm septem: quia licèt quilibet Ordo habeat materiam suam & formam distinctam (d), gratiam conferat, characteremque augeat & perficiat; tamen quia unus alteri subordinatur, & omnes ordinantur ad unum finem, omnes unum Sacramentum completum ratione finis constituunt. Ita Bonac. *de Ord. punct.* 2. *num.* 2. Lezan. *verb. Ordines Sacri num.* 2. Sacramentum Eucharistiæ est verum Sacramentum, & sub speciebus vini est Sacramentum; & tamen sub utraque specie est unum tantùm Sacramentũ: ergò etiam non obest, quòd quilibet Ordo horum sit verè Sacramentum, distinctum ratione materiæ distinctæ, & omnes sint unum Sacramentum ratione ejusdem finis, conficiendi scilicet Corpus & Sanguinem Christi, conferendique alia Sacramenta. Hôc paragraphô sive numerô explicatur insimul ly *respectivè potestas* per hoc, quòd quilibet Ordo respiciat unum eundem finem, & unus magis quàm alter ad eum accedat. Unde

Qui dicuntur Sacri.

11. Primi 4. dicuntur minores, cæteri 3. dicuntur majores: tum quia propinquiores hi sunt ad Sacram Eucharistiam consecrandam, & alia Sacramenta: tum quia corpora eos suscipientium DEO consecrantur per votum castitatis eis annexum, quod non annectitur minoribus: quare dicuntur majores, Sacri; minores, non Sacri. Ita communiter.

12. Utrùm Episcopatus sit Ordo verè? Triplex circa hoc est sententia. Negant Reginaldus *lib.* 3. *tract.* 5. Bonac. *de Sacram. Ord. punct.* 1. *num.* 3. Affirmant Valent. Bonæ Spei, Petrus à S. Joseph. Alii sub distinctione respondent, quòd sit verè Ordo dignitatis & in ordine ad Corpus mysticum; non autem est Ordo prout est Sacramentum in ordine ad Corpus Christi verum. Ita NN. Guido antiquissimus, Doct. Resol. *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. & 2. Eliseus à S. Joan. Bap. & alii. Sed quia hæc quæstio

est

est purè speculativa, remitto cum ea Lectorem ad Theologiam speculativam, reflectens super purè affirmativam sententiam, quòd debeat admittere nonum ordinem Papatum, aut dare disparitatem quare Episcopatus est verè Ordo strictè, & non Papatus.

SECTIO II.

Quæ materia & forma hujus Sacramenti?

1. RESP. & dico: Materia remota hujus Sacramenti ùt sic, est res quæ ab ordinante traditur ordinando; proxima, est traditio ejus rei. Forma verò, sunt verba Episcopi quibûs traditio potestatis exprimitur, dum potestas confertur. Materia & forma Ordinum.

2. In specie verò Sacramenti Ostiariatûs materia remota, sunt cymbalum & claves Ecclesiæ; proxima, horum traditio, ut dignos admittat ad Eucharistiam, indignos excludat. Forma, sunt verba, *Sic agite quasi reddituri DEO rationem pro his rebus, quæ his clavibûs recluduntur.* Ostiariatûs.

3. Lectoratûs materia remota, est codex veteris & novi testamenti; proxima, est traditio ejus, ut in Ecclesia populo eum nudè legat, non interpretando. Forma, *accipite & estote verbi DEI relatores, habituri si fideliter & utiliter impleveritis officium vestrum partem cum iis, qui verbum DEI benè administrant ab initio.* Lectoratûs.

4. Exorcistatûs materia remota, est liber exorcismorum; proxima, est hujus traditio, ut exorcismos legat super energumenos ad fugandos dæmones. Forma, *accipite & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos sive catechumenos.* Exorcistatûs.

5. Acolytatûs materia remota, sunt ampullæ vacuæ, candelabrum cum candela extincta; proxima, est traditio horum, ut vinum cum aqua & lumen ad Sacrificium præparet. Forma, *accipite ceroferarium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in Nomine Domini.* Pro ampullis sive pro urceolis, *accipite urceolos ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in Nomine Domini.* Acolytatûs.

6. Subdiaconatûs remota materia, est calix consecratus (a) vacuus cum patena vacua, & liber Epistolarum; proxima, est traditio horum, ut ea ad altare deferat, & solemniter scilicet cum manipulo Epistolam cantet. Forma, *videte cujusmodi ministerium vobis traditur,* ideo *vos admoneo ut DEO placere possitis:* & ultrà, *accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi in Ecclesia Sancta DEI pro vivis & defunctis, in Nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.* Subdiaconatûs.

(a) Palud. Turrecremata, Octav. num. 730. pag. 227.

7. Diaconatûs materia remota, est impositio manuum Episcopi (b), & liber Evangeliorum; proxima, est traditio hujus, ut solemniter cantet Diaconatûs.

Evangelium. Formâ, sunt verbâ in Pontificali præscripta, quibûs confertur hæc potestas.

(b) Colligitur ex Conc. Carthagin. 4. can. 4.

8. Utrùm impositio manuum sit de essentia hujus Sacramenti? Controvertunt DD. Certum tamen est, quòd sit saltem necessitate præcepti necessaria. Verba enim sunt Gregorii *cap. Presbyter: Presbyter & Diaconus cùm ordinantur, manuum impositionem tactu corporali, ritu (nota) ab Apostolis introducto recipiunt; quod si omissum fuerit, non est aliquatenùs iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos, cautè supplendum quod per errorem extitit prætermissum.*

Sacerdotii.

9. Sacerdotii materia remota est duplex, scilicet calix cum vino & patena superposita cum pane, quorum traditione & formæ prolatione datur potestas in verum Corpus Christi producendum, sub speciebus panis & vini; altera materia, est impositio manuum Episcopi, quâ datur potestas in Corpus Christi mysticum, scilicet in fideles, absolvendi eos à peccatis. Similiter duplex est forma: prima, *accipite potestatem offerendi Sacrificia DEO, Missasq; celebrandi tam pro vivis quàm pro defunctis in Nomine Domini Amen;* secunda, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Ex quibus patet, quòd si Sacerdotium suscipiens post prolationem primæ formæ ex aliqua causa abesset, non recepta secunda potestate, talis etiam in articulo mortis æquè sicut alius non Sacerdos absolvere etiam à veniali nequiret; licèt celebrare Missam posset.

10. Sed quid si ex errore factum esset, quòd in ordinando aliquem in Sacerdotem, vinum non esset in calice quô conferenda esset potestas Missam celebrandi; utrùm taliter ordinatus posset solùm conficere Eucharistiam sub speciebus panis, non verò sub speciebus vini, an sub nulla specie præstare hoc valeret? *Resp.* Multi cum Diana, Filliuc. Bonac. docent, quòd talis posset validè sub utraque specie consecrare. Ratio eorum est: quia potestas consecrandi utramque speciem, non traditur divisim; qui ergò potest unam, potest secundam consecrare. Econtra plures affirmant cum Ledesma (c), sicut panem in patena, ita vinum in calice esse necessarium necessitate Sacramenti: & quia insimul unius formæ prolatione tribuuntur pro una materia, deficiente ergò uno, deficit Sacerdotium; & sic sub nulla specie potest consecrare taliter ordinatus. Quare quia res est dubia, consulendum est, reiterandum esse Sacramentum in tali casu. Ita Villalob. ex DD. Salmātic. Academiæ apud Lezan. *verb. Ordines.*

(c) 3. part. tract. 4. resol. 186.

Episcopatûs.

11. Episcopatûs materia & forma videtur esse triplex: Una, manuum impositio ab Episcopis; forma verò, *accipe Spiritum Sanctum &c.* Altera, impositio libri Evangeliorū super cervicem & scapulas ipsius consecrandi; for-

forma verò, *accipe Evangelium, & vade prædicare populo tibi commisso &c.* Tertia denique ipsa capitis & manuum unctio; forma verò, *ungatur & consecretur caput tuum cœlesti benedictione in Ordine Pontificali;* itemq; *ungantur manus istæ de oleo sanctificato &c.*

12. Pro prima parte videndum est Concil. Antioch. *can.* 10. & 17. & Trident. *sess.* 13. *can.* 4. Pro secunda parte Concil. Carthag. IV. *cap.* 2. ubi sic: *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus &c.* In Pontificali autem Rom. Anno 1595. præscribitur, *ut tres Episcopi ponant &c.* Pro tertia parte habetur probatio: quia ante illam unctionem ac consecrationem dicebatur electus tantùm, posita verò illâ dicitur consecratus, in Pontific. Rom. Comprobatur per hoc, quod Innoc. III. *cap. Cùm venisset, de Sacra unctione* mandat, ut Episcopus Brachan. qui non fuerat inunctus Romæ, inungeretur ab Episcopo Albanensi, duobus adstantibus Episcopis, juxta morem Ecclesiæ Romanæ.

13. Ex his collige officia singulorum. Ostiarii, aperire & claudere Ecclesiam, dignos admittere, indignos ejicere &c. Lectoris, est legere utriusque testamenti Scripturam sacram, docereque Catechumenos rudimenta fidei Christianæ. Exorcistæ, est super energumenos exorcismos legere, manus eis imponere, nomen DEI super eos invocare, dæmones adjurare &c. Acolyti, præparare ampullas cum vino & aqua ad Sacrificium Missæ, cereos accendere & ferre, Subdiacono vinum & aquam porrigere &c. Subdiaconi est, præparare Diacono calicem & patenam cum pane, vinum ei in Sacrificio Missæ porrigere, aquæ guttam & alteram in calicem immittere, Epistolam solemniter id est cum manipulo cantare &c. Diaconi munus est, legere, vel solemniter hoc est cum stola cantare Evangelium, panem & vinum in vasis Sacris Sacerdoti sacrificanti offerre &c. item ex commissione Sacerdotis proprii prædicare & baptizare. Sacerdotis est, conficere Corpus & Sanguinem Christi, absolvere à peccatis habita jurisdictione, baptizare, benedictiones aquæ & aliorum facere, populum doctrinâ & exemplô pascere. Episcopi officium est, confirmare, chrisma benedicere, Ordines Sacros conferre &c.

Officia singulorum.

14. Ex his ac signanter *num.* 13. facilè cujuslibet Ordinis facies definitionem: sic v.g. Ostiariatus, est Sacramentum quô datur potestas aperiendi & claudendi Ecclesiam, dignos admittendi, indignos rejiciendi; Lectoratus, est Sacramentum quô datur potestas legere utriusque &c.

SECTIO III.

Circa contactum materiæ quid dicendum?

1. Dif-

1. DIfficultas est, utrùm sit essentiale ut materia quæ ab Episcopo traditur, tangatur ab eo qui ordinatur: v.g. an sit necesse ut qui ordinatur Sacerdos, tangat calicem & patenam, imò & hostiam patenæ impositam. Negant necessitatem hujus contactus Cajet. Victor. Vasquez; & Henriq. probabile putat. Ratio ipsorum est: quia cum quis donat alteri librum, donatio valida est, etiamsi fiat sine contactu donatarii. Econtra alii, & quidem communiùs & probabiliùs docent, contactum physicum materiæ, omninò essentialem esse. Ratio horum est, quòd ordinans Episcopus dicat *accipe*, & simul tradat tangendum. Antequam ego aliquid in hac difficultate decidam, præmitto 1. non esse necesse ut simul mathematicè cum prolatione verborum, sit contactus materiæ; sufficit ut sit simul moraliter (a). 2. certum esse apud omnes, necessarium non esse tangere ambabus manibûs; sed sat est una manu id facere (b). Hîs præmissis

2. Dico: Licetsi valdè probabile sit, non esse necessarium necessitate Sacramenti tangere immediatè calicem, patenam, & hostiam, nam sicuti sufficit mediante calice vinum, mediante patena hostiam super illam positam, ita sufficit tangere calicem & patenam mediante aliqua re, quæ est immediatè conjuncta cum calice & patena (c); est tamen necessarium necessitate præcepti Ecclesiæ, & tutiùs, ne se periculo exponat non ordinadi, propter magnam probabilitatem sententiæ de nullitate aliàs ordinationis. Et si non potest, saltem calicem & patenam tangere debet. Ita docent Bonac. *de Sacram. Ord. punct.* 3. *num.* 11. Lezan. *loc. cit.* Ratio est Bonacinæ: quia qui tangit continens, moraliter censetur tangere contentum. Licetsi non tangat immediatè vinum, dummodo tangat immediatè calicem, confertur ei Sacerdotium; ergò etiamsi non tangat immediatè hostiam, dummodo tangat patenam, recipit Sacerdotium.

3. Notandum, quòd Episcopus qui profert formam, debeat ipsemet tradere materiam tangendam. Ita Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 42. *sect.* 2. *num.* 12. Bonac. *punct.* 3. *num.* 15. Lezan. *loc. cit. & alii.*

(a) Sotus, Fornar. Lezan. verb. Ordines num. 3.

(b) Sylv. verb. Ordo, Sâch. Henriq.

(c) Lezan. Bonæ Spei.

SERIES II.

Quisnam est Minister hujus Sacramenti?

1. R*Esp.* & dico: Minister ex officio ac ordinarius hujus Sacramenti, est solus Episcopus consecratus, juxta Concilium Constan. *sess.* 8. Florent. in Decreto Eugenii, & Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. & 7. de quo S. Thom. *in* 4. *d.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. Barb. *de Officio & potestate Episcopi allegation.* 3. *num.* 3.

2. Dixi

2. Dixi, *ex officio ac ordinarius:* nàm ex commissione Papæ, potest Sacerdos non Episcopus conferre minores Ordines: nam Cardinales Presbyteri ex consuetudine minores Ordines conferunt (a); & Abbates ex Juris privilegio eadem facultate gaudent: *cap.* enim *Abbates*, *de Privileg. in* 6. conceditur eis potestas conferendi primam tonsuram; *cap.* autem *Quoniam dist.* 69. & *cap. Cùm contingat, de Ætate & qualitate*, conceditur eis facultas conferendi minores: quod totum habetur ex privilegiis ipsorum, de quibus Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 29. Non tamen hoc privilegium extenditur ad Abbates commendatarios, probat Tambur. *de Jure Abbatum tom.* 1. *disp.* 16. *quæst.* 4. & *tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 1.

(a) Petr. à S. Joseph, Steph. à S. Paulo, Bonac. de Ordin. dist. 8. punct. 4. num. 3.

3. Utrùm possint Abbates, extraneis, non suis Religiosis conferre Ordines? Vel quæritur de re quoad esse liciti, vel quoad esse validi? Quoad esse liciti, extra dubium responsio est, quòd nec de consensu Ordinariorum locorum, id licitè præstare queant: decisio enim talis est S. Congreg. facta sub Urbano VIII. prout sequitur: *Die* 23. *Novembr.* 1641. *Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, utraque parte infirmante, ore & scriptis, ac rationibus hinc inde deductis, maturè examinatis, inhærendo decisioni Rotæ Romanæ sub die* 27. *Apr.* 1592. *coram bonæ mem. Cardin. Seraph. de ord. fel. rec. Clementis VIII. factæ, nec non declarationibus ejusdem S. Congregationis dictæ decisioni conformibus subsecutis, censuit improbare opinione contraria, Abbates Regulares Benedictinos ejusdem Congregationis Cassinensis, seu alterius Congregationis vel Ordinis, aut Instituti, habentes etiam jura Episcopalia, seu quasi Episcopalia, usumq; Mitræ, Baculi, & benedicendi, ac facultatem primam tonsuram & minores Ordines conferendi, non posse dictam primam tonsuram, nec alios Ordines minores, nisi suis subditis Regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis vel Instituti, etiamsi habeant litteras dimissorias suorum Regularium, & consensum Ordinariorum, intra quorum Diœcesum fines ipsi Regulares ordinandi existunt; & multò minùs personis Sæcularibus, etiam habentibus litteras dimissorias à suis Ordinariis. Ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis inferioribus, tam Sæcularibus quàm Regularibus, ut in futurum concedere non audeant suprà dictas litteras dimissorias, hujusmodi Abbatibus directas, nec ab istis recipi: quod si secùs fiat, tam concedentes quàm ordinantes à collatione Ordinum suspensi remaneant, præter alias pœnas arbitrio ejusdem Congregationis reservatas. Quam declarationem Sanctissimus D.N. die* 17. *Januarii, Anno* 1642. *ad se relatam approbavit, & inviolabiliter observari jussit.* Vide Martin. de Alcol. Carthus. *de Sacr. Ord. resol.* 20. *p.* 305. Sed potest quæri an sit authentica. Et possunt Abbates ordinantes & Ordinarii locorum à culpa & censura excusari, per

confuetudinem permiffam. Et eft decifio Sacræ Congregationis in hæc verba: *poffunt ipfi Abbates eofdem Ordines conferre aliis Regularibus, qui dimifforias fpeciales fuorũ Superiorũ & fpecialẽ confenfum Epifcopi habuerint* (b). Sed oportet videre quæ declaratio eft pofterior. Quoad effe validi, in fuppofito quòd deeft licentia Ordinarii loci, poteft effe controverfio inter Theologos: validam enim talem ordinationem per Abbates, admittunt Tamburin. *de Jure Ab. q.* 8. & 9. Rodriq. *t.* 1. *Quæft. regul. q.* 18. *a.* 1. Suar. *fuprà dub.* 19. *n.* 17. Sanch. *t.* 1. *Opufc. moral. l.* 7. *c.* 1. *dub.* 19. *n.* 17. licèt fic ordinati fufpenfi remaneant ab exercitio Ordinum fufceptorum, ficut ordinatores ab exercitio Pontificalium. Oppofitum adfert Lezan. ex declaratione Sacræ Congreg. Epifc. & Regular. relata, ubi declaratur quemdam Thomam promotum ab Abbate Corropali, effe malè promotum, & indigere alia promotione. Interim non conftat de Canonica illa declaratione.

(b) Quaranta in Sũmar. Bullar. verb. Ord. Lezana tom. 1. cap. 14. nũ. 13.

Abbates Cifterciénfes poffunt conferre Subdiaconatum & Diaconatũ.

4. Et non tantùm minores Ordines, fed & majores, Subdiaconatum & Diaconatum, Generalis & quatuor Abbates principales, ex privilegio Innoc. VIII. Anno 1489. eis collato, poffunt, Generalis in omnibus fuis Cænobiis, hi folùm in fuis propriis conferre. Hoc privilegiũ refert Rodericus *tom.* 1. *Bullar. Apoftolic.* ubi de Bullis ab Innoc. VIII. editis in favorem Regularium. De hoc fcribit & Pater Lot pro Belgio *tract.* 7. *de Regularibus quæft.* 1. *art.* 3. & *quæft.* 2. *art. unic.* ubi probat hoc privilegium non contravenire Tridentino. De hoc fcribit & N. Pater Bonæ Spei *tract.* 7. *de Sacram. Ordinis difp.* 1. *dub.* 3. *refol.* 2. *num.* 39. & 83. addens, adhuc hodie hocce privilegium effe in vigore.

Imò fimplex Sacerdos quilibet poteft.

5. Plus dicam, quemlibet Sacerdotem fimplicem ex commiffione fummi Pontificis poffe conferre omnes Ordines præter Epifcopatum; quidquid dicant Suar. Covaruv. Henriq. & alii: non video enim rationem, cur Vicarius Chrifti non poffit ordinare, ut Sacerdos communicet alteri quod habet.

6. Quòd autem dicatur, numquam fummum Pontificem commififfe hanc poteftatem fimplici Sacerdoti, adfert Bonæ Spei exempla ex Concil. Antioch. *cap.* 10. Neocæfarien. *can.* 13. & Ancyrano *can.* 13. ubi majores Ordines conferebant plerique non Epifcopi. Dicant alii, quòd illi coadjutores Epifcoporum erant Epifcopi, nam Suffraganei; hi noftræ fententiæ dicunt, quòd non erant Epifcopi: inter affirmantes & negantes res eft. Certum tamen eft, quòd via negativâ non valet argumentum: non eft ita factum; ergo non poteft: multa enim non funt facta, & fieri poffunt. Hujus fententiæ funt Doct. Refol. Lezan. Bonæ Spei & alii. Non poteft autem ex commiffione fummi Pontificis Sacerdos alteri conferre Epifcopatum, aut Diaconus Presbyteratum; cùm nemo dat quod non habet.

SE-

SERIES III.
Quoad subjectum hujus Sacramenti.

SECTIO I.
Quodnam sit ordinationis subjectum capax?

1. R*Esp.* Ut quis sit validæ ordinationis subjectum, seu ut recipiat Ordinem, debet esse mas, isque baptizatus; & si adultus, aliquomodo volens ordinari. Subjectum capax.

2. Explicatur & probatur. *Debet esse mas*, quia hæc est voluntas Christi, qui nullam mulierem ordinavit; sicut dum in Cœna Apostolis dedit potestatem consecrandi, ita post resurrectionem, quando insufflavit in eos & dixit: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* Patet hæc voluntas Christi & ordinatio Apostolica ex S. Scriptura *ad Corinth.* 4. *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse &c. turpe enim est mulierem loqui in Ecclesia:* officiando scilicet, docendo &c. juxta illud 1. *ad Timoth.* 2. *docere mulieri non permitto, nec dominari in virum, sed esse in silentio.* Mas.

3. Quòd autem legantur Presbyterissæ, Diaconissæ, sunt dictæ ab eo quòd essent uxores talium, qui assumpti erant in Presbyteros, Diaconos &c. tenebanturque vivere cum illis tamquam cum sororibus, ùt constat ex variis Conciliis, præsertim Altisiodorensi *can.* 21. & Turonen. sub Pelagio *can.* 13. Aliæ eò quòd assumebantur aliqua ordinatione (sed non Sacramentali) in Diaconissas, ut mulierum necessitatibus prospicerent, easque curarent, ùt colligitur ex Clemente Romano *lib.* 8. *Constit. cap.* 26. & ex variis Conciliis. Unde Solv. object.

4. Hermaphroditus qui habet sexum maris & fœminæ, si in eo prævaleat sexus fœmineus, Ordinem suscipere non valet. Glos. *can. Si testes*, §. *Hermaphroditus* 4. *quæst.* 3. Quia potiùs est hæc, quàm hic; & ùt fœmina, non est susceptivus characteris. Si æquè polleat utroque sexu, etiam non est capax ordinationis (a), quia æquè est fœmina sicut vir: imò quantùm ad Ordines, pro fœmina reputatur, ùt docent Præpos. *can. Si testes* 3. *q.* 4. §. *eodem*, Turrecremata, Sylv. Tabien. Lezan. Bonæ Sp. & alii. Unde talis non susciperet Ordinem. Si verò prævaleat masculinus sexus, tunc quidem ordinari potest, cùm sit masculus, consequenter susceptivus Ordinis; licitè tamen ordinari nequit (a), *dist. Illitteratos* 36. Ratio est: quia valdè est indecens ut talis ad altare celebret. Donat. *tract.* 3. *de Qualit. recipiend. quæst.* 23. Bonac. *de Sacram.* De Hermaphrodito.

(a) Cornexo, Bonac. suprà.

Ord. Lezan. *verb. Irregularitas num.* 13. Maximè si defectus publicus sit, non potest sine dispensatione Papæ talis ordinari; *quam ùt credo numquam concessit*, inquit Lezana *loc. cit.*

Casus. 5. Et si talis susciperet Ordinem, & postmodum fieret mutatio in eo quòd fœmineus prævaleret sexus, non posset validè consecrare, vel absolvere licèt in anima remaneret character Ordinis. Ita Bonæ Sp. *de Sacram. Ord. dub.* 2. *resol.* 6. *pag.* 283. Lugo *Respons. moral. lib.* 1. *disp.* 31. *num.* 3. Datur instantia de mortuo Sacerdote, in quo remanet character Ordinis, tamen validè consecrare nequit, quia juxta ordinariam potentiam DEI debet esse viator; ita etiam in proposito debet esse mas.

6. Quid si fœmina in virum convertatur? (*quem casum contigisse sæpiùs historiæ narrant*, inquit Lezana *loc. cit. num.* 14. Et Tolet. *lib.* 1. *cap.* 63. dicit, *non esse Poëtarum figmentum.* De hoc scribunt etiam Majol. *lib.* 1. *de Irregular. cap.* 16. Marel. Donat. *lib.* 6. *de Mirabilibus* & alii) quæritur, utrùm potest promoveri ad Sacros Ordines? *Resp.* quòd quidem validè possit recipere, cùm reverà sit masculus (a); nullatenùs tamen debet admitti, propter maximam indecentiam, quæ esset, quòd in altari ministret is qui aliquando fuit fœmina. Ita Victorel. Majol. Lezan. *loc. cit. num.* 14.

7. Debet esse baptizatus, cùm hoc *cap. Veniens, de Presbyt. non baptizato*, requiratur pro conditione sine qua non. Ratio est: quia baptismus est janua ad omnia Sacramenta.

8. Dixi *si adultus, debet esse aliquomodo volens ordinari*: quia in adultis ad recipienda Sacramenta requiritur intentio tamquam conditio sine qua non, ùt dixi *de Sacram. in genere*; per alios tamquam causa, quæ ab Ecclesia pro parvulis habetur. *Aliquomodo*, hoc est actualiter vel virtualiter. Unde licèt validè conferrentur parvulo Ordines, & perpetuò amenti; tamen invalidè amenti qui aliquando usus est ratione, & nullô modô priùs expetiit. Ita Lezan. *loc. cit.* Palud. Sylv. Tabien. & Fornar. apud Lez. *ibidem.*

SECTIO II.

Quæ conditiones requiruntur ad licitè conferendos & recipiendos Ordines?

1. Conditio 1. est, ut suscepturus Ordines sive majores sive minores non sit irregularis, cùm irregularitas sit inhabilitas ad Ordines, *cap. Curandum*; non ad esse validi, sed ad esse liciti: talis enim characterem recipit, sed non gratiam; quia recipiendo Ordinem contra-

trav eniendo Ecclesiæ in re gravi, peccat mortaliter, v.g. ſpurius: non tamen per hoc incurrit novam irregularitatem, cùm ea non ſit in jure pro hoc expreſſa. Ita Navar. *in Manual. cap.* 37. *num.* 194. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 9. *quæſt.* 1. *punct.* 2. in fine. Unde non poteſt ordinari ille, in quo def-ctus impedit congruum Ordinum exercitium: ùt ſi eſt carens manu phyſicè (a), vel moraliter, ſi aridam habet, aut ita debilem ut officium exercere non valeat, aut caret pollice aut indice; non tamen ſi deeſt ungula pollicis aut indicis, cùm propterea non reddatur digitus debilis ad opus ſuum: *cap. ult. de Corp. vitiat.* Carens autem alio digitô, non eſt irregularis, *can. Lator diſt.* 55. cùm abſque eo hoſtiam poſſit benè tenere & frangere. Item non eſt ordinandus, qui defectu linguæ, integra verba proferre nequit. Item carens oculô ſiniſtro, aut lumine in eo, aut ita eſt debilis viſu ut litteras non diſcernat cum ocularibus. Item vinum abhorrens, manus habens tremulas, ita ut periculum ſubeat effuſionis Sanguinis in elevando calice. Item dæmoniacus, amens &c.

(a) Cap. Expoſuiſti, de Corpore vitiato.

2. Item ordinari non poteſt talis, in quo reperitur defectus gignens notabilem deformitatem, vel horrorem: ſic deformiter parvus, aut in oculo inſignem maculam habens, ùt blæſus, vel in oculo ſiniſtro qui dicitur oculus Canonis, potentia viſiva eſt impedita. Ita Stylus Curiæ, quia deforme eſſet totum caput convertere ad legendum. Item carens auribûs, nasô aut parte ejus, morbô gallico laborans externè patens, leproſus, notabiliter gibboſus &c. Ita colligitur ex *can. tit. de Corpore vitiato, & de Clerico ægrotante.* Unde

3. Quando vitia hujuſmodi ſunt occulta, quia non eſt deformitas, nec ſcandalum, nec debilitas, nulla inducitur irregularitas. Unde qui in pede caret pollice, aut digitos pedum habet deformes, quia hoc vitium non adfert inhabilitatem, talis non impeditur ab Ordine. Nec etiam cui virilia deſunt, ſive quia in cunabulis ſectus eſt, *cap.* 3. *de Corp. vitiat.* ſive quia ob infirmitatem à Medicis abſciſſa ſunt, *cap.* 5. *eodem titulo* & *can. Si quis per ægritudinem diſt.* 55. etiamſi ipſemet ſibi ea propter ægritudinem abſciderit, ùt dicit Innoc. *cap. Significavit, de Corp. vitiat.* vel in perſecutione cæſa ſunt, *can. Eunuchi diſt.* 55. irregularis non eſt: quia nulla exterior deformitas, nulla inhabilitas ad altaris myſterium. Secùs ſi ex culpa propria quodcumque membrum etiam non impediens uſum Ordinis, nec adferat notabilem deformitatem, abſciſſum ſit: *cap. Maritum diſt.* 33. Ugolin. Molin. Navar. Bonac.

4. Notandum, quòd non ſit opus eum cui teſtes aut virilia ſunt abſciſſa in pulverem reducta aut ſicca, ſecum portare, ùt multi vulgares putant. Ita Gloſ. in *can. Eunuchus diſt.* 55. & Anchar. *cap* 3. *de Corp. vitiat.* ex Joan. Andr. Covar. Bonac. Tolet. & alii. Ratio eſt: cùm nullo jure hoc probetur.

 5. Se-

Ut fit confirmatus.

5. Secunda conditio eft, ut fit primò confirmatus: nam in Trident. prohibentur initiari tonfurâ, qui Sacramentum confirmationis non fufceperunt; & nifi ignorantia aut inadvertentia excufet, peccat talis fecundùm Bonac. mortaliter, fecundùm Sot. Konink venialiter. Non tamen pro hoc incurrit irregularitatem, cùm nullo textu probetur. Ita Sot. *in* 4. *dift.* 24. *quæft.* 1. *art.* 4. *difp.* 9. *dub.* 3. *fect.* 1.

Ne fit excō-municatus, fufpenfus, interdictus.

6. Conditio tertia eft, ne fit irretitus aliqua cenfurâ Ecclefiaftica, præfertim excommunicatione: Nam licèt fecundùm probabiliorem fententiam (b), in majori excommunicatione recipiens Ordinem non incurrat irregularitatem, cùm talis expreffa non fit in jure; tamen fecundùm omnium fententiam etiam in minori excommunicatione eum recipiens, peccat mortaliter. Ita Navar. in *Manual. cap.* 27. *num.* 241. & Tolet. *in Summ. lib.* 1. *cap.* 72. Lezan. *loc. cit. num.* 47. Ratio eft: quia excommunicatio etiam minor, privat fufceptione Sacramentorum. Idem dicendum de fufpenfo & interdicto; cùm ille à tali Ordine & aliis fufpenditur, hic interdicitur.

(b) Hurtad. Dian. Lezan. verb. Irreg. num. 47.

Ut habeat titulum.

7. Conditio quarta eft, ut ordinandus habeat titulum ordinandi ab Ecclefia requifitum *cap. Non licet.* Recipiens Ordines facros cum ficto titulo, fufpenditur ab executione Ordinum, *cap. Sanctorum dift.* 7. quod idē eft renovatū in Concil. Trid. *feff.* 21. *cap.* 2. Vide *de Cenfur. d.* 3. *fer.* 3. §. 4. *n.* 2.

Titulus triplex.

8. Titulus autem dictus, eft triplex: beneficii, patrimonii, & paupertatis. Beneficii, fi quis beneficium Ecclefiafticum perpetuum ad fuftentatonem pingue fatìs, legitimè & pacificè poffideat. Patrimonii verò five penfionis, fi quis verè non fictè poffideat patrimonium, ad honeftam fuftentationem fufficiens. Paupertatis titulus, eft profeffionis: profeffus ad Ordines admittitur, quia ipfum alere tenetur Religio.

Abfq; titulo minores fufcipi pofsūt.

9. Ad hæc animadverte 1. eum qui abfque titulo fufcipit minores Ordines, non incurrere pœnam fufpenfionis: quia Concilium Trid. *feff.* 21. *can.* 2. Pius V. & Sixtus V. folùm de Sacris loquuntur: & ita ufu praxique receptum eft, quòd titulus ad minores Ordines non requiratur. Ita Ledefm. *quæft.* 6. *num.* 4. Ugolin. *de Irregularitate cap.* 61. *num.* 2. Bonac. *de Sacram. Ord. difp. ult. quæft. unica, punct.* 5. *num.* 27. 2. aliquem ordinari quia habet divitem Parentem non poffe: quia Concil. Trid. *loc. cit.* non vult aliquem ordinari, nifi actu habeat titulum beneficii aut penfionis. Ita Garzia & Bonac. *loc. cit.* 3. quòd licetfi fecundùm probabilem fententiam non incurrat pœnam fufpenfionis, quia actu habet beneficium, quàmvis nondum accepit poffeffionem; incurrit tamen, qui folùm coadjutoriam perpetuam habet cum futura fucceffione. Ita Salcedo, Bonac. & alii apud ipfum *fuprà.* Ratio primi eft: quia licèt Tridentinum velit non admitti ad Ordines ante pacificam poffeffionem, non

impo-

imponit tamen ullam pœnam tali aliter recipienti; neque Canones antiqui. Ita citati. Ratio secundi est: quia nondum habet beneficium. Secùs tamen est, si in ea coadjutoria sit assignata quantitas perpetua sufficiens ad sustentationem; tunc ordinatur ad titulum pensionis. Ita Ledesm. Garz. & alii apud Bonac. *suprà*. Plura quoad titulum vide apud Bonac. *loc. cit.*

10. Quinta conditio est, ut primam tonsuram priùs quàm minores Ordines recipiat; licèt susceptio per saltum valeat. Ita Tolet. *lib.* 1. *cap.* 71. Bonac. Bonæ Sp. & alii. Nec incurrit irregularitatem, priùs minores recipiens; cùm non dicatur ordinari per saltum, quandoquidem tonsura non sit Ordo, sed dispositio ad Ordines.

Ut primam tonsuram ante minores recipiat.

11. Sexta conditio est, legitima ætas: nam licèt ad primam tonsuram & Ordines tres minores nulla certa ætas præscribatur; nemo tamen ante septem annos licitè tonsurari, ordinari potest. Ad Acolytatum requiritur completus 12. (c); ad Subdiaconatum 22. inchoatus; ad Diaconatum 23. inchoatus; ad Presbyteratum 25. inchoatus (d), etiamsi media die inchoati sint. Quarant. *verb. Ordo*, de Rhod. *de Sacram. Ord.* Bonac. *loc. cit.* Ad Episcopatum requiruntur anni 30. completi, *cap. Cùm cunctis, de Electione.*

Legitima ætas.

(c) Can. In singulis dist. 77.

(d) Concil. Trid. sess. 23. can. 12.

12. Nec Regulares vi privilegiorum possunt in minori ætate promoveri ad Ordines: nam illa quoad hoc sunt revocata in Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 12. sic enim ibi habetur: *Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti examine Episcopi ordinentur, privilegiis quibuscumq; quoad hoc penitùs exclusis.* Nec juvat privilegium Gregor. XIV. post Trident. concessum Clericis ministrantibus infirmis: quia illud Clemens VIII. in Bul. *Romanum Pontificem* moderans, quamdam Constitutionem Sixti V. reduxit ad terminos Concil. Tridentini.

13. Qui ante præscriptam ætatem Ordines absque dispensatione suscipit, Ordinem & characterem quidem recipit, non executionem; sed ipso jure suspensus est, *cap.* 1. *dist.* 50. & *cap. ult. de Tempore ordinand.* & manet suspensus usque ad legitimam ætatem, qua superveniente, cessat: *cap. Vel non est compos, de Tempor. ordinand.* Unde dupliciter tollitur hæc suspensio, nempe superveniente ætate, aut dispensatione Papæ, non Episcopi, ùt colligitur ex *cap. Nullus, de Tempor. ordinand. in* 6. (e). Imò si Sacrum Ordinem scienter conferat Episcopus alicui ante legitimam ætatem, à collatione Ordinum est suspendendus, *cap. Vel non est compos;* non ipso jure suspensus. Ita ex eo *cap.* colligunt Anton. Butrius & Tolet. *loc. cit.* Et si non habens legitimam ætatem illum Ordinem exerceat in dicta suspensione, fit irregularis irregularitate Papæ reservata, ùt passim omnes ita (f) docent, ex Extravag. *Cum ex Sacrorum*

Secùs qualis pœna.

(e) Tolet. lib. 1. cap. 61. Navar. Lezan. verb. Irreg.

(f) Bonæ Sp.

Pii

Pii II. Quare talis non potest supervenïente ætate exercere susceptum Ordinem, donec absolvatur à suspensione & irregularitate. Ita Lezan. *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 2. Tolet. *loc. cit.* Notandum tamen, si ministrare præsumpserit: nam in dicto *cap. Extravag.* Pii II. ita dicitur, ùt videbimus *infrà*: quare si non præsumpserit, sed ob ignorantiam hoc fecerit, non incurrit irregularitatem.

14. Quæritur, quando ordinatur ante ætatem legitimam quis, incurrens suspensionem ipso jure, & exercendo irregularitatem, utrùm statim tunc cum Episcopo celebrans incurrat? *Resp.* quòd non: quia praxis Cancellariæ illum non reputat irregularem. Ita Lezan. *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 8. Suar. *de Censur. disp.* 31. *sect.* 1. Quarant. *in Sum. verb. Ordo*, Cornex. *disp.* 4. *de Suspens. dub.* 2. contra Navar. *in Consil. de Cleric. excom. ministri.* Utrùm bona fides excuset suscipientem? Patebit *infrà num.* 32. quòd non.

Ut polleat scientia sufficienti.

15. Septima conditio est, scientia sufficiens ad usum uniuscujusque Ordinis. Trident. *sess.* 26. *cap.* 2. v.g. ut ad primam tonsuram ordinandi, sciant rudimenta fidei, scribere & legere; ad minores, ut insuper sciant aliquomodo latinè loqui; ad Subdiaconatum & Diaconatum, præterea etiam ea quæ ad hos Ordines spectant; ad Sacerdotium, ea maximè quæ Eucharistiam & Missæ Sacrificium concernunt, tam ea quoad materiam, formam, quàm ea quæ quoad defectus irrepere possunt; & insuper ut possint populum ad fidem necessaria docere, ritèque Sacramenta Eucharistiæ, extremæ unctionis administrare: colligitur ex Trident. *sess.* 23. *can.* 14.

Ut ordinetur à proprio Episcopo. Trid. sess. 23. c. 8.

16. Octava conditio est, ut ordinetur à proprio Episcopo: quia hoc statutum est in Concil. Nicæn. *can.* 17. Trident. *sess.* 7. *cap.* 8. *de Reformatione*, & multoties à Sacra Congregatione decisum.

Quis proprius Episc. Sæcularium.

17. Proprius Episcopus censetur, qui est Episcopus originis vel domicilii, vel beneficii Ecclesiastici, juxta *cap. Nullus, de Tempore ordinat. in* 6. Originis est, in cujus Episcopatu tamquam in loco domicilii ordinandus, aut parens ejus natus est. Ita Barb. Bonæ Sp. Dian. Dico *in loco domicilii*: nam non sufficit ut natus sit alicubi fortuitò, dum v.g. Mater transit, aut ibi causa negotii peragendi manet. Ita communiter DD. cum Bonac. *loc. cit.* docent. Episcopus domicilii, aliter dicendo est Episcopus loci, in quo ordinandus habitat, vel incipit habitare cum animo perpetuò habitandi. Unde Studiosi qui in Universitate cum animo redeundi (etiam ultra decennium) habitant, ordinari non possunt ab illius Diœcesis Episcopo. Dian. *part.* 8. *tract.* 2. *resol.* 15. & 17. Episcopus beneficii Ecclesiastici, est Episcopus loci in quo quis habet beneficium, præsertim residentiale, quàmvis tenue, & licèt non resideat ex dispen-

dispensatione. Ita Henriq. *lib.* 10. *cap.* 23. *num.* 3. Vasq. 3. *part. disp.* 243. *num.* 56. Unde

18. Collige 1. qui in una Diœcesi est natus, in altera habet domicilium, in tertia beneficium, à quovis trium istorum Episcoporum potest ordinari, vel dimissorias accipere. Ita Præpos. *quæst.* 1. *dist.* 14. Laym. *lib.* 5. *tom.* 9. *cap.* 9. Dian. *part.* 8. *tract.* 2. *resol.* 8. 9. Imò ab uno unum, ab altero alterum accipere potest Ordinem. Ita Aversa. 2. qui habet duo domicilia, in uno Episcopatu unum, in altero alterum, in quibus aliqualiter æqualiter habitat, potest ab illo vel hoc recipere Ordinem. Ita Præpos. *loc. cit.* Sanch. Avers. & Dian. *part.* 8. *tract.* 2. *resol.* 14. Ejus tamen filius, ab illo tantùm in ea Diœcesi in qua natus est in domo domicilii; & si fortuitò extra utramque Diœcesim, potest ordinari ab alterutro horum, cùm non sit potior ratio pro uno quàm de altero. Ita Præpos. Dian. *loc. cit.* Natus verò ex fornicatione, Matris potiùs quàm Patris domicilium sequitur. Præpos. Dian. *loc. cit. resol.* 18.

19. Ab alio autem quocumque Episcopo, secluso speciali Papali privilegiô, sine consensu proprii Episcopi ordinari non potest: nam in Concil. Trid. *sess.* 6. *can.* 5. sic statutum est, quòd *nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii* (subintellige ante Concil. Trident. lati) *prætextu pontificalia in alterius Diœcesi exercere nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantùm; si secùs factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.* Mirand. *in Manual. tom.* 1. *quæst.* 38. *art.* 3. Et de Abbatibus *sess.* 23. Concil. Trid. *cap.* 10. habetur: *Abbatibus ac aliis quibuscumq; quantùmvis exemptis, non liceat imposterum intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam qui Regularis subditus sibi non sit tonsuram vel minores Ordines conferre.*

20. *Potest tamen Episcopus familiarem suum non subditum ordinare, qui per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacumq; fraude cessante statim reipsa illi conferat.* Ita Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 9. Secùs dicendum de Familiari qui non assistit Episcopo circa ipsius obsequia, sed à longè. Ita Bonac. Episcopus familiarem non subditū ordinare potest.

21. Conditio nona est, ut ordinandus Sæcularis, habeat *ad minores à Parocho & Magistro Scholæ; ad singulos verò majores, de moribus & vita à fide dignis litteras testimoniales.* Ita Trid. *sess.* 23. *cap.* 5. Hoc caput loquitur de Sæcularibus, non de Regularibus: patet legenti. Ut habeat recommendationem.

22. Quando quis ordinatur ab alio Episcopo, debet habere litteras dimissorias ac recommendatitias. Has nequeunt Sæcularibus *Abbates & alii exempti, aut Collegia vel Capitula quæcumq; etiam Ecclesiarum Cathedralium concedere;* sed hoc pertinet ad Episcopum proprium, Trident.

 sess.

seß. 23. *cap.* 10. In absentiâ tamen ejus potest dare Vicarius ejus, docet Bonac. *hîc de Ordine.* Secùs autem dicendum de Regularibus: patet ex declaratione Sacræ Congregationis data 16. Martii 1596. ubi de mandato Clementis VIII. *Sacra Congregatio censuit, Superiores Regulares posse suo subdito item Regulari qui præditus qualitatibùs requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere.* Prælati qui dimissorias litteras subditis Regularibus concedere possunt, sunt Abbates pro suis, Generales pro tota Religione, Provinciales pro tota Provincia, Priores, Guardiani, pro suis Conventibus: hi enim nomine Ordinarii veniunt ex declaratione Sacræ Congregationis, ùt referunt Navar. *lib.* 2. *Consilior. consil.* 22. & 23. Henriq. *lib.* 7. *de Indul. cap.* 26.

Regularis sine testimonio ordinatus ab alio Episcopo, non incurrit suspensionem.

23. Notandum, quòd licetsi Sæcularis recipiens Ordines ab alio Episcopo sine testimonio probitatis & morum, *sit à susceptorum executione quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire suspensus, & ordinans à collatione Ordinum per annum,* quia ita est ordinatum in Concil. Trident. *seß.* 23. *cap.* 8. non tamen Religiosus privilegiatus sine testimonialibus ordinatus, aut eum ordinans hanc pœnam incurrit: quia præfatum caput Tridentini non habet nomen Religiosi; & oppositum est in praxi. Et meritò, quia ab Abbatibus, Provincialibus, non conceditur licentia promovendi, quin priùs habeatur testimonium de vita & moribus, prout & in nostris Statutis ab Urbano VIII. approbatis habetur *part.* 1. *cap.*6. *num.* 10. *Provincialis non promoveat ad Ordines Sacros, nisi quos competenti pietate ac doctrinâ præditos repererit, post examen diligens, habitoq; priùs à Sacerdotibus Conventûs testimoniô de vita & moribus, doctrina & capacitate sufficienti idq; sub pœna graviori. Curabitq; quantùm commoditas Provinciæ patietur, ut non promoveantur ad Ordines Sacros, nisi post perfecta Studia saltem Philosophiæ.*

Objectio solvitur.

24. Nec obest quòd in præfato *cap.* Trident. dicatur, *etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu:* quia etiam non Religiosi, Sæculares, reperiuntur privilegiati in variis Congregationibus.

25. Eô ipsô quòd Prælatus Prior aut alius petat Episcopum ut ordinet ejus Regularem inferiorem, recommendat ipsum, dat testimonium de vita & moribus; cùm nisi probum vî Statutorum promoveat.

Ut ordinetur præscripto tempore.

26. Conditio decima est, ut præscripto tempore ab Ecclesia, & servatis interstitiîs ordinentur. Quoad tempus, prima tonsura potest conferri quolibet die: constat ex consuetudine Ecclesiæ. Bonac. Lezana. Ordines verò tam minores quàm majores, in Sabbatis quatuor temporum, ante Dominicam Passionis, & in Sabbato Sancto tempore Missæ, *cap.* 3. *de Tempore ordinat.* Minores insuper diebûs Dominicis & festivis, *eodem cap.* quæ festa debent esse de præcepto, docent Barbosa *de Offic. &*

pote-

potestate Episc. part. 2. allegat. 11. *num.* 25. & alii: & sufficit ut solemnitas talis sit in Religione aut Monasterio, licèt non apud alios. Ita Henriq. *in Summ. lib.* 9. *cap.* 28. §. 1. Barbosa, Tambur. Quoad interstitia, in Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 11. sic habetur: *Minores Ordines iis qui saltem Latinam linguam per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur conferantur. Hi verò nisi post annum à susceptione postremi gradûs minorum Ordinum ad Sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judiciô Episcopi, aliud exposcat.* Item *cap.* 13. *promoti ad Sacrum Subdiaconatûs Ordinem, nisi per annum saltem in eo versati, ad ulteriorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittat. Duo Sacri Ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur, privilegiîs ac indultîs quibusvis concessis, non obstantibus quibuscumque.* — Interstitia.

27. Ad hæc animadvertenda 1. licètsi gravissimi DD. Butrius & Panormitanus doceant, inter primam tonsuram & minores Ordines debere interstitium saltem unius diei servari; non requiritur tamen & tale: tum propter consuetudinem oppositam; tum quia nulla lex etiam exigit. Ita Lezan. Thesaurus & alii *verb. Interstitia.* Inter minores verò talia assignantur interstitia servanda, ut diversis temporibûs anni dentur, nisi aliud expedire magis Episcopo videatur. Inter Subdiaconatum & Diaconatum &c. jam dixi *num. præceden.* — Qualia.

28. Secundò, interstitia computanda esse, non mathematicè, ita ut exactè menses, hebdomadæ, & dies omnes intra tempus assignatum intrent; sed moraliter, & juxta ritum Ecclesiæ, videlicet ab una quadragesima ad aliam, à Pentecoste ad Pentecosten &c. quàmvis non sint elapsi duodecim menses. Ita declaratum esse à Sixto V. asserit Fornar. *c.* 3. *num.* 4. & ex Cardinal. Congreg. *sess.* 23. *cap.* 11. Barbosa. — Quomodo computãda.

29. Tertiò, quòd secluso speciali privilegiô extra tempora nequeant Episcopi conferre Ordines majores, non obstante consuetudine, declaravit Alexander III. Anno 1165. rescribens Episcopo Herfordensi, his verbîs: *Sanè super eo* (g), *quod moris esse dixisti, in Ecclesiis quibusdam Scotiæ & Valliæ in dedicationibus Ecclesiarum extra jejunia quatuor temporum Clericos ad Sacros Ordines promovere. Significamus, quòd consuetudo illa (utpote institutioni Ecclesiæ inimica) est penitùs improbanda, & nisi multitudo & antiqua consuetudo terræ esset, taliter ordinati non deberent permitti in susceptis Ordinibus ministrare: nam apud Nos sic ordinati deponerentur, & ordinantes privarentur authoritate ordinandi.* Et Anno 1168. sic eidem scribit: *De eo autem quod quæsivisti, an liceat extra jejunia quatuor temporum aliquos in Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolytos, aut etiam Subdiaconos promovere? Taliter respondemus: quòd licitum est Episcopis, Dominicis & aliis festivis diebûs ad duos minores promovere, sed ad Subdiaconatũ (nisi in quatuor temporibus*

(g) part. 26. cap. 23. & cap. 3. tit. in 1. Comp.

aut Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Passione) nulli Episcoporum præterquam Romano Pontifici licet aliquos ordinare. Ita in Corpore Juris Canonici Decretal. Greg. IX. *lib.* 1. *titulô* 10. & 11. *de Temporibus ordinand. pag.* 34. & 35.

30. Quàmvis possit Episcopus dispensare in interstitiis, & conferre una die omnes minores, imò & Subdiaconatum, tum propter consuetudinem, tum quia nulla lex hoc prohibet ipsi; non potest tamen eadem die aut duobus continuato jejuniô eidem duos Sacros Ordines conferre: quia hoc & Trident. ùt vidimus, & Innoc. III. vetat, ita scribens Mutinensi Episcopo (h): *Litteras vestras recepimus, super ordinata ordinatione Smolensis Electi, quem Bononiensis Episcopus præcedenti Sabbatô in Diaconum, & sequenti die Dominico (continuato jejuniô) in Presbyterum ordinavit. In quo quantùm uterq; deliquerit, evidenter intelligit qui prudenter attendit; si enim utrumq; Ordinem eodem die conferre illi non licuit, pari non licuit ratione unum Ordinem uno die & alium altero (jejuniô continuato) conferri &c. Præfatum itaq; Bononiensem Episcopum (ut puniatur in quo deliquit) à collatione Ordinum Diaconii scilicet & Presbyterii, alterum verò ab executione officii Sacerdotalis, tamdiu volumus suspensos, donec de illis aliter disponamus.* In Corp. Juris Canonici *loc. cit. pag.* 36. Unde debent aliquot dies saltem duo aut tres intervenire.

(h) cap. 5. cod. tit. in 1. Comp.

31. Notandum, quòd Sede vacante Capitulum sive Vicarius nequeat in interstitiis dispensare: nam hoc declaravit Sacra Congregatio, quam declarationem adfert Quarant. *in Summ. verb. Capitulum Sede vacante, quæst.* 10. §. *Et refertur*, Barbosa *verb. Interstitia.*

32. Notandum etiam, quòd qui ab alio Episcopo sine licentia proprii, aut extra tempora, aut absque dimissoriis, vel cum falsis litteris suscipit Ordinem Sacrum, ipsô factô incurrit suspensionem; quidquid dicant Suar. Bonac. Dian. & alii: nam ita habetur in Extravag. Pii II. Et si in præfata suspensione præsumpserit Ordinem susceptum exercere, eô ipsô irregularitatem incurrit. Ad quod iterùm reflectere oportet, quòd suscipientem bona fides aut ignorantia non excuset (i); quidquid dicant Tolet. Navar. & alii: quia dicta Extravagans non utitur verbô *præsumere*, ùt illi adducunt, sed ita dicit: *qui absq; dispensatione Canonica aut legitima licentia, sive extra tempora Jure statuta, vel absq; dimissoriis litteris ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerit promoveri.* Similiter habetur in Bulla Sixti V. quæ incipit *Sanctum & salutare.* E contra exercentem Ordinem ita susceptum, bona fides aut ignorantia excusat ab irregularitate: quia sic habetur ibi: *& si hujusmodi suspensione durante in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eô ipsô irregularitatem incurrant.* Et quia dicta Extravagans exprimit Ordines Sacros, suscipiens Ordines minores

(i) Lezan. tom. 1. cap. 14. nũ. 3. & 4.

Non suscipientem, sed exercentem Ordinem, bona fides excusat.

etiam

etiam ſcienter & ex præſumptione, non incurrit ipſô factô ſuſpenſionē (i), cùm in pœnalitatibus non ſit facienda extenſio; peccat tamen mortaliter: quia in re gravi contra Canones & contra debitam juriſdictionem Epiſcopi facit. Quare docent Suar. *de Cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 8. Bonac. *de Sacram. diſp.* 8. *quæſt. unic. punct.* 5. *num.* 13. Octav. *num.* 734. non poſſe licitè in tali Ordine miniſtrare, niſi priùs proprius Epiſcopus ordinationem ratam habeat, & facultatem concedat.

33. Quæritur, quisnam ſit Religioſorum proprius Epiſcopus, & utrùm poſſint extra tempora non ſervatiſque interſtitiîs ordinari? Præmitto aliqua de quibus dubium eſſe non poteſt. 1. quòd jure communi Regularium proprius Epiſcopus ſit Epiſcopus Diœceſanus. Ita enim in ſuprà citata Declaratione *num.* 22. habetur: *de Mandato S. D. N. Clementis Divina Providentiâ Papæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus & ſingulis quorumcumq; Regularium Superioribus, ut de cætero obſervent & obſervari faciant ea quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concil. Trid. continentur, cujus tenor eſt talis: Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo Subdito item Regulari qui præditus qualitatibûs requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere; ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii in cujus familia ab iis ad quos pertinet iis Regularibus poſitus fuerit.* 2. *Si Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, vel Sedes Epiſcopalis vacaverit* (ùt adjungunt Peirinis *tom.* 1. *de Privil. Minim. circa Conſt.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *num.* 33. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 12. & alii) *ad quemcunq; alium Epiſcopum mitti poteſt cum dimiſſorialibus, dummodo ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quô Epiſcopus Diœceſanus vel abſuturus, vel nullas habiturus ordinationes eſſet.* 3. *Verùm cùm à Superioribus Regularibus Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis ùtique hujuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo habendarum, exprimendam eſſe. Quod ſi non fecerint, officii & dignitatis ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ & paſſivæ privationis, ac alias arbitriô S. D. N. Papæ reſervatas pœnas incurrent. In quorum &c. Datum Romæ die* 16. *Martii Anno* 1596. Hoc Decretum referunt Lezan. *verb. Dimiſſoriæ num.* 5. Barboſ. Campanink, Novarius apud eum *ibidem.* 4. præmitto, Epiſcopum ordinaturum, cum ordinandis Regularibus poſſe in interſtitiis diſpenſare: nam ſic declaravit Sacra Congregatio his verbis: *dicti Prælati cùm mittunt ſuos ſubditos ad Ordines ſuſcipiendos, & expedire judicaverint ac neceſſe habuerint ut cum eis in interſtitiis diſpenſetur, in prædictis litteris dimiſſoriis humiliter debent exorare Epiſcopos, ut id faciant.* Hanc declarationem adferunt Paſſarel. *in Compendio privil. fol.* 223. Mirand. *in Manual. tom.* 1. *quæſt.* 38. *art.* 7. Quando autem Abbates Regulares ordi-

Quis proprius Epiſcopus Regular. jure cõmuni.

Quando jure communi à quocumq; Epiſcopo poſſunt Regulares ordinari.

ordinant suos subditos in minoribus, ad illos spectat dispensare in interstitiis; eò quòd accessorium sequitur naturam principalis. Ita Mirand. *in Manual. tom. 1. quæst.* 38. *a.* 7. Sorb. *verb. Ordines Sacri* §. *Quando verò.*

34. Hîs de jure communi præmissis, præmitto adhuc de jure speciali hoc de quo dubium non est, quòd Patres Societatis ob speciale privilegium à Greg. XIII. eis concessum per Bullam quæ incipit *Pium & utile*, possint à quocumque Episcopo & alio Antistite, etiam extra tempora, & festis diebûs continuis, ad Sacros Ordines etiam ad Presbyteratum promoveri: nam sic statuitur in præfata Bulla: *Omnibus Episcopis & aliis Antistitibus præsentibus & futuris, in perpetuum præcipimus atque interdicimus, ne ab hujusmodi promovendis qui licentiam à Præposito Generali dictæ Societatis pro tempore existente vel ab eo delegatis habuerint quidquam prædictorum* (quæ nimirùm pro Ordinibus suscipiendis vî Concilii Tridentini exiguntur) *requirant vel exigant; sed illos etiam absq; ulla functione, in Ordinibus ipsis, interstitiorumq; ad illos suscipiendos observatione &c. ac etiam extra tempora à Jure statuta, tribusq; Dominicis vel aliis festis diebûs etiam continuis, ad Sacros etiam Presbyteratûs Ordines promoveant &c. Non obstantibus Apostolicis cæterisq; contrariis quibuscumque.* Hujus quidem privilegii prohibetur communicatio per sequentia: *Præsentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiosè participant, participareq; poterunt quomodolibet in futurum, fieri omninò prohibemus.* Attamen non obstante hac clausula & prohibitione,

Mendicãtes & Cisterciẽses possunt à quocunq; Episc. etiã extra temp. & non serv. interst. ordinari.

35. Dico: His temporibûs Mendicantes & Cistercienses, aliosque Regulares cum illis & his communicantes, posse à quocumque Episcopo, etiam extra tempora & non servatis interstitiîs, de jure speciali sive vî privilegiorum ordinari. Ita docent Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *de Legibus cap.* 18. *num.* 18. Portel. *de Dub. Regular. verb. Privileg. num.* 64. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 8. *art.* 6. Mirand. *tom.* 2. *quæst.* 42. *art.* 3. Pellizzar. *in Manual. Regular. tract.* 8. *cap.* 1. *sect.* 4. *num.* 82. Augustinus Reding Abbas Einsidlensis *quæst.* 10. *art.* 4. *de Ministro Ordinum, pag.* 314. Donatus *tract.* 7. *quæst.* 8. *num.* 9. *fol.* 54. Bonæ Sp. *de Sacram. Ord. tract.* 7. *dub.* 2. Herinx. *disp.* 10. *num.* 90.

36. Probatur 1. quia præfatum privilegium concessum Societati JESU, approbatum à Paulo V. 1606. iterùm ab Urbano VIII. 1634. sine limitatione est extensum ad Discalceatos Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum; consequenter ad Religiosos Mendicantes per privilegiorum communicationem. De hoc scribit Leander. *tract.* 6. *de Ordine disp.* 11. *quæst.* 23. Bonæ Sp. *loc. cit.* Quibus libenter subscribo, videns Bullam 131. Urbani hujus, apud Authores, PP. Angelum à Lantusca

&

& Joannem Paulum à Roma, Ordinis Minorum Sancti Francisci Strict. Obs. quæ incipit *Redemptoris nostri*, Anno 1634. editam; in qua hæc habentur: *Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum, Congregationi Discalceatorum prædicti Ordinis SSmæ Trinitatis Redemptionis captivorum, ut omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, indultis, favoribus, indulgentiis, aliisq; prærogativis & gratiis, universis & singulis, tam spiritualibus quàm temporalibus, singulis Domibus, Conventibus & aliis Regularibus locis ac Personis, & non solùm Ordinibus Monasticis, Regularibus Mendicantium & non Mendicantium*, sed etiam *nec non Societati Jesu quomodolibet, sub quibuscunq; verborum expressionibus & tenoribus, in genere vel in specie ac principaliter, tam permodum communicationis & ampliationis, quàm simplicis & individuæ ac particularis & specialis concessionis, aut aliàs quomodolibet, de jure, usu aut privilegio vel consuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum; quàmvis illa sint speciali notâ digna, difficilisq; concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, non solùm per participationem, communicationem, illorum extensionem, sed speciatim & nominatim pariformiter & æq; principaliter in omnibus & per omnia, absq; ulla prorsùs differentia, perinde ac si illa primò dictæ Congregationi specialiter, expressè & nominatim concessa fuissent, tenore præsentium perpetuò concedimus & indulgemus.* Hanc Bullam confirmat Clemens X. Bullâ *Redemptoris & Domini*, editâ 1670. nihil mutando.

37. Dices: In præfata Bulla apponitur clausula, *quatenùs tamen sint in usu, & non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa*. Subsumo: atqui dictum privilegium est in usu, tam in Societate quàm extrà, cùm habeamus præjudicata multa; nec est revocatum, cùm sit post revocationem; nec etiam comprehenditur sub aliqua revocatione, cùm ejus non erat revocatio, aut si erat, per alium Pontificem erat restitutum in integro hoc privilegium. Debet ergò hæc clausula de aliis intelligi, aliàs contradiceret sibi Pontifex in eadem Bulla dicens *inferiùs* §. 5. *Non obstantibus præmissis ac quibusvis Apostolicis & Synodalibus Provincialibusq; & universalibus Conciliis, editis specialibus vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus* &c. Objectio solvitur.

38. Probatur 2. quia (ùt scribit Pellizzar. *suprà*) Gregor. XV. die 16. Octobris Anno 1621. in Bulla *In Apostolicæ*, Theatinorum privilegia per quoscunquè Pontifices ipsis principaliter aut per communicationem aliarum Religionum concessa, postea sublata revalidavit, tam illorum propria quàm aliorum iis communicata; in qua Bulla non est apposita clau-

claufula hæc, *quatenùs ſint in uſu & non revocata, ac Sacris Canonibus & Concilii Tridentini Decretis non adverſentur.* Atqui erant hæc privilegia conceſſa per Alexandrum VI. Ordini S. Hieronymi, per Eugenium IV. Ordini S. Benedicti, per Pium IV. Clericis Regularibus Miniſtrantibus infirmis in Bulla, *Circumſpecta*, Anno 1561. quòd Fratres Capellani dicti Hoſpitalis poſſint à quocumq; Catholico Antiſtite Sacros Ordines, etiam extra tempora à Jure ſtatuta, tribus diebûs feſtivis conſequenter ſuſcipere. Et Camaldulenſibus à Paulo III. per Bullam, quæ incipit, *Rationi congruit*, prout in Statutis ipſorum reperitur. Ergò eis hoc privilegium eſt reſtitutum, inquantum Gregorius XV. revalidavit omnia aliàs revocata.

39. Probatur 3. quia Clemens VIII. conceſſit PP. Congregationis S. Joannis Evangeliſtæ in Portugallia hocce privilegium, prout Portel. *verb. Ordo Sacer, num.* 4. teſtatur ſe vidiſſe illud. De hoc ſcribunt P. Bonæ Sp. & Auguſt. Abbas *locis citatis*. Nec obſunt declarationes Sacræ Congregationis ſub Clemente VIII. datæ; cùm poſteriora ſint privilegia Gregorii XV. & Urbani VIII.

40. Gaudent hi hoc privilegio, gaudemus & nos Mendicantes eodem: quia Summi Pontifices mutuam communicationem privilegiorum Mendicantibus conceſſerunt. Sic Prædicatores Julius III. per Bullam, *In Sacra Beati Petri Sede*, Carmelitas Clemens VII. per Bullam quæ incipit, *Ex Clementi Sedis Apoſtolicæ proviſione* (k), fecerunt participes omnium privilegiorum tam Regularium Mendicantium quàm non Mendicantium, tam conceſſorum quàm concedendorum: quod privilegium, & alia Clementis VII. ſunt confirmata, ratificata, & denuò conceſſa per Pium V. 1567. per Sixtum V. 1586. item Clementem VIII. 1604. cum latiſſimis & ampliſſimis non obſtantiis & derogatoriis derogatoriarum, teſte Donato *de Privileg. tract. 7. quæſt. 8. num. 7.* 8. & ultrà. Bulla Julii III. eſt poſita per extenſum apud Donatum *loc. cit.* Clementis VII. in Bullario Ordinis noſtri, ùt annotatio in margine oſtendit.

(k) Vide ſer. 5. num. 17.

41. Et quia Mendicantes gaudent hoc privilegio, gaudent eodem & Ciſtercienſes: nam & eos Pius V. fecit participes omnium privilegiorum Mendicantium, tam conceſſorum quàm concedendorum per Bullam quæ incipit, *Ex ſupernæ diſpoſitionis*; in ea hæc habentur: *Et deinde pro parte dilectorum Filiorum Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini Congregationum Lateranenſis & S. Salvatoris ac S. Crucis Olimbrien. & Monachorum S. Benedicti Congregationis, nec non etiam Congregationis Ciſtercienſ. & Carthuſien. nec non Sancti Hieronymi Hiſpaniarum ac Camaldulen. &c. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Canonicos, Monachos & Fra-*

& Fratres prædictos, ad eos exemptiones, prohibitiones, approbationes, extensiones, decreta, & alia quæcumque, gratias, facultates & privilegia eisdem Fratribus Mendicantibus ùt præfertur concessa & facta, ac alia in præinsertis litteris contenta, & inde secuta quæcumq; dicta authoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò extendimus & ampliamus, illosq; declarationibus, statutis, exemptionibus, aliisq; facultatibus & privilegiis hujusmodi pariformiter & absq; ulla penitùs differentia, prout dicti Fratres Mendicantes utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti potiri & gaudere poterunt liberè & licitè uti potiri & gaudere posse atque debere, illaq; omnia & singula, sibi eorumq; Monasteriis, domibus & locis hujusmodi, eorumq; Superioribus & personis quibuscumque, quas illa concernunt & pro tempore concernent, suffragari &c. Hæc Bulla reperitur apud D. Angelum Maria, Cherubinum Monachum Cassinensem.

42. Nec obest quod Gregorius XIV. privilegia à Pio V. Regularibus concessa reduxerit ad formam Tridentini: nam & Gregorius XV. revocata revalidavit, ùt vidimus *num.* 38. Et Urbanus privilegium Societatis de quo non est quæstio, extendit ad Discalceatos SS. Trinitatis, ùt legimus *num.* 36. & 37. Jam verò nullus Papa revocavit quòd Cistercienses ex privilegio dicto Pii V. sint participes omnium privilegiorum Mendicantium, concessorum & concedendorum. Ergò. Solvitur objectio.

43. Insuper probatur 4. quòd tam Mendicantes, quàm Cistercienses, & alii cum illis & his communicantes possint extra tempora & non servatis interstitiis ordinari: quia Decreta Concilii Trid. *sess.* 23. *cap.* 8. ubi agitur de statutis temporibus ordinationum, item *cap.* 11. 13. & 14. ubi tractatur de interstitiis Ordinum, nullas continent clausulas derogatorias privilegiorum Regularibus concessorum: non exprimitur enim ibi nomen *Religiosi* aut *Regularis*, ùt patet legenti ea capita. At verò clausula derogatoria, quæ habetur *sess.* 25. *de Regularibus, cap.* 22. non se extendit ad alia privilegia, nisi quæ Decretis *dictæ sess.* 25. contrariantur.

44. Non semper clausula in privilegio apposita, *dummodo Concilio Tridentino non sint contraria*, obest: nam privilegium quod Concilio non derogat, expressè cadit sub generalem confirmationem privilegiorum factam cum prædicta clausula, *dummodo Concilio Tridentino non sint contraria.* Ita Dian. *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 31. & alii apud ipsum, nec non August. Abbas *suprà* citatus.

45. De examine quid dicendum? *Resp.* quòd debeant etiam Regulares Mendicantes examinari: nam ita Trident. *sess.* 23. *cap.* 11. dicit: *Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitùs exclusis.* Addit Pater Bonæ Spei, subaudi tamen, nisi aliunde per testimonium Superiorum vel aliter, Epi-

 sco-

ſcopo de ordinandorum ſufficienti doctrina & idoneitate conſtet. Conſtat hoc ex ſuperiori addito in eodem *cap. niſi aliud Epiſcopo magis expedire videretur:* maximè quando Regulares ad ſtudia mittuntur, & recommendantur à Prælato Ordinis aut Conventûs. Fundamentum hujus eſt in *cap. Nullus Epiſcopus, de Tempore ordinat. lib.* 6. ubi prohibetur illitterato primam tonſuram conferre, niſi Religionem intret.

46. Conditio undecima eſt, ne furtivè ſuſcipiat Ordinem, hoc eſt non examinatus, aut non admiſſus ab Epiſcopo, examine vel probatione alterius utens: *cap.* 1. & *ult. de Eo qui furtivè ſuſcipit.*

Conditio ut ſit in gratia.

47. Conditio duodecima eſt, ut ſuſcipiens ſit in gratia per confeſſionem, quando ſuſcipiens Ordines ſuſcipere debet Euchariſtiam Sacram; ſecùs ſaltem per contritionem. Plures conditiones jam recenſui dicens ea quæ requiruntur ad eſſe validi.

SERIES IV.

Adferens caſus.

Cõverſus ad fidem.

1. Titius converſus ad fidem petit ordinari; quæritur an poſſit licitè? *Reſp.* Vel ille converſus, eſt Neophytus, vel exhæreticus aut apoſtata ad quamcumque fidem? Si Neophytus, hoc eſt adultus noviter, hoc eſt nuper ſive non pridem converſus ad fidem ex Judaiſmo, Machumetiſmo vel Gentiliſmo (a)? Talis in ordine ad majores Ordines eſt irregularis (b) ad tempus, quouſque non ſit benè inſtructus in fide: poſtquam verò per aliquam moram inſtructus ſit benè, & ſtabilis in fide, arbitriô Epiſcopi non eſt ampliùs irregularis, *cap. Cùm, de Reſcriptione.* Ita Navar. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 64. Dixi *in ordine ad majores:* nam à minoribus Ordinibus Neophyti non repelluntur. Ita Gemin. *cap. Prohibetur*, Archidiaconus, Præpoſitus & Turrecrem. *cap. Quoniam, diſt.* 48. colligiturque ex *can. Quicunque, diſt.* 77. Ex his

(a) Navar. Tolet. Lez. verb. Irreg. num. 11.

(b) diſt. 48. cap. 1. & 2. & can. Qui in aliquo, diſt. 51.

2. Collige 1. tales baptizatos ante ætatem adultam, non eſſe Nephytos notat Turrecrem. *can. Prohibetur, diſt.* 48. 2. tales qui jam decem annîs aut ultrà ſunt in fide Catholica, non eſſe Neophytos.

Exhæreticus.

Alibi irregularis eſt.

Non in Germania aut Polonia.

3. Si exhæreticus? Tunc jure communi, irregularis eſt, propter *cap. Presbyter, diſt.* 50. *cap.* 1. *cap. In quolibet, cap. Saluberrimum* 197. & *cap.* 2. *de Hæreticis in* 6. etiamſi eſſet occultus, ùt colligitur ex Conſtitutione quadam Clementis VIII. quæ refertur in Directorio Inquiſitor. Conſuetudine autem contraria in Germania, Polonia, talis & cujuſcumque hæretici filius converſus ad Orthodoxam fidem, non habetur pro irregulari. Ita Gobat *in Alphabeto Ordin. caſu* 17. *n.* 655. Giballin. & Steph.

à S.

à S. Paul. *de Sacram. tract.* 5. *dub.* 11. *num.* 285. Ratio est ipsorum: quia hæresis in Germania non parit infamiam: patet inde, quòd domus Principum Catholicorum colligantur cum domibus hæreticorum Lutheranorum &c.

4. Dixi, *apostata ad quamcunq; fidem*, sive Judaismi, sive Paganismi, talis est irregularis: quia est verè hæreticus. Ita nostri Joan. Beetz *in Præcept. decal. exposit.* 1. *num.* 9. Lezan. *verb. Apostata*, *num.* 2. & alii.

Servus.

5. *Rdet* Titius se esse exhæreticum, & quidem in Polonia est casus, sed servus strictè seu subditus est; quid ad hoc? *Resp.* Si est servus strictè, prout irregularis non est ordinandus. Ita habetur *tit. de Famulis, dist.* 54. & *cap.* 1. *de Servis non ordinandis* (c). Sed

(c) Doct. Resol. in 4. d. 25. q. 5. Tolet. lib. 1. cap. 59.

Ex matre libera liber.

6. Notandum 1. qui nascitur ex Matre libera, etiamsi Pater servus sit, non est irregularis, nec repellitur à promotione: quia servus non est, *cap. Dilectus, de Servis non ordinandis*: nam ùt notat Doct. Resol. (c) *Lex Romana tenet, quòd partus sequatur conditionen Matris* (subintellige in favorabilibus). 2. si servus sciente aut consentiente Domino ordinetur, efficitur liber, *cap. Si servus*, & *cap. Per venerabilem*. 3. Si invito Dominô ordinaretur in minoribus, servus remanet; & revocatus in servitutem, nec habitum, nec tonsuram valet portare. Turrecrem. *can. Nulli, cit.* nec gaudet privilegiô fori. Ita ille: quia tonsuram & habitum non habet. Attamen licèt eum Dominus percutere possit secundùm Turrecrem. respectu tamen aliorum gaudet privilegiô *canonis Si quis suadente*. Ostien. *can.* 4. *de Servis non ordinand.* & hoc est verum, dicit Tolet. *loc. cit.* Si in majoribus initiaretur, liber evaderet solvendo Domino pretium, vel tradendo alium servum in sui locum. Ita Gelasius Papa *cap. Ex antiquis*; alioquin adhuc compellitur inservire in iis rebus, quæ non dedecent statum Clericalem, *dist.* 54. Ita Navar. Sayr. Cornex. Bonac. & alii. Etsi Episcopus scienter ordinaverit servum, tenetur ad restitutionem duplicis pretii, *cap. Si servus absente Domino.*

Quando tollitur irregularitas.

7. Tollitur autem hæc irregularitas 1. cessante servitute, *cap. Nulli, dist.* 54. & *cap.* *de Servo non ordin.* Tolet. Cornexo. 2. ex solius Papæ dispensatione, non Episcopi; cùm constet ex dictis & dicendis puniri Episcopum, ordinantem servum. Ita immediatè citati. Tollitur tamen irregularitas per professionem solemnem validam. Ita Lezan. *verb. Irregularitas*, *num.* 18. Ex his facilè solvitur casus, dummodo Titius circumstantiam declaret.

8. Declarat se ex servo & serva natum, & contradicente Domino Ordinem majorē suscepisse, sed furtivè; quæritur, an per hoc sit impeditus à re-

De furtivè suscipiente Ordinem.

à receptione altioris Ordinis, & utrùm cum eo Episcopus dispensare valeat? *Resp.* Vel sic recepit Diaconatum? Incurrit irregularitatem, *cap.* 1. *& ult. de Eo qui furtivè Ordines suscipit.* Et lata est contra suscipientes furtivè excommunicatio, vel non? Si secundum? Episcopus dispensare potest. Si primum? Nequaquam, nisi ingrediatur Ordinem & ibi aliquanto tempore fuerit laudabiliter conversatus. Ita enim Alexander III. Ligonen. Episcopo respondet: *Veniens ad Nos P. Nobis Y. exponit se furtivè Diaconatum suscepisse. Unde Fraternitati tuæ respondemus, quodsi non fuit à te vel alio aliquo Archidiaconorum vel Prælatorum tuorum sub anathematis interminatione prohibitus, in promotione ipsius ad Sacerdotale officium pro arbitrio tuo dispenses. Si verò interminatio anathematis super hoc facta est, moneas eum ut in aliquo Monasterio seu Canonia habitum suscipiat Regularem: cui ex quo in habitu illo aliquo tempore fuerit laudabiliter conversatus, poteris misericorditer providere; alioquin nulla ratione concedimus eum ad Sacerdotalem Ordinem promoveri.* Vel furtivè suscepit Subdiaconatum? Irregularis vel suspensus est (d), maximè si eadem die cum minoribus, *cap.* 2. *&* 3. *de Eo qui furtivè Ordinem suscepit.* Et si non est lata excommunicatio contra tales, potest cum eo Episcopus dispensare, patet ex immediatè posita declaratione Papali; vel Abbas si in ejus Monasterio Religionem intraverit: nam ita Cœlestinus III. (e) declaravit his verbis: *Cùm H. Lator præsentium sicut Nobis sua quæstione monstravit ad tuam ordinationis causâ præsentiam accessisset, juxta consuetudinem Patriæ sibi quatuor minores Ordines contulisti; quibus non contentus Subdiaconatum temerè ausus recepit. Quia verò idem Clericus in hoc facto multùm excessit, mandamus quatenùs eum in minoribus duntaxat Ordinibus celebrare permittas. Si verò domû Religionis intraverit, & vita mores ejus exegerit, Abbas si voluerit in aliis poterit Ordinibus dispensare.* In Decretal. Greg. IX. *lib.* 5. *tit.* 27. *de Excessibus prælatorum & subditorum pag.* 255.

(d) Bonac. Lezan. verb. Irregularitas.

(e) Clemens III. cap. 1. eod. tit. in 1. Compil.

Sed casus occultus.

9. *Rdet* Titius se sub anathematis interminatione prohibitum, suscepisse Subdiaconatum, sed casus est occultus. *Resp.* quod cum eo possit dispensare Episcopus: nam ita habetur in Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicido, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.*

10. Sed adhuc casus est. Titius credens se quamdam mulierem à gutturis tumore liberare, ùt Chirurgus sciens benè suam artem, ferró tumorem illum aperuit, & cùm tumor aliquantùm recedisset, ipse mulieri præcepit ne se vento exponeret ullô modô, ne fortè ventus subintrans gutturis apertionem, sibi causam mortis inferret; sed mulier ejus mandatô contempto dum messem colligeret, vento se exposuit incautè, &

sic

ſic per apertionem gutturis ſanguis copioſus effluxit, mulier diem ultimum ſic finivit; utrùm per hoc factus eſt irregularis? *Reſp.* Vel hoc ipſe fecit exiſtens ſæcularis? Irregularitatem non incurrit (f), cùm dederit operam rei ſibi non prohibitæ. Vel hoc fecit exiſtens intra Religionem? & vel antè vel poſt profeſſionem? Si ante? Cùm favores ſint ampliandi, & tunc nondum erat verè Religioſus, dicendum quòd non incurrerit. Si poſt profeſſionem erat ordinatione Clericus, incurrit eam: quia ſic ad hunc caſum *cap. Tua nos, de Homicidio* (ùt legi in eo), reſponſùm eſt ab Innoc. III. & *cap. Sententia ſanguinis*, ſub hac pœna ſtatutum eſt, ne Clerici vel Monachi etiam causâ pietatis exerceant artem chirurgiæ cum inciſione vel aduſtione. Ita Armil. *in Summ. verb. Irregularitas, num.* 47. Navar. *in Summ. cap.* 25. *num.* 11. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 81. Licetſi Patribus Societatis JESU conceſſit Greg. XIII. privilegium, quòd poſſint medicinæ eorum periti, mederi quibuſcumque infirmis; cum hac tamen clauſula, ut hoc fiat ex Superioris licentia, & citra aduſtionem, inciſionem, per ipſos faciendam. Ita Lezana *de Obligatione Religioſorum cap.* 9. *num.* 15. Docet quidem Cornexo quòd etiam in propoſito caſu Regularis, ſive non Clericus, Monachus, ſive non Monachus, ſive Clericus, non incurrat irregularitatem. Ratio ipſius eſt: quia non prohibetur ratione periculi homicidii; potiùs ratione indecentiæ. Sed oppoſitam reſponſionem quam dedi, legi in dicto capite. Ex his ſequitur Religioſum Mendicantem Fratrem, ſive laicum, ſive coronatum nondum Clericum, in tali caſu ac circumſtantia non incurrere irregularitatem.

(f) Communiter.

Quis & quãdo Chirurg. incurrit irregularitatem.

11. *Rdet* Titius quòd hoc fecerit exiſtens in ſæculo; ſed adhuc unum proponit, quòd ſibi digitum abſciderit. *Rdet* Innoc. III. (g) *cap. Qui partem cujuslibet digiti ſibi ipſi volens abſcindit, hunc ad Clerum Canones non admittunt. Cui verò caſu aliquo contingit dum aut operi ruſtico curam impendit, aut aliquid faciens ſe non ſponte percuſſit, hos Canones præcipiunt & Clericos fieri, & ſi in Clerico fuerint reperti, non abjici.* In Corp. Juris Canon. Decretal. *primæ partis diſt* 55. & 56. *pag.* 76.

(g) Burchardus lib. 2. cap. 14. Ivo part. 6. cap. 58. Anſelm. lib. 7. cap. 35. Panorm. lib. 3. cap. 43.

12. Adferuntur adhuc caſus. Trudnius ſuſcepit minores ab Epiſcopo qui Epiſcopatui renuntiavit, Subdiaconatum verò ab Epiſcopo excommunicato, ab officio propter hæreſim depoſito; quæritur, an per hoc factus ſit irregularis? *Reſp.* Epiſcopus qui renuntiavit Epiſcopatui, vel renuntiavit tantùm loco? Invitatus ab aliquo Epiſcopo, aut habens licentiam ab eo, poteſt conferre Ordines ſive minores ſive majores: quare in tali caſu recipiens Ordinem, exercere & altiorem recipere poteſt. Vel renuntiavit loco & dignitati? Tunc habens licentiam ab Ordinario ordinandi minores Ordines conferre poteſt, non autem majores. Ita Alexander III. reſcripſit Toletano Colonenſi Archiepiſcopo

 (h),

(h), addens in ea rescriptione, *quodsi ab eodem sacros Ordines scienter qui receperit, quia indignum se fecit, executionem officii non habebit, hoc est suus Episcopus cum eo non dispensabit; si verò ignoranter* (i), *poterit* (*nisi supina fuerit ignorantia*) *discretus suus Pontifex dispensare*. In Corp. Juris Canon. Decretal. Greg. IX. *lib.* 1. *tit.* 13. *pag.* 36.

(h) Anno 1164.

(i) Lib. Indebiti, cap. de eod. & lib. Sed si quis.

13. Episcopus verò excommunicatus, vel est excommunicatus excommunicatione minori? Tunc sicut conferens in excommunicatione minori Sacramentum Ordinis, licèt peccet mortaliter inquantum conferendo recipit Sacramentum, scilicet celebrando, juxta *cap. Si celebrat*; non tamen per hoc fit irregularis: ita à fortiori recipiens Ordinem, qui nec in minori excommunicatione est, non incurrit irregularitatem, *cap. Si celebrat*, licetsi peccaret mortaliter si esset excommunicatus excommunicatione minori; cùm talis excõmunicatio privet communione passiva Sacramentorum. Ita communiter DD. signanter nostri Joan. Beetz *in Præcept. Decalog. præc.*3. & *exposit.*4. *cap.*10. Lezan. *verb. Excommunicatio, num.* 2. Vel est excõmunicat⁹ excõmunicatione majori? Tunc licèt talis Episcopus in tali censura ordinans, etiamsi sit toleratus, occultus, nisi excusetur ratione necessitatis vitandi scandali, aut ratione ignorantiæ, quòd ignoret se esse excommunicatum, aut ratione oblivionis, ordinando fiat irregularis, juxta *cap. Si quis Episcopus* in Concil. II *quæst.* 3. & in toto titulo *de Clerico excommunic.* & *cap.* 1. *de Sentent. & rejudic. in* 6. & *cap. Cui, de Sentent. excom. in* 6. (k); tamen suscipiens Ordines ab excõmunicato Episcopo non nominatim, non incurrit irregularitatem (l), cùm pro hoc non sit expressa in Jure. Et quando suscipit ab excommunicato nominatim tali, licèt probabiliterer incurrat, prout Tolet. & alii colligunt ex *cap.* 1. *de Eo qui furtivè Ordinem susceperit*, & *cap. Cùm illorum, de Sentent. excommunic.* probabiliùs tamen non incurrit eam, cùm non sit expressa in Jure, textusq; explicatur in contrarium, de suspensione, simili irregularitati. Bonac. *de Censur. disp.* 7. *punct.* 4. *num.* 1. Dian. 4. *part. tract.* 2. *resol.* 55. Et cum tali ignoranter ordinato dispensat Episcopus, ùt habetur *eod. cap. Cum Clericis*, dicit Tolet. Si verò scienter accipit Ordines à tali, tunc vel est delictum publicum? Solus Papa; si occultum? Episcopus, cùm ei hoc concedatur in Tridentino, dispensare potest. Ex his similiter respondendum de hæretico Episcopo, aut suspenso, docet Tolet. & alii. Unde facilè resolvitur casus dummodo prædictus Trudnius declaret, utrùm scienter vel ignoranter recepit à talibus Ordines.

(k) Tolet. lib. 1. cap. 27. Lez. verb. Irreg. num. 55.

(l) Tolet. loc. cit. Lezan. verb. Irreg. num. 47.

Ordinatus ante annos discretionis annô competenti duxit uxorem.

14. *Rdet* se eos recepisse ab illo Episcopo hæretico, ante annos discretionis, & annô competenti duxisse uxorem; quæritur an votum solemne castitatis annexum Subdiaconatui obligat, an matrimonium? Et quid

quid faciendum? *Resp.* Vel tunc jam erat compos rationis, & non contradixit? Votum tenet, & matrimoniū dirimit (m). Si contradixit? Est coactus, & Ordo non tenet (n). Vel non erat compos rationis? Tunc quando pervenit ad usum rationis resciens se esse ordinatum, vel ordinationem præfatam & obligationem, ratam apud se habuit, etiamsi ante annos pubertatis completos, scilicet annos 14. Talem votum ligat: nam vota ante annos pubertatis rata, tenent (o), dempto votô solemni Religionis: quia statutum est tempus, quando hoc emitti debet. Vel contradixit saltē intra tempus contradictionis, quod est (m) v.g. usque ad annum 14. completum? Votum vim obligandi nec habuit nec habet.

(m) Glos. cap. 1. de Clerico per saltum promoto.

(n) Hostien. & Innocent.

(o) Tol. lib. 1. cap. 61.

15. *Rdet*, quòd postquam resciverit factum, & intentionem Matris quòd vellet eum esse Ecclesiasticum Prælatum, coram ea, consanguineis, & Episcopo ad requisitionem eorum, acceptavit factam ordinationem, declarando se velle mori in Sacro Ordine, non in statu matrimoniali aut non casto, & mente dissentiebat, potiùs uxorem desiderans; quid adhoc? *Resp.* per casum similem. Aliquis Regularis qui ante 16. annos fecit professionem, eam in præsentia Prælati & Discretorum iteravit, postea dicit se esse usum restrictione mentali: licèt ille in foro interno non est ligatus vinculô professionis, ob *cap. Per latum* 1. *de Iis quæ vi metûs causa*, & *cap. Ad id, de Sponf.* in foro tamen externo & contentioso secùs est dicendum, propter decisionem positam *cap. Quod interrogasti, dist.* 27. ubi sic habetur: *pœnitentiam agat de illusione nefanda, & revertatur ad id quod spopondit.* Et *cap. Viduas velare, dist.* 27. *quæst.* 1. sic habetur: *velit, nolit, sanctimoniæ habitum ulteriùs habere debet:* quibus in locis viduæ solemniter professæ, coactæ sunt redire, non admissa earum excusatione, quia dicebant quòd fictè essent professæ. Apud Donat. *de Profess. pag.* 242. Quô præmissô, eôdem modô respondendum censeo ad casum propositum: quia hoc votum æquè est solemne, licetsi non expressum sicut Religionis.

De fictè professo.

16. Dicit ultrà: Licitum est reclamare intra quinquennium professo; licebat etiam in tali casu Trudnio intra triduum post quatuordecim annos finitos, nam licebat ei reclamare statim completis annîs pubertatis si antea non reclamaverit, tempus autē hoc *statim*, Antonin. Burchard. *eod. cap.* & Tolet. *suprà* citatus, exponunt esse triduum: & defacto coram consanguineis & Episcopo reclamavit, & declaravit se nunquam consensum internum præbuisse, aut animum habuisse ad statum spiritualem. Nunc promoveri ad Subdiaconatum desiderat; quæritur utrùm possit promoveri vivente uxore?

Utrùm possit promoveri vivente uxore ad Ordines Sacr.

17. *Resp.* Vel servatis servandîs habet consensum ab uxore, vel non? Si secundum? Non potest promoveri. Si primum? Potest ordinari.

18. Sed Trudnius fatetur aliqua fecisse quæ consideranda sunt, utrùm

non

non impediant promotionem ad Sacros Ordines? 1. fatetur se habuisse concubinas. 2. eam uxorem quam primò duxit fuisse ab alio corruptam, patet, quòd inhonestè cum quodam vixerit. 3. mortua eâ, duxisse viduam. 4. mortua eâ duxisse tertiam, virginem, ab alio desponsatam, quam ante matrimonium cognovit. *Resp.* ad 1. Vel habuit concubinas, aut unam in statu matrimoniali existens, & cognovit uxorem & concubinam? Ad Ordinem promoveri non potest: quia hoc statutum est *cap. Si quis* (p), & in Concil. Aurelian. Gerundin. *cap. cit.* (q). Addo *& cognovit uxorem & concubinam*; nam secùs bigamus non esset, nec pœnam bigami incurreret. Vel habuit concubinas existens extra statum matrimonialem, sive successivè sive simul, sive non sive cognovit eas?

(p) Anselm. lib. 6. cap. 143. Ivo part. 8. cap. 187. allegat. 151.

(q) Burchard. lib. 2. cap. 18. Ivo part. 6. cap. 139.

19. *Rdet*, quòd sic: Dico, non impeditur per hoc à promotione ad Ordines: nam licèt habens in matrimonio concubinam, ad Sacrum Ordinem conscendere non valeat; tamen ille qui concubinas sive simul, sive successivè extra matrimonium existens habuit, promoveri potest: quia bigamia impediens promotionem ad Ordines, est multiplicatio nuptiarum seu matrimonii, quod significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quod non est in concubinatu: nam copula cum concubina, non potest significare conjunctionem Christi cum Ecclesia. Ad 2. Eam uxorem quam duxit corruptam ab alio, vel cognovit, vel non? seu consummavit matrimonium cum ea, vel non? Si primum? Bigamus est, ac irregularis est factus, *can. Qui in aliquod, dist.* 51. & *can. Curandum est, dist.* 34. Vel non cognovit? Bigamus non est, nec impeditur à susceptione Ordinis. Ita Panorm. *cap. Super eo, de Bigam. num.* 7. ubi addit, quòd etiamsi ignoraret esse corruptam, cognoscendo eam irregularis fieret. Idem Glossa affirmat *can. Nemo, dist.* 32. & est communis sententia dicit Tolet. *lib.* 1. *cap.* 66. *num.* 3. Si secundum? Non obest promotioni ad Ordines.

Ratio bigamiæ.

20. *Rdet* Trudnius, quòd ductam non cognoverit, quia antequam ei data est pro habenda cum ea copula, in magnam infirmitatem incidit, & mortua est. *Resp.* ad 3. Vel illam viduam à se ductam cognovit, & erat corrupta, vel non cognovit, aut inventa est virgo? Si primum? Irregularis factus est, *can. Curandum est, dist.* 34. & *can. Secundum, de Bigam.* sive eam duxerit ante baptismum sive post, ùt habetur *can. Si quis viduam, dist.* 34. in quo præponitur sententia Augustini, opinioni Hieronymi. Si secundùm? Non est factus bigamus, ùt patet *cap. Debitum, de Bigamia:* nam ad hoc ut quis fiat bigamus ac irregularis, ducens corruptam ab alio, aut viduam talem, requiritur copula ejus cum ea habita, ùt communiter DD. colligunt ex *cap. Debitum.* Ratio est Innnocentii III. quia nec illa nec ipse carnem suam divisit in plures.

21. *Rdet* quòd non cognoverit eam, quia illa satisfecit voluntati Paren-

Parentum, contraxit matrimonium, & votô suo antecedenter facto, intravit Religionem, professaque est. Quare propter hoc impediri non debet à collatione Sacerdotii.

22. Ad 4. *Resp.* Imprimis per hoc quòd contraxerit matrimonium cum virgine ab alio desponsata, non redditur bigamus, declaravit Innoc. III. *cap. Debitum Pastoralis officii*, *cap. 2. cod. tit. in 3. Compilation.* (r). 2. Vel eam contracto matrimoniô cognovit, vel non? Si secundum? Non incurrit irregularitatem bigamiæ. Si primum? Controversio magna est inter DD. Hugo. 30. *quæst. 5. can. Qualis*, & Ostiens. in *Summ. tit. de Bigamia circa quæstionem. 6.* & *cap. Sanè 1. de Cleric. conjug.* & Glossa *can. Nemo, dist. 32.* Turrecrem. 30. *quæst. 5. can. Qualis*, cum aliis censet talem esse irregularem. Econtra S. Thom. *in 4. dist. 27. quæst. 3. art. 1. quæst. 3. ad 2.* Archidiacon. *dist. 32. can. Nemo*, Panorm. *cap. Debitum, num. 2.* Henric. Boje *cap. Vt bigami* & alii nunc communissimè probabilius docent, talem non esse irregularem. Esset autem irregularis, etiamsi illam ante matrimonium non cognovisset, si illa post matrimonium cum eo contractum, esset ab alio adulterata, & ille eam post adulterium cognovisset: nam ita habetur *can. Si cujus*, & *can. Si laici, dist. 34.* Glossa *can. 2 de Bigamis*, Panorm. *cap. Super eo*, Archidiac. *can. Si cujus, dist. 34.* Turrecrem. *can. Si quis viduam*: & est communis sententia inquit Tolet. *lib. 1. cap. 66. num. 6.*

(r) In Corp. Juris Canon. pag. 43.

23. *Rdet*, quòd cognoverit eam consummando matrimonium, nec aliam ipsa vivente. Quare dico, per ista omnia contracta matrimonia Trudnium non esse factum irregularem, sive illa sint valida sive invalida. Addo *sive invalida*: nam non tantum per validum, sed etiam per invalidum matrimonium redditur irregularis, ùt patet, si quis post votum solemne castitatis quod fit in susceptione Ordinis Sacri, vel professione Religionis approbatæ, contrahit matrimonium, illudque consummat, ùt deducunt Cornex. *tract. 5. de Irregular. disp. 10. dub. 1.* & *2.* Lezan. *verb. Bigamia*, Sayrus. Secùs tamen dicendum si laicus cum Moniali contraheret, aut cum ea quæ votum solemne castitatis emisit. Ratio est: quia in Jure pro hoc non est expressa irregularitas; irregularitas enim non incurritur, nisi sit in Jure expressa. Ita Lezan. *verb. Bigamia, num. 3.* Sayr. *suprà cap. 4.*

24. Sed aliud est, quod nondum declaravit Trudnius: Uxor ipsum revocat ad torum. Dices: redire debet. Sed jam ipse fecit professionem in Religione approbata; quæritur utrùm illum revocare potest, & quid faciendum?

25. Vel uxor dedit licentiam, & servandîs servatis intravit Religionem? Eum revocare potest antequam solemniter profiteatur, non pòst: Nam

(s) Donat. de Qual. recipiend. tract. 3. quæst. 16. num. 13.

Nam in tali casu, professione clauditur janua repetendi eum (s). Vel non dedit licentiam, aut non servatis servandîs Trudnius intravit Religionem? Eum revocare potest, etiam post professionem. Quoad 1. est ordinatio & præceptum Alexandri III. *cap. Quidam* (t), in Corpore Juris Canonici *cap.* 174. Quoad 2. hoc Jure Ecclesiastico cavetur, & non aliter de licentia conjugis professionem profiteri aut ordinari conceditur, quàm ut alter conjux Religionem ingrediatur, aut continentiam priùs promittat: patet ex Rescripto Alexandri III. Exomensi Episcopo (u), ubi sic: *ignorare non debes Sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxore sua, aut uxor viro ejus non assumente Religionis habitum debeat ad Religionem transire.* Et infrà: *Inde est quod authoritate Apostolica prohibemus, ne in Episcopatu tuo virum vel uxorem, nisi uterque ad Religionem migraverit, transire permittas. Verùm si ita uxor senex sit, quòd sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejus.* In Corpore Juris Canon. Decretal. Gregor. IX. *lib.* 1. *tit.* 32. *num.* 4. *pag.* 174. Idem Strigonen. & Colon. Archiepiscopis Româ in Germaniam rescribit (v) hæc: *Nullus conjugatorum est ad Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.* In Corpore Juris Canon. *loc. cit.* 2. ut sine conscientia Episcopi, conjux causâ Religionis non divertat: sic enim Eugenius Papa II. in Synodo Romana (x) *cap.* 36. statuit, *quòd si vir & uxor divertere pro sola Religiosa vita inter se consentiunt, nullatenùs sine Episcopi conscientia fiat.* Item Alexander III. Ubergensi Episcopo *cap. Præterea, ad interrogationem utrùm laicus uxoratus, qui præsentibus Sacerdotibûs & Monachîs, ignorante Episcopo, de licentia & permissione uxoris Monasterium ingressus, professionem fecit, uxore in sæculari habitu permanente, nec transeunte ad Religionem aut perpetuam continentiam vovente, ab Episcopo suo possit ad torum revocari uxoris, an illa compellenda sit continentiam observare?* Rescribit sic: *dicimus, quòd nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuò castitatem servare promiserit, vir potest & debet de Monasterio revocari.* In Corpore Juris Canon. Trudnius quidem obtenta licentiâ uxoris ingressus est Religionem, sed ignorante Episcopo, & remanente uxore in sæculo absque promissione continentiæ, imò illa ante professionem revocabat eum, à qua revocatione non recessit hucusque. Ergò debet redire ad illam.

Ut conjux de licentia conjugis valeat Religionem profiteri aut ordinari, conditiones requiruntur.

26. Dices: Sed Subdiaconatûs recepti ante annos discretionis exercebat in Religione officium, votum ei annexum acceptando. *Resp.* Hoc non suffragatur ei, & non obest uxori: quia sicut votum solemne Religionis, ut declaravit Alexander III. ita votum solemne alligatum Ordini Sacro, ùt declarârunt alii Pontifices, invita uxore factum erat nullû,

(t) cap. 3. cod. tit in 1. Compilat.

(u) cap. 4. cod. tit. in 1. Cõpilation.

(v) cap. Conjugatus 5. cod. tit. in 1. Cõpil.

(x) Ivo part. 8. cap. 127. Panorm. lib 6. cap. 76.

Quare etiamsi Diaconatum aut Presbyteratum accepisset, & ad dignitatē Ecclesiasticam evectus esset, non evaderet liber à revocatione uxoris, redire ad eam debet; à quo petere debitum uxor potest: quia suo jure non est privata per emissionem voti solemnis Religionis approbatæ, aut susceptionem Ordinis in marito, sine ejus licentia debita. Sed petere debitum ampliùs non potest: quia per votum castitatis Religionis, & annexum Ordini Sacro obligatus remanet se abstinere ab omni actu venereo, ùt statim videbimus in declaratione Alexandri III. Nec exercere officium Ordinis Sacri potest, nec ullum beneficium, aut officium Ecclesiasticum habere valet: nam hoc statutum est *in Extravag. antiqua de Voto.* Ita Bonac. *de Matrim. disp.* 3. *punct.* 9. *num.*19. & 20. Dian. *part.* 5. *tract.*10. *resol.* 59. Octav. *interrog.* 630. *pag.* 129. *in Repertorio morali.*

27. Quærunt nonnulli privilegium aliquod, quod suffragari posset ei qui invita uxore professionem fecit, & eum liberare à revocatione tali. Sed si est aliquod, videamus. Si cum ea non consummasset matrimonium, invitâ eâ, potuisset Religionem approbatam profiteri: ita enim Alexander III. scribit Salernitano Archiepiscopo (y): *post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium (sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt), dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos; & alteri remanenti (si commonitus continentiam servare noluerit), licitum est ad secunda vota transire: quia cùm non fuissent una caro simul effecti, potest unus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere.* Est quidem casus quô posset invita uxore maritus profiteri Religionem approbatam, si esset notoriè & manifestè adultera, & maritus non esset adulter: sic enim habetur *cap. Significasti, de Divortiis: quod si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus cogi non debet, & hoc in pœnam patrati criminis adulterii & fornicationis.* In Corp. Juris Canon. *de Conversione conjugat. tit.* 32. *pag.* 175. Sed quia multa censentur notoria, quæ in facto & in Jure non sunt notoria, ad præcavendum errorem, maritus non proprio judiciô, sed lata sententiâ debet quoad torum & cohabitationem uxorem dimittere, prout latè S. Thom. *in* 4. *sentent. dist.* 35. *quæst. unic. per totum* Ratio est: quia nemo potest esse Actor & Judex, ùt habetur in *cap. Porro, de Divortiis.* Præfata uxor Trudnii non est adultera nec præfatus Trudnius eam per sententiam latam dimisit; Ergò ad eam redire debet.

(y) Anno 1180. cap. 2. cod. tit. in 3. Cōpilation.

28. Quid post mortem uxoris facere debebit, an ad Religionem redire obligetur, & utrùm tùnc poterit exercere officium Ordinis cujus id antè exercebat? *Resp.* ad utrumque negativè; nec poterit ducere aliam uxorem. Ratio primi est: quia votum non tenuit. Ratio secundi:

quia invita uxore præsumpsit votum facere, factus est irregularis, juxta *Extravag. cit.* Ratio tertii est: quia promisit se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat, itaque quoad 1. & 3. Alexander III. declaravit, & scripsit Pisano Archiepiscopo: *quidam intravit Monasterium invita uxore, quâ ipsum repetente coactus est ad eam redire, eâ mortuâ quæris, an ipse cogatur reverti ad Monasterium, an aliam possit ducere in uxorem? Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd votum non tenuit, unde ratione voti ad Monasterium non tenetur redire; ulteriùs verò non poterit uxorem accipere: promisit enim se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit.* In Corp. Juris Canon. *loc. cit. num.* 12. *pag.* 175. Probat quidem Doct. Resol. *in* 4. *dist.* 37. *quæst. unic. art.* 2. oppositum, scilicet quòd teneatur redire ad illam Religionem; sed consideratis rationibûs, seclusa decisione quam adfero.

29. Trudnius obtinuit ab uxore licentiam ingrediendi & profitendi Religionem, & quia deobligatus est redire ad eam in qua priùs fecit professionem, ingressus est aliam, ex qua post vota solemnia licitum est exire, ùt est Religio S. Joan. Evang. in Portugallia (z), in eaque solemne votum emisit; tandem post aliquot annos exivit ex ea Religione, uxor resciens hoc, revocat ipsum ad se quia illi dedit licentiam profitendi Religionem, non manendi in sæculo in statu Clericali; teneturne ab eam redire, an in statu Clericali remanere? *Resp.* quòd non tenetur ad eam redire ampliùs: tum quia reassumpsit officium Subdiaconatûs: tum quia per eam professionem solemnem validam de consensu uxoris, extincta est obligatio matrimonialis; obligatio autem semel extincta non ampliùs convalescit, ùt dicitur *lib. Qui*, §. *Aream*, *ff. de Solut.* docent Navar. *de Regular. constit.* 51. & Portel. Donat. *de Qualit. recipiend. tract.* 3. *quæst.* 29. Sed in statu Clericali remanere tenetur, si ad priorem redire aut aliam Religionem ire eamque profiteri nolit. Aliud esset si Religionem Societatis profiteretur, & post primum votum ex Societate exiret: nam vota talia non sunt solemnia, sed simplicia, non habentia vim dissolvendi matrimonium præcedens, etiamsi juxta Bullam Gregor. XIII. sint verè Religiosi. Ita quoad utrumque Henriq. Rybadeneyra, Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 18. *num.* 6. & *in Summ. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 29. Donat. *loc. cit.*

(z) Donat. tract. 3. quæst. 29. fol. 173.

30. Trudnius petit conferri sibi Ordinem Diaconatûs; quæritur utrùm ei potest conferri sine dispensatione, & utrùm possit Episcopus cum eo dispensare? *Resp.* quòd non possit ei conferri Ordo Diaconatûs absque dispensatione: quia per hoc quòd invita uxore professionem ausus fuerit facere in prima Religione, & Ordinem quasi recipere, exercere, incurrit irregularitatem, juxta *Extravagantem* ùt dixi *num.* 28. *hîc.* Dispensa-

sare in hac irregularitate poterat Episcopus, ante ingressum ad secundam Religionem, & in ea quam ingressus est; modò verò postquam exivit ex ea, non potest cum eo in hac irregularitate dispensare: Nam ita habetur *in Extravag. antiqua Joan. XXII. de Voto, nisi profiteatur in aliqua approbata Religione.* Ignorantia tamen & bona fides suffragari potest tali, ut irregularitatem non incurrat, ac proinde post mortem uxoris licitè possit in Ordinibus susceptis ministrare, docet Præpositus *in 3. part. quæst. 3. de Suspens. dub. 5. num. 4.*

31. Habita dispensatione à summo Pontifice, adhuc casus est, Trudnius vehementi irâ commotus contra alium, conabatur eum vigilans occidere, sed non potuit; postea dormiens præcedenti imaginatione agitatus in somno, surrexit & occidit eum; quæritur an sit irregularis? Palud. *in 4. senten. dist. 32. quæst. 1. art. 3.* dicit esse irregularem: quia vigilans dedit causam. Econtra Socin. Gonsal. de Villadiego *de Irregular. cap. de Percussione*, Castro *lib. 2. de Potestate leg. pœn. cap. 14.* & alii negant esse irregularem. Pro tertia sententia dico: Vel ille solitus erat talia in somnis facere, vel non? Si non? Non est factus per hoc irregularis: quia hoc non prævidit, nec intendebat facere in somno. Vel solitus erat hoc facere, aut aliquando fecit? Tunc vel hac intentione obdormivit, ut id eveniret? Irregularis est: quia hoc & prævidit, & voluit, ad hocque causam assumpsit. Vel non hac intentione dormivit, & vel præcavit, vel non? Si secundum? Irregularis est. Si primum? Irregularis non est: quia sic noluit, imò præcavendo, intentionem occidendi retractavit. Ita Tolet. *lib. 1. cap. 78.* Occidens in somno an irregularis.

32. Trudnius promoveri in Presbyterum petit, sed aliquos casus cõsiderandos adfert. 1. Fœnum deponendo, perticam ex curru projiciens puerulum penes currum occidit, quem ibi antè non vidit. 2. Cùm equitaret, equus cui insedebat, frænô fractò raptus in cursum magnum, quandam mulierem obviam occidit. 3. Infirmo laboranti magnis doloribûs stomachi, dedit bonum vinum contra prohibitionem Doctoris, qui non diu post hoc vitam suam finivit. 4. Vulneravit quẽdam graviter, quem statim alii occiderunt. 5. Quia ipsum in sylva voluit quidam occidere, defendens se eum occidit. 6. Volens suum puerum cingulô verberare, contigit quòd cultellus de vagina elapsus eum aliquantulum vulneravit, qui quidem convaluit, sed postmodum alia graviori infirmitate oppressus, mortuus est.

33. *Resp.* Ad 1. Innoc. III. *cap. Ex litteris*, respondit Episcopo Metensi sic: *Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus quòd cùm H. Presbyter fœnum vellet de curru deponere, perticam superiùs alligatam projecit in terram, & cùm fœno insisteret deponendo, quidam puerum quemdam juxta currum reperit semi-* Occidens casu.

semivivum, in quo præter modicum livoris in fronte, nihil inveniri potuit læsionis. Nos autem ab eodem quæsivimus Sacerdote, si priusquam jaceret perticam circumspexit solicitè, an aliquis esset circa currum? qui quòd diligenter circumspexit, asseruit; sed quòd vidisset aliquem, negavit. Ad te igitur remittentes eundem mandamus, quatenùs si res ita se habet, nisi circa eundem grave scandalum sit exortum, vel tanta laboret infamiâ quòd deficiente accusatore oportet eidem Canonicam purgationem indici, ipsum liberè permittas exequi officium Sacerdotis. Ratio est: quia homicidium non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa. Ad 2. similiter respondit idem Innoc. III. (a) in simili, Episcopo Padvano: *Significasti Nobis, quòd cum frater Clericus equitaret, equus cui insedebat, tam se quàm ipsum projecit, unde Clericus ipsum graviter calcaribûs stimulavit; equus verò cùm existeret buccâ durus, præter voluntatem sessoris raptus in cursum, quamdam mulierem obviam habuit quam ex improviso interfecit. Cumq; nos ab eodem Clerico fecissemus inquiri, utrùm equi vitium priùs scivisset? illud asseruit se ignorasse. Ideoq; mandamus, quatenùs si ita est, ad cautelam injungas eidem pœnitentiam competentem, quâ peractâ non impedias, quominùs in susceptis ministret Ordinibus, & ad majores valeat promoveri.* In Corp. Juris Canon. *loc. cit. pag.* 244. Ratio eadem quæ immediatè *suprà* data est. Ad 3. dico, eum incurrisse irregularitatem. Ita Innoc. *cap. Tua Nos, de Homicidio.* Ratio est: quia dabat rei illicitæ operam & periculosæ. Ad 4. respondit in simili idem Innoc. Abbati SS. Trinitatis de Metdeburg (b): *Significasti Nobis, quòd cùm quidam maleficus ingressus Ecclesiam Eucharistiam cum altarium ornamentis, & libris Ecclesiasticis extra Ecclesiam asportaret, L. Presbyter Ecclesiæ Canonicus Regularis præfatum iniquitatis filium fossoriô arrepto percussit, sed si ad mortem fuit ictus hujusmodi, tu & ipse penitùs ignoratis: quem Paræciani Ecclesiæ videntes ornamenta asportantem, abreptis gladiis & fustibûs, in eodem loco protinùs occiderunt. Nos in præmisso casu credimus distinguendum, utrùm constare possit quòd præfatus Sacerdos non inflixit percussionem lethalem, de qua, si aliorum non fuissent vulnera subsecuta, percussus minimè interiisset, & si percussor voluntatem non habuerit occidendi, neque ipsius studiô, consiliô, vel mandatô processerint alii contra illum &c. Quodsi discerni non possit ex cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tamquam homicida debet haberi Sacerdos; & si fortè homicida non sit, à Sacerdotali officio abstinere debet, cùm in hoc casu cessare sit tutiùs, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* In Corpore Juris Canon. *loc. cit. pag.* 245. Ad 5. Vel eum occidit servato moderamine inculpatæ tutelæ? Non incurrit irregularitatem: ita enim habetur ex definitione Ecclesiæ in *Clementin. Si furiosus, de Homicidio* (c), etiamsi ex ira & mala voluntate hoc fecerit: quia etiamsi sit actio inter-

(a) cap. Significasti, 4. cod. tit. in 3. Comp.

Etiam pro non culpa potest assignari pœnitentia.

(b) cap. 2. cod. tit. in 4. Cōpilat.

interna peccaminosa, non tamen actio externa, ùt colligitur ex eadem *Clementina*; consequenter non incurritur per talem irregularitas, cùm hæc debeat esse ex delicto, Lezan. *verb. Irregularitas, num.* 68. Secùs tamen dicendum de eo, qui injustè se defendit, v.g. dum à satellitibus seu à ministris justitiæ capitur; tunc si occidat aliquem illorum, etiam servato moderamine inculpatæ tutelæ, irregularis efficitur. Ita Cornex. *disp.* 4. *dub.* 1. Bonac. *quæst.* 4. *punct.* 6. *num.* 11. Vel occidit non servato moderamine inculpatæ tutelæ? Tunc vel excessus erat culpa venialis? Non incurrit irregularitatem; cùm ea non incurratur nisi propter culpam mortalem, ùt docent communiter. Vel erat culpa mortalis? Incurrit quidem irregularitatem, sed facilè in ea Episcopus dispensare potest: quia licetsi Episcopus non possit dispensare in irregularitate incursa propter homicidium voluntarium etiam occultum, cùm excipiatur in Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. potest tamen in ea, incursa propter homicidium in justa defensione factum, dispensare: quia non est voluntarium, sed coactum in defensionem sui, & casuale tale homicidium; jam verò in tali, Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. Episcopis committit potestatem dispensandi, etiamsi sit casus publicus: quia irrestrictè sic dicit: *Si verò homicidium non ex proposito sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum & altaris Ministerium, & beneficia quæcumq; ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario, qui nonnisi causâ cognita & probatis precibus ac narratis nec aliter, dispensare possit.* Pro hoc sunt Navar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 239. Bonac. Cornex. *suprà.* Possunt etiam Prælati Regulares cum talibus suis subditis Regularibus dispensare (d), eò quòd homicidium non sit voluntarium, quod in privilegiis eis concessis excipitur, sed casuale, in quo Episcopi dispensare valent cum Sæcularibus; consequenter Prælati cum suis Regularibus, ùt vidimus *suprà* & videbimus *infrà* prout Regestum monstrat. Ad 6. respondit Clemens III. *cap. Ad audientiam*, his verbis: *quòd cùm quidam Presbyter corrigere quendam de familia sua cingulo quô cingi solebat ipsum verberare tentaret, contigit quòd cultellus de vagina quæ cingulo adhærebat elapsus eum in dorso aliquantulum vulneravit: Postmodum verò cùm ille vulneratus aliquamdiu vixisset & convaluisset à vulnere, alia (e) graviori ùt dicitur infirmitate percussus, viam est universæ carnis ingressus. Quia verò utrùm occasione vulneris decessisset, dubium habetur, tuæ dispositioni duximus respondendum, quòd cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere Presbytero memorato, ut in Sacris Ordinibus non ministret, & eidem injuncta pœnitentia congruenti sibi, poteris concedere ut minoribus Ordinibus sit contentus: si verò ex alia infirmitate* obie-

(c) Doct. Resol. in 3. dist. 25. quæst. 7. art. 2. Mich. de Bonon. ibid. quæst. 2. art. 2.

Episcopus cum homicida in irregularitate dispensare potest.

(d) Lezan. verb. Irreg. num. 69. Peirinis tó. 1. Privil. Julii II. num. 116.

(e) Dictio alia deest in antiquioribus exemplaribus.

In dubiis tutiorem eligere partẽ.

obierit, poterit sicut erat solitus Divina officia ministrare. In Corp. Jur. Can. *loc. cit. de Homicidio, pag.* 244.

34. Sed quia casus ita est occultus, quòd nisi ipse Trudnius & ejus Confessarius sciat, & cùm homicidium non sit voluntarium, Episcopus cum eo dispensare potest. Similiter in aliis casibus inquantū sunt occulti.

35. Trudnius factus est Sacerdos, duo casus ei contigerunt. 1. Catholicos invaserunt hæretici, inter quos defendentes se & eos occidentes adfuit & Trudnius, qui aliquos vulneravit, quos non scit, & utrùm lethaliter ignorat; quæritur utrùm possit licitè celebrare, an abstinere à celebratione teneatur? 2. Unus illorum ei duellum indixit, ipse acceptavit & persolvit; quas pœnas incurrit? *Resp.* Ad 1. jam Anno 1214. in simili rescripsit Honorius III. Pelagio Presbytero his verbîs: *Petitio tua nobis exhibita continebat, quòd cum inimici Dominicæ Crucis ac blasphemi nominis Christiani Castrum quoddam, in quo morabaris graviter invasissent, exeuntibus inde habitatoribûs tam Clericîs quàm laicîs contra eos, ac invicem confligentibus, hinc inde occisi quàm plurimi extiterunt. Unde cùm pro eo quòd aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse, mandamus quatenùs si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, à ministerio altaris abstineas reverenter, cùm sit consultiùs in hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.* In Corp. Juris Canon. *loc. cit. pag.* 246.

Dubitans se esse irregularē pro tali se habere debet.

Ad 2. Alexander III. *cap. Porrò,* respondet his verbîs: *Si Clericus alicui sponte duellum obtulerit, vel oblatum susceperit, sive victor sive victus fuerit, de rigore Juris est meritò deponendus. Sed quantùmcumq; ejus in hoc gravis sit & enormis excessus, evadere potest depositionis sententiam, si cum ipso suus Episcopus duxerit misericorditer dispensandum; dummodo ex ipso duello homicidium vel membrorum diminutio non fuerit subsecuta.* In Corp. Juris Canon. *loc. cit.* & *cap.* 1. *de Clerico pugnante in duello.* Lezan. *verb. Duellum, num.* 18. Navar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 156. Idem dicendum de Regularibus. Imò idem Alexander *cap. de Presbytero* 1. *cod. tit. in* 1. *Compilat.* sic ordinat: qui duellum spontè obtulit, & oblatum suscepit, & in eo partem digiti amisit, quod cùm ipse non perdiderit tantum de digito quin sine scandalo possit solemniter celebrare, potest post peractam pœnitentiam cum eo misericorditer agere, & permittere ipsum in suo Ordine ministrare, licèt ejus excessus gravis admodum extitisset. In Corp. Juris Canon. Decretal. Gregorii IX. *lib.* 1. *tit.* 8. 19. 20. *pag.* 42.

Duellans Sacerdos cap. 1. de Cleric. pugnante in duello.

36. Trudnius, hujus filius, accedit etiam ad Ordines, sed occidit antecedenter quemdam; quæritur utrùm non impediatur ab ordinatione? Dices: Vel occidit penitùs inculpabiliter, & involuntariè? Sic non est per hoc impeditus. Vel voluntariè? & vel erat doli capax, etiamsi ante septenniū? Incurrit irregularitatem. Vel non erat adhuc doli capax,

etiamsi post septennium? Non incurrit. Ita ex *Clementina, Si furiosus, de Homicidio*, colligunt Lezan. *verb. Irregularitas, num.* 22. Panorm. *cap.* 1. *de Delict. puer.* & alii. Ratio est: quia actus irregularitatem inducens debet esse humanus, ac per consequens elicitus à capace doli. Bonac. *suprà, quæst.* 4. *punct.* 1. Ego addo: *doli capax*, voluntariè & culpabiliter; vel hoc fecit post baptismum, vel ante baptismum? Si secundum? Non est factus per hoc irregularis; Jura enim loquuntur de baptizatis, *can. Si quis Viduam, dist.* 50. (f). Unde si Mennonista ante annum 30. occideret aliquem & postea fieret Catholicus, posset ordinari absque ulla dispensatione, si esset sufficiens.

37. Dices: Inde novas difficultates oriri, nam oritur irregularitas ex dilatione baptismi, *can.* 1. *dist.* 57. Et iterum, vel est baptizatus ab hæretico? Tunc licetsi non incurrat irregularitatem in infantili ætate ab eo baptizatus, juxta *cap. Placuit*, & *cap. Qui apud*, 1. *quæst.* 4. (g); benè tamen si in adulta ætate, ùt habetur *cap. Si in quolibet*, 1. *quæst.* 7. *Resp.* ad 2. Si ex necessitate vel ex ignorantia Juris hoc facit, non incurrit irregularitatem, cùm hæc proveniat ex delicto; à delicto autem excusat ignorantia Juris, vel facti (h). Trudnius autem cùm erat Mennonista (ùt sunt Gedani qui nisi trigesimo annô baptizantur) ignorabat Jus Catholicum baptizandi.

38. Impedies ulteriùs eum, eò quòd sit à quodam Acolyto, iteratò baptizatus; jam verò bis baptizatus est irregularis, *cap. Eos, de Consecratione dist.* 4. *cap. Confirmandum, dist.* 50. *Resp.* qui scienter est baptizatus, ita citatum caput; non autem qui in infantia, ebrietate, aut somno, ùti Trudnius est baptizatus. Sed

39. De illo Acolyto quæritur, an per hoc est impeditus ab ulteriori promotione ad Ordines? *Resp.* Vel eum baptizavit conditionatè, si non es legitimè baptizatus &c.? Tunc quàmvis plurimorum sententia doceat, hunc per talem actum incurrere irregularitatem; probabiliùs tamen est oppositum, quòd non incurrat: quia ille reverà non habet intentionem rebaptizandi, cùm solùm habeat illam pro casu quô non sit baptizatus. Ita Lezan. Navar. Bonac. & alii. Vel baptizavit absolutè? Tunc vel crimen est publicum? Irregularis est, per *cap.* 2. *de Apostat.* Vel occultum? Non est irregularis; quidquid dicant plures: quia præfatum caput loquitur solùm de casu publico. Ita Lezan. *loc. cit.* Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 31. *sect.* 6. Tolet. Laym. & alii. Sed revertamur ad N. Trudnium.

40. Allegatur contra eum quòd sit irregularis, quia illegitimus; ipse respondet quòd sit & Regularis, adeòque ad Ordines suscipiendos legitim⁹; quæritur utrùm illegitimus, sit legitimè Regularis? & utrùm eô ipsô quòd

(f) Lezan. loc. cit. Navar. in Manual. cap. 27. nũ. 209.

(g) Tolet. lib. 1. cap. 70. Bonac. Lezan. loc. cit.

(h) Sotus in 4. dist. 3. quæst. unic. art. 9. Bonac. Lezan. loc. cit.

quòd sit Regularis, non sit irregularis? *Resp.* Ut aliquid solidè respondeamus, oportet præmittere aliquid de illegitimis. 1. quinam sunt illegitimi? Nam sicut non omnes nati ex junctis matrimonió sunt legitimi, ita non omnes illegitimi: Nam casus est in *cap. Litteras, de Filio Presbyt.* Si conjugatus fiat Sacerdos vivente uxore, de cujus consensu etiam ipsa faciente votum continentiæ, si postea maritus accedet eam, proles nata censetur illegitima & irregularis, quàmvis verum fuerit matrimonium: Ratio, quia est ex sacrilego concubitu nata. Econtra secundus casus est in *cap. Cùm inter, qui filii sint legitimi?* quando aliqui in facie Ecclesiæ contraxerunt, & postea lis mota est super validitate matrimonii, etiamsi per sententiam separati sint, & invalidum declaratum matrimonium; filii tamen qui ante sententiam nati aut concepti sunt, censentur legitimi. Ubi notat Panorm. etiam eos censeri legitimos, qui lite contestata concepti sunt, dummodo ante sententiam divortii concepti aut nati fuerint: imò decisio est Alexandri III. *cap. Cùm inter virum*, in Corp. Jur. Canon. *tit. qui filii sint legitimi? pag.* 217. Dummodo sit bona fides utriusque aut alterius tantùm, ùt constat ex *cap. Ex tenore, qui filii sint legitimi?* Ubi decisum: Si quis vivente uxore mala fide contrahit cum altera ignorante, filii censentur legitimi. In Corp. Jur. Canon. *suprà, pag.* 219. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 58. Lezan. *verb. Illegitimi, num.* 12. Peirin. *tom.* 2. *de Prælat. quæst.* 2. *cap.* 5. §. 9. *num.* 106. Covaruv. *part.* 2. *de Matrim. cap.* 8. §. 1. *num.* 4. & alii. Nec omnis ex simplici fornicatione natus, est illegitimus: nam natus ex soluto & soluta qui fornicariè se cognoverunt, postea contraxerunt matrimonium, habetur talis pro legitimo, *cap. Tanta, qui filii sint legitimi?* nec est irregularis, nec inhabilis ad Ordines, sed habilis, etiam ad quoscumque honores & dignitates, etiam Episcopatum, ùt habet Panorm. *num.* 7. & *ibidem* Glossa *cap. Innotuit, de Elect.* Illegitimi ergò sunt, qui ex illicito concubitu, sive publico, sive occulto tali orti sunt, nec per subsequens matrimonium legitimati. Nec omnes spurii, nec omnes naturales, sed naturales sunt illi, qui sunt geniti à Parentibus, qui tempore conceptionis aut nativitatis matrimonió jungi poterant; spurii verò econtra illi, qui geniti sunt à Parentibus, inter quos matrimonium dicto tempore esse non poterat. Ita Leza. *verb. Illegitimi, num.* 2. Sanch. *tom.* 2. *Consil. moral. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 1. Sanctarel. *quæst.* 24. *num.* 2. & 3. Unde si uterque conjux, vel alter solùm post matrimonium ratum ritè contractum, ante consummationem illius ad Religionem transeat, & in ea profiteatur, si postea se cognoscant & filium generent, talis filius est spurius: quia per professionem, matrimonium nondum consummatum est dissolutum, & ampliùs inter eos esse non potest. Cornex. *tom.* 2. *in* 3. *part. tract.*

De illegitimo.

Unus bona, alter mala fide contrahit, filii ex eis censentur legitimi.

Qui sunt naturales qui spurii.

tract. 5. *de Irregularitate, disp.* 15. *dub.* 1. Secùs si hoc contingeret tempore Novitiatûs: nam filius natus ex tali copula, esset legitimus, cùm adhuc perseveret matrimonium validum. Ita Lezan. *loc. cit.* Si verò nasceretur ex Religioso vel Religiosa Novitiis intra annum probationis, & nullum aliud esset impedimentum ad contrahendum matrimonium, talis esset naturalis filius: quia eo tempore Parentes contrahere poterant. Idem dicendum de nato ex Patre habente impedimentum aliquod solùm impediens, Sanch. *suprà;* & de nato ex Clerico in minoribus constituto cum soluta: quia tales contrahere possunt. Sylv. in *Summ. verb. Legitimus*, Sanch. & alii.

41. Hi omnes illegitimi, quicumque illi sint, & quantùmvis occulti, irregulares sunt; & per consequens inhabiles ad Ordines suscipiendos, *cap.* 1. & 2. *de Filiis Presbyterorum*, & *cap.* 1. *de Eodem, tit. in* 6. Doct. Resol. *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 6. Unde illegitimus, sine dispensatione suscipiens Ordinem, peccat mortaliter, & suspensus ab executione est. Ita communiter DD. Non tamen novam irregularitatem incurrit, cùm non inveniatur in Jure. His præmissis

Illegitimus suscipiens Ordinē peccat mortal. & suspenditur ab executione.

42. *Resp.* ad 1. Spectanda sunt Statuta propria cujuscumque Religionis; nostra vetant, *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 15. & sanctè hoc faciunt Superiores aliarum Religionum, qui tales non suscipiunt: quia eadem est ratio pro Religione, quæ est pro Ordine, scilicet quia timetur ne paterna scelera sequantur. Ad 2. *Resp.* quòd eò ipsò, quòd fit per ingressum & professionem Religionis Regularis, absque ulla dispensatione desinit esse hâc in irregularitate irregularis, *cap. Vt filii*, 1. *de Fil. Presbyt.* Non tamen per eam professionem redduntur habiles quoad dignitates & officia obtinenda in ea, ùt ex *eodem. cap.* constat: ibi, *prælationem verò nullatenùs habeant.* Et ex *cap. final. eod. tit.*

Illegitimus. Desinit esse irregularis per professionem.

43. Si contingat illegitimum quantùmvis occultum eligi in Prælatum, nullò modò potest acceptare prælaturam, sed vel procurare dispensationem, vel declarare suum defectum, si sine præjudicio suæ aut alterius famæ id facere potest; cùm talis electio ipso Jure nulla sit, *cap. Innotuit, de Elect.* Sorb. *in Comp. privil. verb. Dispensatio, versu Ideo*, Rodriqu. *t.* 1. *q.* 3. *art.* 5. Si verò talis cogatur acceptare prælationem, & ipse resistit quantum potest, nec potest sine sua aut suorum infamia dispensationem petere, poterit illam acceptare: nam Jus conservandi suam famam est naturale, quod prævalet Juri positivo Pontificio. Rodriq. *loc. cit.* Peyrin. *tom.* 1. *Privil. Minim. constit.* 2. *Julii* II. § 29. *num.* 100.

Nequit promoveri ad dignitates & officia.

44. Dignitates & officia, ad quæ promoveri nullatenùs sine dispensatione potest, sunt curam animarum habentia. Ita habetur in *cap.* 1. & *in cap. fin. de Filiis Presbyt.* Inde nec possunt esse Abbates, Generales

Quæ sunt.

rales, Provinciales, Priores, Guardiani, Ministri, Præpositi, nec Superiores Vicarii Monasterii: quia isti respectivè habent curam animarum. Nec possunt esse Definitores, Discreti: quia hæc officia important dignitatem personatûs. Ita Sylv. *verb. Dignitas personatûs*, Mirand. Portel. Tambur. *tom.* 1. *de Jure Abbatum*, *disp.* 5. *quæst.* 14. *num.* 6. Possunt tamen esse in Religione Sacristæ, OEconomi, Procuratores, Confessores, etiam Monialium, constat ex *cap.* 1. *de Filiis Presbyt.* Ita Navar. *lib.* 5. *de Fil. Presbyt. consil.* 6. *num.* 3. Sylv. *verb. Prælatus*, *quæst.* 3. Donat. *loc. cit.* Quòd autem Prælati Regulares, Abbates, Generales & Provinciales in Capitulis possint cum eis in ordine ad dignitates dispensare, dicam *infrà de Irregularitate*; hîc ad propositum sufficit, quòd per professionem tollatur hæc irregularitas. Unde vel Trudnius jam est professus? Irregularis hac irregularitate non est. Vel est adhuc Novitius? Quæstio est utrùm possit promoveri Novitius ad Ordines? Ad quam *Resp.* Quàmvis ex vi Juris communis antiqui, promoveri poterant Novitii ad quoscumque Ordines, cùm nullus textus erat prohibens ùt notat Lezana; Jure tamen speciali novo Concilii Trident. nullus potest promoveri ad Sacros Ordines sine titulo, & cùm sit titulus Religiosorum paupertas, qui non est sæcularium. Pius V. Decretum Tridentini extendit ad Regulares, (sua Constitut. quæ est 74. in ord. Bullar. Cherub.) prohibens ne ullus Clericus Sæcularis, vel Regularis non professus, possit promoveri ad Sacros Ordines sine sufficienti titulo. Ad Ordines verò minores promoveri possunt (i): patet ex Constitut. Pii V. quòd Clericos sine titulo prohibeat non Laicos ad Ordines promoveri. Ordinandi sunt tamen non ab alio, quàm à proprio Episcopo, *cap. Cùm nullus*, *de Temp. ordinand. in* 6. (i). Utrùm verò Abbates sine licentia Episcopi possint suis Novitiis conferre Ordines minores? Negant Thesaur. *verb. Ordo*, *cap.* 21. Donat. *loc. cit. quæst.* 24. Ratio eorum est; quia non sunt eorum strictè subditi cùm libere exire possint. Augustin. Einsidlen. Ord. S. Benedicti Abbas adfert privilegium à Paulo III. & Pio V. quoad hoc concessum cuidam Abbati. Sed hoc privilegium expositum Sacræ Congregationi, ab ea declaratum & comprobatum est in casu, quô accedit consensus Ordinarii, ùt refert Barbosa in *Collect. ad Concil. Trident. sess.* 7. *de Confirm. num.* 5. & *part.* 2. *de Potestate Episcopi*, *allegat.* 30. *num.* 5. Et forsan hoc privilegium est vivæ vocis oraculô declaratum: quare communior & tutior est sententia negativa. Unde vel Trudnius promovendus est ad Ordines minores? Promoveri potest. Vel promovendus ad sacros? Promoveri non potest; nisi esset in Soc. JESU: illi enim ex indulto Bullato Gregor. XIII. possunt ante solemnē professionem sacris Ordinibûs initiari, sub obligatione eis de honesto

Utrùm Novitius possit promoveri ad Ordines?

Vide num. 9. ser. præterit. sect. 2.

(i) Donat. de Privil. Novit. tract. 6. q. 25. & N. Eliseus à S. Joann. Bapt. casu 62.

bene-

beneficio, aut victu si ejiciantur è Societate providendi, ùt rectè notant Marchinius *tract. 2. de Sacram. Ord. part. 5. cap. 5. num. 4.* Bonæ Sp. *ibidem dub. 2. quæstiunc. 2.*

45. Trudnius est professus & ordinatus, sed per saltum; quæritur utrùm per eum factus est inhabilis ad ulterionem Ordinem, & executionem suscepti? *Resp.* præmissô quòd major Ordo non suscepto minore teneat: nam *cap. 1. de Cleric. per saltum ordinat.* ubi Sacerdotium quidam accepit non præmisso Diaconatu, non præcipitur repetere Sacerdotium, sed recipere Ordinem, qui omissus est. Ratio est: nam characterem animæ imprimit talis Ordo. Ita Archidiac. Præposit. *can. Solicitudo, dist. 52.* & ibi Glossa, Panorm. *cap. 1. de Cleric. per saltum promoto.* Dico: Vel ille Ordinem majorem omisso minorî recepit, per ignorantiam Juris aut facti? Juris, quia ignorabat Jus tale quòd debeat Ordines priùs minores quàm Subdiaconatum, & ultrà ita majores recipere? vel accepit scienter, non ignorando tam Jus quàm factum? Sì secundum, aut ignorando ignorantiâ crassa? Est ipso Jure suspensus ab executione suscepti (k), donec dispensetur cum eo, & inhabilis ad Ordinem altiorem, si nondum eum habet. Ita Præposit. *loc. cit.* Ratio est: nam ligatus in minori non potest accipere majorem. Hinc postquam fuerit dispensatum cum eo ut suscipiat omissum & ministret in eo, adhuc indiget dispensatione ad altiorem Ordinem. Ita Geminian. & Præpos. *can. Solicitudo, dist. 52.* Tolet. *lib. 1. cap. 72. num. 6.* Si non ministraverit in tali suspensione, potest dispensare cum eo Episcocus (l); si verò ministraverit, ad Papam recurrendum pro dispensatione, *cap. Sicut non ordinatus minister:* nisi sit casus occultus, ùt colligitur ex Trident. *suprà adducto.* Si primum? Non est suspensus ab executione Ordinis suscepti. Ita Hugo citatus à Turrecrem. *can. Solicitudo, dist. 52.* Ratio est: nam suspensio non contrahitur sine peccato. Tolet. *loc. cit.* Prohibetur tamen talis quando rescit, ut non ministret in suscepto, donec suppleatur hoc quod est omissum. Ita communiter.

Qui per saltum ordinatus.

(k) Ostiensis in Summ. de Cler. per saltum promoto, Sylv. verb. Irregular.

(l) Tolet. loc. cit.

46. Trudnius per ignorantiam Juris per saltum suscepit Ordinem, nec in eo administravit: sed in apostasia ordinatus est; quæritur an per hoc factus sit irregularis, & inhabilis ad executionem suscepti Ordinis? *Resp.* quòd sic: quia Honorius III. Archiepiscopo Lugdun. his verbis respondet (m); *consultationi tuæ breviter respondemus, quòd Monachus aliquem sacrum Ordinem in apostasia recipiens, quantùmlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, absque Romani Pontificis dispensatione ministrare non poterit, in Ordine suscepto.* In Corp. Jur. Canon. Decretal. *lib. 5. de Homicidio voluntario, pag. 242.*

(m) Ostien. in Summ. tit. de Apostatis.

47. Dices: Si Trudnius ex Ordine Mendicantium esset apostata, non incur-

incurreret hanc pœnam: nam Pontifex dicit de Monacho; favores autem ampliandi, odia restringenda sunt. *Resp.* Favores ampliandi sunt: Sed hoc Decretum est latum in favorem Religionum ne talia inferiores faciant; ergò non tantùm Monachus strictè, sed etiam latè talis, nempe quicumque Religiosus, pœnam hanc in tali casu incurrit.

48. Plus est quod in eadem apostasia ille Trudnius fecit, matrimonium contraxit, allegans nullitatem professionis; an & quales pœnas incurrit, & quid cum eo faciendum? *Resp.* Vel priùs contraxit matrimonium quàm Subdiaconatum suscepit? Obest professio solemnis matrimonio: nam tamdiu obligat quamdiu servatis servandis non reclametur, & declaretur nulla: patet ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit *Sanctissimus Dominus Urbanus Divinâ Providentiâ*, ubi in simili causa decrevit, *si professi juribus suis minimè deductis coram S. Congregatione, ausi fuerint recedere, tanquam apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur.* Jura autem sua deducere, & professionem reclamare, non ultra quinquennium possunt, si impedimentum erat temporaneum: & non aliter quàm coram Superiore & Ordinario, prout statuit Trident. Concil. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 15. ubi sic: *quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitq́ habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis; & tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit deducere coram Superiore suo, & Ordinario.* Coram Superiore scilicet Monasterii Noviciatûs (n). Et si causa est, quia professio est facta in Conventu non designato, ac contra Decretum Urbani VIII. recurrendum ad S. Congregationem. Nec possunt Superiores tales negligere, aut aliter ex Religione dimittere: nam in Decreto Urbani VIII. sic dicitur: *Si contra formam prædictorum Decretorum Superiores ejecerint, pœnas suspensionis à Divinis nec non privationis omnium officiorum quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, vocisq́ activæ & passivæ ipsô factô absq́ alia declaratione incurrant.* Si verò impedimentum est perpetuum, reclamare utrique parti licet post quinquennium, & ultrà; cùm Trident. *suprà* citatum procedat de nullitate professionis propter impedimenta temporalia, non autem propter impedimenta perpetua; aliàs cogeretur Religio retinere perpetuò inhabilem & in Monasterio virorum mulierem, si faceret ibi professionem, & intra quinquennium non reclamaret, quod nec admitti potest, nec dici decet. Vel præfatus contraxit matrimonium postquam suscepit Subdiaconatum? Tunc obest & professio ut dixi, & Subdiaconatus matrimonio, & matrimonium illud altiori Ordini recipiendo; cùm eô ipsô factus est irregularis, *c.* 7. *quæst.*

Professio nô reclamata obligat. Quãdiu reclamari potest?

Et quomodo?

(n) Donat. de Reclamat. quæst. 37. pag. 253.

Ex antè inhabilis perpetuò, semper post professionem ejici potest.

quæst. 1. *can.* *Quotquot:* nam tale mătrimonium est bigamia similitudinaria, etiamsi sit cum virgine, dummodo sit consummatum. Ratio est, cur talis bigamus dicatur: quia dum cũ DEO prius spirituale contraxit matrimonium, tentavit postea cum homine. Gloss. *cap.* 2. *de Bigam.* Insuper ipsô factô est excommunicatus: ita enim in Clementina unica *de Consanguinit. & affinit. in* 6. habetur: *Nec non Religiosos & Moniales, & Clericos in Sacris constitutos matrimonium contrahentes, refrænare metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsius excommunicationis sententiæ ipsô factô decernimus subjacere.* Et debent omninò separari: quia Ordines majores dirimunt matrimonium, ùt colligitur ex Trident. *sess.* 24. *can.* 9. *cap. unic. de Voto, in* 6. & *cap. Quæsitum,* 7. *de Pœnit.* Talisque si est sæcularis, nec promoveri ad altiores Ordines, nec in suscepto Subdiaconatu ministrare potest: patet ex decisione Alexandri III. *cap. Ex litterarum tuarum,* ubi sic dicit: *quòd lator præsentium in Subdiaconatûs officio constitutus, quandam sibi in conjugium copulavit, quam eundem abjurare fecisti, super quo prudentiam tuam inDomino commendamus, mandantes quatenùs si ad Monasticum Ordinem transire voluerit, & tibi post laudabilem conversationem ipsius visum fuerit, eum ad majores Ordines promoveri concedas: quodsi ad Religionem se transferre noluerit, eum neque in Subdiaconatu ministrare, neque ad ulteriores permittas Ordines promoveri; in minoribus tamen Ordinibus poterit ministrare.* In Corp. Jur. Canon. Decretalium Gregorii IX. *lib.* 4. *tit.* 4. & 5. *pag.* 208.

Bigamia spiritualis.

49. *Rdet* Trudnius se priùs suscepisse Subdiaconatum quàm contraxisse matrimonium, & licetsi jam est post quinquennium, tamen ob impedimentum temporaneum adhuc ante tempus reclamare potest, quia duobus tantùm annis mansit in Conventu, plusquam tribûs in apostasia, qui anni non numerantur ei: nam dies & anni quibus est apostata extra Conventum, non numerantur ei. *Resp.* Sicut apostata in favorem Religionis privatur tot diebûs & annis quot erat extra Conventum, ita in favorem Religionis non debet privari tot diebûs & annis ad reclamandum; quia Decretum Tridentini citatum & alia Pontificum, lata sunt in favorem Religionis, non apostatarum: si verò illi dies in apostasia non numerentur in ordine ad reclamandum, Decreta lata in favorem Religionum, essent in favorem apostatarum & iniquorum Religiosorum: quia aliàs possent esse aliquot diebûs in Religione, & postea per aliquot annos in apostasia, & sic secundô, tertiô, decimô & ultrà &c. Item Subdiaconatum suscepit, & sine titulo sæculari competente, sed cum titulo Religiosæ paupertatis; ergò per eum susceptum factus est professus professione tacita. Ita declaravit S. Congregatio Annô 1619. Decemb. 20. de hoc scribit Noster P. Bonæ Sp. *loc. cit. num* 70. *pag.* 285. *de Sacram. Ordin.*

50.

50. Si præfatus Trudnius ante quinquennium ob temporaneum impedimentum reclamaret validè; quæritur 1. utrùm esset suspensus ab officio suscepti, etiam ea ratione quâ sine titulo debito eum suscepit? 2. utrùm rediret irregularitas cum eo, illa quæ est sublata per professionem, & sic illegitimus esset? *Resp.* ad 1. Sicut Novitius sine titulo Ordinem Sacrum suscipiens, ita ille qui scivit se nulliter professum, tamen Ordinem Sacrum suscepit, per talem susceptionem incurrit irregularitatem; à qua absolvi non potest, nisi à summo Pontifice. Ita colligunt Genuen. Ricciùs, Donat. *de Privil. Novitior. quæst.* 26. Portel. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 10. Et si initiatus sacris resciens nullitatem professionis reclamat, & est in lite, aut exit: manet suspensus ab exercitio susceptorum; & non dispensatur cum eo, donec finita lite obtineat patrimonium: nam professione annullata, remanet talis ùt Clericus Sæcularis, qui ad præscriptum Sacri Concil. Trident. & Constitut. Pii V. debet ordinari & Ordines Sacros exequi. Ita communiter. Ad 2. *Resp.* etiam affirmativè: quia sicut nulla est professio, ita nulla per eam irregularitatis est sublatio. Difficultas autem est, si Prælatus Regularis absolveret ab aliqua censura aliquem, aut cum eo in irregularitate dispensaret, sive ante ingressum sive post professionem, sed ea postea reclamaretur; utrùm in easdem censuras aut irregularitates deposito habitu rediens ad sæculum reincideret?

An irregularitas tollitur per profes. invalidam. Et si est sublata?

51. Ut ad hanc difficultatem intelligibiliùs respondeā; præmitto 1. de Jure cōmuni Canonico, quivis excōmunicatus, interdictus aut suspensus, ab eo debet absolvi à quo fuit nominatim censurîs mulctatus, vel ab ejus Successore, vel Superiore, vel ab eo cui suas vices cōmisit; hæc enim Regula ab omnib⁹ servatur (o): proinde etiā Novitii nequeūt absolvi à Superioribus Regularibus ab hujusmodi censuris & prædictis, sine licentia illorum Episcoporum à quibus fuerunt nominatim censurati & pœnîs affecti: & est expressa Decisio *cap. Cùm illorum, de Sentent. excomm.* ubi: *sine licentia Romani Pontificis, Abbas non potest nec debet eos absolvere.* Notandum 2. quòd Prælatis Regularium, aut Confessoribus Mendicātium quando conceditur facultas absolvendi à censuris, conceditur ab eis generaliter, non nominatim latis; & si ab eis nominatim latis, tūc semper privilegia illa debent intelligi quoad forum conscientiæ, in quo nulli fit præjudicium, nec exercetur jurisdictio cum tumultu. Ita Hurtad. *de Excomm. disp.* 15. *num.* 61. Dian. *p.* v. *tr.* 11. *de Bulla Cruciata, resol.* 29. Hîs præmissis

(o) Ledesm. p. 1. Summ. tit. de Excom. c. 8. Bonac. de Censur. d. 1. q. 3. punct. 1. num. 5.

A quibus cēsuris & quomodo, Prælati suos Novitios aut postulantes absolvere valeant? & cum irregularibus dispensare?

52. Dico: verba privilegiorum consideranda sunt: nam alia absolutè loquuntur, dantq; facultatem absolvendi à censuris, aut dispensandi absq; ulla limitatione; alia verò sub conditione, dummodo in Religione perse-

perseverent; alia sub pacto, dummodo habitum recipiant; quædam loquuntur de volentibus ingredi; alia de Novitiis ingressis; alia de verè professis. Unde vel sunt simpliciter absoluti & absque aliqua limitatione dispensati? Non reincidunt in censuras nec in irregularitates, si egrediantur à Religione, & habitum dimittant; econtra reincidunt; si sub conditione, prout in N. Religione: tales Novitii absolvuntur aut absolvi possunt juxta privilegium Sixti IV. in Bulla *Dum attenta*, nobis concessum, cujus forma est: *Vos Generalis Magister, & Provinciales, Priores, ac vices vestras gerentes, valeatis absolvere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis vel locis interdicto suppositis, Divina præsumpserint Officia celebrare, vel Ordines receperint. Ita tamen quodsi aliqui ex eisdem sententiis propter debitum sunt adstricti, satisfaciant ut tenentur. Volumus autem nihilominus quòd postquam fuerint absoluti; hujusmodi volentes aggregari prædictæ Religioni, nisi mox Ordinem vestrum intraverint, quacumque etiam ejusdem Ordinis Prælatorum licentia non obstante, eô ipsô in pristinas sententias à quibus eos totaliter absolvi contigerit, relabantur.* Speculum antiquum Ordinis *fol.* 86. Ibidem conceditur ab eodem Pontifice, Generali & Provincialibus, ut suis Fratribus *undecumque absolutione & dispensatione indigentibus, sive priusquam intraverint in Ordinem sive post in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis vel interdicti aut suspensionis incurrant sententias, à Jure vel Judice generaliter promulgatas, & hujusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto Divina Officia celebrantes, vel suscipientes Ordines, sic ligati notam irregularitatis talis incurrant, absolutionis & dispensationis beneficium valeant impertiri; nisi in casibus in præsentibus litteris exceptis.* Casus autem isti sunt, quòd hæreticos relapsos, schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, absolvere Regulares non valeant, sed ad Sedem Apostolicam recurrere debeant. Videndus est Lezan. *tom.* 1. *cap.* 18.

Priores possunt à censuris absolvere & cum irregularibus dispensare.

Excipe casus.

53. Et quia præfatus non valuit deducere & probare nullitatem professionis; quæritur utrùm post longam emendationem vitæ, possint Prælati ejus dispensare in incursis irregularitatibus, eò quòd Subdiaconatû in apostasia susceperit, & quòd professus & Subdiaconus existens matrimonium contraxerit? *Resp.* affirmativè: patet ex immediatè dictis & dicendis. Sicuti licèt si Episcopus non possit dispensare in bigamia reali aut interpretativa, in ordine ad Ordines recipiendos, aut ad usum eorum, *cap. Super eo, de Bigam.* (p); potest tamen in bigamia similitudinaria dispensare cum eo qui contraxit cum virgine, *cap.* 1. *Qui Clerici vel voventes*: ita Prælati Regulares, Generales, Abbates, Provinciales &c. licèt non possint dispensare cum suis subditis Regularibus in irregularitate con-

(p) Cornex. Bonac. Lezan. verb. Bigamus.

contracta per bigamiam realem aut interpretativam, quia in privilegio Sixti IV. Gregorii XIV. excipitur irregularitas proveniens ex tali causa; possunt tamen dispensare in irregularitate contracta per bigamiam similitudinariam, si casus esset, quòd illi contraherent & consummarent matrimonium: quia Prælati Regulares exempti idem possunt in Fratres sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos & laicos sibi subditos, tam quoad absolvendi & dispensandi hujusmodi, quàm alias quascumque facultates; cùm habeant in suos jurisdictionem quasi Episcopalem. Ita Passarel. *in lib. Privil. fol.* 127. Sorb. *in Compendio fol.* 47. Rodriq. *tom.* 1. *Quæstionum Regular. q.* 42. *a.* 2. Suar. *de Censur. disp.* 49. *sect.* 6. in fine.

PrælatiRegulares possunt in bigamia similitudinaria dispensare.

54. Sed quid, cogitant cum eo dispensare? nondum tota malitia ejus detecta est, ille enim in apostasia Subdiaconus existens celebravit; quæritur quales pœnas incurrit, & quid cum eo faciendum? *Resp.* In primis talis Clericus vel Religiosus contraxit irregularitatem, ùt communiter colligunt DD. ex *cap.* 1. & 2. *de Clerico non ordinato ministrante*. 2. pœnam falsariorum. Barbos. *de Clerico non ordinato num.* 3. Farinacius *de Falsit. & simulat. q.* 150. *n.* 85. Sonsa, Carena *de Offic. S. Inquisitionis part.* 2. *tit.* 11. §. 2. *n.* 8. & alii. 3. pœnas à Clemente VIII. & Urbano VIII. latas, ùt talis *tanquam misericordiâ indignus à foro Ecclesiastico abjiciatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis si quos habuerit ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur, per Judices sæculares debitis pœnis plectendus.*

Non Sacerdos celebrās quales pœnas incurrat.

55. Circa hæc animadvertenda nonnulla. 1. quòd per unam celebrationem Missæ præfatus N. incurrat has pœnas. Ita Sonsa *in Opusc. de Solicitantibus tract.* 1. *c.* 9. *n.* 9. Franciscus Bordon. *in Sacro tribunali c.* 22. *q.* 8. *n.* 12. quia Urbanus VIII. de una Missa loquitur: *qui in posterum ad Sacrum Presbyteratûs Ordinem non promotus, Missam celebrare, aut Sacramentalem confessionem audire præsumpserit* &c. *tradatur Curiæ sæculari* &c. In aliquibus tamen Provinciis depositus ab Ordine, non traditur Curiæ sæculari, ùt videre est apud Lezan. *consult.* 21. *pag.* 163.

56. A quibus talis puniendus? *Resp.* à Judicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis: ita enim ordinârunt summi Pontifices, Gregor. XIII. in Bul. *Officii Nostri*, Paulus IV. Sixtus V. Clemens VIII. in Bul. quæ incipit, *Etsi aliàs*, quæ extat 3. *tom. Bullarii.*

57. Et quid si quis tantùm inchoavit Missam & non consecravit, aut audivit confessionem Sacramentalem velut Sacerdos, sed non absolvit; utrùm non ab aliis quàm Inquisitoribus aut Episcopo sit puniendus? *Resp.* affirmativè. Ita Sonsa *in Opusc. de Solicitante tit.* 1. *c.* 1. *n.* 19. Carena *de Offic. S. Inquisitionis part.* 2. *tit.* 11. §. 3. *n.* 15. Bordon. *de S. Tribunali cap.* 22. *dub.* 10. *n.* 5. & Illustrissimus Inquisitor Trasmiera *in Stimulo fid. q.* 4. *c.* 5. *n.* 7. Ratio est: quia in tali casu reperitur abusus Sacramenti, &

intro-

introitus, collecta, Epiſtola ac alia quæ ſunt ante conſecrationem, ſunt partes integrales Miſſæ, & non deſinunt eſſe etiamſi Miſſæ non perficiatur. Unde ſic faciens redditur ſuſpectus de fide: quia factô ipsô denotat illa fieri poſſe à non Sacerdote, prout concedunt hæretici. Idem dicendum de audiente confeſſionem & non abſolvente, ob paritatem. Attamen talis non ita rigorosè puniri debet: quia numquam punitur attentatum ſicut conſummatum; inquocunque etiam graviſſimo & atrociſſimo crimine ùt colligunt ex communi & generali totius mundi conſuetudine, Farinacius, Angelus, Boërius, Gomez & alii.

Non punitur ita attentatū ſicut cōſummatum.

58. Quid autem Superiores Regulares & alii cum talibus Regularibus irregularibus facere poſſunt & debent, videnda eſt Conſtitutio Pauli V. quæ incipit, *Romanus Pontifex ea interdum*, edita Anno 1606. die 1. 7bris, in Bullario Carmelitarum *part.* 2. *pag.* 347. Plura Deo dante *de Irregularirate* & *alibi* dicam. Nunc ſit

SERIES V.

De effectibus hujus Sacramenti, & obligatione in Sacris exiſtentium.

1. DE effectibus non multa dicam, cùm jam dixi pluriès, eſſe primarium, gratiam; ſecundarium, characterem &c. Sed de obligatione aliqua adferam.

2. Inprimis quoad tonſuram, quæ eſt in ſignificationem ſpineæ Coronæ Chriſti Domini (a), & ad denotandum quòd cogitationes ſuperfluæ ſint recuſandæ (b); & quoad habitum, quòd omnes in Sacris Ordinibus exiſtentes, *cap. Prohibitæ*, 23. *diſt. cap. Clericus* 5. *de Vita & honeſtate Cleric. cap. unico, de Cleric. conjugat. in* 6. & ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. *de Reform.* obligentur ſub peccato mortali. Ita Sylv. *verb. Clericus*, Villalob. & Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 183. Addit Triden. *cap.* immediatè *cit. Præterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantùmcumq; exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum Clericalem, illorum Ordini & dignitati congruentem, & juxta ipſius Epiſcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab Ordinibus, ac officio, ac fructibus, redditibus, & proventibus ipſorum beneficiorum, nec non ſi ſemel correpti denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujuſmodi coërceri poſſint & debeant, ſecundùm Conſtitutionem Clementis V. in Concilio Viennenſi editam, quæ incipit, Quoniam innovando & ampliando.*

(a) Beda l. 5. Hiſtor. Anglor. cap. 22.

(b) Iſidor. lib. 2. de Offic. Eccleſ. cap. 4.

3. Ad hæc animadvertendum 1. Clericum non initiatum Sacro Ordine, non obligari sub tanta obligatione, nisi habeat beneficium &c. ùt colligitur ex hoc loco Trident. & *cap. Joannes*, & *cap. Si quis, de Vita & honestate Cleric.* Ratio est, cùm possint liberè à statu Clericali resilire: imò si bigami sunt, privari debent habitu Clericali, *cap. Alterationis, de Bigamis.*

4. Secundò, etiam in Sacris existens, qui per breve tempus non portat habitum Clericalem, à mortali excusatur: imò per longum tempus, ab omni peccato, quando adest causa justa excusans, ùt v. g. inter hæreticos contingit. Imò Dian. *loc. cit.* asserit, in sententia Cajetani esse solùm mortale tùnc, dum fit ex temeritate, contemptu. Sed hæc sententia est probabilis solùm speculativè non practicè. Qualis autem debeat esse habitus, spectanda est consuetudo, aut leges Patriæ; cùm nullum caput quoad universum Clerum Ecclesiæ de hoc reperiatur, teste Augustino Abbate Einsidlensi *hîc q.* 10. *a.* 5.

Obligatio continentiæ à temporibꝰ Apostolorum.

5. Quoad obligationem continentiæ Ordinibus Sacris annexam, notandum 1. eam ab ipsis Apostolorum temporibus emanasse: patet ex verbis Apostoli, qui *ad Titum* 1. ait, *oportere Episcopum esse continentem.* Et ex Concil. Carthag. I. *cap.* 2. ubi sic decernitur: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, qui Sacramenta contrectant, etiam ab uxoribus abstineant, ut quod Apostoli docuerunt & ipsa servavit antiquitas, nosque custodiamus.* Et meritò: nam si priscis temporibûs de templo Dei Sacerdotes annô vicissitudinis suæ, non descendebant, quantò magis Sacerdotes novæ Legis, qui in suis manibus quotidiè portant ipsum Deum, continentes esse debent.

Ex statuto Ecclesiæ.

6. Secundò, & ex primo sequitur, *quòd non est essentialiter annexum debitum continentiæ Ordini Sacro, sed ex statuto Ecclesiæ: Vnde videtur quòd per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiæ solemnizato per susceptionem Sacri Ordinis,* dicit S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. Et *in* 4. *d.* 31. *q.* 1. *a.* 1. sic habet: *Quòd Ordo Sacer impediat matrimonium, non est nisi ex constitutione Ecclesiæ.*

7. Tertiò, quòd hoc debitum continentiæ annectatur Ordinibus tantùm Sacris, non minoribus: patet ex Trident. *sess.* 24. *can.* 9.

Apud Latinos Ordo Sacer impedit matrimoniũ, & matrimonii usum: apud Græcos verò matrimonium non matrimonii usum.

8. Quartò, absolutè apud Latinos, respectivè apud Græcos, ùt immediatè *cit. loc.* S. Thom. ait: *aliter apud Latinos quàm apud Græcos: quia apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & ulteriùs ex voto continentiæ, quod est Ordinibus Sacris annexum, quòd etiamsi aliquis verbotenùs non emittat, ex hoc ipso quòd Ordinem suscepit, secundùm ritum occidentalis Ecclesiæ, intelligitur emisisse: & ideo apud Græcos & alios orientales, Sacer Ordo impedit contrahendum, non tamen matrimonii priùs contracti usum; possunt enim priùs contractô uti, quàmvis non possint matrimonium de novo contrahere. Sed apud occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium, & matrimonii usum.*

DIS-

Sub qua Ideæ objectivæ, sive rationes intelligibiles Sacramenti Matrimonii continentur, quarum sit

SERIES I.

De Sponsalibus.

Sponsalia ùt sic, cùm dicantur à spondendo, seu à spontè promittendo, sunt sponsiones spontaneæ; in specie verò, ad præsentem Tractatum occurrunt sponsalia & sponsalia: Sponsalia de præsenti & impropriè talia, sunt ipsum matrimonium, de quo inferiùs; Sponsalia de futuro, sunt sponsalia propriè, de quibus hæc Series. Sitque ejus

SECTIO I.

Quid Sponsalia & quibus modîs contrahantur?

1. Respondeo & dico 1. Sponsalia de quibus nunc, sunt promissio deliberata, mutua, & acceptata, non ficta futuri matrimonii inter habiles, signo externô expressa: *cap. Nostrates*, 30. *q.* 5. & *lege* 1. *FF. de Sponsalibus.* Ita Bonac. Tolet. Bonæ Sp. Petrus à S. Joseph, Steph. à S. Paulo. Sponsalia.

2. Explicatur & probatur. *Promissio*: nam simplex propositum aut volitio, ùt v. g. *volo te in uxorem ducere: Aliam in uxorem non accipiam &c.* ad sponsalia non sufficit: quia sponsalia (ùt probabitur statim) justitiæ obligationem inducunt, quam propositum aut volitio simplex non inducit, nisi circumstantiæ promissionem evincant. Ita citati. Promissio.

3. *Deliberata*: cùm sponsalia (ùt *inferiùs* dicam) sub mortali obligent, talem deliberationem necessariò postulant, ut valida sint; cùm obligatio præsupponat voluntatem. Non requiritur tamen deliberatio cum prævisione omnium circumstantiarum, cùm septennes sponsalia contrahere possint, quo tempore maturo consiliô esse præditi non possunt; major tamen quam ad mortale peccatum requiritur: nam ad peccandum satis est habere volitionem objecti mali, quà talis præcisè; ad sponsalia autem contrahenda non sufficit habere volitionem ea contrahendi præcisè, sed insuper obligationem inde oriundam cognoscere, & acceptare. Quare ad peccandum sufficit, deliberatio & voluntas in causa; non sic ad contrahenda sponsalia (a). Deliberata. Quomodo?

(a) Bonac. Bonæ Sp. Petrus à S. Joseph.

4. *Mutua* debet esse ex utraque parte, puta viri & fœminæ: patet ex de- Mutua.

definitione, quòd ſponſalia ſint ſponſiones mutuæ ; & inde, quòd ſponſalia ſint veluti quædam matrimonii inchoatio : quare ſicut in hoc, ita in illis obligatio & vinculum ex utraque parte eſſe debet. Quapropter debet eſſe *acceptata* ab eo cui fit : nam promiſſio regulariter non obligat, antequam acceptetur, juxta legem 1. *FF. de Pollicitationibus* (a) : habet enim hanc tacitam conditionem, *ſi alter acceptaverit*, ùt notant Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 6. Vaſqu. *diſp.* 3. *de Matrim. c.* 2. *num.* 21. Bonac. *de Sponſalibus q.* 1. *propoſit.* 2. *num.* 6. Dixi *regulariter* : quia promiſſio non acceptata in aliquibus caſibus obligat, eò quòd Jus poſitivum in illis ſuppleat defectum acceptationis, ùt accidit quando aliquid promittitur infanti, *cap. de Emancip. liber.* Et ſi unus promittat, alter promiſſionem acceptet, ſed contrahere matrimonium non repromittat, ille non alter ad contrahendum matrimonium obligatur. Ita Bonac. Bonæ Spei, Petrus à S. Joſeph. Sed tunc non ſunt ſponſalia propriè talia : ſicut non eſſet matrimonium ſine mutua corporum traditione & obligatione, ita nec ſponſalia ſine mutua corporum tradendorum promiſſione & obligatione ; cùm ſponſalia ſint quædam matrimonii (ad quod ordinantur) inchoatio.

Acceptata.

Promiſſio ante acceptationem non obligat.

Caſus

5. Debet eſſe *non ficta* ſive ſimulata, ſed vera (b) : quia aliàs deeſſet conſenſus : & ſic licèt in foro externo valeant ſponſalia hoc ſenſu quod poſſit talis cogi, non tamen in foro interno valent; cùm ſecluſo omni damnô nulla ſit obligatio, cùm ea fundetur in conſenſu. Clarificatur & probatur, per ſponſalia de præſenti, *quod ſi non conſenſit, non eſt matrimonium ; quia conſenſus eſt de ſubſtantia matrimonii : de Sponſalibus cap. Tua nos. Et ideo in Judicio fori ſecundùm Gloſſam ſemper præſumitur pro matrimonio : quia ibi non poteſt conſtare fraus, nec probari defectus conſenſûs ; ſed in Judicio pœnitentiali conſtare poteſt, ubi unicuique creditur.* Doctor Reſolutus *in* 4. *d.* 30. *a.* 2. Ergò etiam in ſponſalibus de futuro, ſi non conſenſit, non ſunt ſponſalia: quia conſenſus eſt de ſubſtantia ſponſalium. Et ideo in Judicio fori præſumitur pro ſponſalibus, quia ibi &c.

(b) Contra Vaſq. Poncium.

Vera.

6. Ex his ſequitur, Sponſum vel Sponſam nobilem & divitem, quæ iniit voluntariè ſponſalia cum aliquo ignobili & paupere, cujus conditionem non ignorabat ſed ſcivit, teneri ſtare ſponſalibus, & cum illo matrimonium contrahere. Ita Bonac. & alii communiter apud eum. Niſi ex illo matrimonio ſequatur grave malum, vel magnum ſcandalum, ùt graves rixæ inter Parentes contrahentium, vel aliud grave incommodum ; cùm juſtitia non obliget ad faciendum malum. Ita Sanch. *loc. cit.* Emmanuel Sa *verb. Reſtitutio, num.* 24. Vaſq. *de Reſtit. c.*3. §. 1. *dub.* 2. *n.* 17. Reginald. *lib.* 31. *n.* 255. & 264. & alii.

7. *Futuri matrimonii* : dico ſpecificativè, ad diſtinctionem ſponſalium de præſenti, & cujuſcunque ſponſionis alterius.

8. *Inter*

8. *Inter personas habiles* : id est quæ ætatem à Jure præscriptam habent, & nullo impedimentô prohibentur. Inter habiles.

9. Et debet talis promissio esse *signo externô manifestata* ; cùm sit ad hominem, qui nisi per externa internum consensum cognoscit. Licèt si quando Parentes aut Tutores, pro filiis puberibus vel impuberibus contrahunt sponsalia, ipsis præsentibûs sufficiat pro consensûs interni signo taciturnitas, quia Jus *cap. final. de Desponsat. impuber. tit.* 2. accipit taciturnitatem in tali casu pro expressione consensûs ; non tamen quando alius nomine eorum, aut puberes ipsi contrahunt, etiamsi internè verè consentiant ; Sic si Cajus promittat Bertæ matrimonium futurum, & ipsa taceat, etiamsi internè consentiat, sponsalia non contrahuntur : quia taciturnitas nullo Jure inter tales pro signo externo consensûs habetur : potiùs in talibus casibus valet regula Juris *in* 6. *qui tacet neque consentire neque dissentire videtur.* Ita Henriq. *lib.* 11. *cap.* 13. *num.* 6. Bonac. *loc. cit.* Signô externo expressa.

10. Dico 2. Sponsalia variis modîs contrahi posse. 1. per simplicem & absolutam promissionem : absolutam, hoc est sine conditione ulla ; simplicem verò, id est sine aliquo onere, ùt si quis dicat, *accipiam te in uxorem*, & illa respondeat, *ego nubam tibi : de Sponsalibus cap.* 1. (c). Et hoc sive faciant per se, sive per Procuratores, sive per verba ad hoc apta, sive per signa externa, ùt declaravit Bonifacius VIII. *cap. unic. de Sponsal. impuber.* Verba autem debent esse ad individuum subjectum determinata : Unde si Cajus diceret quinque mulieribus, *promitto me ducturum aliquam ex vobis in uxorem*, & omnes similiter responderent, tunc non contraherentur sponsalia ante unius electionem, ad quam vî promissionis obligaretur. Ita Bonæ Sp. Modi contrahendi sponsalia.

(c) Doct. R. in 4. d. 26. q. 1. a. 1. Tolet. lib. 7. c. 2.

11. Secundus modus quô solent contrahi, est per absolutam promissionem, sed aliquo onere accedente, v. g. juramentô, aut donatione annuli, aut alicujus arrhæ.

12. Tertius, per promissionem conditionatam. Sed de conditionibus dicam *infrà*, agens *de Consensu matrimonii.* Hîc tantùm de eis dico, quòd ante purificatam conditionem non obligant sponsalia ; hâc verò purificatâ, transeunt in absoluta absque novo consensu contrahentium.

13. Quarto modô per virtualem promissionem, quando per Parentes duo impuberes vel unus taciturnitate respondet, validè contrahunt sponsalia, ùt dixi.

SECTIO II.

Quæ ætas, quorum impedimentorum carentia faciunt habilem ad contrahendum sponsalia?

1. Ætas

1. ÆTas præscribitur ab Ecclesia, alia ad sponsalia, alia ad matrimonium: Ad sponsalia requiruntur saltem anni 7. ita ut si uterque aut alteruter non habeant 7. annos, nulla sint sponsalia; ad matrimonium requiruntur anni pubertatis.

Ætas ad sponsalia.

2. Quærunt Theologi, utrùm septennium debeat esse completum physicè, an sufficit moraliter? *Respondet* P. Bonæ Sp. ita debere esse physicè completum, ut non sufficiat diem ultimum esse inchoatum, etiamsi contrahentes perfecto usu rationis gaudeant. Econtra est sententia Doctoris Resoluti *in* 4. *d.* 28. *q.* 1. *a.* 3. ubi ait: *dico, quòd sponsalia contrahuntur etiam inter septennes; inter minores autem non sunt sponsalia: de Sponsalibus impuberum cap. Litteras. Et requiritur quòd uterque sit major septem annis: de Sponsalibus impuberum, cap. Ad dissolvendum. Nisi essent proximi septem annorum ætati, & malitia suppleret ætatem; & maximè si tentarent commisceri: cap. de Sponsalibus & matrimonio juvenis.* Subcribunt ei Sotus *in* 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 2. Henriq. *lib.* 11. *c.* 13. *n.* 9. Bonac. & alii plures. Tunc autem malitia dicitur supplere ætatem in sponsalibus, quando ante septennium adest sufficiens usus rationis, quô contrahentes intelligunt quid agunt; in matrimonio verò malitia dicitur supplere ætatem, quando contrahentes cognoscunt naturam conjugalis contractûs, & habent potentiam generandi. Ita Bonac. *loc. cit. punct.* 4. *prop.* 1.

Malitia supplens ætatem.

Solvitur objectio.

3. Professio ante 16. annum completum, invalida est, juxta Trident. *sess.* 25. *can.* 15. ita ut si uno die citiùs illa fieret, esset nulla; non sic sponsalia. Ratio disparitatis est: tum quia matrimonia & sponsalia sunt contrahenti magis favorabilia; cùm natura magis ad hæc quàm ad alios actus inclinet: tum quia Trident. irritat talem professionem, non irritat autem sponsalia; & matrimonia ante annos contracta, dum supplet ætatem malitia. Et quia requiritur usus rationis (ut dixi) ad contrahenda sponsalia, inde sequitur, quòd sicuti ante physicè completum septennium validè possint contrahi sponsalia, ita post completum septennium, si alteruter nondum pervenit ad usum rationis, invalidè ab eis contrahuntur. Ita S. Thom. Anton. & alii quos citat & sequitur Bonac. *suprà*.

Advertētia.

Casus nullitatis sponsalium inter impuberes.

4. Ad hæc animadvertenda sunt, quæ notat Doct. Resol. *suprà*; ipse enim monens dicit: *Nota benè hanc materiam, 6. de Sponsalibus impuberum, cap. Si infantes, ubi multi casus dicuntur. Primus est, quòd si infantes, Glossa, id est minores septem annis, invicem contraxerunt sponsalia, nulla sunt.*

Invalida sponsalia non inducunt impedimentum publicæ honestatis.

5. *Secundus, si unus minor septenniô & alter major, invicem contraxerunt sponsalia; nisi in præmissis casibus Parentes contraxerint pro iisdem sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti termini minimè convalescunt, & propter defectum consensûs, cùm nulla essent, etiam publicæ honestatis justitiam non inducunt.*

6. *Ter-*

6. *Tertius casus est, si duo impuberes, id est duo minores, id est qui non habent legitimam ætatem, vel pubes, ùt masculus 14. annorum, impubes fœmina minor duodecim annorum, sponsalia contraxerint de præsenti, vel Parentes pro eisdem; etiamsi contraxerint per verba de præsenti, per adventum pubertatis non transeunt in matrimonium de præsenti. Ratio est: quia sponsalia illa de præsenti quæ fuerunt ante legitimam ætatem, Juris interpretatione fuerunt sponsalia de futuro; non transeunt in matrimonium de præsenti sine novo consensu, ùt ibi ponitur in Textu.*

Matrimonia ante annos pubertatis sunt sponsalia tantùm.

7. Et quid si accesserit copula eorum? *Resp.* Ubi Tridentinum etiam quoad hoc non est receptum, sponsalia per copulam pòst habitam, ex præsumptione Ecclesiæ transeunt in matrimonium, *cap. Is qui fidem, de Sponsalibus & matrimoniis.* Ubi verò est Tridentinum receptum, non sufficit talis copula ad matrimonium, sed debet consensus de novo fieri coram Testibus & Parocho.

Copula advenienteubi matrimoniū

8. *Quartus casus est per locum ab opposito, quòd ex sponsalibus quæ Parentes pro filiis puberibus vel impuberibus contrahunt, ipsi filii si expressè consenserint, vel tacitè, vel si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur justitia publicæ honestatis.*

9. *Quintus casus est, scilicet quòd obligantur filii, si filii tempore sponsalium absentes, & etiam ignorantes, eadem sponsalia pòst scientes ratificaverunt tacitè vel expressè.* Signa autem ratificationis tacitæ in adolescentibus, qui sciunt Parentum pro eis promissionem, sunt oscula, munera, datio annuli, mutua conversatio in aliena domo tamquam cum Sponsa. Ita Alarius, Rotar. & alii.

10. *Sextus casus est econtra, quòd nisi postquam sciverint hujusmodi contractum, ipsum ratum tacitè, vel expressè habuerint, ex sponsalibus contractis à Parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicæ honestatis justitia inde surgit: hæc enim in 6. de Sponsalibus impuberum.*

11. Ad secundam partem quæstionis, dico: Non tantùm ii invalidè contrahunt sponsalia, qui laborant impedimento dirimente matrimonium, ad quod contrahendum ordinantur, nam promissio rei impossibilis Jure naturali & positivo nulla est, juxta axioma, *ad impossibile nemo obligatur*; sed etiam qui habet impedimentum sub culpa perpetuò tantùm impediens matrimonium: quia non potest validè se obligare, quod nonnisi illicitè fieri potest, cùm nullus obligatus esse potest ad peccandum; imò obligatur ad hoc ut non peccet (a). Dixi, *perpetuò impediens*: nam si sit temporale, v. g. bienni castitatis votô impeditus, potest promittere matrimonium pro tempore quô ablatum erit: patet inde, quòd impuberes soleant pro tempore pubertatis promittere.

Impedimentum dirimens sponsalia.

(a) Bonæ Spei, Petrus à S. Joseph.

Qui sint sponsaliorum effectus, quæ obligationes Sponsorum ?

Sponsus cum consanguinea Sponsa non valet contrahere matrimonium.

1. AD 1. *Respondet* Doct. Resol. *loc. cit. a.* 4. *Primus effectus sponsaliorum, post septennium contrahentium est, quòd inducunt publicæ honestatis justitiam, impedientem matrimonium contrahendum cum consanguineis, de Sponsalibus, cap. Sponsam ; & inter consanguineos dirimitur matrimonium contractum : de Spons. impuberum, cap. Litteras, & cap. Accessit.*

2. *Secundus est, si ante septennium Sponsi se cognoverint, vel cognoscere se tentaverint, impeditur contrahendum cum consanguineis, & dirimitur contractū: de Sponsa juvenis.*

In primo gradu.

3. Ad hæc animadvertendum, quòd dictum impedimentum ex declaratione Trident. *sess.* 24. *c.* 3. non extendatur ultra primum gradum : sic enim ibi dicitur : *justitiæ publicæ honestatis impedimemtum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsùs tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

Obligant sub mortali.

4. Quoad secundam partem dico: sponsalia ad contrahendum matrimonium obligant sub mortali : *cap. Litteris* 2. & *cap. Requisitum, de Sponsalibus,* & *cap. Præterea.* Sicque docent S. Thom. *in* 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 2. Bonæ Sp. & alii communiter. Ratio est : quia sunt contractus in re gravi.

Pro discursu & solutione. Casus.

5. Ut plura per Decisiones Pontificum de obligationibus Sponsorum deducam, hac methodo seriem intelligibilium proponam, & difficultates solvam. Inprimis Cavius quamdam puellam in cunabulis desponsavit, procedente verò tempore Matrem puellæ cognovit, & eam in uxorem accepit ; quid ad hoc ? *Resp.* Vel hoc fecit ante septennium puellæ ? Matrimonium cum Matre puellæ valorem habet ; secùs si pòst : nam taliter Alexander III. Herfordensi Episcopo ad hunc casum *cap.* (a) *Litteras,* scribit: *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd si præfatus vir Matrem puellæ antequam septimum annum complesset in uxorem accepit, matrimonium non dissolvas; cùm desponsationes hujusmodi nullæ sunt, quæ in cunabulis fiunt. Verùm si postquam puella septimum annum complevit, prædictus vir Matrem ejus accepit uxorem, cùm sponsalia extunc placere consueverint, inter eos sententiam divortii non differas promulgare ; nec ipsum filiam seu Matrem habere permittas.* In Corp. Jur. Can. *de Desponsatione impuberum lib.* 4. *tit.* 1. & 2. *pag.* 205. Idem Eboracensi Episcopo in simili casu *cap. Accessit,* sic ordinat ac præcipit, quatenùs si sibi constiterit *quòd puella non esset septennis, quando desponsata fuit, & postea non consenserit, matrimonium inter eundem & Matrem puellæ celebratum*

Sponsalia cum filia & Matre.

(a) Cap. 5. cod. tit. in 1. Compil. Trid. sess. 24. de Reform. c. 3.

præcipias inviolabiliter observari, & eorum prolem denunties esse legitimam: quia desponsationes & matrimonia ante 7. annos fieri non possunt, si consensus postea non accedit. In Corpore Jur. Can. *loc. cit.*

6. Cavius præfatus contraxit cum Matre dictæ puellæ ante septennium ejus, sed etiam cum alia ejus puellæ consanguinea antecedenter, in ordine ad extorquendam copulam contraxit sponsalia. *Resp.* Vel illa consanguinea erat in secundo, vel in primo gradu? Si primum? Non dirimit matrimonium contractum cum Matre: quia licèt publica honestas ex matrimonio rato proveniens, dirimat matrimonium contrahendum cum consanguineis usque ad quartum gradum inclusivè, ùt Pius V. *in Proprio motu* qui incipit, *ad Romanum*, declaravit; ex sponsalibus tamen orta, primum gradum non excedit, ùt decisum est in Concil. Trident. *sess.* 24. *c.* 3. ùt legimus *suprà, num.* 5. Si secundum? Matrimonium præfatum nullum est: quia in primo gradu publica honestas Matrimonium dirimens, obest. Quare sicuti etiam post contractum matrimonium cum Matre, ante copulam cum ea habitam, tenebatur relinquere Matrem, propter nullitatem matrimonii, & cum filia, illius puellæ in cunabulis sorore, contrahere matrimonium; ita post copulam cum Matre, sive antè sive pòst habitam, tenetur relinquere utramque (b) propter impedimentum publicæ honestatis: patet ex Decisione priori Alexandri III. *suprà.* Potest tamen ducere aliam; cùm non prohibeatur: sed si insuper copulam habuerit cum filia, videtur debere permanere absque spe conjugii: à pari inde, quòd si quis Sponsam filii sui cognosceret, simul cum ea sine spe conjugii remanere debet, ùt est statutum in Concil. Triburien. sequentibûs: *si quis Sponsam filii sui oppresserit, & postea filius ejus eam duxerit, Pater postmodùm non habeat uxorem, nec mulier virum. Filius qui Patris facinus ignoraverit, aliam accipiat.* In Corp. Jur. Can. Decretal. *part.* 2. *causâ* 27. *q.* 2. *pag.* 366.

Sponsalia cum Matre & duabus filiabus.

(b) Steph. à S. Paulo pag. 1006. n. 81.

7. Sed dices: sponsalia cum filia posteriora sponsalibûs cum Matre, facta esse in spem dispensationis, *contraham tecum si Papa dispenset*; quæritur an valida? *Rdet* Alarius, hanc promissionem conditionatam validam esse, inducentemque obligationem standi promissis, posita dispensatione. Contrarium docet Soto, cui subscribo, nullibi hucusque reperiens primæ sententiæ fundamentum. Valida tamen essent dicta sponsalia inter infideles, contracta sub hac conditione, *si ad fidem convertatur.* Ita omnes cum S. Thoma asserente Rotario.

8. Cajus contraxit sponsalia cum Caja, quæ etiam cum alio contraxit; cui ergò obligata est? *Resp.* quòd primo: nam *de Sponsa duorum cap.* 1. (c) statutum est, quòd si una Sponsa haberet duos, primus eam obtinere debet: Sicuti quando unus habet duas Sponsas, primam accipere tenetur. Et etiamsi secundæ juraret, addunt Homob. & Rotarius; cùm juramen-

Alii casus, una Sponsa cum duobus.

(c) Doct. Resol. in 4. d. 30. a. 3.

 tum

tum de re iniqua non obliget; aliàs daretur vinculum iniquitatis.

Cum uno ex metu, cum alio clam.

9. Sed cum illo in præsentia Parentum, ex metu gravi; cum hoc clandestinè, insciis & invitis Parentibûs contraxit. *Rdet* P. BonæSp. ad 1. quòd metus cadens in constantem virum non irritet sponsalia de futuro. Sed oppositum ex *cap. Ex litteris, de Sponsalibus impuber.* probatur, taliterque Bonac. Steph. à S. Paul. *de Sacrament. tr.* 5. *disp.* 8. §. 5. & alii. Et cùm desponsalia ex defectu consensûs sint nulla, non inducunt publicæ honestatis impedimentum: patet ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 3. & pro hoc sunt Tolet. Bonac. Steph. à S. Paul. & alii. Ad 2. dico: Sponsalia clandestina non esse invalida: quia Concil. Trident. irritat tantùm matrimonium clandestinum, sponsalia relinquens in dispositione Juris antiqui. Hoc declaravit S. Congreg. teste Alario. Nec contrahendo peccant mortaliter: quia usu receptum est, ut multi promittant sibi matrimonium, nullo alio præsente: dissuadenda tamen talia; cùm sæpiùs fiant sine debita circumspectione & prudentia, docent Sanch. *lib.* 1. *d.* 13. *num.* 2. Emman. Sa, Sylv. & alii apud Bonac. Quoad 3. dico: Quàmvis contrahentes contra voluntatem Parentum peccent mortaliter, quia Parentum officium exigit, ut sine eorum voluntate non contrahant, ut eis quàm optimè provideant; validè tamen contra eorum voluntatem contrahunt: cùm maneant verè liberi in contrahendo (d). Non obstante hoc possunt Parentes etiam per Judices Ecclesiasticos impedire, ne contrahant matrimonium, si ex eo ob disparitatem Sponsorum, vel aliam similem causam, timetur familiæ ingens dedecus, scandalum, rixæ &c.

Invalida sponsalia non inducunt impedimentum. Vide hîc n. 5. & sect. 2. n. 5. & 10.

Sponsalia clandestina sunt valida.

(d) Bassæus verb Sponsal. c. 2. n. 8. Bonæ Sp. disp. 1. n. 49.

10. Notandum, si Sponsi ne peccent contrahendo contrahant sponsalia sub conditione, *si Pater consenserit*, & constanter consenserit, obligant; si verò consenserit, cras contradixerit, per multos obligant, per multos deobligant: de quo legendus P. Steph. à S. Paulo.

11. Dices: sed contraxit sponsalia cum secunda, & allegatur contra eum quòd juraverit accipere primam, secundam verò post sponsalia cognovit; cum qua ergò matrimonium inire tenetur. *Resp.* quòd cum secunda: ita enim D. R. *in* 4. *d.* 30. *q. unic. a.* 3. ait: *pone quòd aliquis juraverit ducere primam, & diu expectavit eam, nec per eum stetit quò minùs matrimonium non sit prosecutum, si ille postea contrahit cum alia per verba de præsenti, stabitne matrimonium, si cum secunda? Dico quòd sic, & imponetur ei pœnitentia pro perjurio, nisi terminum juramento præfixisset, intra quem contrahere vellet: tunc enim si per eum non stetit, sed per mulierem quò minùs matrimonium sit secutum, lapso terminô potest cum alia contrahere; sed si sine præfixione termini juraverit accipere primam per verba de futuro, tunc debet cogi servare juramentum, & cum ipsa contrahere, nisi secundam post sponsalia cognovisset: cap. de Spons. Si inter virum.* Et ratio est: quia naturalis æquitas postulat, ut quæ passa est

Sponsus primæ juravit, secundam cognovit.

tan-

tantum damnũ, quale est à viro cognosci, præponatur alteri, quæ ex violatione contractûs aliud damnum non patitur, quàm quòd promissum non sequatur: cæterùm ejus corpus integrum est. Homob. *tract. de Matr. c. 8. resol. 5.*

12. At excusat se Cajus quòd secundæ fictè promiserit contrahendum matrimonium, non habens animum cum ea contrahendi, sed solùm copulam extorquendi, cùm aliter eam ad copulam perducere nequivisset, dixit, *te Joannes desponsat*, intendens nullitatem desponsalium. Jam ad hoc respondi *num. 5. sect. 1.* quòd sponsalia taliter contracta, sint nulla: quia adest dolus, deest consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale, dicit Innoc. III. *cap. Tua nos.* Et si adesset juramentum, idem respondendum, si factum esset absque animo jurandi, vel cum animo non se obligandi. Sanch. *disp. 9. n. 9.* Bonæ Sp. Petrus à S. Joseph & alii communiter. Et hoc totum verum est in foro conscientiæ, quòd liber sit ab obligatione contrahendi cum ea vi promissionis & juramenti; tamen in foro externo cogi potest (e), ut stet promissioni datæ, & juramento facto, cùm in foro externo præsumatur jurasse cum intentione jurandi & se obligandi (e): eô ipsô quòd voluntariè DEUM assumpserit in testem futuri matrimonii, religio & reverentia erga ipsum postulat, ut id exequatur quod exteriùs promisit.

Sed fictè promisit.

(e) Vide sect. 1. num. 5.

Ad quid tenetur & in quo foro? Ratione damni illati.

13. An in foro conscientiæ ratione injuriæ, damni illati, quòd virginem sub ficta promissione matrimonii defloravit, obligetur, & ad quid? *Resp.* In hoc multùm controvertunt DD. Ego paucis satisfacere conor. Vel fœmina præfata facilè potuit ex variis indiciis deprehendere se decipi à promittente, v. g. quòd illa sit pauper, ille Nobilis, Dominus ejus &c. In tali casu ratione damni quod passa est, non obligatur ad contrahendum matrimonium cum ea, neque ad dotandam eam, neque ad ullam solutionem (f). Ratio est: quia sic potiùs voluit decipi quàm sit decepta, & fingens se decipi, decepta est: nec injuriam passa est, cùm voluerit, volenti enim non fit injuria. Vel disparitatem & inæqualitatem, nempe genus viri, aut divitias ignorabat, aut ille ita promisit, ut vir prudens non potuisset facilè præsumere dolum? Non tenetur eam ducere (g): quia jactura inferioris fœminæ non videtur compensanda cum tanto viri dispendio; sed tenetur pecuniis satisfacere (g). Vel erat æqualis conditionis? Tunc quæro iterùm: Vel reperitur Sponsa æqualis sicut se dicebat talem, divitem scilicet, nobilem &c? Si non reperitur talis ut se dicebat? Eximitur deflorator ab obligatione ducendi eam. Similiter si deprehendit non virginem, quæ se simulabat talem. Ita Ledesma *q. 45. a. 4.* Sanch. *lib. 1. disp. 10. n. 11.* Rotar. & alii. Ratio est: quia fictio fœminæ compensatur fictione viri. Nec ad dotationem talis obligatur, asserunt Sanch. Bonac. & alii *suprà*. Idem dicendum si reperitur mulier, quæ solita sit corpus

(f) Bonæ Sp. Bonac. Petrus à S. Jos. Rotar. Navar.

(g) Petrus à S. Ioseph.

 suum

(h) Bonacina, Rotarius.

ſuum locare (h); cùm talis mulier nullum damnum patiatur: tenetur tamen ei dare pretium conſuetum (h). Si eſt mulier æqualis conditionis, & reperitur ùt ſe dicebat, talis? Docent graviſſimi Authores, Ledeſm. *q.* 45. Reginal. *lib.* 31. *n.* 255. & 256. Bonac. *de Sponſal.* & alii apud eum *loc. cit.* obligari defloratorem ad contrahendum matrimonium cum deſponſata deflorata, vî promiſſionis: non quidem ratione ſponſalium, cùm defectu intentionis fuerint nulla, ſed vî contractûs, *do ut des*; cùm puella ex parte ſui contractum impleverit, tradendo corpus virgineum violandum, ille tenebitur implere alteram partem contractûs. Econtra Cordub. BonæSp. docent, tunc tantùm teneri ad contrahendum matrimonium, quando defloratam á ſe, dotare non poteſt aut non vult. Ratio ejus eſt: quia copulam non acceptavit niſi ſub ficta promiſſione matrimonii. Fundamentum verò primæ ſententiæ ſic ſolvit, quòd fictus promiſſor in foro externo non in interno contractum dictum, in propoſito caſu teneatur implere. Ego verò ſic dico: Vel virgo deflorata aut vidua honeſta, eſt in magno periculo infamiæ, quia v. g. eſt imprægnata &c? Tenetur eam ducere. Vel non eſt tantum periculum? Non tenetur; ſufficit injuriatam dotare.

Votum non obligat cum notabili damno proximi.

14. Cajus ante contracta ſponſalia fecit votum ingrediendi Religionem approbatam; utrùm hoc eum liberet ab obligatione contrahendi matrimonium cum ea, quam ſub promiſſione matrimonii defloravit? *Reſp.* Duæ ſententiæ ſunt circa hoc. 1. Sanch. *lib.* 1. *d.* 45. *num.* 3. Azor. 3. *p. c.* 5. *difficult. ult.* Laym. Bonac. *de Sponſal. q.* 1. *punct.* 5. *num.* 7. & aliorum apud eum, docentium eum non deobligari in hoc caſu quô hæc non fuit voti conſcia. Ratio eſt eorum: quia votum non obligat cum notabili damno proximi, & violatione juſtitiæ. Tenetur tamen Sponſus ſervare votum, quantùm in ſe eſt: & ſic poteſt reddere, non petere debitum; quia diſpenſatio eſt ſolùm in favorem defloratæ: quare ſi hæc moriatur, adſtringitur denuò voto totaliter. Tutius eſt, ut petat à Sacra Pœnitentiaria diſpenſationem. Econtra Navar. *lib.* 4. *conſil.* 21. Rodriq. *cap.* 108. *n.* 11. Bonæ Sp. *de Sponſal. dub.* 1. *n.* 23. aſſerunt, non teneri defloratam ducere, ſed ſolùm aliter damnum quatenùs poteſt, compenſare: ſi non poteſt, tenetur eam ad vitandum damnum ejus, accipere. Ratio ejus primæ partis eſt: quia erat promiſſio rei illicitæ, conſequenter non obligatoria, quando aliô modô damnum compenſari poteſt. Ultimi ratio eſt (i): quia juſtitiæ obligatio reparandi damnum illatum, eſt obligatione voti fortior. Ego reſpondebo *num. ſequ.*

(i) Vaſq. Poncius.

15. Cajus poſt 9. Menſes ducere non vult defloratam, & dicit ſe obligatum quidem ad injuriam factam compenſandam, juxta prudentis arbitrium, non autem ad contrahendum cum ea matrimonium: quia juxta communem ſententiam Theologorum, in propoſito caſu tantùm ad factam injuri-

am

am compenſandam tenetur, quando copula eſt adeò occulta, ut nullum ſit infamiæ periculum in fœmina; prout docent Suar. *lib.* 1. *diſp.* 10. *n.* 23. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 10. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 7. *q.* 7. *n.* 252. Bonac. *loc. cit.* & alii apud eum. Quæritur ſi ipſa urgeat, an poſſit cogi? *Reſp.* quòd non: quia poteſt ratione damni, aut periculi damni, cogi: at nec damnum, nec periculum damni eſt; ergò.

16. Et inde ad anteriorem difficultatem *num.* 13. poſitam, ſic *Reſp.* Vel per copulam Sponſi factum eſt damnum Sponſæ, aut periculum damni, vel non? Si ſecundum? Tenetur votum adimplere, non expectando mortem ejus. Si primum? Tenetur eam ducere, ſervatis ſervandîs. Pro primo, ſecundæ ſententiæ; pro ſecundo, primæ ſententiæ Authores adduco. Ratio primi eſt: quia nec damnum, nec periculum damni, nec promiſſio urget. Secundi eſt: tum quia vinculum juſtitiæ eſt fortius vinculô charitatis: ſed propter vinculum charitatis, ſuſpendendum eſt votum Religionis, ùt communiter docent DD. v. g. ſi poſt votum filii profitendi in Religione approbata, Parentes incidant in magnam indigentiam; Filius tenetur votum ſuſpendere, & Parentes ſalvare: ergò multò magis in caſu propoſito tenetur Sponſus ſuſpendere votum emiſſum caſtitatis, ſive ingrediendi, profitendi Religionem &c. Tum quia vinculum Religionis cedit vinculo juſtitiæ: patet ſi quis eſt ære alieno preſſus, & eſt ſpes quòd poſſit ſatisfacere, tenetur priùs ſatisfacere quàm votum ingrediendi Religionem adimplere. A fortiori ſi votum ſubſequatur ſponſalia, Sponſa eſt gravida; in tali caſu tenetur Sponſus fidem in ſponſalibus datam ſervare, & ab ingreſſu Religionis abſtinere: quia votum illius cùm ſit alteri valdè injurioſum, à DEO minimè acceptatum fuit, ac proinde non obligat, ùt ferè omnes tenent.

Poſt votum ſponſalia, & econtra.

17. Ad quid tenetur vir, qui poſtquam fictè promiſit fœminæ, vult illam ducere; ſed Parentes recuſant aut ipſa? *Reſp.* quòd ad nihil: Taliter ſentiunt Leſſ. *lib.* 2. *c.* 10. *dub.* 3. *n.* 27. Bonac. Sanch. *loc. cit.* contra Navar. Henriq. quia ipſe non dotem ſed matrimonium promiſit.

18. Quæres, utrùm fœmina teneatur ducere virum, à quo extorſit copulam ficta promiſſione matrimonii? *Reſp.* quod non: quia non eſt id vî cujus teneretur: non vî promiſſionis, cùm erat ficta; non ratione damni, cùm vir non ſoleat pati damnum ex copula habita cum fœmina. Ita Bonac. Addo, *non ſoleat pati*: nam ſecùs dicendum, ſi ipſa laboraret morbô gallico; teneretur illum accipere, ſi vellet ipſe.

Fœmina quæ vî promiſſionis matrimonii copulam extorſit, non obligatur ad contrahendum matrimonium.

19. Quo tempore matrimonium poſt ſponſalia contrahi debet? *Reſp.* Si præfixus dies ſit? Eô contrahendum; niſi de altero contrahentes inter ſe poſtmodum conveniant: quia illum diem ſervare, expreſſum eſt. Si ſecùs? Prima oportunitate contrahi debet, ex regula Juris 4. *FF. de Regulis*

Juris:

Obligatio quando dies non assignatur.

Juris: in qua dicitur, *in omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur, & solvi debet si petatur.* Et S. Congregatio Cardinalium jussit Ordinarios id curare, ut quamprimum celebrentur matrimonia de præsenti, quô stupri periculum, aliaque peccata vitentur. Bonæ Sp. Homob. Rotar. & alii.

Matrimonium non differendum.

Tactus inter Sponsos qui liciti.

20. Quinam tactus inter Sponsos sint peccaminosi? *Resp.* Oscula, amplexus, & alii tactus, v. g. manuum contrectatio, licitè fieri possunt ob finem honestum, in signum v. g. mutuæ benevolentiæ, ad conciliandum & fovendum mutuum amorem, in ordine ad matrimonium contrahendum. Ratio: quia sub tali fine nulla apparet turpitudo, sed omnium gentium consuetudine, honestas vel urbanitas comprobatur; dummodo tales tactus non fiant diututniores, & frequentiores, monet Homobonus, ne alterutri Sponso sit pollutionis periculum. Hinc peccant mortaliter Parentes vel Tutores, & Custodes Sponsæ, qui eam solam relinquunt cum Sponso, propter dictum periculum, quod ferè semper non sine peccato evenit. Idem, cum Rotario & aliis tenet. Unde tales tactus licèt non impudici, quando fiunt causâ sensualis delectationis ex spirituum vitalium commotione ad copulam incitante, mortaliter illiciti sunt: à fortiori tactus impudici, etiam pro brevi morula: quia ad copulam conducunt, quæ eis est illicita.

Quòd si fornicetur cum alia persona.

21. Si Sponsorum alteruter post sponsalia fornicetur, teneturne hanc circumstantiam aperire in confessione, quòd Sponsus sit? *Resp.* Circa hoc duas esse sententias: Prima docet, quòd sponsalia non addunt fornicationi speciem distinctam injustitiæ malitiam. Ponc. Bonæ Sp. Ledesm. Perez. Secunda contrarium docet, cujus sunt Sanch. Laym. Konink, Palao. Cum his *Resp.* & dico 1. Sponsus non tenetur hanc circumstantiam aperire: quia sicut promissio futuræ Religiosæ professionis in eo, supra fornicationem non addit fornicationi speciem distinctam sacrilegii malitiam, eò quòd non sit professionis factæ, sed faciendæ duntaxat; ita nec sponsalia &c. quia non sunt matrimonii facti, sed faciendi.

Non Sponsus

22. Dices: Qui promittit se daturum rem integram, & tradit corruptam, peccat contra justitiam: sed Sponsus per sponsalia promittit se daturum corpus integrũ, & post fornicationem tradit corruptum; ergò. *Resp.* distinguendo primam propositionem: qui promittit se daturum rem integram in ordine ad certum usum, & tradit corruptam, in ordine ad istum usũ, peccat contra justitiam, Concedo primam propositionẽ; & tradit corruptam, in ordine ad usum non promissum, Nego hanc propositionem. Sed Sponsus per sponsalia promittit se daturum corpus integrum, ad generationem; non autem integrum, ad cæmentandum, & ad suæ deflorationem virginitatis.

23. Dico 2. Sponsa post fornicationem factam cum altero, tenetur in con-

confessione hanc circumstantiā aperire, cùm in ea fornicatio alterius, gravis est Sponsi injuria: nam exponitur periculo concipiendi, atque adeò injustitiæ erga futurum virum, qui prolem alterius nutriet tamquam suam. Sponsa tenetur.

Casus, quibûs dissolvuntur sponsalia de futuro.

24. Primus est, quando unus sine licentia alterius in patriam longinquam abit, unde incertus est reditus: à fortiori si animô ibi domicilium figendi; tunc etiam jurata sponsalia dissolvi possunt, *cap. De illis, 5. de Sponsalibus & matrimoniis*. Et quidem ante copulam ex parte utriusque. Ita D R. *in 4. d. 28. a. 6.* dummodo ex parte recedentis non sit magna necessitas illuc pergendi. Si verò accesserit copula, tunc solùm ex parte remanentis Sponsæ facultas ea dissolvendi habetur. Dixi, *sine licentia:* quia alioqui expectandus est (k); dummodo ex nimia Sponsi mora grave periculum incontinentiæ Sponsæ non immineat, aut non urgeat alia necessitas contrahendi matrimonium cum alio (l): in his enim casibus censetur Sponsa se non obligasse ad expectandum Sponsum, quàmvis ei dederit licentiam discedendi (l).

Casus dissolvendi sponsalia. Iter in longinquam patriam. Sine licentia. (k) Bonac. Bonæ Spei. (l) Petrus à S. Ioseph.

25. Quid si ex parte Sponsæ periculum dictum non est, aut necessitas, & nimis diu moretur Sponsus? *Respondet* D.R. *in 4. d. 30. a. 6. quòd tenetur expectare Sponsa absentem in peregrinatione nisi trienniô, cap. de Sponsalibus, lib. 2. nec præsentem (* in eadem Provincia *) nisi bienniô, FF. e. l. Sæpè; nisi causa rationabilis subsit, ùt valetudo Sponsi vel Sponsæ, vel mortes Parentum, vel capitalia crimina objecta, & longiores peregrinationes quæ ex necessitate fiunt, ùt appellationis exercendæ, FF. e. l. Sæpè.* Toletus *lib. 7. cap. 21.* dicit: licèt hæc tempora leges civiles præscribant, non est tamen expectandum secundùm Canones. Medium optimum adfert Petrus à S. Jos. *de Sacram. matrim. cap. 3. resol. 9.* ut Judex Ecclesiasticus, spectatis circumstantiîs omnibus, maximè verò damnîs aut periculîs quibus Sponsa ex longa mora subesse potest, præfigat tempus, intra quod si Sponsus non redierit, Sponsa libera ab obligatione manebit.

26. Dixi, *in patriam longinquam:* quia eô ipsô quòd in tam remotas partes absque scitu aut consensu recedat, videtur renuntiare sponsalibus.

27. Dixi, *si reditus est incertus:* nam si certò statim esset rediturus, aut saltem peracto negotiô valdè necessario, sponsalia non sunt dissolvenda, nisi spectatis spectandîs, ùt dixi immediatè.

28. Addidi, *animô ibi domicilium figendi:* cùm Sponsa non teneatur eum sequi; nisi aliter conventum sit. Et multò minùs si Sponsus vagari velit.

29. Casus 2. est, quando unus est illorum in mora, ultra tempus debitum contrahendi, alter dissolvere potest sponsalia, prout communiter docent DD. Quando alter est in mora.

DD. Sed notandum, vel nullum est præfixum tempus contrahendi matrimonium? Tunc quando unus est in mora ex legitima causa, alter per quem non stat quòd non contrahatur matrimonium, tamdiu non deobligatur, quamdiu dilatio non sit tanta, ut ex prudenti judicio credibile non sit, eum voluisse se tamdiu obligare; sive ille qui est in mora sit culpabilis, sive inculpabilis. Ita Petrus à S. Jos. Vel est tempus præfixum? Tunc vel tanquam terminus obligationem finiens, ut eô transactô is per quem non stat quòd non contrahatur, liber sit ab obligatione sponsalium? Certum est elapso tali terminô, sponsalia dissolvi ex parte illius qui non est in mora, seu per quem non stat quin nuptiæ celebrentur. Doctor Resolutus *loc. cit.* Sive alter sit in culpa, sive non; sufficit quòd conditio de qua convenerant, non sit adjecta. Vel eo fine, quòd si non celebrentur quòd possit qui est in mora cogi ad contrahendum, vel assignatur tempus celebrandi nuptias, tanquam terminus licentiam ultra differendi finiens? Tunc utroque casu, non statim alter evadit liber ab obligatione contrahendi, sed expectanda est mora tanta, ut ille per quem non stat, prudentum judiciô sponsalibus renuntiasse censeatur, vel ad tantam moram se non obligasse: tunc enim locum habet regula Juris, *frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

30. Ex his collige, eum Sponsorum peccare mortaliter, qui sine justa causa ultrà & ultrà differt celebrandas nuptias. Bonac. *loc. cit.*

Quando incidit in morbum contagiosum

31. Tertius casus est, quando unus Sponsorum incurrit morbum contagiosum, *cap. Litteras*: ùt sunt morbus gallicus &c. Item cùm alter incurrit lepram vel aliam magnam deformitatem corporis, *infrà cap. de Conjugio leprosorum, cap. ult. de Jure juven.* D. R. *in* 4. *d.* 28. *q.* 1. *a.* 6. Inde est, si Sponsa pulchra, fiat deformis quomodocumque, potest Sponsus dissolvere sponsalia (m); & econtra Sponsa, si Sponsus v. g. oculis sit privatus (m), aut ex ore ejus notabiliter fœtet, docet Bonacina cum aliis.

(m) Bonac. Sanch.

Quando supervenit affinitas.

32. Casus 4. est, si supervenit affinitas, aut si Matrem Sponsæ cognoverit, *infrà de Eo qui consanguineam uxoris, cap. Veniens,* & *cap. Ex litteris*; aut si aliam suæ Sponsæ propinquam cognosceret ante carnalem copulam, *de Consanguinit. & affinit. Super eo.* D. R. Tolet. *loc. cit.*

Quando supervenit cognatio spiritualis.

33. Casus 5. est, quando supervenit cognatio spiritualis vel legalis, *cap. Veniens,* & *cap. Ex litteris.* Doct. Ref. & Ostiensis.

Si fama habet impedimentum. Quid est rumor. Quid fama publica.

34. Casus 6. est, si fama habet impedimentum, puta affinitatem supervenisse, *cap. Cum tua, de Sponsalibus* D. R. *suprà.* *Solus tamen rumor, id est tertiæ vel quartæ partis viciniæ acclamatio, de substante impedimento Canonico, ad sponsalia dissolvendum non sufficit; sed vox aut fama publica, id est majoris partis viciniæ acclamatio, si facilè extingui non possit, licèt falsa sit.* Bonæ Sp. *de Sponsalibus resol.* 9. Sanch. *disp.* 71. *num.* 18. Perez, Konink. Prima

pars

pars probatur per *cap. Cùm apud sedem Apostolicam*, 23. *de Sponsalibus & matrimoniis*: in quo matrimonium permittitur omni, cui aliquo Jure non prohibetur; non est autem quo Jure ob istum solum rumorem prohibeatur. Secunda pars probatur: quia fama publica, unius testimonio æquivalet; licèt in aliis vox unius, sit vox nullius; in matrimonio tamen, vox sive testimonium Matris de consanguineitatis impedimento, admittitur ab Alexandro III. *cap. Super eo*, 22. *de Testibus & attestat.*

35. Casus 7. est, quando unus illorum post sponsalia fit hæreticus, aut infidelis, *can. Non solùm*, 18. *q.* 1. & *cap. Jam nunc*. D. R. *loc. cit.* Tolet. & alii. Quando unus fit hæreticus.

36. Casus 8. est, Sponsa ob subsequentem fornicationem Sponsi cum alia, sive multiplicatam sive unicam, ob antecedentem nisi nimis frequentem & continuam; Sponsus ob subsequentem & antecedentem fornicationem Sponsæ cum alio, etiam unicam, notam post sponsalia, ea dissolvere potest. Quando fornicatur.

37. Explicatur & probatur. Quòd cùm unus Sponsorum post sponsalia fornicatur, alter possit dissolvere sponsalia, habetur hoc *cap. Quemadmodùm, de Jurejurando* D. R. *loc. cit.* Ratio est: quia in sponsalibus, & juramento intelligenda est ista conditio, promitto tibi matrimonium, nisi contra regulam conjugii & desponsationis feceris. Quòd Sponsa ob fornicationem unicam Sponsi subsequentem potest resilire à sponsalibus, ratio est: quia Sponsus fornicando, fidem in sponsalibus datam violavit, Sponsa eam ei etiam frangere potest (n). Ipse verò per eam fornicationem non evadit liber ab obligatione contrahendi matrimonium, si ipsa velit: nemini enim delictum patrocinari debet. Ob antecedentem unicam, aut aliquas si detegantur, non potest illa recedere à sponsalibus contractis: nam nec est contra fidem, cùm ante datam facta sit, nec aliquod grave dedecus infert Sponsæ (o); secùs ob frequentem: quia eò scortator reputatur, cui nubere periculosum & ignominiosum est (o). Sponsus potest ob subsequentem fornicationem Sponsæ desistere à sponsalibus, etiam juratis, ob rationem datam de Sponsa: quia in præfato *cap. Quemadmodùm*, 25. *de Jurejurando*, hæc sunt verba: *quoniam in illo* (puta juramento), *talis erat subintelligenda conditio, si videlicet in legem conjugii illa non peccaret*: Et vehemens suspicio datur, ne illa in matrimonio tali modô turpi vivat. Quòd etiam possit id præstare Sponsus ob antecedentem fornicationem Sponsæ, ratio monstrat: quia sicut prudenter magni fit, virginem ducere, ita ignominosum valdè reputatur, cum corrupta contrahere; & perniciosum, quia etiam ducens corruptam Sponsus, bigamus efficitur, redditurque ad Sacros Ordines mortua ea uxore, inhabilis: & periculum est alendæ prolis alienæ; quare tenet Resolutio, sive dicta sponsalia contracta

(n) Petrus à S. Ioseph.

(o) Bonacina, Bonæ Spei.

tracta sint jurata, sive non. Dicitur quidem *cap. Quemadmodùm, de Jurejurando : Si quis juraverit se ducturum aliquam uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem :* Sed omnes (asserente Bonæ Sp.) intelligunt de fornicatione nota ante sponsalia : quare non gratìs addidi ly, *notam post sponsalia* : quia si cum tali contraheret, non haberet jus resiliendi à sponsalibus, propter antecedentem fornicationem Sponsæ.

Violatio obest Sponsæ.

38. Quid si Sponsa sive ante sive post sponsalia sit inculpabiliter violata? *Resp.* etiamsi : eadem enim est ratio ; & probatur ex *cap. Raptor*, 23. 27. *q.*2. eò quòd ibi permittatur arbitrio Sponsi, ut sine sua culpa raptam ducat, aut dimittat ob notabilem mutationem. Secùs si Sponsus invitus esset. Ita Sanch. Reginal. Bonac. *loc. cit.*

39. Quid si solùm permiserit se turpiter tangi? *Resp.* sive hoc Sponsa sive Sponsus in se permittat, innocens ob hanc causam potest contracta Sponsalia dissolvere : idem enim jus habet Sponsa in corpus Sponsi, quod Sponsus in corpus Sponsæ. Et sicut ignominiosum & periculosum est ducere talem, ne illa plus amet alios quàm ipsum, & ne deterius Sponso veniat, scilicet ne alat alienam prolem, aut venenô vel aliô modô tollatur de medio viventium; ita etiam ignominosum & periculosum est Sponsæ, nubere tali, ne ipse plus aliam quàm eam amet, & durè hanc verberibûs aliîsque tractet. Sic sentit Bonæ Sp. Oppositum Bonac. & Suar.

40. Quid in casu fornicationis utriusque post sponsalia? *Resp.* tres circa hoc esse sententias. 1. est Bonac. *q.* 1. *punct.* 8. *n.* 6. Palud. *in* 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 3. *n.* 17. dicentium, neutrum posse in tali casu recessum facere. 2. est Sanch. *lib.* 1. *disp.* 15. *n.* 8. Henriq. Reginaldi aliorumque asserentium, Sponsum non Sponsam posse in eo eventu à sponsalibus resilire. 3. est Bonæ Sp. tunc Sponsalia per mutuum consensum implicitum tolli. Ratio ipsius est : quia qui spontè ponit causam sufficientem sponsalium dissolutioni, moraliter censetur ipsô factô renuntiare juri suo. Quod in casu adulterii utriusque conjugis, utrique quoad torum separatio non admittatur, ratio est : quia *cap. Intelleximus, de Adulteriis,* in favorem indissolubilitatis matrimonii id expresse deciditur; eò quòd non expediat matrimonium quoad torum dissolvi, nisi in gravissima causa : in favorem verò sponsalium, non est hoc latum ; cùm ea sint, & expedit esse dissolubilia.

41. Quid si Sponsus post Sponsæ fornicationem ad Sponsam accesserit? *Resp.* In foro externo præsumitur accessu illo juri suo desistendi, cedere; Secùs in foro interno, si ignoravit, aut sine animo reconciliandi vel in sponsalibus perseverandi ad eam accesserit : quia copula nullo Jure stat pro intentione juri suo renuntiandi. Bonæ Sp. *loc. cit.*

42. Casus 9. est, quando unus illorum agnoscitur nimis asper, rigidus, aut

aut crudelis. Ita Panorm. *cap. Veniens, de Clerico vel vovente,* Tolet. Rotar. Aut orta eſt inter eos inimicitia notabilis (p): coacta enim matrimonia malos eventus habent, *cap. Requiſivit, de Sponſal.* Item quando ſupervenit aliquid, aut reſcitur, quòd ſi antequam erant contracta ſponſalia notum eſſet, compars non contraxiſſet ea; in hoc & ſimili caſu etiam juramentô firmata ſponſalia diſſolvi ex parte reſcientis poſſunt, ùt communiter docent DD. cum Bonac. Rotar. Ratio Bonac. eſt: quia promiſſio non obligat ultra intentionem promittentis; promittens autem non cenſetur habuiſſe intentionem promittendi, ſuperveniente tali notitia rei. Ita DD. & Jurisperiti communiter, teſte Petro Ledeſm. *q.* 43. *a.* 3. *cauſ.* 12. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 62. *n.* 2. Non tamen poteſt reſilire à ſponſalibus, ille qui poſt ſponſalia factus eſt dives (q); cùm in deſponſatione nec deceptus ſit, nec circa conditionem Sponſæ erravit.

Quando unus aſper, aut inimicitia &c.

(p) Oſtienſis verb. Sponſa.

(q) Bonac. Sanch. Molfeſius.

Poſt ſponſalia dives.

43. Caſus 10. eſt, cùm Sponſa promiſit ſe daturam certam ſummam pecuniæ, vel appoſita eſt conditio aliqua honeſta, & non eſt impleta; tunc non valent ſponſalia (r) etiam jurata, declaravit Alexander III. *De illis*, & *infrà* (s) his verbîs: *Si verò aliquis ſub hujusmodi verbis juramentum alicui mulieri præſtitit, ego te in uxorem accipiam, ſi tantum mihi donaveris, reus perjurii non habebitur, ſi eam nolentem ſibi ſolvere quod ſibi dari petiit, non acceperit in uxorem; niſi conſenſus de præſenti, aut carnalis ſit inter eos commixtio ſubſecuta.* In Corp. Juris Can. *tit. Qui Clerici vel voventes, pag.* 208.

(r) Navar. c. 22. num. 26.

(s) c. 4. de Sponſal. in 1. Compil. & poſt Concil. Later. p. 6. c. 12.

44. Notandum, qui ſub honeſta conditione ſponſalia contrahit, & ante conditionis eventum deſponſatam cognoſcit, à conditione recedit, ordinavit Innoc. III. *cap. Per ſuas litteras*, ùt videre eſt in Corp. Jur. Can. *loc. cit.*

45. Caſus 11. eſt, cùm puberes ſe mutuò abſolvunt, *cap. Præterea, de Sponſal. cap.* 2. (t) *ſicut enim de communi conſenſu contraxerunt, ſic communi diſſenſu poſſunt abſolvere, de Reg. Jur. omnis res per quascunque cauſas naſcitur, per easdem diſſolvitur.* D. R. *loc. cit.* Nec obeſt quòd in dicto *cap.* addatur, *ne deteriùs quid contingat.* Quia poſitum eſt ibi, *ut talem ſcilicet ducat, quam odiô habet*: & ſupplendum eſt, *quàm ſit ipſa ſponſalium diſſolutio, ex animi levitate, rixa* &c. Unde ut dicit ibi Pontifex, *commonendi ſunt, & modîs omnibus inducendi, ut præſtitam fidem obſervent*: quia diſſolutio ex juſta cauſa eſſe debet. Sine cauſa tamen ex mutuo conſenſu licita eſt; etiamſi jurata ſint, & ad obſequium Dei contracta ſponſalia, ùt ſi intuitu pietatis Sponſus cum juramento promiſit fœminæ pauperi matrimonium (u). Ratio eſt: tum quia ille in cujus favorem factum eſt juramentum, poteſt cedere juri ſuo: tum quia juramentum, factum in favorem alterius, Jure naturæ hanc conditionem importat, *niſi remiſerit.* Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 12. *n.* 52. Sa, Bonæ Sp. Attamen diſſolutio ſponſalium præfata, debet eſſe libera, ſicut liberè contracta ſunt.

Quando ſe mutuò abſolvunt.

(t) Alexander III. Innoc. III.

(u) Bonac. Leſſius, Bonæ Spei.

46. Dixi

46. Dixi, *puber:* nam impuberes, quamdiu ſunt tales, ſponſalia etiam ex mutuo ſuo conſenſu diſſolvere non poſſunt. Ita expreſsè ſtatuitur *cap. De illis*, 7. *de Sponſal. impuber.* Ratio eſt: ne ob ætatis inconſtantiam & levitatem ingenii, detur illis occaſio ſæpè ſponſalia contrahendi, & ab iis reſiliendi. Quare

47. Caſus 12. eſt, cùm Sponſorum impuberum unus adeptus pubertatem, non expectans alterius pubertatem, reclamat ſponſalia : *infrà de Sponſal. impuber. cap. De illis.* D. R. *loc. cit.* Quod validè fiet, ſi ſtatim id eſt intra 3. dies reſiliat ; ſecùs ſi nonniſi eo tempore elapſo contradicat : illud enim ſilentium, pro conſenſu reputatur. Petrus à S. Joſeph. Plura de impuberibus dixi *ſuprà.*

48. Caſus 13. eſt, quando ſponſalia ſecunda de præſenti contrahuntur; prima etiam jurata diſſolvuntur, non quidem abſolutè, ſed pro eo ſolo tempore quô matrimonium durat: per ſecunda verò ſponſalia de futuro, etiam jurata, non diſſolvuntur prima de futuro, etiam non jurata: Decretum enim eſt Innoc. III. *cap. Ex litteris, de Sponſal. & matrim.* D. R. *loc. cit.*

49. Explicatur & probatur : Quòd per ſponſalia ſecunda de præſenti, diſſolvantur prima de futuro, etiam jurata, quia deciſio eſt Papalis ; ita enim in dicto *cap.* Pontifex loquitur : *matrimonium ſecundo locô contractum, legitimum judices, & ad illud ſervandum compellas eundem impoſita ei pœnitentia competenti, quia primam fidem irritam fecit.* Ratio eſt : nam ubi res duobus promiſſa eſt, & alteri tradita, ſimplex promiſſarius jus in illam prætendere non poteſt ; res autem per ſponſalia promiſſa illo caſu , per matrimonium alteri traditur.

50. Quòd non abſolutè &c. quia non eſt quo Jure ſubſequens matrimonium obligationem illam extingueret ; cùm Jus omne de tempore matrimonii loquatur. Et exemplum familiare clarificat in eo, quòd qui poſt Religionis votum contraxit matrimonium, eô diſſolutô Religionem ingredi teneatur, ex communi DD. ſententia ; ergò etiam in propoſito caſu, vi promiſſionis juratæ. Si prima Sponſa expectârit, & velit, ducere eam tenetur. Ita Bonæ Sp. Palao, Sylv. & alii, contra Rodriq. Sanch. Laym.

51. Quòd autem per ſponſalia ſecunda de futuro, jurata, non ſolvuntur prima, patet ex verbis in dicto *cap.* ſequentibus: *quòd ſi fortè per verba de futuro ſponſalia cum utraque contraxit, juramentũ primum ſicut licitè factum eſt, ipſum ſervare compellas, de ſecundo ei pœnitentiam injungas.* In Corp. Jur. Canon. *lib.* 4. *de Sponſal. pag.* 203.

52. Etiamſi prima ſponſalia non ſint jurata &c. quia ſecunda ſponſalia utpote in tertii præjudicium, nullius ſunt valoris; alioqui juramentum eſſet vinculum iniquitatis.

53. Ca-

53. Casus 14. est, quòd per professionem Religiosam sponsalia ex parte utriusque solvantur. Hoc habetur *cap. Ex publico, de Conversione conjugatorum*. D. R. *loc. cit.* Tolet. Sylv. *verb. Sponsalia*. Ratio: quia est impedimentum dirimens & solvens matrimonium ratum, nondum consummatum; ergò à fortiori sponsalia, quæ non habent tantam indissolubilitatem, dirimit & solvit. Per ingressum verò in Religionem solvuntur ex parte ingredientis, non absolutè, sed pro tempore novitiatûs; ex parte remanentis possunt solvi absolutè (w). Primum per se patet. Ratio secundi est: quia Novitius potest retrocedere, & sponsalia adimplere: imò rediens ad sæculum, tenetur si ipsa velit; cùm nullum Jus ipsum eximat ab hac obligatione. Ratio tertii est: quia notabilis est mutatio cum aggravamine & ignominia Sponsæ, quòd annum expectare debeat, ut uni repudiato Monacho, vel repudiatæ Moniali nubat. Deinde Novitius ipsô factô ingressûs, ostendens se à nuptiis futuris alienum, censetur Sponsæ obligationi renuntiare.

54. Non dissolvuntur sponsalia per subsequens votum simplex (a), aut per votum ingrediendi Religionem approbatam (b), aut profitendi in ea (c), aut suscipiendi Ordines Sacros (d). Bonæ Sp. cum multis contra multos, omnes partes unica ratione probans: quia hæc omnia nullo Jure positivo sponsalia contracta dirimunt. Nec Jure naturæ ob statum perfectiorem, ùt volunt Adversarii: alioqui qui 100. aureos promisit sæculari, posset facere votum dandi eos pro Ecclesia Beatissimæ miraculosæ, & ipsi ampliùs non dare sæculari; quod nec docetur, nec admittitur. Estque exemplum in *cap. Veniens, qui Clerici vel voventes*, ubi fœminæ (ut sponsalia contracta vitaret) castitatem voventi, pœnitentia de fide violata injungitur.

55. Quisnam Judex est Ordinarius, in causa dissolutionis sponsalium? *Resp.* quòd Episcopus, aut ejus Vicarius, aut delegatus ab Episcopo, si non sit certa causa dissolutionis: nam si sit manifesta, & absit scandalum, possunt authoritate propria dissolvi; quia nullo Jure positivo statuitur, necessariam Judicis ad hoc esse sententiam. Omnes ferè Doctores ita docent.

56. Quid si ex dissolutione subsit periculum scandali? sit v. g. casus, sponsalia publica, causa dissolutionis occulta? *Resp.* quòd Sponsa sive per Parentes, sive per pios viros monenda sit, ut in dissolutionem consentiat; si non vult, impedimentum occultum cum ipsius infamia probari potest: & si probari non potest, & resilienti de eo constat, sponte resilire valet, prout jure suo uti. Taliter sentiunt Bonæ Sp. Sanch. Laym. Palao.

57. Quid si causa sit dubia? *Resp.* melior est conditio alterius; jus sponsalium certum possidentis. Licetsi ad dissolvenda sponsalia sufficiat utrius-

(w) Bonæ Spei, Præpositus.

(a) Sanch. lib. 1. d. 46. Navar. c. 22. n. 27. Reginald. contra Bonac. loc. cit. Sotum in 4. d. 27.

(b) Sanch. Molfes. Petrus à S. Ioseph contra Bonac. Sylv. Henriq. apud eum.

(c) Contra Petrum à S. Ioseph.

(d) Hurtad. Perez apud Bonæ Spei contra Bonac.

Iudex in causa dissolutionis sponsalium.

utriusque teſtimonium de matrimonii impedimento, quamvis nullum ſit, quia tùnc mutuus conſenſus eorum habetur; ſufficit fama impedimenti matrimonii, ùt dixi; tamen de aliis ſponſalium impedimentis, in foro externo duo teſtes ad probandum requiruntur, *ex leg. Vt jusjurandi, codice de Teſtibus, cap. Licèt ex quadam* &c. In foro verò interno quælibet probatio moraliter certa ſufficit. Bonæ Spei cum aliis.

SERIES II.

De quidditate & proprietate matrimonii.

Matrimonium quoad nomen ejus.

MAtrimonium à Matre dicitur, eò quòd mulier nubat ut **Mater fiat**, juxta Auguſtin. *lib.* 19. *contra Faſtum, cap.* 26. Si quæras, cur non à Patre *Patrimonium* dicatur? *Reſp.* quia juxta *cap.* 2. *de Converſ. infidelium*, præcipuus conjunctionis maris & fœminæ effectus, qui eſt **proles**, eſt Matri ante partum oneroſus, in partu doloroſus, poſt partum laborioſus. Quapropter conjunctio hæc, dicitur *matrimonium, ſive Matris munium.* Hæc dicta ſunt quoad nomen; quoad eſſe rei, ſit

SECTIO I.

Quid, quotuplex matrimonium, quæ materia & forma ejus?

Definitur matrimonium.

1. RESP. & dico: matrimonium ùt ſic, eſt conjunctio maris & fœminæ perſonarum legitimarum, individuam vitæ conſuetudinem ſeu ſocietatem retinens: *cap. Sequitur, d.* 27. *q.* 2. *c.* 1. Doctor Reſolutus *in* 4. *d.* 30. Bonæ Sp. Steph. à S. Paulo, de Rhod. Rotar. & alii.

2. Explicatur & probatur. Matrimonium ùt ſic prout reſpicit & eſt quodcumque ſpecie diverſum, *infrà* expreſſum, & prout eſt contractus, & prout eſt vinculum, hac unica definitione definitur. Et tam contractus quàm vinculum maritale, eſt conjunctio maritalis: contractu enim viciſſim traduntur & formaliter, hoc eſt cum conſenſu acceptantur corpora, & ſic habetur conſenſus maritalis. Sequitur immediatè matrimoniale vinculum, quod eſt nihil aliud, quàm reciprocum jus, ſive dominium in mutua corpora, in ordine ad licitæ copulæ uſum.

De conſenſu.

3. De conſenſu notanda. Inprimis, quòd ad validitatem matrimonii non requiratur conſenſus Parentum: Sic enim Trident. *ſeſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ſalsò affirmant, matrimonia*

nia

nia à filiisfamilias ſine conſenſu Parentum contracta irrita eſſe, & Parentes ea rata vel irrita facere poſſe. Sed

4. Requiritur conſenſus contrahentium, qui *ſi ſolus fortè defuerit, cætera omnia etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur,* inquit Nicolaus Pap. *cap. Sufficit,d.* 27. Nam *conjugalis pactio,non virginitatis defloratio,conjugium facit.* S. Ambr. in *lib. de Inſtit.* Anſelm.*lib.* 10. *cap.* 1. N. Joan. Patriarch. Jeroſolymitanus.*hom.* 32. *in Matth.* dicit, *matrimoniū non coitus, ſed conſenſus facit.* Sed

5. Quæritur, quis conſenſus faciat matrimonium ? an conſenſus cohabitationis an carnalis copulæ, an utriusque ? Si cohabitationis conſenſus matrimonium facit ? Frater cum ſorore matrimonium contrahere poteſt. Si carnalis copulæ ? Inter MARIAM & S. Joſephum non fuit conjugium ; voverat enim MARIA ſe Virginem perſeveraturam : patet ex verbis Angelo dictis, *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco ?* id eſt, me non cognituram propoſui : & tamen erat inter MARIAM & Joſephum verum conjugium, ùt teſtatur Angelus *Matth.* 1. dicens : *Joſeph Fili David noli timere accipere MARIAM conjugem tuam.* Nec contra ſuum propoſitum conſenſit in carnalem copulam, aliàs rea facta eſſet voti virginalis, mente, etſi non opere violati (a), quod de ea ſentire nefas eſt. Quòd autem dicitur : *antequam convenirent, non ſequitur ut poſtea convenerint : ſed Scriptura quòd factum non ſit, oſtendit.* Hieronym. *lib.* 1. *Comment. in cap.*1.*Matth.Reſp.*cum S. Auguſtino (b), quòd conſenſus cohabitandi & individuam vitæ conſuetudinem retinendi interveniens, conjuges facit. Individua verò vitæ conſuetudo eſt, talem ſe in omnibus exhibere viro, qualis ipſa ſibi eſt, & econverſo (c). Doctor Reſol. *loc. cit.* addit, *ut qualiter ſe unus exhibet alteri, talem alter ſe exhibeat illi : ùt ſi unùs voveat caſtitatem, & alter ; ſi non, & alter non.* Addo Beatiſſimam MARIAM nullô modô conſenſiſſe in copulam conjugalem : revelatum enim erat ipſi à Spiritu Sancto, quòd Joſeph poteſtate maritali ad copulam non uteretur (d) ; & fuiſſe inter eam & Joſephum verum matrimonium : quia conſenſus cohabitandi & individuam vitæ caſtæ conſuetudinem, erat inter eos retentus. Sive ùt alii ajunt, contraxit MARIA matrimonium cum Joſeph, ſub conditione ſervandæ virginitatis.

Quis conſenſus facit matrimonium.

(a) Gratianus.

(b) Sentent. 4. diſt. 30.

Individua conſuetudo.

(c) In Corp. Iur. Can. de Sponſ. q. 2. pag. 363.

(d) Bonæ Spei.

6. Notandum 2. quòd ad matrimonium ùt eſt contractus, non requiratur ſimultas phyſica, ſeu ut in eodem inſtanti utriusque conſenſus fiat, alioqui inter abſentes celebrari non poſſet ; ſed ſufficit moralis, virtualis, ùt communiter docetur.

7. Tertiò, quòd debeat eſſe conſenſus legitimus, & non impeditus (ùt vidimus *de Sponſalibus,* & videbimus *de Impedimentis*), verus, non fictus ; inſuper expreſſus per ſigna externa ſcilicet verba, nutus aut ſcripturam. Quæ autem verba exprimenda ſunt, quibûs matrimonium contra-

 hatur

hatur, varia assignantur, & hæc sufficiunt, *trado me tibi in virum*, comparte respondente, *accepto*, vel *& ego me tibi in uxorem*. Etsi verba sint dubia, standum est in favorem matrimonii (e). Utrùm verò taciturnitas sufficiat pro signo consensûs matrimonialis, si Parentes pro filiis respondeant? Non conveniunt Theologi. Dian. Bonac. & cum eis Alarius respondet affirmativè, adducendo authoritatem Bonifacii, *cap. unic. de Sponsal. impub. in* 6. Verùm caput citatum est de sponsalibus de futuro, quæ cùm dissolubilia sint, non requirunt tantum consensum, sicuti etiam patet de ætate: quod enim sufficit ad minus, non ideo sufficit ad majus. Quare cum Rotario & aliis negativè ad quæstionem *Resp.* quia fieri potest, ut filii taceant ex metu reverentiali. Quare instare debet Parochus ut filii respondeant, & non ex timore.

(e) Steph. à S. Paulo.

Taciturnitas non sufficit.

8. Dixi *suprà num.* 1. *personarum legitimarum*: id est sine legitimo ad matrimonium contrahentium impedimento. *Individuam vitæ societatem*: individuam, id est indissolubilem respectivè, ùt patebit *infrà, de Indissolubilitate*. Dixi ibi, *in ordine ad licitæ copulæ usum*: subintellige ordinariè, non verò omninò, ùt vidimus *suprà num.* 5.

9. Dividitur matrimonium in absolutum & conditionatum: illud est, quod contrahitur non adjecta exprefsè ulla conditione; hoc, quod est contractum cum aliqua expressa conditione.

De matrimonio sub conditione.

10. De conditionato matrimonio, notandum ex D. R. *in* 4. *d.* 34. *q. unic.* & aliis Doctoribus excerptorum compendium: Conditio, aut est de præterito aut præsenti, aut futuro: & talis, aut est impossibilis, aut possibilis: & hæc, aut est honesta, aut inhonesta: iterùm hæc, aut est contra substantiam matrimonii, aut præcisè turpis.

De præterito aut præsenti.

11. De his omnibus nota, cùm quis contrahit matrimonium sub conditione, aut est conditio præterita, ùt *accipio te si Pater meus mortuus est*; aut est præsens, ùt *accipio te si es filia Bodardi*; In utroque casu si extat conditio? Est matrimonium; si non? Non. Et ratio esse potest: quia conditio de præsenti vel præterito, non suspendit, *lib. Institution. FF. de Conditionibus*. Non tamen usus ipse permissus est, donec cognoscatur adesse vel adfuisse conditio illa.

De futuro impossibili.

12. Aut est futura, & aut impossibilis, ùt *accipio te si habueris consensum tui Patris mortui*: Sic conditio pro non adjecta habetur, & est matrimonium: de *cod. appen. cap. ult.* (f). Adverte tamen ad id quòd alii aliter dicunt, si alter nolit consentire nisi posita conditione, v. g. *nisi mons transferatur in alium locum*; tunc in foro externo valet matrimonium, ex declaratione Gregor. IX. *cap. final.* ubi sic habetur: *Si conditionis appositæ matrimonio turpes aut impossibiles fuerint, debent propter favorem ejus pro non adjectis haberi*. Jam verò in foro interno, deficiente consensu, nullum est

(f) Doct. Resol.

est matrimonium (g). Unde spectanda est intentio, quomodo est apposita talis conditio, an jocosè, an seriò? Primo modô pro non adjecta, secundo modô pro adjecta (g) habenda est.

13. Aut possibilis, & futuri necessarii? ùt *accipio te si sol orietur cras?* Sic conditio pro impleta habetur, & est matrimonium; nisi alter velit suspendere consensum, usque ad conditionis eventum: non enim est ratio, cur valet matrimonium si quis ita contrahat, *accipio te in uxorem, si Antichristus nascetur;* & non, si dicat, *contraho tecum si cras orietur sol.*

Possibilis, futura, necessaria.

14. Aut est contingens, & tunc aut est conditio honesta, & de substantia matrimonii, ùt si dicat Christianus Judææ, *contraho tecum si vis Christiana fieri?* Sic fiunt potiùs sponsalia conditionata (h), quæ extante conditione tenent; non extante, non tenent. Aut non est de substantia matrimonii, ùt *accipio te, si dederis mihi centum?* Et sic non est matrimonium: quia consensus pendet de futuro; sed sunt sponsalia.

Contingens, honesta.

15. Aut inhonesta, & tunc aut est contra substantiam matrimonii, sic quando conditio est contra aliquod bonum matrimonii, v. g. *contraho tecum, si prolis generationem evitabis?* aut est contra Sacramentum, ùt *contraho tecum donec inveniam aliam digniorem:* aut est contra fidem matrimonii, ùt *contraho tecum si adulterio pro faciendo quæstu te tradideris?* Sic nec matrimonium valet, licèt consummetur post purificatam conditionem turpem, definivit Greg. IX. Nec sponsalia sunt: quia talis conditio destruit substantiã matrimonii contrahendi. Si verò conditio inhonesta adjecta contractui matrimonii, nec est contra substantiam, nec contra Sacramentum, nec contra fidem matrimonii, ùt *accipio te si furaberis*, tunc habetur pro non adjecta, *cap. final.* ùt vidimus *suprà num.* 12. Et ratio est quare talis conditio turpis rejicitur, *cap. final. de Conditionibus:* quia inducit ad peccatum.

Inhonesta.

16. Si contrahatur matrimonium sub conditione impertinente, v. g. *duco te in uxorem si cognovero te benè morigeratam esse*, non est validum matrimonium ante eventum conditionis: tum quia matrimonium valet secundùm intentionem: tum quia conditio impertinens non rejicitur à Jure, cùm non inducat ad peccandum: quare eâ suspenditur matrimonium.

17. Ad hæc animadvertenda. 1. quòd conditio de futuro, suspendat matrimonium quoad esse; de præterito & præsenti, quoad usum. 2. quando quis post matrimonium sub conditione contractum, non cognita conditione habet carnale commercium, non eô ipsô censetur recedere à conditione de præterito vel de præsenti, sed solùm de futuro (i): quia conditio de præsenti & præterito, non est propriè conditio (i). Si autem certò scivit abesse aliquam ex istis conditionem, & tamen vel actu cognoscit carnaliter conjugem, vel parat se ad cognoscendam ipsam, eô ipsô censetur recedere à conditione adjecta. Ita Gobat, & N. Gregorius à S.

(g) N. Garcia de Sacram. in genere n. 1431. & 1432.

(h) Garcia loc. cit. n. 1429.

Laurent. In dubio verò an quis conſtanter permanſerit in ſua voluntate conditionata non habendi hanc uxorem, niſi ſub tali conditione, an verò receſſerit ab illa, ſi cognovit carnaliter iſtam, cenſendus eſt receſſiſſe, & voluiſſe haberi pro non appoſita, adeòque cognoviſſe affectu maritali, non fornicario (i): debet enim de illo bonum potiùs quàm malum præſumi. 3. quando poſt matrimonium coram Parocho & Teſtibus celebratum ſub conditione honeſta de futuro, impletur adjecta conditio, non debet novus elici conſenſus coram Parocho & Teſtibus. Ita declarârunt Pius V. & Clemens VIII. (k). Ratio eſt: quia conſenſus conditionatus, poſita conditione tranſit in abſolutum: proinde quando quis dicit, *accipio te jam in uxorem ſi Pater tuus conſenſerit*, ſenſus eſt, jam reverà habeo conſenſum ac voluntatem habendi te in uxorem, ſed nolo ut effectus conſenſûs exiſtat, priùs quàm Pater tuus annuerit; volo autem jam, & omninò conſentio, ut quamprimum ipſe conſenſerit, ſis abſolutè mea uxor. Neceſſe tamen eſt ad valorem matrimonii, ut conſtet Parocho & Teſtibus, conditionem eſſe adimpletam (l), in iis locis in quibus Trident. eſt receptum. Ratio eſt: quia alioqui contrahentes poſſent negare conditionem adimpletam, ac proinde reſilire in foro externo.

(i) Gregor. à S. Laurent.

(k) Sanch. Lugo, Durand. & N. Greg. à S. Laurent.

(l) Petrus à S. Joſeph.

Notandum.

18. Quando in contractu matrimonii apponitur conditio, *ſi te reperero virginem*, poteſt dupliciter intelligi: primò, ſi poſt diligentem inquiſitionem, aut factam à matronis inſpectionem cognovero te eſſe virginem; ſecundò, ſi in primo tecum concubitu deprehendero te eſſe virginem. Primo modô ſumpta, conditionem eſt apponere, ac proinde virginitatis defectus poteſt impedire valorem matrimonii; ſecundo modô autem ſumpta, conditio turpis eſt: quia Sponſam allicit ad copulam promittendam, priùs quàm ſit verum matrimonium: quare debet haberi pro non adjecta, prout vidimus *hîc num.* 12. Secùs in foro interno, ſi deſit conſenſus.

19. Quàmvis Jura non vetant ne adjiciantur matrimonio conditiones honeſtæ de futuro, attamen adjectio ejusmodi non eſt admittenda, niſi in caſu magnæ neceſſitatis. Tambur. Gobat. Et admiſſæ impletæ, manifeſtandæ ſunt Parocho & Teſtibus, ut poſſint dare teſtimonium de validitate matrimonii. Ita Ledeſm. Bonac. Bonæ Sp. contra Sanch.

Matrimonium legitimum, ratum, conſummatum.

20. Dividitur ultrà matrimonium in legitimum, ratum, & conſummatum (m): legitimum eſt, quod ſecundùm leges fit, eſtque commune omni matrimonio, tam legis naturæ & ſcriptæ, quàm gratiæ; ratum, quod eſt inſuper inter baptizatos, carnali copula nondum conſummatum, & eſt Sacramentum: confert enim gratiam ad reprimendam concupiſcentiam, & fideliter cohabitandum in ordine ad prolem procreandam & educandam. Corneio *tom.* 2. *tr.* 6. *diſp.* 1. *cap.* 2. Dicitur inde ratum quòd Sacramentô baptiſmi ſit ratificatum, juxta definitionem Innoc. III. *cap* 4.

(m) Doct. Reſol. Bonæ Spei.

de

de Divortiis. Quare inter infideles matrimonium nuncupatur solùm lato modô ratum, inquantum est secundùm leges. Sacramentum est, quia prout declarat & monet Tridentin. *sess.* 24. *c.* 1. & *can.* 1. gratiam ùti alia Sacramenta confert, estque definitivè, conjunctio gratiæ spiritualis collativa: aut aliter, est contractus maris & fœminæ &c. gratiæ spiritualis collativus. Consummatum est, quod est completum per copulam perfectam.

Matrimonium ùt est Sacramentum definitur.

Copula perfecta.

21. Copula perfecta variè definitur: à multis quidem religiosè, sed insufficienter, quòd sit ea, quæ est sufficiens ad generationem (n). Dico, *insufficienter*: nam multiplex copula non est sufficiens ad generationem, & tamen est perfecta; aliàs multa inconvenientia sequerentur: quare ob vitanda ea cogimur aliter dicere, quòd sit ea, quâ viri intra vas legitimum fit seminatio (o).

(n) Bonæ Spei.

(o) Rotar.

SECTIO II.

Quænam materia & forma hujus Sacramenti?

Resp. Materia remota circa quam, sunt corpora contrahentium; proxima seu ex qua, est mutua traditio formalis corporum. Forma, est mutua formalis acceptatio eorum, expressa per verba vel signa. Consensus prout importat traditionem corporum, est materia proxima matrimonii & Sacramenti hujus; prout verò continet acceptationem traditionis expressam per verba aut alia signa, est forma. Ita D. Thom. Sanch. Suar. Petrus à S. Joseph. Nostri Bonæ Sp. Cornejo, & alii contra Vasq. Laym. Basilium Pontium cæterosque. Ratio est: quia traditio acceptatione perficitur; meritò ergò illa rationem materiæ, hæc rationem formæ obtinet.

SECTIO III.

Quando, à quo, ad quem finem matrimonium est institutum, & ad esse Sacramenti elevatum?

1. Resp. & dico 1. matrimonium esse à DEO, ante præceptum Adæ *Genes.* 2. institutum. Ita Triden. *sess.* 24. dicit: *Matrimonium perpetuum indissolubilemque nexum, primus humani generis Parens Divini Spiritûs instinctu pronuntiaverat cùm dixit, hoc nunc os est ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Idem antecedenter dixit Doct. Resol. *in* 4. *d.* 31. *a.* 2.

Matrimonium quando institutum.

2. Primò ergò matrimonium in ſtatu innocentiæ, erat in officium naturæ inſtitutum; pro ſtatu lapsûs, etiam in remedium concupiſcentiæ refrænandæ: homo enim poſt originale peccatum, multùm proclivis remanſit ad actus venereos: quare Deus inſtituit matrimonium, ut concupiſcentiæ habeat remedium, poſſitque absque peccato talem actum exercere. Pro ſtatu Evangelii, à Chriſto Domino in ſignum gratiæ elevatum eſt, ùt declaratum habemus à Trident. *ſeſ.* 24. *c.* 1.

Quando ad eſſe Sacramenti elevatum.

3. Quandonam? Certū non eſt. Probabiliter tamen ſuſtineri poteſt, quòd in Cana Galilææ, benedicendo ſua præſentiâ contractū contrahentium: ſicut probabiliter dicitur inſtituiſſe baptiſmum in Jordanis flumine, quia tùnc erat expreſſa & materia, quam ſuo contactu Corporis benedixit; ita dici poteſt, tunc inſtituiſſe ſeu elevaſſe matrimoniū in Cana Galilææ, quia tunc erat materia & forma in præsētia illius expreſſa, & matrimoniū ab eo benedictū.

4. Nec dicas, quòd Deus benedixerit matrimonium *Geneſ.* 2. quando dixit, *creſcite* &c. ergò tùnc erat elevatum ad eſſe Sacramenti. Quia illa benedictio erat corporum, ùt patet ex verbis *creſcite, multiplicamini*, quæ verba dixit etiam ſuper alia animalia; benedictio verò Chriſti erat ſpiritualis, quâ matrimonium ad ſanctificativitatem animæ elevavit. Sic ergò Deus primò (ùt *ſuprà*) matrimonium inſtituit, poſtea *Geneſ.* 2. quando dixit *creſcite* &c. illud præcepit; tandem in Cana Galilææ ad eſſe Sacramenti elevavit.

(a) Navar. cap. 12. n. 7. Sanch. lib. 2. d. 129. q. 3.

5. Ex his collige, licèt non videatur licitum eſſe, contrahere matrimonium, propter ſolam voluptatem carnis, vel vanitatem, quia finis debet eſſe honeſtus (a); Secùs tamen in remedium ſolius concupiſcentiæ, modò proles poſitivè non impediatur: hoc enim ſub mortali non licet. Pontius *lib.* 1. *cap.* 2. Hurtad. *lib.* 4. Perez *d.* 18. *ſect.* 7. *n.* 6. Licitè etiam contrahitur ob fines extrinſecos honeſtos, v. g. ad pacem inter Regna vel Illuſtres familias componendam, vel bonum notabile familiæ. Ita Præpoſ. Pontius, Gaſpar Hurtad. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 219. contra Sanchez.

SECTIO IV.

Vtrùm poſſit inter baptizatos matrimonium eſſe non Sacramentum, & quis matrimonii miniſter?

1. RESP. ad 1. Matrimonium in ratione legitimi contractûs iniri non poteſt inter Chriſtianos, quin ſit Sacramentum. Ita Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 10. Suar. Præpoſ. è noſtris Cornejo, Bonæ Sp. & alii contra Vaſq. *diſp.*

131. Dian.

138. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 255. Bonac. Pontium, & alios Scotistas post Scotum *in.* 4. *d.* 39. Ratio est: quia Christus instituit, ut matrimonium fidelium sit Sacramentum, quod absolutè definitur in Conc. Flor. & Trident.

Pro discursu & solutione.

2. Dices: sicut ratio matrimonii pendet ab intentione, ita ratio Sacramenti; ergò possunt fideles inire illud in ratione matrimonii, & nolle in ratione Sacramenti. *Resp.* Quando quis vellet matrimonium inire, & nollet Sacramentum, vel nollet positivè & expresè? Sic nec matrimonium iniret: quia qui unum identificatorum expresè non vult, non vult & secundum. Vel nollet negativè, non intendendo expresè Sacramentum? Sic vellet implicitè Sacramentum: quia qui vult unum identificatorum explicitè, vult & alterum implicitè. Licèt rustici non cogitent de Sacramento, tamen eô ipsô quòd saltem implicitè velint id facere quod facit Ecclesia, volunt implicitè Sacramentum.

3. Inferes: Ergò Lutherani, Calvinistæ, contrahendo matrimonium, recipiunt Sacramentum; consequenter gratiam. *Resp.* Nihil obest quòd causent Sacramentum, & non recipiant gratiam: quia prærequiritur fides, juxta illud axioma Apostolicum, *accedentem ad Deum oportet credere:* & cùm sit vivorum Sacramentum, matrimonium respicit subjectum in gratia.

4. Ex his sequitur, matrimonium per Procuratorem aut litteras inter fideles initum, legitimum in esse contractûs, esse verum Sacramentum Novæ Legis.

5. Dico 2. Matrimonium baptizati cum non baptizata, ex dispensatione summi Pontificis initum, non est Sacramentum. Ita communiter DD. contra Sotum, Bonac. & alios. Ratio est: quia sicut in utroque est unum numerô matrimonium, ita Sacramentum; ergò si alter eorum est incapax, non est & in alio Sacramentum.

Pro discursu & solutione.

6. Dices: Potest signum Sacramentale cadere super unum, & non secundum; ergò & Sacramentum esse in uno, licèt non in altero. Antecedens patet, dum in periculo mortis super duos una absolutio profertur, quorum unus capax alter incapax est, Sacramentum in uno est, licèt non in altero. *Resp.* disparitatem esse: quia confessionis Sacramentum non est contractus inter duos; jam verò matrimonium est contractus inter duos mutuus, qui claudicare non potest: quare si ex una parte non est, nec ex altera est Sacramentum. Apostolus *ad Corinth.* dicit, *sanctificatus est vir infidelis per mulierem;* non dicit per Sacramentum: quomodo autem sanctificatus est per mulierem? *Resp.* dispositivè, quòd ipsius persuasione &c. sit conversus ad veram fidem.

7. Dico 3. Quando infideles baptizantur, matrimonium ab eis antea con-

contractum, non fit Sacramentum. Est communis contra Sanch. Bonac. Becan. & alios. Ratio est: quia si fieret, tunc vel in baptismo, vel post baptismum? Atqui non; ergò. Præmitto, quòd vir post contractum matrimonium, non habeat potestatem sui corporis; similiter fœmina. Hìs præmissis, probatur Min. quia baptismus, per se non est contractus, & nemo potest dare quod suum non est: proinde illi post baptismum, contractum matrimonialem inire nequeunt, tradendo invicem potestatem in corpora sua.

Pro discursu & solutione. 8. Dices: Christus matrimonium elevans ad esse Sacramenti, sic statuit, ut inter baptizatos sit Sacramentum: isti sunt baptizati; ergò inter eos matrimonium elevatur ad esse Sacramenti. *Resp.* Christus statuit, ut inter baptizatos contractum matrimonium sit Sacramentum; non verò inter baptizatos renovatum: quia ipse non revocationem, confirmationem cōtractûs, sed ipsum cōtractū inter baptizatos ad esse Sacramēti elevavit.

9. Instabis: Christus in Cana Galilææ ùt dictum est *suprà*, elevavit matrimonium ad esse Sacramenti: sed tunc adhuc non erat baptizatorum; ergò elevavit matrimonium non baptizatorum ad esse Sacramenti, ut inter baptizatos sit Sacramentum. *Resp.* Distinguo primam propositionem: Christus in Cana Galilææ elevavit matrimonium ante baptismum antecedens, nego; elevavit matrimonium universaliter contrahendum inter baptizatos, concedo. Sicut dum est baptizatus in Jordane, instituit baptismum suum universim sumptum, elevavitque ad esse Sacramenti; non baptismum Joannis qui tùnc erat.

Ministri matrimonii, non Parochus sed contrahentes. 10. Ad 2. *Resp.* & dico: Minister matrimonii tam quà matrimonii quàm quà Sacramenti, est uterque contrahens, non Parochus. Circa primum omnes Theologi conveniunt; circa secundum disconveniunt: nam Canus, Filliuc. Tolet. affirmant, Parochum esse Ministrum matrimonii in ratione Sacramenti. Contra quos probatur: Quia Pius V. declaravit, quòd quando matrimoninm coram Parocho celebratum, est nullum ex aliquo impedimento dirimente, aut ex defectu consensûs, ut validetur, non requiratur præsentia Parochi, sed sufficit ut tollatur & suppleatur defectus. Ita Bonæ Spei.

Quando non requiritur præsentia Parochi ad revalidationem matrimonii.

Pro discursu & solut. 11. Dices: Concilium Trident. *sess.* 24. *can.* 1. jubet ut Parochus habito contrahentium consensu dicat: *ego vos in matrimonium conjungo, in Nomine Patris* &c. Ergò ille est minister. *Resp.* Minimè obest hoc: nam ejusmodi verborum sensus non est, *ego efficio conjunctionem inter vos;* sed, *ego declaro*, vel, *approbo conjunctionem vestram.* Neque est de essentia ut proferat hæc aut aliqua verba: declaravit enim Sacra Congregatio apud Amicum & Marchant. citata, *non pertinere ad matrimonii substantiam ut Parochus verba aliqua proferat.*

12. Ex

12. Ex his sequitur, Parochum conscium mortalis assistentem matrimonio, non peccare mortaliter: quia ipse non ministrat, nec conficit Sacramentum matrimonii. Sanch. Henriq. Suar. Bonac.

De Procuratore contrahentis.

13. Quando matrimonium per Procuratorem contrahitur, quisnam Minister: & quæ ad officium Procuratoris requirantur? *Resp.* quòd sint Ministri ipsi contrahentes, non Procurator, cùm non Procurator contrahat, licèt consensum sui principalis denuntiet, & nomine ejus eliciat; ex quo dici potest Minister instrumentalis matrimonii, contrahentes verò principales. Ita Bonæ Sp. Vasq. Pont. & alii. Et non tantùm per Procuratorem, sed etiam per litteras contrahi potest matrimonium: quia natura contractûs postulat, quòd possit per litteras vel Procuratorem celebrari. Bonac. & alii. Hæc autem requiruntur. 1. ut Procurator habeat speciale mandatum ad contrahendum cum tali persona (a), *cap. final. de Procur. in* 6. Non sufficit generale ad negotia, vel ad uxorem in genere (a). 2. ut Procurator contractum hunc per se ipsum non per alium efficiat, nisi habeat à suo Principali speciale mandatum ad substituendum, ùt ait Glossa *cap. ult. de Procur.* & communiter alii. 3. ut coram Parocho & Testibus contrahat; sed de hoc *infrà*. 4. ut tempore illo quô contrahit Procurator, non sit revocata potestas à Principali commissa (b): nam quàmvis revocatio non esset nota Procuratori, & etiamsi esset juramentum de non revocando mandato, matrimonium esset nullum, ob defectum consensûs. Non est necesse ut sit in gratia; cùm non ipse contrahat, conficiatque Sacramentum: Principalis verò ipsius tenetur sub mortali esse in gratia, tempore quô probabiliter credit Procuratorem esse contracturum matrimonium; tunc enim ipse suscipit Sacramentum, sive dormiat, sive vigilet, sive factus amens. Ita Sanch. *lib.* 2. *disp.* 6. *num.* 4. & *d.* 11. *num.* 12. Rebell. *lib.* 2. *q.* 5. *n.* 11. Bonac. & alii apud ipsum. Dummodo amentia non sit stabilis & perpetua: quia in tali nullum esset matrimonium, consequenter Sacramentum, ùt dixi *de Sacramentis in genere ser.* 4. *n.* 21. *pag.* 14.

(a) Sanchez lib. 2. d. 11. n. 87. Bonac. Rotar.

(b) Raymund. D. R. loc. cit.

Procurator nomine alterius contrahens.

14. Quæ autem verba sunt adhibenda à Procuratore? *Resp.* quòd hæc: *recipio te in uxorem nomine N.* Vel, *N. accipit te in uxorem me mediante.* Similiter fœmina respondere debet: *ego te mediante duco N.* Ita Covaruv. 2. *part. c.* 4. *n.* 8. Rebell. *lib.* 2. Bonac. *de Matrim. q.* 2. *punct.* 5. *num.* 11.

SERIES III.

An & quæ solemnitas ad esse validi, & quæ ad esse liciti matrimonii requiratur?

De præſentia Parochi & Teſtium.

Solemnitas matrimonii.

1. DIco 1. Matrimonii ſolemnitas ab Eccleſia requiſita ad eſſe validi (quapropter inſtrinſeca dicitur), eſt præſentia Parochi, aut alterius Sacerdotis de licentia ejus, vel Ordinarii, & Teſtium duorum aut trium.

(a) Bonæ Spei. Quomodo celebrandũ matrimoniũ.

2. Explicatur & probatur Reſolutio. Licèt matrimonia clandeſtina ſpectato præcisè naturæ Jure, & valida & licita ſint (a), ſpectato tamen Jure Eccleſiaſtico, nec licita nec valida ſunt: ita enim Trident. *ſeſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. matrim.* declaravit. *Dubitandum non eſt* inquit, *clandeſtina matrimonia libero arbitriô contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia quamdiu Eccleſia irrita non fecit - - - licèt ex cauſis juſtiſſimis ſemper ea Mater Eccleſia fuerit deteſtata - - - nunc autem qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus Teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Synodus ad contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eo præſenti Decretô irritos facit & annihilat.*

3. Cauſæ autem ob quas clandeſtina matrimonia, & Jus antiquum voluit illicita, & Jus novum invalida, ſunt 1. quia nota ſunt parere gravia ſcandala, dum conjuges de quorum matrimonio non conſtat, putantur vivere in concubinatu. 2. quia ſic & temerè & ſine deliberatione contrahuntur. 3. quia ſic, facilè contrahuntur cum impedimento occulto, & exponuntur conjuges periculo manendi in perpetuo concubinatu. 4. quia multis eſſent cauſa damnationis æternæ: quia facilè poſſent viri relinquere uxores, & cum aliis contrahere; ſimiliter fœminæ: cùm illis nequirent probari primò (b) inita matrimonia.

(b) Rotarius. Vbi nunquã eſt publicatum Tridentinum.

4. Dico 2. In locis ubi nunquam eſt publicatum & receptum Trident. v. g. in Anglia, Saxonia, ſine præſentia Parochi aut ejus Delegati & Teſtium (b); in partibus verò in quibus fuit ſemel publicatum *ſuprà* citatum Decretum, v. g. in Hollandia, Friſia &c. ſine præſentia Parochi & ejus Delegati, non autem Teſtium validè contrahuntur matrimonia: declaratio enim & ordinatio eſt Sacræ Congregationis 1595. in hæc verba: *Congregatio Concilii perpenſis conſultationibus Epiſcopi Tricaricenſis circa formam matrimoniorum, quæ in partibus Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ contrahuntur, ita cenſuit: Vbi hoc Decretum nondum eſt publicatum in Parochia, valet matrimonium contractum, absque obſervatione formæ à Concilio præſcriptæ; publicatio autem Decreti facta præſumitur, ubi Decretum ipſum fuit aliquo tempore*

pore

pore in Parochia, tamquam Decretum Concilii observatum. At, si nec Ordinarius, nec Parochus, aut vicem ejus gerens sive delegatus ejus sit, aut est in locis proximis, sed securè adiri non potest, validè contrahitur matrimonium coram duobus Testibus tantùm. Ita habetur in eadem citata Declaratione. Quare si esset Sacerdos in locis vicinis, habens facultatem assistendi matrimoniis, & tutus accessus ad eum haberetur, sine præsentia talis nulliter ibi celebraretur matrimonium. Diana *part.* 11. *tr.* 6. *resol.* 1. post Præpositum & Amicum.

5. Dico 3. Juxta communissimam sententiam Theologorum Catholicorum, Jure communi, in omnibus partibus mundi, in quibus publicatum & receptum est Tridentinum, Acatholici in absentia Parochi Catholici, in præsentia Prædicautii, contrahunt invalidè matrimonium: nam in citata *num. præceden.* Congregatione, declarantur nulla talia matrimonia, his verbîs: *Hæretici, in quorum Parochia dictum Decretum fuit publicatum, tenentur præscriptam formam observare; & propterea ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quàmvis coram Ministro Hæretico, vel Magistratu loci contracta, sunt nulla*. Juxta sententiam tamen Layman *lib.* 5. *tomô* 10. *part.* 2. *cap.* 4. Tanneri, de Rhodes & aliorum, quàmvis paucorum Catholicorum Doctorum, in aliquibus partibus mundi, non obstante publicatione, receptione & observatione Tridentini, probabiliter, validè coram Prædicautio contrahunt. Ratio est: quia sciens Ecclesia talia matrimonia in aliquibus locis, non reclamando dispensat in conditione apposita nempe præsentia Parochi. Patet inde, quòd Liberi eorum pro legitimis in Ecclesia habeantur: non enim filii Lutheranorum, aut aliorum Hæreticorum, ab arte aliqua tamquam spurii, aut è statu Nobilitatis excluduntur. Unde saltem hoc sequitur observandum, quòd Acatholicus conversus ad fidem Catholicam, pro libitu suo nequeat convolare ad aliud contrahendum matrimonium vivente consorte in fide Acatholica, sed expectare tenetur decisionem Consistorialem, aut Sacræ Nuntiaturæ. Hujus secundæ sententiæ videtur esse etiam Gobat *in Alphabeto Ord. casu* 17. *num.* 655. Giballin. N. Stephanus à S. Paulo *de Sacram. tract.* 5. *dub.* 11. *num.* 285. docentes, filium natum ex Hæretico in Polonia, aut Germania commorante, conversum ad fidem Orthodoxam, non haberi pro irregulari: qui defactò haberetur pro tali, si matrimonium ejus Parentis esset nullum. Vide *de Ordine suprà dist.* 9. *ser.* 4. *num.* 3. *pag.* 418. Potest addi ratio: nam si Ecclesia non permitteret esse valida hujusmodi matrimonia in Civitatibus Acatholicorum, v. g. Gedani, Wratislaviæ, Confessarii non possent in eis absolvere Catholicas, quæ cum Acatholicis contraxerunt matrimonia coram Prædicautiis, nisi eos maritos derelinquerent, & sic multæ, multæque personæ à fide recederent, & in interitû signanter Gedani, irent.

 6. Sed

Casus ratione domicilii. 6. Sed quid dicendum de eo, qui habet domicilium in loco ubi est acceptatum Trident. & transfert se ad locum ubi non est promulgatum, ibique contrahit matrimonium sine præsentia sui Parochi, & ejus delegati? *Resp.* Inprimis vel ibi acquirit domicilium? Secundùm omnes validè sine præsentia Parochi & Testium contrahit (c). Vel non acquirit? Adhuc quæro: vel se transtulit illuc solo animo sine Parocho & Testibus matrimonium contrahendi? Matrimonium sic contractum nullum est: Nam Urbanus VIII. Anno 1627. per Breve datum ad Archiepiscopum Coloniensem, præcipit observari responsum Sacræ Congregationis eidem missum, cujus verba sunt: *non esse legitimum matrimonium sic contrahentium cum fraude, id est, quando Incolæ tam masculi quàm fœminæ loci in quo Concilium Trident. in puncto matrimonii est promulgatum, retinentes idem domicilium, se transferunt (ad locum ubi non est promulgatum) solo animo sine Parocho & Testibus matrimonium contrahendi, habitationes non mutantes.* Vel se non eô animô transtulit, sed ex accidenti accidit ipsi contrahendum matrimonium, prout Mercatoribus & captivis contingit? Duplex circa hoc est sententia. Bonac. enim, Sanch. & Filliuc. apud illum docent, etiam transeuntem talem validè posse ibi celebrare matrimonium. Ratio eorum est: quia contractus debent celebrari juxta solemnitates receptas in tali loco: *cap. final. de Foro competent.* Econtra Bonæ Spei, Ledesm. & alii asserunt, matrimonium dictum esse nullum. Ratio horum est: quia Tridentinum inhabilitat ad contrahendum aliter quàm coram proprio Parocho. Nec est ratio, cur non ita eos inhabilitet in locis in quibus promulgatum est; cùm id sit fini à se intento omninò conformius. Utraque sententia est valdè probabilis; magis tamen mihi placet prima: quàmvis sit regula generalis, extraneum non teneri legibûs loci ad quem divertit absque intentione ibi manendi majore anni parte; nihilominùs ab ea regula excipitur contractus matrimonialis, qui contractus celebrari debet juxta conditiones præscriptas loci in quo celebratur. *L. Si fundus, FF. de Evict.* aliàs ille qui habet domicilium in ea Patria in qua non est acceptatum Trident. non teneretur coram Parocho contrahere matrimonium in iis partibus in quibus observatur Trident. quod non docetur.

(c) Bonac. Bonæ Spei.

7. Ex his dicendum, quòd si Sponsus habeat domicilium in Parochia in qua est promulgatum Decretum Tridentini, & Sponsa in alia in qua non est promulgatum nec receptum, non in illa sed in hac validè inire matrimonium in absentia Parochi & ejus Delegati poterunt.

Casus. 8. Addo huic Sectioni casum, quòd Titius cum sua putativa uxore multis annîs vivens, nolit coram Parocho sibi benè noto contrahere cum ea concubina matrimonium, nec consultum videtur honori ejus coram Testibus, cùm ferè omnes eum noscant; quid ergò faciendum cum eo? *Resp.*

opti-

optimum remedium esse, ut Confessarius ejus obtenta à Parocho, vel Episcopo, aut Officiali, licentiâ assistendi ejus contrahendo matrimonio, assumat duos aut tres Religiosos, sive alios Sacerdotes, aut ignotos Testes, qui præmisso juramentô secreti, cum ipso Confessario, contrahendo ei matrimonio assistant.

SECTIO II.

Qualis Parochi, & Testium præsentia requiratur?

1. *R*Esp. quòd Parochi proprii: ita enim declaravit Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. Quapropter si coram alio contrahatur, etiam in articulo mortis concubinarii, ut filii legitimentur (a), præter casus à Sacra Congregatione *suprà* in hac *ser. sect.* 1. *n.* 4. recensitos, valorem non habet.

(a) Communiter apud Bonac. loc. cit. Octavius interr. 653. p. 148.

Quis proprius Parochus.

2. Sed quisnam dicitur proprius Parochus ad hunc effectum? Non conveniunt DD. Quidam censent illum dici, in cujus Parochia habitant contrahentes tempore matrimonii. Ita Bonac. *de Matrim. q.* 2. *punct.* 8. *n.* 1. & *ultrà*, Basilius Pontius *lib.* 5. *c.* 13. *n.* 5. adferentes pro hoc Declarationē Sacræ Congreg. Et tamen omnes fatentur DD. quòd si Sponsi rus alienæ Parochiæ frequentent causâ recreationis aut devotionis; aut causâ pestis, aut belli illuc fugiant cum animo redeundi ad suam Provinciam, invalidè in eo contrahant matrimonium coram Parocho loci illius. Pro quo quatuor Decisiones Sacræ Rotæ adducit Menochius teste Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 231. Quare aliter, dico: Proprius Parochus est in cujus Parochia contrahentes majori parte anni, domicilium protrahunt (b): quòd si contrahentes sint diversæ Parochiæ (c), possunt coram cujuslibet Parocho matrimonium inire. Ita declaravit Sacra Congregatio teste Rebel. *lib.* 2. *q.* 4. Aut si quis duplicem habitationis Parochiam habeat, coram alterutro Parocho contrahere valet (c): quia æquè unius ac alterius est Parochianus; & sive ille assistat in propria, sive in contrahentis Parochia sibi non subditi, sive in Parochia omninò aliena & Diœcesi (d), & quidem licitè: quia nullo Jure & Statuto generali, id est prohibitum: potest enim extra suam Parochiam & Diœcesim, absolvere suos Parochianos; ergò & matrimonio eorum interesse, & licentiam Sacerdoti dare.

(b) Bonac. Petrus à S. Ioseph, Sanch.

(c) Bonac. BonæSpei, Reginaldus.

(d) BonæSp. Petrus à S. Ioseph, Ferianus.

Etiam non Sacerdos Parochus.

3. Et quàmvis ille Parochus proprius nondum sit Sacerdos, validè & licitè assistere matrimonio potest. Primum (d) declaravit S. Congreg. 1. Decembr. Anno 1593. prout tenor hujus sequitur: *Sacra Congregatio censuit, matrimonium contractum coram Parocho non Sacerdote, valere.* Secundum ratio probat: tum quia Conciliū, Parochi Sacerdotis non requirit, sed simpliciter

Non approbatus ad confessiones.

pliciter Parochi præſentiam exigit: tum quia aſſiſtentia Parochi non eſt actus Ordinis. Non poteſt tamen alteri committere facultatem aſſiſtendi, niſi Sacerdoti: quia Concilium exprimit nomen Sacerdotis, *ſeſ.* 24. *c.* 1. *de Reform. matrim.* Non eſt tamen opus ut ſit approbatus ad confeſſiones excipiendas; cùm nullibi hoc requiratur. Et meritò: nam poteſt Parochus non Sacerdos aſſiſtere; ergò poteſt etiam dare licentiam aſſiſtendi Sacerdoti non approbato.

(e) Rotarius.

Qualis facultas ſufficit.

4. Neque neceſſaria eſt ſpecialis facultas aſſiſtendi matrimoniis; ſufficit generalis delegatio ad omnia munera parochialia (e). Non ſufficit tamen tacita, ſed debet eſſe expreſſa, ſive ſcriptô, ſive verbô. Ita Bonac. *loc. cit. num.* 11.

(f) Bonac. Ledeſm. Sanch.

5. Vagorum Parochus in ordine ad matrimonium eſt Parochus in cujus Parochia morantur: ipſorum enim eſt Parochus, cui ipſorum cura incumbit (f), alioqui non poſſent ab alio quàm à Summo Pontifice Sacramenta ſuſcipere: Atqui non alteri quàm Paſtori cura incumbit ipſorum; ergò ipſi incumbit aſſiſtere matrimonio eorum. Sed notandum, quòd Parochi ſub peccato mortali aliàs committendo, teneantur diligenter inquirere de impedimentis talium, & licentiam aſſiſtendi illorum matrimonio, obtinere ab Ordinario: quia Tridentinum *ſeſ.* 24. *c.* 7. ita loquitur: *Multi ſunt qui vagantur, & incertas habent ſedes, & ut improbi ſunt ingenii, prima uxore relicta, aliam & plerumque plures illa vivente diverſis in locis ducunt. Cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes ad quos ſpectat paternè monet, ne hoc genus vagantium ad matrimonium facilè recipiant; - - - Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Quod idem dicendum de exteris, advenis, peregrinis, militibus, captivis in peregrinatione &c. juxta Rituale Romanum *tit. de Sacram. matrim.* (g). Non tamen irrita redduntur talia matrimonia, cùm declarante Sacra Congregatione nulla ſit particula irritans in Tridentino; niſi aliud, v. g. impedimentum dirimens obſit.

(g) Bonæ Spei.

6. Matrimonium alienigenarum, qui data operâ alibi incipiunt habitare ut vitent proprios Parochos, docent eſſe validum, Sanch. *lib.* 3. *d.* 18. *n.* 29. & *d.* 23. *n.* 13. 14. Bonac. & alii apud eum.

Quomodo præſens.

7. Tam Parochus aut ab eo deputatus, quàm Teſtes debent eſſe præſentes contractui matrimonii, non ſolùm phyſicè ſeu corporaliter, ſed etiam moraliter, ſeu cum advertentia & uſu rationis, ut percipiant actum ad teſtificandum in foro externo. Unde non ſufficit Parochus dormiens, vel in loco in quo conſenſum externum ab utroque conjuge præſtitum percipere nequit.

8. Utrùm ſufficit illos contrahentes audire, v. g. poſt cortinam, & non

videre?

Casus pro discursu.

videre? Controvertunt Theologi. Barbosa asserit, requiri ut Parochus non tantùm audiat, sed & videat quid agitur. Dian. *part.* 7. *tr.* 7. *resol.* 68. Octav. *num.* 869. *p.* 376. cum Sanch. & aliis tenent, non esse necessarium ut Testes videant, sufficit audire contrahentes quando habent notam vocem eorum. Porrò, quia ideo solùm requiritur Parochus ad valorem matrimonii, ut de eo in foro externo quoties opus fuerit testari possit; hinc fit, ut matrimonium sit ratum, etsi Parochus vî detineatur, à fortiori si dolô adducatur ad locum ubi matrimonium celebratur, vel casu ibi reperiatur, dummodo advertat quæ aguntur (h). At contrahentes taliter, mortaliter peccant: quia ipsi Parocho gravem irrogant injuriam, consequenter Ecclesiæ; nisi gravis subsit necessitas eos à mortali excusans.

(h) Bonæ Spei, Bonac. & alii.

9. Quid si Parochus & Testes casu transeant? *Rdet* Bonæ Spei, Ledesma & Hurtad. contra Bonac. & Pont. quòd si verè advertant contrahi matrimonium, sufficere talem præsentiam ad valorem matrimonii: imò Dian. *part.* 10. *tr.* 13. refert, Romæ & Mediolani declaratum fuisse validum matrimonium, ex sola advertentia Parochi transeuntis ex altari ad Sacristiam, alioqui nihil desuper cognoscentis.

10. Quid si contrahentes ad Parochi præsentiam non attendant, sed præcisè intendant coram Magistratu contrahere; interea casu Parochus ipsis insciis in multitudine spectantium attendat ad contractum? *Resp.* (i) contra P. Herinx, valere matrimonium: quia re ipsa in facie Ecclesiæ, scilicet coram Parocho & Testibus celebratum est.

(i) P. Bonæ Sp. Quid in facie Ecclesiæ. De Testibus matrimonii. Quales esse possunt? Similiter Parochus?

11. Notandum de Testibus, quòd debeant simul interesse, non successivè; cùm dicat Tridentinum copulativè. Nec opus est ut sint Testes omni exceptione majores, id est tales, ut nullum habeant vitium ex eis ob quæ Jure à testimonio referendo repelluntur, & illis in foro externo fides minimè adhibeatur. Quare excommunicati, infames, servi, pueri ratione utentes, matrimonio validè assistunt. Similiter celebratum matrimonium coram Parocho suspenso, irregulari, excommunicato, non solùm tolerato sed & non tolerato seu vitando, à valore suo non recedit, docent Bonac. *de Matrim.* q. 2. *punct.* 8. *n.* 31. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 21. *num.* 4. Octavius *interrog.* 861. *pag.* 367. Peccant tamen mortaliter tam Parochus aut ejus Delegatus talis, quàm contrahentes in dicto casu, si absque inevitabili necessitate id faciant: quia est communicatio in Divinis cum excommunicato, quæ sub mortali prohibetur: insuper tam contrahentes quàm & Testes, minorem excommunicationem in casu hoc incurrunt.

12. Quid si Parochus habeat injustum titulum beneficii? quod contingit, quando Parochus commisit aliquod delictum, ratione cujus est ipso Jure privatus beneficiô, vel quando habet beneficium incompatibile, vel quan-

Casus.

do acceptavit beneficium in excommunicatione? *Resp.* Si talis errore communi putetur Parochus, validè coram eo, Parochum putantes, contrahunt matrimonia: quia in tali casu Ecclesia tamquam pia Mater supplet defectū, & quantùm ad hoc censetur dispensans. Bonac. Rotar. & alii.

13. Non tantùm de licentia Parochi, sed etiam de licentia ejus Vicarii (k), licèt amovibili, aut de licentia Episcopi, vel Vicarii Generalis, aut ab alio Prælato habente authoritatem quasi Episcopalem, qualem habent Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, & aliqui Abbates in suis Abbatiis, si habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in Ecclesia nulli Episcopo subjecta (k). Ratio est: quia Tridentinum requirit præsentiam Parochi, vel alterius Sacerdotis assistentis de licentia Parochi vel Ordinarii. Nomine autem Ordinarii, veniunt omnes dicti: Ordinarius enim hôc locô dicitur ille, cui subjectus est Parochus loci illius. Ita Sanch. *lib.* 3. *disp.* 28. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *n.* 4. Reginald. *n.* 178. Filliuc. *n.* 214.

(k) Bonacina.

SECTIO III.

Quoad esse liciti.

Solemnitas matrimonii ad esse liciti in quo consistit.

1. RESP. & dico: Solemnitas ad esse liciti matrimonii (quapropter extrinseca dicitur), in hoc consistit. 1. *ut antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebûs festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium contrahendum sit.* 2. *ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent.* 3. *ut antequam contrahant, vel saltem triduò ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad SS. Eucharistiæ Sacramentum piè accedant.* 4. *Vbi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat ego, vos in matrimonium conjungo, in Nomine Patris & Filii & Spiritûs S. vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Ita Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1.

2. Pro explicatione dico, solemnitas denuntiandi requiritur ad esse liciti matrimonii, non ad esse validi: quia ita Tridentinum præcipit denuntiationes illas fieri, ut non irritetur matrimonium sine illis factum. Et quia præcipit eas, & præceptum est in materia gravi, siquidem ex illis omissis incommoda facilè sequi possunt, prout patebit *de Impedimentis & divortio*; proinde tam Parochus quàm contrahentes, eas sine dispensatione Ordinarii aut Vicarii ejus (a), aut legitima causa omittentes, peccant mortaliter. Sanch. quidem cum pluribus censet mortale non esse unam omittere, quando quis certus est moraliter nullum esse impedimen-

(a) Rotar.

dimen-

dimentum. Sed poteſt illum latere impedimentum qui certus moraliter dicitur, & unius denuntiationis omiſſio, eſſe poteſt cauſa non declarationis impedimenti, & multorum abſurdorum & damnorum.

3. Attamen, *quòd ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitiosè impediri poſſe*, ſi *tot denuntiationes præceſſerint; tunc vel una tantùm denuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho & duobus vel tribus Teſtibûs præſentibus, matrimonium celebretur: deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſint impedimenta, faciliùs detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio Sancta Synodus relinquit.* Tridentinum *ſeſ.* 24. *c.* 1.

4. Et his collige, ex accidenti ob juſtam cauſam per diſpenſationem Ordinarii aut Vicarii Generalis, aut ſecùs ſi uterque adiri nequit poſſe licitè contrahi matrimonium ſine duabus, aut aliquando ſine omnibus denuntiationibus.

5. Explicatur & probatur. Dico, *ob juſtam cauſam per diſpenſationem*: Nam diſpenſatio exigit juſtam cauſam. *Ordinarii*: illis enim non Parochis id conceditur. *Aut Vicarii Generalis*: quia ille venit nomine Ordinarii, *cap. Roma, de Appellationibus in* 6. poteſt tamen ſibi reſervare Epiſcopus talem diſpenſationem. *Aut ſecùs*: hoc eſt absque diſpenſatione utriusque, ſi adiri non poteſt, & in mora notabilis damni periculum urgeat. Ita DD. communiter. Cauſæ diſpenſandi in denuntiationibus & contrahendi matrimonium, prætermiſſis illis, ſunt hæ. NomineOrdinarii Vicarius Generalis.

7. Prima in Tridentino *ſeſ.* 24. *c.* 5. quòd ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitiosè impediri poſſe &c. *ſuprà*. 2. cauſa eſt, infamia contrahentium: ùt ſi illi qui publicè juncti habentur, denuntientur. Idem dicendum de rationabili pudore ex denuntiatione ſecuturo: ùt ſi contrahentes ſint nimiùm ſenes, aut ætate diſpares, ùt ſi ſeniculus & Sponſa puella, aut Domina cum ſervo vel ſubdito ſuo contrahere velit. 3. cauſa eſt, animæ, fortunæ, aut corporis notabile incommodum: Sic Titius in periculo mortis exiſtens, licitè absque bannis cum ſua Amaſia præſente Parocho & Teſtibûs celebrat matrimonium, ut legitimetur proles. 4. tempus quô nuptiæ prohibentur. 5. ſecundùm plurimos Magnatum dignitas, cùm matrimonia talium ſint valdè publica. 6. eſt, notabile ſpirituale aut corporale commodum, quod expedire judicat Ordinarius. Ita docent Bonac. Bonæ Spei, Hurtado, Perez & alii. Cauſæ diſpenſan. omitten. denuntiationes.

8. Notandum, quòd etiamſi Tridentinum dicat, faciendas denuntiationes in Eccleſia, poſſunt tamen fieri in Oratorio, aut penes Eccleſiam (a), aut in loco alio ubi celebratur Miſſa, & confluit magnus populus (a), v.g. tempore peſtis in campo; modò fiant in utraque Parochia, ſi contrahentes ſint diverſarum Parochiarum. Ita declaravit Sacra Congregatio teſte

(a) Rotar.

Rotario, ùt si quis inter illos impedimentum noverit, aperiat illud.

Ad quid tenetur conscius impedimenti.

9. Ad quid tenetur conscius impedimenti? *Resp.* & dico 1. quòd ipse contracturus conscius alicujus impedimenti, non solùm juridicè interrogatus, sive sequatur aut non infamia, sed & spontè detegere illud tenetur, ut dispensationem obtineat, aut à matrimonio contrahendo desistere (b). Ratio primi est: quia quilibet obligatur Superiori legitimè præcipienti id aperire, quod damnum grave alteri natum est inferre. Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 70. *ad* 2. Ratio secundi & tertii est: quia licèt nullus tenetur esse primus contra se ipsum testis, in ordine ad pœnas temporales, vitare tamen se ipso peccatum obligatur.

(b) Bonæ Spei Rotar.

10. Dico 2. Alius conscius impedimenti matrimonii dirimentis, vel est publicum? Revelare illud tenetur, quàmvis ortum ex peccato habeat & contrahentes infamet (c): quia ratio excusationis non apparet, cur illud occultè manifestari non possit. Attamen priùs impedimentô istô laborans moneri debet, si auditurus sit, ut à matrimonio desistat, inquit Bonæ Spei. Vel illud impedimentum est occultum? Tunc vel cum eo in foro conscientiæ dispensatum est? Revelare deobligatur: quia jam est per dispensationem (ùt supponitur) ablatum peccandi periculum, quod per denuntiationes intenditur. Vel secùs est? Et tunc, vel sibi grave damnum timet aut scandalum grande? Manifestare non tenetur: quia in casu gravis damni, correctionis fraternæ præceptum cessat. Addunt Alarius cum Navar. Suar. cum Rotar. etiamsi sub comminatione excommunicationis ei revelatio præcipiatur. Vel nihil horum timet? Tunc vel probare potest, quia audivit à persona digna fide? Tenetur illud revelare Pastori, etiamsi sit Testis unicus: nam quàmvis unius testimonium ad matrimonium dissolvendum non sufficiat, ex *cap. Super eo, de Testibus*, ad impediendum tamen sufficit, ex *cap. Licèt, de Testibus;* etiamsi illud novit secretò extra confessionem, & juramentô promiserit se non revelaturum, stringitur ad revelationem ejus (d): quia hîc agitur de peccato vitando, non de delicto puniendo. Vel probare nequit, tam iste quàm alius? quia à quo audivit non est fide dignus? Revelare deobligatur secundum communem sententiam: quia tale testimonium nullum est ex *cap. Licèt ex quodam, de Testibus*. Distinguit tamen Bonæ Sp. Si scit bona fide contrahentes; secùs si mala. Ratio ejus primi: quia contrahentes ob bonam fidem non peccant, & aliunde proles re quidem sunt illegitimæ, sed in omnium opinione manent legitimæ. Secundi ratio: quia præceptum correctionis fraternæ illo casu obligat; ergò & denuntiationis.

(c) Bonæ Spei.

Vnius testimonium ad impediendum matrimonium sufficit.

(d) Alar. Petro à S. Ioseph, Rotar.

Casus.

11. Quando quis obtinuit dispensationem pro foro interno seu conscientiæ, quid faciendum si postea contractô matrimoniô detegatur & publicetur impedimentum? *Resp.* Debet pro foro externo obtineri ratifi-

catio

catio dispensationis, & interim cohabitare nequeunt; imò per officium Judicis separandi sunt, donec in foro externo dispensationem impetraverint. Bonac. *de Matrim. q* 3. *punct. ult. num.* 15. aliique communiter.

12. Quid si solus Parochus sciat impedimentum subesse? *Resp.* Vel solus scit extra confessionem, vel ex confessione? Si primum, & probare potest? Copulare nequit, sed ad Episcopum remittere, & ei impedimentum revelare; cùm ipse non sit Judex super impedimentis, sed Episcopus (e), ùt patet ex *cap. fin. de Clandestinitate.* Notandum tamen, quòd si impedimentum est peccatum occultum, in publico repellere petentes non potest Parochus. Clarificat instantia de occulto peccatore, accedente ad Eucharistiam Sacram in publico. Si ex sola confessione scit; distinguendum iterum; Vel ambo contrahentes sunt impedimenti dirimentis conscii, vel unus? Si ambo? In sola confessione, allaborare tenetur, ut suspendat matrimonium donec obtineatur dispensatio: Si verò ob notabile scandalum, aut damnum, neque hoc valeat impedire, debet consulere eis ut contrahant sub hac conditione, *Si Papa dispenset;* & interea tamquam Frater & Soror cohabitent, torô separati, donec accedente dispensatione iterùm contrahant coram Parocho & Testibus. Si verò tantùm unus notitiam impedimenti habet, & à matrimonio desistere non valet? Illi suadere obligatur, ut velit prætendere vivere per duos menses sub prætextu meditandi Religionis ingressum; prudenter tamen caveat à mendaciis. Ita sentiunt Bonæ Sp. Rotar. Steph. à S. Paulo & alii. Dixi, *in sola confessione:* cùm ratione sigilli inviolabilis, non possit uti scientiâ confessionis.

(e) Bonæ Spei, Steph. à S. Paulo.

Notandum.

13. Notandum de benedictione conjugum, quòd statuit Trident. *loc. cit.* benedictionem à proprio Parocho fieri. 2. in variis locis consuetudine receptum esse, ut nuptiæ secundæ benedicantur si mulier aliàs non nupsit: imò Joan. XXII. statuit, ut secundæ nuptiæ benedicerentur, quando unus contrahentium, sive vir sive mulier nunquam aliàs contraxit, ne alter propter alterum benedictionis gratiâ privetur. Ita Petrus à S. Joseph *lib.* 4. *cap.* 4. *resol.* 11.

De benedictione Sponsorum.

SECTIO IV.

De pœnis ratione clandestini matrimonii.

1. Matrimonium sine præsentia Parochi & Testium dicitur clandestinum simpliciter; matrimonium verò ob culpabiliter omissas denuntiationes, dicitur secundùm quid clandestinum. De utrisque pœnis *hîc* breviter.

Pœnæ pro clandestinitate matrimonii.

2. Dico 1. Prima pœna ex parte contrahentium est, illegitimitas prolium

 ex

ex tali matrimonio, prout conceptarum ex conjuge non sua (a). Secunda, ût si quis ignoranter contrahit in gradu prohibito, & denuntiationes requisitas neglexerit, tali negat spem, id est ordinariam facultatem obtinendæ dispensationis Tridentinum *seſ.* 24. *cap.* 5.

(a) Bonac. Sanch.

3. Dico 2. Ex parte Parochi prima est gravis, Ordinario arbitraria ex Trident. *seſ.* 24. *de Matrim. cap.* 1. si assistat sine debito Testium numero. Secunda est, triennalis suspensio ab officio, si debitas denuntiationes illicitè omiserit, juxta *cap. final. de Clandestina desponsatione.*

4. Ex parte Testium, est similiter gravis, Ordinario arbitraria ex Trident. *loc. cit.* si ubi Tridentinum receptum est, absque Parocho proprio vel alio de ejus licentia assistant.

5. Quid de alieno Parocho, aut Sacerdote etiam Regulari, absque proprii Parochi licentia matrimonio assistente? *Resp.* talem incurrere suspensionem, donec absolvatur ab Ordinario Parochi. Ita Trident. *loc. cit.* Et quia Trident. suspensionem non determinat, videtur solùm esse ab officio Sacerdotali; cùm odia sint restringenda. Excusat tamen illius ignorantia, etiam crassa, modò non sit enormis, notat Sanch. *lib.* 3. *disp.* 48. *n.* 7. propter verba Tridentini, *qui ausus fuerit.* Nec Regularis propterea per Clementinam *Religiosi* 1. *de Privileg.* excommunicationem ipsô factô, reservatam Summo Pontifici incurrit. Ita Hurtado *d.* 5. *difficult.* 17. Bonæ Spei *de Matrim. dub.* 2. *resolut.* 6. Quidquid dicat Sanch. nam Declaratio est Cardinalum apud Rebel. *hîc num.* 83.

Regularis copulans absque licentia Parochi non incurrit excommunicationem.

SERIES IV.

Quomodo matrimonium sit indissolubile?

1. RESP. & dico 1. Omne legitimum matrimonium de institutione Divina, ex consensu mutuo est indissolubile quoad vinculum (a): Ita enim habetur in Tridentin. *seſ.* 24. *de Matrim. matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis Parens Divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Unde

(a) D. R. in 4. d. 31. a. 2.

2. Dico 2. Matrimonium inter infideles non solùm consummatum, sed & non consummatum, dissolvi non potest quoad vinculum, tam ex mutuo consensu propter contractum ex Divina institutione in perpetuum factum, quàm per dispensationem Apostolicam, cùm Ecclesia potestatem non habeat super infideles; potest tamen inter eos dissolvi ex Christi privilegio, non solùm non consummatum, sed & consummatum, *si alter in-*

infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, alterô, vel nullô modô, vel non sine blasphemia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda si voluerit, vota transibit. Ita Innoc. III. *cap. Quantò,* & repetitur in *cap. Gaudemus.*

3. Explicatur & probatur. Hoc est si unus convertatur, alter non vult: proinde si infidelis cohabitare cum converso non vult, aut conversus videt se non posse vivere pacificè sine injuria Creatoris, & fidei periculo, potest omninò infidelem dimittere, & ad alias convolare nuptias. Fundamentum habetur *ad Corinth. Quòd si infidelis discedit discedat* (puta non conversus): *non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi; in pace autem nos vocavit Deus.* Non tamen citiùs dissolvitur matrimonium, quàm contrahat cum alia (b). Ita habetur *cap. Gaudemus, de Divortiis.* Quare infidelis deberet expectare, si fidelis ingrederetur Religionem ut eam profiteretur, aut susciperet Sacros Ordines, aut aliam duceret. Ita de Rhod. Bonæ Spei & alii.

(b) D. R. in 4. d. 34.

4. Et quid si infidelis fideli cohabitare velit in pace, & absit periculum perversionis? *Resp.* In tali casu licet fideli conjugem infidelem dimittere, sed non expedit. Ita S. Augustinus *ad Pollentium lib. 1. de Adulterio conjugis cap. 13.* & 14. dicit: *tibi videtur infideles quoque dimitti à fidelibus non licere, quia hoc vetat Apostolus; ego dicam licere, quia hoc non vetat Dominus: non tamen expedire, quia hoc ne fiat, monet Apostolus, qui reddit etiam rationem, cur fieri non expediat, quàmvis liceat, scilicet, quia sanctificatus est vir infidelis in muliere fideli, & sanctificata est mulier infidelis in fratre; alioqui filii vestri inquit immundi essent, nunc autem sancti sunt. Sic ergò licet dimittere, quia justitia permittit à fornicante discedere, & infidelis hominis fornicatio est major in corde: non expedit, non propter vinculum cum talibus conjugale servandum, sed ut acquirantur Christo conjuges & filii.* Sic ergò possumus dicere, meliùs esse infidelem conjugem non dimittere, quàmvis liceat dimittere.

Fidelis infidelem dimittere potest, sed non expedit.

5. Quod totum intantum tenendum, inquantum velit ipsius conversi bonas instructiones audire, & ad fidem converti. Bonæ Sp. Nam si secùs, statutum est in Concil. Toletan. 4. c. 62. *Nisi ad fidem Judæus accesserit, separetur ab uxore fideli; filii autem qui ex talibus nati existunt, fidem atque conditionem Matris sequantur. Similiter & hi qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris, Christianam sequantur Religionem, non judaicam superstitionem.* In Corp. Jur. Can. *part. 2. caus. 28. quæst. 1. pag.* 371. Hoc de Paganis non habetur (b), & intelligendum de filiis ante usum rationis: nam adulti relinquendi in sua libertate (b) sunt.

(b) Toletus.

6. Quid si post baptismum consummaverit matrimonium & conjunctus fuerit? *Resp.* etiamsi (c): quia in dicto casu in eodem statu & periculo conversus manet.

(c) de Rhodes.

 7. Si

7. Si verò ambo simul baptizarentur, oportet considerare an sint juncti in gradu prohibito, vel non? Si non? Matrimonium eorum dissolvi non potest, cùm esset finis dissolubilitatis; nisi fortè per dispensationem, in casu quô matrimonium ratum solvi potest, ùt dicam statim; dummodo post baptismum non fuerit consummatum (c). Si sint in gradu prohibito? & vel in gradu prohibito Jure Canonico, v. g. in gradu secundo, vel tertio, aut quarto? Tunc debent remanere juncti post baptismum: quia hi gradus sunt prohibiti Jure Canonico, quod non obligat infideles. Vel in gradu prohibito Jure naturæ, scilicet si in gradu primo contraxerunt in paganismo Pater cum filia, filius cum Matre, soror cum fratre? Sunt omninò separandi: quia est contra Jus naturæ ut filia habeat potestatem in corpus sui Patris, filius in corpus Matris; & est turpitudo maxima. Matrimonium ante conversionem nullum, a fortiori pòst.

8. Quid si habuerit plures uxores? *Resp.* Primam debet habere si est conversa, quàmvis illi dederit libellum repudii, dicit Tolet. Sed oppositum decretum est ab Eutychiano Papa, quòd si quis gentilis gentilem uxorem dimiserit ante baptismum, post baptismum in potestate ejus erit eam habere vel non habere. In Corp. Jur. Can. *loc. cit. pag.* 369. Quòd si ista non convertatur, tunc unam ex aliis conversis eligere potest; & si nulla conversa est, aliam (b).

Si labatur in hæresim.

9. Quid si alter fidelium conjugum labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem? Rdet Innoc. III. *cap. Quantò te novimus: Non credimus quòd in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare; licèt in hoc casu major appareat contumelia Creatoris: nam etsi matrimonium verum inter infideles extat, non est tamen ratum; inter fideles autem verum & ratum existit: quia Sacramentum fidei quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.* Per hanc responsionem quorundam malitiæ obviatur, qui in odium conjugum, ut quando sibi invicem displicerent (si eas possent in tali casu dimittere), simularent hæresim, ut ab ipsa nuptiis factis resilirent. In Corp. Jur. Can. *de Divortiis pag.* 221.

10. Dico 3. Matrimonium ratum nondum consummatum, consentiente Deo, *quodcumque solveris* &c. potest dissolvi, & per dispensationem Apostolicam Innocentii, *cap. Ex parte, de Convers. conjugat.* Quod & fecit Paulus III. Pius IV. Gregorius. XIII. & per professionem solemnem in Religione approbata; non per susceptionem Ordinis majoris.

11. Causæ verò ob quas Summus Pontifex valet dispensare, numerantur 1. notabilis in qualitate disparitas. 2. metus magni scandali, vel magnarum rixarum inter Sponsos, vel Consanguineos eorum. 3. lepra, vel aliud malum grave superveniens, ratione cujus Sponsus ad Sponsam numquam acce-

accedere poteſt. 4. Impotentia perpetua, ſuperveniens matrimonio rato. 5. Si vir propter bonum publicum debet in Epiſcopum eligi. Ita Gregor. à S. Laurent.

12. Secundum verò membrum Reſolutionis, ſic declaratur in Concil. Trident. *ſeſ.* 24. *can.* 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum, non dirimi ; anathema ſit.*

13. Inde eſt quòd à Jure (e) *cap. Ex publico, de Converſione conjugat.* & *cap. Ex parte tua,* concedantur duo Menſes (numerando à tempore contractûs) integri conjugibus, ut intra eos deliberent, an velint Religionem ingredi, & profiteri, nec ne ? quo tempore ſi conjux deliberat ingredi & profiteri Religionem, nec tenetur reddere debitum, nec ad reddendum cogi licitè poteſt, juxta præfata capita. Sed ſicut non reddere licitè poteſt eo tempore, ita ingredi Religionem ; & alter profeſſionem expectare tenetur, quâ factâ ad alias nuptias convolare poterit. Et ſi elapſo tempore aſſignato non intraverit, cogi poteſt vel ad Religionem, vel ad reddendum debitum, juxta *cap. Ex publico,* dictum. In Corp. Jur. Can. *de Converſ. conjugat. lib.* 3. *tit.* 32. *pag.* 175.

(e) Authoritate Alexandri III. & Innoc. III. concedun-tur duo mẽ-ſes ad deli-berandum.

14. Et quid ſi intra duos Menſes vis inferatur, à comparte ? *Reſp.* quòd non obſtante tali vi poſſit ingrediendi Religionem. Ita Doct. Reſol. *in* 4. *d.* 30. *a.* 2. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 22. Bonæ Spei & alii non pauci, contra non nullos Recentiores. Ratio eſt : quia vî & malitiâ alterius, innocens non debet jure ſuo privari. Attamen Sponſa oppreſſa non citiùs poteſt habitum Sanctum recipere, quàm ſit certa quòd non ſit imprægnata; ne cui adferendum beneficium, adferatur infamia.

Vis illata non obeſt.

15. Ad hæc animadverte 1. quòd copula (ubi eſt Tridentinum receptum) habita ante celebrationem matrimonii, non obſit libertati eligendi Religioſam profeſſionem (f). Ratio eſt : quia illa non erat matrimonialis, & pòſt habita imperfecta (g) : quia talis non eſt conſummatio matrimonii. 2. quòd conjux ſi non cogitet de Religione intra duos menſes, juxta probabilem ſententiam poſſit non reddere debitum ; probabiliùs tamen eſt quòd teneatur (g) : quia alter ſtatim à prolatione contractûs acquirit jus, & poteſtatem in corpus alterius, niſi in caſu à Jure exempto, qualis eſt ille duntaxat in quo alter conjux cogitat de Religione. 3. quòd vota ſimplicia poſt biennium Novitiatûs in Societate emiſſa, non diſſolvant matrimonium ratum. Ita docent de Rhodes, Bonæ Sp. Vaſq. Sanch. & alii contra Baſilium Pontium *lib.* 9. *cap.* 6. Ratio eſt Bonæ Spei : quia ante Conſtitutionem Gregorii XIII. *Aſcendente Domino,* vota illa non inhabilitabant ad matrimonium ſubſequens, à fortiori non diſſolvebant antecedens ; & à præfato Pontifice dictis votis ſolùm eſt additum, quòd ſint impedimentum dirimens matrimonium poſtea contractum, ſine

(f) Rotarius.
(g) Bonæ Spei.

ulla mentione antea contracti: & in hoc non est incompatibilitas, ut sit impedimentum dirimens contrahendi, non contracti matrimonii: patet in voto Ordini annexo, ùt vidimus *suprà* de Ordine & videbimus. A fortiori vota sæcularia castitatis, non dissolvunt matrimonium ratum nondum consummatum.

Matrimonium ratum non dissolv. per suscept. Ord. Sacri.

16. Non dissolvitur per susceptionem majoris Ordinis. Ita definit Joan. XXII. in sua Constitutione, *Antiquæ concertationi finem cupientes imponere*, quæ per extensum habetur apud Doct. Resol. *in* 4. *d.* 29. *a.* 2. in qua statuit, ut talis ordinatus, *nec in sic suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi, nec ad aliquod beneficium vel Officium Ecclesiasticum valeat promoveri, nisi aliquam de Religionibus approbatis, quarum professio ad castitatis custodiam, & abdicationem temporalium, & sui Superioris obedientiam suos professores astringat, ipsum Canonicè contigerit ingredi, ac ejus regulam expresse vel tacitè profiteri: quo casu Diœcesanus super præmissis & singulis præmissorum, cum eo dispensare valeat, nisi aliud sit Canonicum quod obsistat.* Ratio Doct. Resol. quia Religiosus per professionem perfectè moritur mundo; non sic per susceptionem Subdiaconatûs aut Diaconatûs. Item quia (ùt habetur in citata Constitutione) nec Jure Divino, nec per Sacros Canones reperitur statutum, quòd per susceptionem Sacri Ordinis dissolvatur matrimonium ratum, nondum consummatum; econtra est de professione in Religione approbata. Proinde talis vir ordinatus, si nolit ingredi Religionem, *& renuerit adimplere* matrimonium, *ipsum si Sponsa institerit, per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus matrimonium contractum consummare*, inquit præfatus Pontifex in dicta sua Constitutione. Si verò Sponsus aut Sponsa quæ voluit profiteri Religionem, sumpto habitu *velit in domo propria manere quasi propositum castitatis in sæculo servatura, nihilominùs consummandum est matrimonium jam contractum, nisi se voto adstrinxerit ad observantiam Regularem: in quo casu compelli potest, ut relicto sæculô, Religionis propositum exequatur.* Ita Innoc. III. *cap. Ex parte tua*, ùt videre est in Corp. Jur. Can. *lib.* 3. *tit.* 32. *pag.* 175.

Solvitur objectio.

17. Dices, quòd Dominus in Evangelio dicit, non licere viro nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere. *Rdet* Alexander III. scribens Brixiensi Episcopo *cap. Ex publico instrumento*, intelligendum esse secundùm interpretationem Sacri Eloquii de his, quorum matrimonium carnali copula est consummatum, sine quo consummari non potest. In Corp. Jur. Can. *loc. cit.*

18. Dico 4. Matrimonium ratum consummatum, neque per professionem solemnem, neque per dispensationem Apostolicam, neque per mutuum consensum dissolvi potest quoad vinculum sui. Est de fide, definitum in Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. Fundamentum in Sacra Scriptura habetur

betur

betur *Marci* 10. *quicunque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum suum & alii nupserit, mœchatur.* Similiter *Lucæ* 16. *omnis qui dimittit uxorem suam & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Et *Rom.* 7. *mulier vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri.* Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro conjuncta.

19. Dices: Matrimonium mutuo consensu celebratur; ergò etiam mutuo consensu potest dissolvi: nam per eas causas contractus dissolvitur, per quas celebratur, ùt habetur in Regul. Jur. *Resp.* Explico axioma: si aliud non obsit, concedo; si secùs, nego, ùti hîc, quod matrimonium ratum consummatum est elevatum ad significandum Unionem Hypostaticam Verbi cum natura humana, quæ est indissolubilis: hæc enim disparitas & ratio est, quòd matrimonium ratum nondum consummatum sit dissolubile, consummatum verò est indissolubile: quia illud significat unionem Christi cum Ecclesia per gratiam, quæ licèt sit inseparabilis ab Ecclesia respectu totius, separatur tamen à tali & tali persona Ecclesiæ; Matrimonium verò ratum consummatum, significat Unionem Verbi Divini cum natura humana, quæ nullô modô est dissolubilis, spectata ordinaria potenitiâ Dei. Pro discursu & solut.

20. Instabis: Deus elevavit matrimonium ratum consummatum ad significandam Unionem Hypostaticam, quæ est indissolubilis; ergò Deus potest dispensare in indissolubilitate, & de consensu ejus Papa. *Resp.* Sicut suum Decretum Deus non potest mutare, ita ex supposito quòd instituerit indissolubile matrimonium, in eo dispensare nequit.

21. Instabis 2. Atqui Deus non instituit indissolubile. Probatur: quia ita dicit Christus *Matth.* 19. *quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem.* *Resp.* locum citatum intelligi de uxoris dimissione quoad torum, non quoad vinculum matrimonii: nam addit, *& qui aliam duxerit, mœchatur.* Nec opponas hoc, quòd in Lege antiqua libellus repudii à Moyse permittebatur. Nam ùt declaravit Innoc. III. *cap. Debitum, de Bigamis,* solùm inter baptizatos matrimonium consummatum, quô duorum una est caro, significat Unionem naturæ humanæ cum Divina, ex quibus unus est Christus. Permittebatur quidem libellus repudii ad vitandum majus malum, scilicet ne suas uxores Judæi occiderent: quare dicitur ibi, *propter duritiam cordis.*

22. Potest quidem vir consummato matrimoniô intrare & profiteri Religionem de consensu uxoris, sed non aliter, quàm ut ea etiam voveat continentiam, ùt dixi *de Ordine ser.* 4. *num.* 24. 25. & *ultrà*: Nam *non recipitur apud Deum ejus viri conversio, cujus sequitur conjugalis fœderis prostitutio. Tales igitur tunc sine culpa sequuntur Christum relicto sæculô, si habeant ex pari voluntate castitatis consensum: cap. Si quis* (h). Sed tali-

ter non quoad vinculum dissolvitur matrimonium, cùm nec validè remanens in sæculo potest contrahere, ùt *citato immediatè cap.* declaratum est; sed quoad torum, sive separationem tori.

(h) Anselm. lib. 10. c. 20. Burchard. lib. 9. c. 45. Ivo p. 8. c. 183. & 220.

SERIES V.

De impedimentis matrimonii.

IMpedimenta alia sunt solùm impedientia, alia insuper dirimentia (a): illa solùm impediunt ne licitè, hæc insuper ne validè contrahatur matrimonium: illa illicitum contractum, hæc irritum non factum sed faciendum, ne ratus fiat efficiunt. Ita communiter Doctores. Impedimentum ergò, est quædam indispositio contrahentis, reddens matrimonium illicitum, vel insuper invalidum.

(a) S. Thom. in 4. d. 34. q. unic.

SECTIO I.

De impedimentis solùm impedientibus. Quot sint?

1. RESP. Impedimenta impedientia non dirimentia, in quibus omninò illicitum est contrahere matrimonium, sequenti versu sunt comprehensa:

Tempus sacratum, vetitum, sponsalia, votum.

2. *Tempus sacratum*, seu ùt alii *feriatum*, est secundùm Trident. *sess.* 24. *can.* 10. *de Reform.* à prima Dominica Adventûs, usque ad diem Epiphaniæ inclusivè; & à die Cinerum, ad Dominicam in Albis inclusivè. Potest quidem omni tempore matrimonium contrahi coram Parocho & Testibus, nec consummatio prohibetur in Quadragesima; sed tantùm nuptiarum solemnitates, scilicet benedictio publica earum, solemnis Sponsæ vel econtra in domum traductio, & convivium cum Sponsa, & choreis solitis (b). Unde non peccabit contra Trident. Parochus, assistens matrimonio tempore Adventûs vel Quadragesimæ, dilatis benedictionibûs in aliud tempus. Neque Sponsi, si cum exigua pompa ducantur, & moderato conviviô absque signis lætitiæ utantur (c). Non est tamen & taliter celebrandum matrimonium dictis temporibûs, nisi urgeat necessitas: ùt si in periculo mortis concubinarius ad legitimandam prolem, aut præstandum licitum ex illicito affectum, quem ad concubinam habet; aut alius,

(b) Bonæ Spei, Sanch. Greg. à S. Laur.

(c) Gregor. à S. Laurent. Kochler.

quia discedere sine mora debet; aut ne continuò. cum ea labatur, velit statim contrahere matrimonium.

3. *Vetitum*, seu interdictum tempus, est quô ab Episcopo, aut Officiali, aut Parocho, vel alio ad id potestatem habente interdicitur matrimonium contrahendum, ob dubium alicujus impedimenti, aut inhabilitatis inter copulandos, donec examen fiat utrùm ita se res habeat nec ne, & decidatur horum unum. Attamen si contrahant non obstante prohibitione, valet matrimonium, si non obsit impedimentum dirimens. Ita habetur *cap.* 1. & 2. & 3. *de Matrimonio contra interdictum.* Possunt tamen tales separari ad tempus (d) ut agant pœnitentiam, eò quòd mandatum Ecclesiæ contempserint, *de Matrim. d.* 33. *q.* 4.

(d) Doct. Resol. in 4. d. 35. quæst. unic.

4. *Sponsalia*, contracta impediunt, ne illorum alteruter contrahat cum alio, ut servetur fides.

5. *Votum*, castitatis (intellige simplex, quod fit quando quis dicit v. g. promitto Deo perpetuam castitatem, vel voveo &c.) non nubendi, sed Ordinem Sacrum suscipiendi, vel ingrediendi Religionem, matrimonium impedit contrahendum (e), non tamen contractum dirimit, etiam juramentô firmatum (f), remanente tali diversitate obligationum. Si fecerit votum non nubendi contractô matrimoniô, peccavit mortaliter, & ad nihil aliud tenetur; si verò vovit castitatem vel ingressum Religionis, peccat iterùm mortaliter consummando matrimonium: quia post matrimonium ratum ante consummationem, potuit ingredi Religionem, & votum suum servare (f). Nec impedit ipsum juramentum præstitum de celebrando matrimonio: nam temerè factum est, ùt habetur *cap. Rursùs.* Consummatô tamen matrimoniô qui vovit Religionis ingressum, ad nihil aliud tenetur vivente uxore, sed mortuâ illâ tenetur iterùm ad Religionis ingressum; qui verò vovit castitatem, potest tantùm reddere debitum, imò tenetur, quia habita copulâ debitorem suæ uxoris se constituit (f); non potest autem petere, quia tenetur votum observare quantùm potest. Unde quoties petit, semper peccat exigens: quia ex fractione voti, non debet unquam commodum reportare (f). Item mortua Conjuge obligatur ad votum.

(e) cap. Consuluit, & cap. Meminimus.

(f) cap. Rursùs qui votum, in Corp. Iur. Can. pag. 209. D. R. in 4. d. 34.

Ad quid tenetur si nubat qui antea votum fecerit?

6. Quid faciendum sit de nobili muliere, quæ vestibûs pretiosis abjectis mutavit habitum, & de manu Presbyteri velamen assumpsit, sed non renuntiavit propriis, nec intravit Claustrum, aut in manu alicujus Episcopi, Abbatis vel Abbatissæ, aut super altare professa est, vel obedientiam promisit; postmodum verò elapso Annô, abjectô Religionis habitu, cuidam nobili nupsit? Rdet Alexander III. (e) Episcopo Lucensi: *Tuæ consultationi taliter respondemus, quòd sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit jam contractum; ita habitus sine pro-*

Casus.

professione susceptus, ne contrahatur impedit (f), contractum nequaquam dissolvit. In Corp. Jur. Can *loc. cit.* in margine.

7. Casus secundus est. Mulier cuidam viro absenti fide data, se nupturam promisit, sed postmodum audiens plura de severitate ipsius, ei noluit copulari; cùm itaque timeret ne illi nubere cogeretur, in manibus suis votum continentiæ promisit, non tamen locum aut vestem mutavit; quô auditô vir aliam sibi copulavit. *Rdet* idem Pontifex tutiùs esse ut præfata mulier post fidem & votum simpliciter oblatum, matrimonium contrahat, quàm fornicationis reatum incurrat. Et ultrà (Episcopo præfato) dicit, *mandamus, quatenùs si plus non processit tibi de fide mentita, & voto violato, congruam satisfactionem indicas, & cui vult, nubendi in Domino licentiam tribuere non postponas.* Ita habetur *cap. Veniens*, in Corp. Jur. Can. *pag.* 209. De voto plura *inferiùs*.

Impedimenta Iure antiquo inducta.

8. Sunt præterea alia impedimenta solùm impedientia matrimonium, Jure antiquo inducta. 1. Incestus seu copula cum consanguinea sua, aut affine (g), seu consanguinea uxoris suæ. 2. Raptus alienæ Sponsæ seu uxoris, impedit ne raptor cum rapta post mortem viri, aut cum alia quacunque matrimonium licitè inire possit, non obtenta dispensatione. Similiter Sponsa raptui assensum præbens non potest sive raptori sive alteri nubere. Secùs est si fœmina virum raperet: quia Jura tantùm loquuntur de raptu Sponsæ. 3. Uxoricidium, non quidem animô cum alia contrahendi, per illam enim dirimitur matrimonium ùt videbimus *infrà*; sed ex ira, vel odio aut vindicta ob patratum v. g. adulterium (h). Si verò uxor occidat virum ex tali casu, potest sine ullo peccato alterum ducere: quia Canones loquuntur solùm de uxoricidio, non de viricidio. 4. Iniqua privata authoritate occisio Sacerdotis. 5. Si quis cum Moniali professa init matrimonium, non solùm matrimonium est nullum ob votum solemne Monialis, sed etiam talis cum alia quacunque licitè contrahere non valet. 6. Tempus solemnis pœnitentiæ: sed hæc jam non est in usu, quæ antea impediebat quamdiu durabat. 7. Catechismus seu actio, quâ quis pro baptizando, vel jam baptizato respondet baptizanti interroganti an credat? interim non levans ipsum de fonte. Sed hæc alia ad impedimenta dirimentia reducta sunt, ùt videbimus: alia videntur esse desuetudine seu usu contrario abrogata, sic ut pro illis his temporibûs nulla peti, aut à Prælatis debeat requiri dispensatio, juxta Sanch. Navar. Perez. E NN. Bonæ Sp. Steph. à S. Paulo, Justinian. à S. Michàële, Eliseum à S. Joan. Bapt. Gregor. à S. Laur. nostræ Reformationis Theologos. N. Cornejo quidem tenet illa probabiliter esse sublata, cùm contrarium adhuc non sit certum: communiùs tamen docetur prædicta impedimenta in usu non haberi pro talibus.

(g) Doct. Resol. in 4. d. 35. q. 1. Petrus à S. Ioseph.

(h) Petrus à S. Ioseph.

De impedimentis dirimentibus.
Quot sunt & quæ?

RESp. & dico, Jure induċta esse 12. his versibûs comprehensa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.

JUre novo Trident. *sess.* 24. *de Matrimonio c.* 1. duo sunt adjecta: scilicet absentia Parochi & duorum Testium, item mulieris raptus. Hîs præmissis, alio tamen ordine fit

§. I.

De errore & conditione.

1. PRæmitto 1. Error est deceptio; & contingit quadrupliciter (a): in substantia personæ, quando Petrus credit esse Bertam cum qua contrahit, & est Caja, sicut Jacob putabat esse Rachelem, & erat Lya; aut in conditione personæ dum illa creditur esse libera, & est serva; in qualitate personæ, dum creditur virgo, & est corrupta; in fortuna personæ, dum creditur esse dives, & est pauper.

(a) Doct. Res. in 4. d. 34. q. unica.

2. Et horum quilibet dupliciter se habere potest ad contractum, antecedenter & concomitanter: Antecedenter, dum antecedit omnem voluntatem, estque causa motiva principalis contractûs; Concomitanter se verò habet, quando est causa accessoria, sine qua adhuc fieret contractus (b), sive sit impulsiva, sive non. Hîs præmissis

(b) Bonæ Spei.

Dirimit matrimonium

3. Dico, (ferè cum omnibus) per errorem personæ non solùm antecedentem, sed & concomitantem dirimi matrimonium: & non solùm Jure Ecclesiastico, *cap. Tua nos, de Sponsal.* sed & Jure naturali: quia Jure naturæ matrimonium non subsistit absque consensu circa personam, cum qua contrahitur: atqui quando est error circa personam, consensus deest; nam si est error antecedens, v. g. vult contrahere cum Rachele & contrahit cum Lya, consensus in mente est in Rachelem non in Lyam. Si error est concomitans, quòd ita esset dispositus in voluntate, ut si sciret illam esse Lyam, nihilominùs forsan libentiùs duceret eam, tunc posset adesse consensus; sed non est: jam verò requiritur ut

actu & poſitivè ſit. Quòd autem non eſt, patet; cùm nihil ſit volitum niſi cognitum. Ita ſentiunt Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 34. & *lib.* 7. *d.* 18. Filliuc. *tr.* 10. *cap.* 3. *q.* 7. *n.* 88. Henriq. Bonac.*de Imped. q.* 3. *punct.* 2. *prop.* 3. *n.* 4. NN. Doct. Reſol. Bonæ Sp. Greg. à S. Laur. Steph. à S. Paulo, Gaſpar. à S. Magdal. & alii multi: etiamſi diceret, ſi noſſem hanc eſſe Lyam, ducerem eam; quia ſic manifeſtaret quid facturus eſſet, non verò conſentiret poſitivè de præſenti. Ita Bonac. Secùs ſi intenderet cum ea contrahere, qualiſcumque illa, ſive Rachel, ſive Lya ſit. Suarez, Avila & alii.

Pro diſcurſu & ſolutione. 4. Dices: Valida eſt venditio quâ venditur ſericum Auguſtanum pro Valentino, ſi ſint ejuſdem valoris. Item collatio baptiſmi aut abſolutionis Paulo locò Petri facta. Imò matrimonium ſub errore inter Jacobum & Lyam habitum, validè contractum à Theologis demonſtratur; ergò etiam validum eſt matrimonium contractum per errorem cum Caja locò Bertæ. *Reſp.* diſparitatem eſſe: quia voluntas emendi ſericum, eſt voluntas emendi tanti valoris, & utilitatis; in noſtro verò caſu, eſt voluntas ducendi perſonam in individuo Bertam, non Lyam. Ad 2. diſparitas eſt: quia baptizans, ordinariè ordinat, & debet ordinare intentionem ad præſentem; jam verò contrahens, ad illum cum quo contraxit ſponſalia. Ad 3. etiam datur diſparitas: quia matrimonium illud detecto errore ſuppoſitionis, ratificatum erat ex compaſſione defloratíonis Lyæ, quàmvis malitioſè ſuppoſitæ.

Conditionis. 5. Dico 2. Error conditionis ſeu ſervitutis propriè ſumptæ (ſcilicet pro ſtatu mancipii), dirimit matrimonium, quando conditio errantis ſit deterior; ùt cùm liber contrahit cum ſerva, quam credit eſſe liberam. Secùs quando eſt æqualis, aut melioris conditionis perſona, cum qua errans contrahit: ùt cùm ſervus cum libera, quam putat eſſe ſervam. Ita Innoc. III. Oſtienſis, Doctor Reſolutus *in* 4. *d.* 34. *q. unic.* cum aliis contra nonnullos. Pro primo habetur *cap. Ad noſtram, de Conjugio ſervorum*, ut tollatur injuria contrahentis. Quare ſi ille ſit ſciens, aut probabiliter opinans, aut poſt cognitam ſervitutem de novo ei conſentiens per ſignum aliquod, aut copulam maritalem, valet matrimonium. Bonac. & alii apud ipſum. Pro ſecundo adducitur *cap.* 1. *de Conjugio ſervorum*. Ratio: cùm ſit utrobique paritas; contrahens in nullo læditur. Pro tertio, 29. *q.* 2. *cap. Si quis liber.* Ratio: cùm alter ſit melioris conditionis; nulla huic ſit injuria.

Caſus. 6. Caſus eſt. Cajus nobilis contraxit matrimonium cum Berta ſerva, quam putabat liberam; Dominus ejus reſciens hoc, eam liberam fecit; poſt quod cognita eſt maritaliter; ipſa reſciens ſe eſſe liberam à ſervitute, non vult cum Cajo habitare, neque illi debitum reddere, ſed alteri dig-

niori

niori nubere. Quid ad hoc? *Resp.* Nec per liberationem servæ à servitute, nec per copulam pòst maritali affectu habitam, revalidatur matrimonium; sed oportet ut error detegatur & auferatur, de novoque consensus utriusque fiat. Quare Bertæ est liberum eum præstare, cùm debeat consensus esse liber; & si nolit, potest alteri nubere, cùm illud matrimonium erat nullum. Ita Rosella *verb. Impediment.* Navar. *c.* 22. *num.* 33. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 7.

7. Et licèt non possint servi Ordinem invitis Dominîs suscipere, ne fiat Dominis præjudicium; possunt tamen invitis eîs contrahere matrimonium: cùm se per matrimonium non subtrahant à servitio sui Domini. Discrimen tamen est, si sit contractum matrimonium cum scitu Domini, non potest Dominus absque mortali peccato vendere servum, in locis ubi impeditur vita conjugalis: quod si inscio contractum foret, posset; licèt id seclusa necessitate facere non debet. Toletus & alii. Ex his solvitur casus, quô Dominus exigeret servitium, uxor importunè debitum, cui præstare obsequium teneretur servus? Vide Doct. Resol. *in* 4. *d.* 37.

Objectio solvitur.

De servo.

8. Addunt DD. cum Rotar. quòd si jactura Domini esset tenuis, & ex parte Conjugum periculum incontinentiæ, potiùs conjugio quàm Domino serviendum. Et in dubio inclinandum est in favorem matrimonii.

9. Dico 3. Errore qualitatis personæ, non dirimi matrimonium: v. g. Cajus dicit se habere multa bona, & se esse divitem, Berta credens esse talem, contrahit cum eo validè. Quia cum hoc errore stat mutuus contrahentium consensus, qui nulla Lege aut Canone irritatur. Secùs est si qualitas principaliter intendatur, quod fit quando error redundat in errorem substantiæ: ùt si Titius in Italia fingat se esse primogenitum Joannis Regis Portugalliæ, & est secundogenitus, aut filius ejus non est; tunc Berta, credens eum esse primogenitum filium Regis Portugalliæ, volens primogenito nubere, contrahit cum eo nullum matrimonium: cùm error qualitatis redundet in errorem personæ. Aliter esset, si ille se diceret filium Regis aut filium Principis, & ea vellet contrahere cum filio Regis: tunc enim esset error in qualitate, adeòque matrimonium validum. Item non contraheretur validè matrimonium, si contrahens sive internè per expressam intentionem, sive externè in contractu apponeret qualitatem permodum conditionis sine qua non (i). Ratio est: Tum quia in actibus conditionatis deficiente conditione deficit actus: Tum quia actus agentium non agunt ultra intentionem. Pro primo exemplum est, quòd Petrus contrahit cum Cyrilla, & aliter non vult quàm propter colligationem cum familia Principum, ut ipsa asserit se esse hujus familiæ, & non est. Pro secundo, si ex-

Qualitatis error non dirimit matrimonium.

(i) Laym. lib. 5. tr. 1. p. 4. c. 2. num. 2. Bonac. Gregor. á S. Laurent.

ſi expreſsè dicat, aliter nolo cum Berta contrahere ſi non eſt virgo, vel ſi non eſt dives &c.

Caſus.

10. Ex his patet, licetſi valeret matrimonium Titii initum cum deformi primogenita, antecedenter ei demonſtrata ſecundogenitâ formoſa, locò primogenitæ, cum qua contrahere voluit; non tamen ſi Titius non peteret determinatè promogenitam, ſed quamcumque illarum, & ideo vellet videre an formoſa? an ſibi placeat? Ratio primi eſt: quia tunc non eſt error circa perſonam, defectu conſensûs. Ita Leſſ. Henriqu. Sotus, Navar. Covaruvias &c. Ratio ſecundi eſt: quia ſub tali dolo matrimonium celebratum, eſt ſimpliciter involuntarium quoad ſubſtantiam rei: nam ille intendebat contrahere cum ea filia quam vidit. Ita citati DD.

§. II.

De Voto & Ordine.

Votum ſimplex & ſolemne.

(a) Sotus, Valent. Bonæ Spei, Cornexo t. 2. in 3. p. 1. tr. 6. de Matrimon.

1. Præmitto 1. Votum ſimplex & ſolemne convenire in promiſſione ſpontanea Deo facta, differre autem per ſolemnitates: duas enim ſolemnitates, ſolemne addit ſuper ſimplex, extrinſecam quæ in ceremoniis, & intrinſecam ac ſubſtantialem, quæ in traditione ſui Eccleſiæ, aut Religioni in perpetuum & acceptatione alterius nomine Eccleſiæ, Religionis &c. ad hoc legitimam authoritatem habentis conſiſtit (a), ùti declaratur *cap. Cùm ad Monaſterium, de Statu Monachorum, cap. Correctum, de Regularibus, cap. unico, de Voto in* 6. & *cap. Rursùs qui Clerici.*

Caſus de profeſſione.

(b) Lezana verb. Profeſſio, n. 13. Donatus q. 11. n. 3. Miranda & alii.

2. Unde ille qui profeſſionem præſtitit in manibus ſimplicis Sacerdotis, aut Prælati non habentis licentiam ſive poteſtatem profeſſandi, poteſt validè tam in foro interno quàm externo contrahere matrimonium: nam profeſſio redditur nulla defectu authoritatis, ſeu poteſtatis in acceptante illam (b). Secùs dicendum de eo, qui fecit profeſſionem in manibus Prælati ad profeſſandum ſuſpenſi occulti, aut non ſpecialiter prohibiti ne miniſtret: nam quàmvis talis peccet, acta tamen ipſius prohibita, valent; quia Eccleſia ſupplet defectum. Ita NN. Lezan. *verb. Suſpenſio, n.* 14. & *verb. Excommunicatio, num.* 33. 34. & 35. Cornexo *d.* 2. *dub.* 1. Extra Scholam noſtram Suar. *diſp.* 26. *ſect.* 2. *n.* 2. Tanner. Dian.

3. Præmitto 2. Votum ſolemnitatis eſſe duplex: Religioſi ſtatûs, & Ordinis Sacri, juxta *cap. unic. de Voto.* Hìs præmiſſis

Votum ſolemne omne, ſimplex aliquod dirimit matrimonium.

4. Dico: Votum dirimit matrimonium, non ſimplex ùt vidimus *ſuprà ſect.* 1. dempto unicô, ſi uxor in ſæculo continentiam vovens, marito licentiam daret ſacros Ordines ſuſcipiendi, aut ſacram Religionem

onem

onem profitendi, eô mortuô si contraheret cum alio, matrimonium esset nullum, per *cap. Quia sunt*, 10. *d.* 28. (c), etiamsi quis Sæcularis voveret solemniter manens in sæculo in manibus publicæ personæ, si tamen remanet in eo & contrahit, ejus votum dictum non dirimit matrimonium *cap.* 1. *final.* Doct. Resol. *loc. citato;* sed votum solemne, tam Religionis quàm Ordinis Sacri. Ita *cap. Si quis Clericorum*, & in Trid. *sess.* 24. *can.* 9. (d) statutum est. Idem facit votum simplex, quod emittunt Religiosi Societatis post biennium, propter determinationem Ecclesiæ, ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino.* Cum hac tamen differentia, quòd votum annexum Ordini Sacro, & simplex Societatis, dirimat contrahendum, non contractum ratum; Solemne verò votum Religionis, insuper contractum ratum, nondum consummatum annihilat, ùt legimus *suprà.*

(c) Hertzig, Kochler.

(d) Doct. Resol. loc. cit.

Inter vota differentia.

§. III.

De Cognatione.

Cognatio.

1. COgnatio est triplex, naturalis seu carnalis, legalis, & spiritualis: naturalis seu carnalis, est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum. Ita Doct. Resol. *in* 4. *d.* 37. *a.* 1.

2. Explicatur. *Vinculum:* id est conjunctio sanguinis, quasi sanguinis unitas, eò quòd tali ab eodem sanguine originem ducant, & in eodem sanguine uniantur.

Stipes.

3. Stipes dicitur illa persona generans, à qua alii omnes de quorum conjunctione tractatur, descendunt, & originem ducunt. Distingui autem solet hujusmodi conjunctio per lineas & gradus.

Linea.

4. Linea, est series personarum consanguinearum deducta à stipite; & est alia recta, alia transversa collateraliū: recta est, secundùm quam per descendentes generationes, à suo stipite procedunt personæ, ita ut una ab altera sit genita, sic à Patre & Matre filius, à filio nepos, pronepos: & hæc alia est ascendentium, alia descendentium; sed hæc potiùs solùm secundùm connotata differunt, sicut via Varsaviâ Gedanum, & Gedanô Varsaviam: diversitas tamen habebitur, si lineam ducas à Patre ad descendentes filios & filios; alia verò econverso ad Avum, Proavum. Collateralis sive transversa collateralium est, secundùm quam personæ ab uno stipite, non tamen à se invicem procedunt, ùt frater, soror, filii duorum fratrum qui patrueles dicuntur, aut filii duarum sororum. Gradus consanguineitatis, est certa distantia unius personæ ab altera; sicuti gradus

Gradus.

scalæ, est certa quædam altitudinis distantia, prout in Corp. Jur. Can. declaratur (a).

5. Nomina graduum superiorum, sive inferiorum, sive ex latere venientium. Primo gradu continentur Pater Mater; inferiori, filius filia: quibus nullæ aliæ personæ junguntur. §. 1. Secundo gradu continentur superiori linea, Avus Avia; inferiori, nepos neptis; transversali, frater soror: quæ personæ duplicantur. Avus enim & Avia tam ex Patre quàm ex Marte accipiuntur: quæ personæ sequentibus quoque gradibûs, similiter pro substantia earum in quo gradu consistunt, ipso ordine duplicantur (istæ personæ (b) secundo gradu duplices appellantur, quia duo Avi sunt, paternus & maternus. Item duo genera nepotum sunt, sive ex filio sive ex filia procreati. Frater & soror ex transverso veniunt, id est aut frater Patris, aut frater Matris, qui aut Patruus, aut Avunculus nominatur). §. II. Tertio gradu veniunt *suprà*, Proavus Proavia; *infrà*, pronepos proneptis; ex obliquo, fratris sororisque filius filia, Patruus Amita, id est Patris frater & soror; Avunculus Matertera, id est frater Matris & soror. §. III. Quarto gradu veniunt *suprà*, Abavus Abavia; *infrà*, abnepos abneptis; ex obliquo, fratris & sororis nepos neptis, soror patruelis, id est Patrui filius filia; consobrinus consobrina, id est Avunculi & Materteræ filius filia; amitinus, amitina, id est Amitæ filius filia: itemque consobrini qui ex duabus sororibus nascuntur, quibus accrescit Patruus magnus Amita magna, id est Avi paterni frater & soror; Avunculus magnus, Matertera magna, id est Aviæ tam paternæ quàm maternæ frater & soror. §. IV. Quinto gradu veniunt *suprà*, Atavus Atavia; *infrà*, atnepos atneptis; ex obliquo, fratris & sororis pronepos proneptis; fratris Patruelis sororis Patruelis, amitini amitinæ consobrini consobrinæ filius filia; propior consobrinus (c) propior consobrina (d), id est Patrini magni Amitæ magnæ, Avunculi magni Materteræ magnæ filius filia. His accrescunt Propatruus Proamita, hi sunt Proavi paterni frater & soror; Proavunculus Promatertera, hi sunt Proaviæ paternæ maternæque frater & soror, Proavique materni (hæc species (e) nec aliis gradibûs quàm scripta est, nec aliis vocabulîs declarari potest). §. V. Sexto gradu veniunt *suprà*, Triavus Triavia; *infrà*, trinepos trineptis; ex obliquo fratris & sororis abnepos abneptis, fratris Patruelis sororis Patruelis, amitini amitinæ consobrini consobrinæ, nepos neptis; Patrui magni Amitæ magnæ, Avunculi magni Materteræ magnæ nepos neptis, id est propioris sobrini filius filia, qui consobrini appellantur. Quibus ex latere accrescunt Propatrui Proamitæ, Proavunculi Promaterteræ filius filia; Abpatruus Abamita, hi sunt Abavi paterni frater & soror; Abavunculus Abmatertera, hi sunt

Abaviæ

(a) Ab Isidoro lib. 9. c. 5. in Sententiis Iulii Pauli lib. 4. tit. 11. de Gradibus.

(b) Anianus Interpres Pauli.

(c) Sobrinus.

(d) Sobrina.

(e) Anianus Interpres.

Abaviæ paternæ maternæque frater & soror, Abavique materni. §. VI. Septimo gradu qui sunt cognati rectâ lineâ *suprà infràque*; propriis nominibûs non appellantur: sed ex transversa linea continentur fratris sororisque atnepos neptis, consobrini filii filiæque. §. VII. Successionis idcircò gradus septem constituti sunt: quia ulteriùs per rerum naturam, nec nomina inveniri nec vita succedentibus prorogari potest. Itaque de gradibus consanguineitatis, & affinitatis quot sint, quomodo computandi, quibus etiam appellentur nominibûs, authoritate Isidori, atque Gregorii, & Alexandri sufficienter monstratum est, inquit Gratianus. Præsens tabula monstrat.

Sequuntur Tabulæ.

Triplex regula pro computandis gradibus.

6. Pro computandis gradibus triplicem assignat regulam S. Thom. *in* 4. *d.* 40. *q.* 1. *a.* 2. & cum eo communiter DD.

Prima.

7. Regula prima est pro linea recta, quòd tot gradibûs personæ consanguineæ inter se distent, quot generationes gradualiter diversæ à stipite ad ipsas factæ sunt, demptâ stipitis; cùm stipes secundùm se non constituat gradum, sed per ordinem ad ipsum gradus constituuntur. Unde filius à Patre & Matre unico gradu eoque primo distat, nepos ab Avo secundo gradu seu duobus gradibûs.

Secunda.

8. Secunda regula est pro linea transversa seu collaterali, quòd si personæ æqualiter distent à communi stipite, tot etiam gradibûs inter se: Ita enim habetur *cap. Quod dilecti*, & *cap. Vir, de Consanguineit. & affinit.* Quapropter, quia duo fratres & soror, unico gradu eoque primo distant à stipite, uno gradu distant & inter se: sive aliter dicas, sunt in uno eoque primo gradu; nepos & nepos in secundo, prout tabula Bonæ Speistica ostendit.

9. Jus quidem Civile aliter suos gradus lineæ transversæ enumerare solet; sed hoc in ordine ad hæreditatem facit. Nos verò in ordine ad matrimonium: quare hîc ad Jus Civile attendere non debemus.

Terita.

10. Tertia regula est, quando in linea collaterali inæqualiter distant personæ à communi stipite, quoto gradu remotiori distant à stipite, eodem distant inter se, juxta *cap. dict.* nunc: remotior enim gradus, minùs remotum trahit ad se, juxta *dictum caput.* Unde abnepos Titii cum filio Titii in quarto gradu sunt. Non est tamen omninò necessarium, ut in petenda dispensatione fiat mentio propinquioris gradus: ita enim declaravit Clemens VIII. teste Sanchez, & nostro Gregorio à S. Laur. modò primum non attingat gradum, attendendo forum externum, propter Litteras Urbani VIII. Anno 1624. datas; non internum, propter Ordinationem Pii V. Ita noster Steph. à S. Paulo.

11. Dico: Consanguineitas Jure Ecclesiastico dirimit usque ad quartum gradum inclusivè, tam inter personas in linea descendente, quàm collaterali;

lateralí; Jure verò naturali, solùm in primo gradu utriusque lineæ: quidquid dicant alii de secundo gradu descendentium.

12. Explicatur & probatur. Quàmvis per antiquos Canones, & à Julio III. *cap. Nullum*, 35. *q*. 2. & à Gregor. per *cap. Progeniem*, prohibita sunt usque ad gradum septimum inter consanguineos conjugia; his tamen temporibùs solùm ad quartum gradum inclusivè prohibentur sub nullitate, per Decretum Concilii Lateranensis sub Innoc. III. latum *cap*. 8. his verbîs: *non debet reprehensibile judicari si secundùm varietatem temporum Statuta quandoque varientur humana, præsertim cùm urgens necessitas vel eminens utilitas id exposcat: quoniam ipse Deus ex his quæ in Veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in Novo. Prohibitio igitur copulæ conjugalis quartum consanguineitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest, absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.* Unde qui cum consanguineo intra quartum gradum contrahit, non tantùm matrimonium est nullum, sed insuper si scienter hoc facit, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem latæ sententiæ; sed Episcopalem, per Clementinam 1. *de Consanguin. & affinit*. (f): si verò unus sit in gradu quinto, alter in tertio, valet matrimonium. Ita Doct. Resol. *loc. cit.* & adducit pro hoc *cap. ult. de Consanguin. & affinit*. Sylv. *verb. Matrimonium* & alii. Volunt hoc nonulli etiam apud Doct. Resol. Decretum debere intelligi de linea transversa, non de linea recta: Ita enim dicunt, quòd in linea recta numquam liceat aut valeat matrimonium, etiam in infinitum accipiendo gradus, & quidem Jure naturæ inter tales dirimi matrimonium volunt, ita ut si Adam rediret ad mundum, non posset ducere uxorem nisi rediret & Eva: cujus sententiæ est etiam Scotus *d*. 40. *n*. 4. Bonæ Sp. & alii. At ubi Jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus: Jus Ecclesiasticum non distinguit, an in linea recta, an in transversa; ergò nec nos debemus distinguere.

Contrahentes intra 4. gradus consanguin. incurrunt excom.

(f) Tolet. lib. 7. cap. 9. Bonæ Sp. n. 73.

13. Quòd Jure naturali dirimat, primi gradûs consanguineitas matrimonium, habetur *cap. Litteras*, §. *Porrò*. Deducitur *Levit*. 18. & accipitur ratio ab Apostolo *ad Corinth*. 2. quia vir est caput mulieris: sed contra legem naturalis dictaminis est, quòd filius esset caput Matris. Item secundùm Apostolum, vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier 1. *ad Corinth*. 7. atqui hoc est contra dictamen rationis, quòd filia habeat potestatem corporis Patris, quia lex vetat utrumque. Doct. Resol. *in* 4. *d*. 38. *q*. 1. *a*. 3. Quòd autem solùm de primo gradu intelligendum sit, colligitur ex *cap. Gaudemus, de Divortiis*, ubi declaratum est, Infideles qui contraxerunt matrimonium in consanguineitate,

 non

non esse separandos, quando ad fidem convertuntur, dempto primo gradu.

Ius naturale per necessitatem desinit esse.

14. Dices: In initio mundi contrahebant matrimonium fratres cum sororibus, nec constat id cum illis dispensatum fuisse à Deo; ergò matrimonium initum inter consanguineos in primo gradu, non est Jure naturæ invalidum. *Resp.* Sicut necessitas extrema facit, ut sit licitum rem alienam accipere; ita tunc faciebat, ut esset validum matrimonium. Valent. Ledesma, Sanch.

Cognatio spiritualis.

15. Dico 2. Cognatio spiritualis, est propinquitas personarum ex actione sacramentali baptismi, aut confirmationis orta, inter baptizantem & baptizatum, susceptores & susceptum, paternitas; inter baptizantem & Patrem baptizati, ex alia parte susceptores, compaternitas dicta: quæ tantùm inter personas recensitas, non inter descendentes aut ascendentes, matrimonium dirimit, *cap. de Cognat. spirit.* constatque ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform. matrim.* Unde baptizatus potest filiam baptizantis accipere in uxorem, aut baptizans Petro filium, filiam ejus (g). Sed de tali cognatione sufficienter dixi, de baptismo & confirmatione tractando.

(g) Doct. Resol. loc. cit.

Cognatio legalis.

16. De cognatione legali præmitto. Cognatio legalis, cùm sit rara, pau a de illa multi DD. habent, interim pro omni eventu plura cum nonnullis dicam. Inprimis cognatio legalis (inde quòd sit à lege) formaliter talis, est propinquitas personarum consurgens ex adoptione. Ita communiter DD. *in* 4. *d.* 42. & in *cap.* 1. *de Cognat. legal.* teste Bonac. *q.* 3. *punct.* 5. §. 3. *n.* 1. Causalis (ut definiunt antiquissimi DD. Ostiensis & Doct. Resol. *in* 4. *d.* 42. *q. unic.*) *est actus legitimus, per quem qui filius non est, pro filio habetur, vel pro nepote: adoptio enim est legalis actio, ad solatium eorum inventa principaliter, qui liberos non habent: antiqui enim conditores legum & alii soliciti fuerunt, ne quis sine hærede recederet, ne defunctus affligeretur; & sic curaverunt ut qui filios habere non poterant naturales, saltem filios haberent legales.*

Adoptio.

17. Duplex est adoptio, perfecta & imperfecta: illa est, quâ adoptatus libera voluntate adoptantis interveniente Principis authoritate transit in potestatem adoptantis, & fit ipsius hæres necessarius ex testamento in quarta id est legitima parte, & ab intestato in totum; ista est, quâ adoptatus non transit in potestatem adoptantis, neque fit ipsius hæres necessarius, sed tantùm per potestatem Magistratûs, aut Judicis inferioris, ex consensu solius adoptantis habet jus succedendi in bona intestati. Ita Doct. Resol. *loc. cit.* Bonac. quidquid dicat Rotar. Perfecta, aliter nuncupatur arrogatio; imperfecta, simplex.

Conditiões

18. Quæ conditiones requirantur ad hoc ut sit perfecta adoptio, *Resp.* (præ-

(præter dictas nunc) requiritur 1. ut adoptans sit major natu (g), & quidem ut sit 25. Annorum (h): nam usque ad 25. Annos Jure communi non habet administrationem bonorum, exceptis castrensibûs, vel quasi-castrensibûs. Imò 18. Annis adoptans excedere debet adoptatum, ut quasi Pater ejus naturalis esse possit. 2. ut sit sui juris (i). 3. ut adoptans sit masculus (i): mulier enim adoptare non potest, nisi ex privilegio (i). 4. Ut adoptans habeat potentiam generandi: *Igitur frigidus non adoptabit* (g). Nec qui nascitur absque virilibus adoptare valet; secùs tamen, gladiô aut aliter castrati facti: quia impotentia hæc ad generationem, sequitur per accidens; non autem per se ad personam adoptantis (i). Hinc infert Bassæus, quòd etiam Sacerdos adoptare possit; *lib. 2. de Adoptantibus.* Idem tenet & Bonacina. 5. ut sit præsens tam adoptans quàm adoptatus, & velit: *Leg. Neque*, & *Leg. Post mortem*, §. *final. de Adoptantibus*, ubi habetur, adoptationem non posse fieri per Procuratorem. 6. ut coram Principe aut Magistratu assideat, Judice hoc approbante, & authoritatem dante (g); aliàs si in domo præcisè, vel coram vicinis suis hoc facit, non fit adoptio cessante tali solemnitate, nec generat impedimentum matrimonio. *FF. de Adoptante, lib. 2.* Ostiensis, Doct. Resol. *loc. cit.*

(h) Bonacina, Rotar.

(i) Doctor Resol. Bonac. Rotar.

19. Quis adoptari possit? *Rdet* Doct. Resol. *loc. cit.* quòd quilibet, tam mas quàm fœmina, dummodo sit minor natu. Hîs præmissis

20. Dico 3. Cognatio legalis perfecta, ponit impedimentum dirimens matrimonium inter adoptantem & adoptatum adoptatique filios & nepotes usque ad quartum gradum perpetuum; inter filios legitimos adoptantis & adoptatum ipsum, temporale; inter adoptantem & uxorem adoptati, & inter adoptatum & uxorem adoptantis, etiam perpetuum.

21. Explicatur & probatur. *Cognatio perfecta*: nam quàmvis nonnulli dicant, sive perfecta sive imperfecta, & Jura loquantur absolutè; dicendum tamen quòd non dirimat nisi perfecta (i): quia matrimonium est materia favorabilis, consequenter impedimenta restringenda sunt; & Jura quæ Gutierez adducit, explicanda de cognatione perfecta. Dirimit matrimonium secundùm Jura Canonica, *de Cognatione legali cap. 1.* ubi dicitur: *si quæ per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt.* Item secundùm Jura Civilia *FF. de Ritu nupt. per adopt.* Ita Doct. Resol. *loc. cit.* Unde matrimonia contracta ab Infidelibus in cognatione legali, quàmvis juxta Bonac. sint valida, eò quòd Infideles non sint subjecti jurisdictioni Ecclesiæ; invalida tamen defactò sunt in sententia Doct. Resol. & in rei veritate: quia Infideles subsunt Legibus Civilibus.

22. In-

22. Inter adoptantem & adoptatum, adoptatique filios & nepotes usque ad quartum gradum, est quasi linea recta, cognatio vocaturque *paternitas*, ponens impedimentum perpetuum, ita ut etiamsi dissolvatur cognatio legalis, cum nemine horum adoptans valet contrahere matrimonium (k).

(k) Tolet. Bonac. loc. cit.

23. Cognatio inter filios legitimos adoptantis & adoptatum ipsum, est in linea quasi transversali vocaturque *fraternitas*, ponens impedimentum temporale: nam tamdiu tantùm durat, quamdiu illi filii & filiæ adoptantis existunt sub illius potestate: ita enim habetur *cap.* 6. *Per adoptionem*, in Corp. Jur. Canon. *q.* 3. *An spirituales vel adoptivi filii, pag.* 376. Proinde mortuo adoptante, potest adoptatus cum filia ejus contrahere matrimonium. Ita communiter DD.

24. Circa filios illegitimos non concordant DD. Volunt aliqui (ùt sunt Petrus à S. Joseph, Angelus & alii) contrahi cognationem legalem cum illegitimis filiis & filiabus. Sed probabilior est sententia Doct. Resol. *loc. cit.* Innocentii, & Ostiensis *cap. unic. de Cognat. leg.* quòd solùm cum legitimis contrahatur. Ratio est: quia filii illegitimi non transeunt in potestatem Patris, *instit. de Nupt.* Jam verò adoptatus solùm cum illis contrahit cognationem legalem, qui sunt sub potestate Patris (k). Undè potest adoptatus validè contrahere matrimonium cum spuria adoptantis.

25. Cognatio inter adoptantem & uxorem adoptati, & inter adoptatum & uxorem adoptantis, est admodum affinitatis, vocaturque *affinitas*, ponens impedimentum etiam perpetuum: statutum est *Leg. Adoptivus, de Ritu nupt.* Inter alias personas non contrahitur cognatio legalis, consequenter non impeditur matrimonium. Quapropter potest contrahere validè & licitè matrimonium filius adoptantis cum filia adoptati, aut si sunt adoptati filius & filia diversorum Parentum, hi inire matrimonium valent. Similiter adoptans cum Matre adoptati. Ita Tolet. *lib.* 7. *cap.* 8. Sylv. *verb. Matrimonium* §. 8.

26. Quibus modìs dissolvatur adoptatio, vide Rotar. de hac materia *pag.* 440. *num.* 23.

§. IV.

De Affinitate.

Affinitas dirimens.

1. DIco: affinitas (consanguineitatis affinis) est, ex copula sive licita sive illicita viri cum fœmina proximitas, ac vinculum con-

sanguineorum

fœminæ cum viro, & consanguineorum viri cum fœmina, cum hoc discrimine, quòd proveniens ex maritali, usque ad quartum gradum; ex illicita sive fornicaria, ad secundum solùm gradum inclusivè, dirimat matrimonium postea contrahendum. Quomodo?

2. Explicatur & probatur. *Ex copula sive licita sive illicita, est propinquitas ac vinculum consanguineorum viri cum fœmina,* cum qua habita est, *& consanguineorum fœminæ cum viro* (a): quia ùt probat Doct. Resol. *vir & mulier sunt una caro, & hoc contingit in fornicatione secundùm illud* 1. *ad Corinth.* 6. *qui adhæret meretrici, cum ea unum corpus efficitur* (a). Cùm ergò sive per licitam, sive per illicitam copulam vir fiat cum muliere una caro, consanguinei mulieris attingentes consanguineitate mulierem, attingunt proximitate in eodem gradu virum, quô sunt consanguinei mulieri; cùm attingere nequeant mulierem, quin attingant virum, quandoquidem sunt una caro. Et sic, quo gradu sunt mulieri consanguinei, eodem proximi sive affines viro; similiter consanguinei viri, quo gradu ei sunt consanguinei, eodem affines ejus mulieri: v. g. Cajus cognoscit maritaliter Bertam aut cum ea fornicatur; per eam copulam consanguinei Caji in secundo gradu, fiunt Bertæ affines in gradu secundo, consanguinei Bertæ in gradu primo, fiunt affines in gradu primo Cajo. Ita communiter TT. Non contrahitur autem affinitas inter Cajum cognoscentem & Bertam cognitam, cùm sint una caro ac stipes, & principium affinitatis; nisi ille aliam cognoscat, vel illa ab alio cognoscatur (b). Neque hi contrahunt cum affinibus affinium (c), cùm affinitas non pariat affinitatem, *cap. Quod super his, de Consanguin. & affinit.* Unde mortua Bertâ potest Cajus ducere illam quæ fuit uxor fratris Bertæ (d). Neque consanguinei viri fiunt affines consanguineis mulieris cognitæ, *cap. Quod super his, de Affinit.* & *cap. Non debet;* cùm in nullo Jure probari possit (d). Quare filius Caji ex prima uxore potest ducere filiam secundæ uxoris ejusdem Caji; & ita erit eadem privigna & nurus Caji. Item filius viduæ unius, ducere alteram viduam, cujus item filius ducet Matrem sui vitrici seu mariti suæ Matris (d): natô proinde alicui ex dictis filiô dicere potest alterutra, vel utraque, hic est filius filii mei, & simul frater mariti mei.

(a) De affinit. cap. 1. & 2. & cap. Discretionem. D. Resol. in 4. d. 39. a. 2.

(b) Steph. á S. Paulo.

(c) Rotarius.

(d) Sanchez, Bonac. & N. Greg. à S. Laurentio.

3. Cum hoc discrimine, quòd proveniens ex maritali usque ad quartum gradum; ex illicita sive fornicaria, ad secundum inclusivè dirimat matrimonium: ita enim habetur decisum in Concil. Triden. *sess.* 24. c. 4. & communiter DD. docent. Nota tamen hoc, quod dicit Fabianus Papa *cap. de Propinquis: Qui ad affinitatem in quarta generatione si inventi fuerint, non separentur.* In Corp. Jur. Can. *caus.* 35. q. 1. 2. & 3. c. 3. *fol.* 431.

4. Sciendum, quòd possit summus Pontifex dispensare, ut quis celebret matrimonium cum sorore uxoris suæ demortuæ (e): nam Alexander

der VI. Emmanueli Regi Lusitaniæ, Julius II. Henrico VIII. Regi Angliæ, Urbanus VIII. Anno 1640. Principi de Liniaco hoc concessit.

(e) Bonæ Spei, Steph. à S. Paulo.

(e) Vid. d. 9. ser. 7. sect. 1. §. 1. n. 10.

Affinitas has pœnas adfert.

5. Addidi, *postea contractum:* nam si superveniat affinitas post consummatum, illud non dirimit. Ita Doct. Resol. *loc. cit. a.* 2. ait: *& intelligas hoc de affinitate, quæ præcedit matrimonium; si autem sequatur, non rumpit matrimonium, cap. de Eo qui cognovit consanguineam uxoris, cap.* 1. & *cap. Discretionem*, & *cap. Tuæ*, & *cap. final.* Sed si culpa sua hoc fecit; hæc duo illi adfert: Primum, quòd non possit petere debitum citra dispensationem, sed solùm reddere potest & tenetur; etiam si sit consorti illa copula occulta. Ita Bonac. *de Matrim. d.* 3. *punct.* 12. *n.* 20. & *punct.* 14. *n.* 10. Octav. *interrog.* 393. *pag.* 162. Probatur: quia Clemens III. Papa in sua Decretali quæ incipit, *Transmissæ*, ad similem casum dicit: *præsenti pagina respondemus, quòd legitimæ uxori cohabitans, & necessaria subministrans, non cognoscat eam quamdiu vixerit, nisi ab ea fuerit requisitus, & tunc ad ipsam non sine gravi cordis dolore accedat.* Et tenetur reddere non tantùm formaliter, sed etiam interpretativè petenti debitum, quando compars præ verecundia non audet petere, est tamen in tali dispositione quòd libenter acciperet (f). Secundum, quòd mortua comparte nequeat contrahere: sic enim in eadem Decretali legitur, postmodum *si supervixerit, perpetuò sine spe conjugii permanebit.* Item in sua Decretali Alexander III. *cap. Veniens* (g), ordinat, *quòd si Matrem Sponsæ suæ cognovit, & Sponsæ nunquam carnaliter adhæsit, imponenda est ei pœnitentia paulò major quàm pro adulterio: quâ peractâ vel parte ipsius, poterit ex dispensatione cum alia matrimonium contrahere. Cæterùm si Sponsam cognovit antequam Matrem, vel pòst, nunquam eam vel aliam potest accipere in uxorem* (h), subintellige licitè.

(f) Gregor. à S. Laurent.

(g) Cap. 3. eod. tit. in 1. Compilat.

(h) In Corp. Jur. Can.

Ignorantia impedit ne affinitatem.

6. Dixi, *si culpa sua:* nam ignorantia Juris aut facti excusat, quòd aut non scivit per talem copulam contrahi affinitatem, aut hanc personam esse tam propinquam consanguinitate uxori ejus: ita enim in Concil. Triburiensi *cap. In lectû: In lectû mariti absente uxore soror ivit uxoris, quam ille uxorem putans suam esse, dormivit cum ea. Super hoc visum est, si ipse per securitatem veram hoc probaverit, quòd inscius fuerit hoc scelus, pœnitentiam quidem quæ sibi indicta fuerit, agat, & legitimum suum conjugium habere permittatur. Illa verò vindictâ digna affligatur, & in æternum conjugio privetur.* Item in eodem Concil. *cap. Si quis, cum Matre & filia fornicatus est, ignorante Matre de filia, & filia de Matre, ille nunquam accipiat uxorem; illæ verò si voluerint, accipiant maritos: si autem hoc sciverint, ipsæ fœminæ absque maritis perpetuò maneant.* In Corp. Jur. Can. *p.* 2. *pag.* 430. Quapropter Doct. Resol. *loc. cit. d.* 39. *a.* 3. dicit, *aut cognovit eam ignoranter? jurabit quòd hoc fecit inscius, & tunc ab uxore non separabitur; sed reddat & exigat*

gat debitum. Aut ſcienter? & tunc non debet petere debitum, nec poſt mortem uxoris nubere, de Eo qui cogn. conſang. cap. 1. & 2.

7. Quid ſi quis contrahat affinitatem cum ſcientia Juris & facti, ſed cum ignorantia pœnæ non petendi debitum; utrùm in tali caſu incurrat hanc pœnam? multi tenent ſententiam affirmativam. Attamen Diana *part.* 11. *tract.* 5. *reſol.* 38. Dicaſtil. Burgh. *Centur.* 3. *caſu* 64. Gobat *in Alphab. matrim. p.* 2. *caſu.* 15. *n.* 603. noſtri Anton. à S. Spiritu *Direct. Regular. tr.* 2. *d.* 1. *n.* 106. Steph. à S. Paul. docent quòd non incurrat. Ratio eorum eſt: quia pœnæ ignorantia excuſat ab incurrenda excommunicatione, aliisque cenſuris; ergò excuſabit ab incurrenda hac pœna. Addit Dian. *loc. cit. reſol.* 4. quòd etiam excuſetur à pœna, ſi oblitus fuerit ejus, quando talem actum commiſit. Excuſat à pœna.

8. Inferes: Ergò etiam qui ignorat affinitatem eſſe impedimentum dirimens matrimonium, contrahens affinitatem, poteſt adhuc cum conſanguinea ejus contrahere. *Reſp.* (i) negando cum communi. Ratio eſt: quia impedimenta dirimentia matrimonium, non tantùm ſunt impoſita ùt pœnæ, ſed præcipuè ùt inhabilitates.

(i) Burghab. Centur. 2. caſ. 54. Steph. à S. Paulo.

9. Dices: Qui poſt celebratum matrimonium habuit copulam cum ſua propria conſanguinea, poteſt à propria uxore petere debitum; ergò etiam qui cognovit conſanguineam propriæ uxoris, poteſt ab ea petere debitum. *Reſp.* diſparitatem eſſe inde, quòd Jura loquantur de inceſtu cum conſanguineis uxoris, non verò de inceſtu cum propriis conſanguineis. Sanch. *lib.* 9. *d.* 67. *num.* 7. Bonac. *loc. cit.* & alii. Objectio ſolvitur. Inceſtus cū conſang. uxoris non cum propria adfert pœnam non petendi debitum.

10. Nota ex Clementina *de Conſanguin. & affinit.* eos qui ſcientes in gradibus conſanguineitatis vel affinitatis, conſtitutione Canonica interdictis, aut cum Monialibus, contrahere matrimonialiter non verentur, nec non Religioſos & Moniales, & Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes, excommunicationis ſententiæ ipſô factô ſubjacere. Hæc pœna cum ſit odioſa, non contrahitur propter alia impedimenta; nec ſi bona fide quis contraxerit.

11. Sed quid ſi uxor erat invitè cognita à conſanguineo mariti; utrùm incurrat hanc pœnam non petendi debitum? *Reſp.* quòd non: quia *ſuo jure non debet ſine culpa privari, cap. Diſcretionem.* In Corp. Jur. Can. *p.* 213.

12. Caſus eſt. Cajus per plures annos illicitè cognoſcebat Bertam uxorem alterius mariti, quo tempore illa genuit filiam; iisdem annîs cognoſcebat Catharinam uxorem alienam, ex qua genitus eſt filius; quæritur utrùm hic filius illam filiam ducere poteſt? *Reſp.* Sanch. *in Select. d.* 43. *n.* 44. dicit, quòd in tali caſu ſtante etiam rumore, adhibita diligentiâ, ſi nihil certitudinis habeatur, poſſit dictus filius illam filiam ducere, non pro- Caſus.

procurata dispensatione: quia possessio stat pro libertate ad contrahendum: nullus enim spoliandus est sua possessione, sine certo Jure. Subscribit ei Burgh. *Centur.* 3. *cas.* 100. adferens pro hac sententia *cap. Laudabilem*, & *cap. fin. de Frigid.* ubi statuitur, dubium de potentia naturali, non teneri ad tutiorem partem, seu abstinentiam à matrimonio: quia habet jus ad contrahendum; ergò à pari in proposito. Hanc sententiam tenet etiam Gobat *in Alphab. matrim. p.* 1. *cas.* 1. *n.* 62. Econtra Bordon. dicit, si rumor populi est, quòd Cajus illicitè conversabatur cum iis Matribus, & potiùs ille est parens, in tali casu abstinere debent à contrahendo. Cui subscribo, & dico: Non obstante factâ diligentiâ à Sponsis, non potest dictus filius eam filiam ducere: nam si fama habet impedimentum, impeditur, *cap. Cùm tua, de Sponsal.* quod jam declaravi *de Sponsalibus n.*34. ubi Doct. Resol. adducit capita aliquot. Ita etiam sentit Bossius *de Matrim. c.* 7. §. 2.

13. Quid si post contractum matrimonium, tale dubium occurrat? *Resp.* quòd ob tale dubium superveniens matrimonio bona fide contracto, nemo teneatur à matrimonio aut ejus actu desistere: quia à Clemente III. ita statutum est *cap. Super eo*, & sequenti *Quod postulas*, in Corp. Jur. Can. *p.* 23. A fortiori ad dictum unius asserentis affinitatem inter Conjuges, separari non debent, ordinavit Alexander III. *cap. De illo qui uxorem* &c. *loc. cit.*

14. Quid requiritur, seu qualis copula ad contrahendam affinitatem? *Resp.* In primis ùt dixi requiritur copula, quia ex coitu provenit affinitas.

Sequentes numeri non legantur in refectorio.

Solvitur objectio.

15. Dices: Si affinitas contrahatur ex coitu, igitur per locum à contrario, si vir non cognoverit uxorem suam, poterunt filii fratris viri, imò ipse frater contrahere cum ea post mortem ejus viri. *Rdet* Doct. Resol. *loc. cit.* *Dic quòd non, propter aliquod impedimentum, scilicet publicæ honestatis; quæ non solùm impedit, quòd formaliter non potest contrahere cum uxore fratris, sed nec cum Sponsa fratris nec cum aliqua de fratris consanguineitate. De Sponsalibus impub. continebatur in fine.*

Qualis copula requiritur ad contrahendam affinitatem.

16. *Non contrahitur per omnem carnalem coitum affinitas: non enim per extraordinariam pollutionem quæ fit extra vas, 35. q. 3. cap. Extraordinaria; nec etiamsi sæpiùs fiat ibi, quod notat Glossa. Nec obstat illud quod dicitur de Sponsa juvenis, ubi dicitur, quòd separandus est à consobrina puellæ, quam duxit & cognoscere attentavit, licèt explere non potuit. Quia illa Decretalis loquitur de illo, qui attentavit in naturalibus, & maritali affectu, ùt dicit ibidem Glossa.* Ita Doct. Resol. *loc. cit.* Et tunc separandus propter honestatem publicam de qua statim dicam. Nec contrahitur per coitum viri sodomiticum, sive cum viro sive cum fœmina talem: talis enim copula contra naturam habita, non potest esse principium generationis, nec con-

stituere

ſtituere unam carnem per commixtionem ſeminum. Neque contrahitur per coitum naturalem viri cum fœmina, ſi copula eſt imperfecta, hoc eſt ſi vir intra vas mulieris naturale non ſeminet, quàmvis illud penetret (k), & fœmina ſeminet (l): quia ad contrahendam affinitatem requiritur copula quæ ſit ſufficiens ad generationem, ſeu quâ vir & fœmina efficiantur una caro, *cap. Fraternitatis*, 35. *q*. 1. ſeu quâ efficitur ſanguinis commixtio, *cap. Lex Divina*, 27. *q*. 2. Sed hæc fieri nequeunt, ſi vir intra vas fœminæ naturale non ſeminet, nam eſt neceſſarium ſemen viri, principiumque generationis (k).

(k) Doct. Reſol. Bonæ Spei, Steph. à S. Paul. Greg. à S. Laur. Bonac. & alii.

(l) Tolet. Bonac. loc. cit.

17. *Per contrarium ſequitur, ſi aliquis ſeminat in vas mulieris, licèt non intret vas, contrahitur affinitas: quia ſit carnis commixtio. Sicut contigit in Francia cuidam, qui contraxit cum quadam tam arcta, quòd puer novem annorum non potuit intrare; qui cùm non poſſet eam corrumpere, pollùit eam in vaſe debito, & impregnavit, quam partûs tempore incidi oportuit.* Ita D. Reſ. *loc. cit.*

18. Utrùm neceſſarium eſt ut etiam fœmina ſeminet? *Reſp.* Probat Doct. Reſol. *loc. cit.* quòd ſic: quia ſi illa non ſeminet, deficit carnis commixtio; adducens pro hoc *cap. Fraternitati.* Oppoſitum tamen ſuſtinet Sanch. Ledeſm. Reginald. Sot. Angelus. NN. Bonæ Spei, Greg. à S. Laur. Steph. à S. Paulo & alii, docentes ſufficere quòd fœmina ſemen viri, ſive ſponte ſive invitè, ſive vigilans ſive dormiens, & ſive naturaliter ſive arte humana aut diabolica, intra ſuum vas naturale recipiat. Ratio ipſorum eſt: quia aliquæ fœminæ ſine congreſſu & coitu viri, recepto alia ratione ſemine, conceperunt. De quo ſcribunt Palud. Sylv. Sot. Ledeſm. & alii apud Sanch. *lib.* 7. *d.* 64. *n.* 1.

19. Ex his collige primò, quòd inſiſtendo primæ ſententiæ, multi poſſunt ſe gerere pro non affinibus, conſanguineis, in caſu quô ſunt certi, quòd non ſeminavit mulier. Ita N. Urban. ab Aſcenſ. Dom. Ratio ejus eſt: quia impedimenta ſunt ſtricti Juris, ideoque ſtrictè interpretanda.

20. Secundò, quòd ſi quis habeat illicitè rem cum fœmina, & non ſeminat, non contrahit affinitatem; conſequenter non impeditur ab affinitate, ne contrahat cum conſanguinea ejus quam cognovit. Sic etiam in communiſſima ſententia pueri 12. aut 13. annorum non contrahunt affinitatem per copulã, cùm in ea ſententia illi in tali ætate non emittunt ſemen (m). Sed fallit ætas aliquando: nam Achaz anno 11. genuit Ezechiam, Salomon anno 10. Roboam, puella in Belgio anno 9. concepit juxta Maffæum *in Chronico ad annum* 1337. prout ſcribit P. Bonæ Sp. *de Impotentia reſol.* 5. Idem dicendum de ſpadonibus, qui quidem penetrare queunt vas fœmineum, ſed ſemen verum emittere non valent, ùt notant Ledeſm. Sanch. Bonac. & alii.

(m) Greg. à S. Laur.

Notandum.

21. Lineæ affinitatis una eſt recta, aliæ transverſæ, prout exempli gratiâ ſit.


Linea recta.

Socer, uxoris tuæ Pater. *Vitricus*, est Matris tuæ post obitum Patris tui maritus. *Noverca*, Patris tui post obitum Matris tuæ, uxor.

ascendendo

descendendo

Gener, filiæ tuæ maritus. *Nurus*, filii tui uxor. *Privignus*, filius mariti ex alia conjuge, vel uxoris ex alio marito. Similiter *Privigna* est.



Pater
distant uno Gradu
distant uno Gradu
Filius
distant uno Gradu.
Filius
dist. 2 Grad.
dist. 2 Grad.
distant duobus Gradibus
distant 3 Gradibus
distant 4
Nepos
Nepos
dist. 3 Grad.
dist. 3 Grad.
Pronepos
distant 3 Gra. dibus
Pronepos
Gradibus
distant 4 Gradibus
dist. 4 Grad.
dist. 4 Grad.
Abnepos
distant 4 Gradibus
Abnepos



Tabula Consanguinitatis

				IV. Abavus, Abavia, Parentes Proavi, Proaviæ tuæ. 4.				
			IV. Propatruus, Proamita, id est, Frat: Sororq; Proavi tui. 5.	III Proavus, Proavia, Parentes Avi, Aviæ tuæ. 3.	IV. Proavuncul., Promatertera, id est, Frater, et Soror Proaviæ tuæ. 5.			
		IV. Horum Filius et Filia. 6.	III. Patruus magn., Amita magna, id est, Frater et Soror Avi tui. 4.	II. Avus, Avia, Parentes Patris et Matris tuæ. 2.	III. Avunculus magn., Matertera magna, id est, Frater et Soror Aviæ tuæ. 4.	IV. Horum Filius et Filia. 6		
	IV. Eorundem Nepos et Neptis. 7.	III. Propior Sobrinus, Propior Sobrina, id est, Patrui magni, Amitæ magnæ Filius et Filia. 5.	II. Patruus, Amita. Frater et Soror Patris tui. 3.	I. Pater et Mater. 1.	II. Avunculus, Matertera, id est, Frater et Soror Matris tuæ. 3.	III. Propior Sobrin., Propior Sobrina, id est, Avunculi magni, Matertera magnæ Filius et Filia. 5.	IV. Eorundem Nepos et Neptis 7.	
IIII. Eorum Pronepos, Proneptis. 8.	III Horum Filius et Filia. 6.	II. Fr. Patruelis, Soror Patruelis, id est: Filius, Filia Patrui tui: Amitinus, Amitina, Filius, Filia Amitæ tuæ 4.	I. Frater. 2.		I. Soror. 2.	II. Consobrinus, Consobrina, id est: Avunculi, Matertera Filius, Filia. 4.	III. Horum Filius, Filia. 6.	IIII. Eorum Pronepos, Proneptis. 8.
IV. Eorundem Nepos, Neptis. 7.	III. Horum. Filius, Filia. 5.	II. Fratris Filius, Filia. 3.		I Filius, Filia. 1.		II. Sororis Filius, Filia. 3.	III. Horum Filius, Filia. 5.	IV. Eorundem Nepos, Neptis. 7.
IV. Horum Nepos, Neptis. 6.	III. Fratris Nepos, Neptis. 4.			II Nepos, Neptis. 2.			III. Sororis Nepos, Neptis. 4.	IV. Horum Nepos, Neptis. 6.
IV. Fratris Pronepos, Proneptis. 5.				III. Pronepos, Proneptis. 3.				IV. Sororis Pronepos, Proneptis. 5.
				IV. Abnepos, Abneptis. 4.				

Tabulæ transversæ.

Uxor fratris olim relicta.	Frater.	I. Gradus.	Soror.	Vir ſororis olim relictus.
Uxor filii.	Fratris filius.	II. Gradus.	Sororis filia.	Vir filiæ ſororis.
Uxor nepotis fratris.	Fratris nepos.	III. Gradus.	Sororis neptis.	Vir neptis ſororis.
Uxor pronepotis fratris.	Fratris pronepos.	IV. Gradus.	Sororis proneptis.	Vir proneptis ſororis.

§. V.

§. V.

De impedimento publicæ honestatis.

1. PRæmitto, quòd sit propinquitas personarum orta ex sponsalibus, vel matrimonio rato, *cap. Sponsa*, & *cap. Ad audientiam*; eò quòd per sponsalia, aut contractum matrimonium, appropinquent viro consanguinei mulieris, & econverso. Hæc propinquitas vocatur publica honestas, sive ùt Doct. Resol. ait, publica honestatis justitia: quia justum & æquum est, & decentiæ honestas exigit, ut tales personæ matrimoniô inter se non copulentur, quas hoc impedimentum afficit. Hîs præmissis

2. Dico, quòd Jure Ecclesiastico propinquitas hæc personarum, orta ex sponsalibus validis, tantùm in primo gradu; proveniens verò ex matrimonio rato, sive sit validum sive invalidum, dummodo non sit invalidum ex manifesto defectu consensûs (a), aut irritum ob impedimentum publicæ honestatis, usque ad quartum gradum inclusivè cum consanguineis conjugis, dirimit matrimonium contrahendum.

(a) Alarius, Ro-rar. p. 445.

Ad quem gradum publicæ honestatis impedimentũ se extendat.

3. Explicatur & probatur. Dico, *orta ex sponsalibus validis:* Nam quàmvis Jure antiquo consurgebat ex sponsalibus invalidis, prout dicit etiam D. Resol. *loc cit. Consurgit publica honestas etiam ex sponsalibus quæ sunt nulla, puta contractis inter consanguineos, cap. Ad audientiam. Et hoc est verum, dummodo non sint nulla sponsalia ratione defectûs consensûs*, Jure tamen novo Tridentini quandocumque sunt invalida, non inducitur per ea publicæ honestatis impedimentum: hæc enim duo ad propositum Concil. Trident. *ses.* 24. *c.* 3. declaravit, scilicet quando sponsalia sunt invalida quomodocumque, quòd non inducant impedimentum publicæ honestatis. Secundum, quando sunt valida & inducunt impedimentum, illud non excedit gradum primum. Ita ibi habetur: *justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsùs tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Unde si Joannes fictè cum Berta contraxit sponsalia, aut alia ratione nulliter, potest contrahere matrimonium verè cum ejus sorore: vel si validè contraxit cum illa sponsalia, potest cum alia in gradu secundo consanguinea ejus contrahere sive sponsalia sive matrimonium, nisi obsit aliud, ùt dixi *de sponsalibus*. Ita Bonac. & alii apud ipsum *loc. cit.*

Quid si fictè

4. *Proveniens verò ex matrimonio rato, sive valido sivo invalido, usque ad quartum gradum inclusivè:* quia intantum non est recedendum à Jure antiquo, inquantum nihil Jure novo est mutatum in eo: atqui Jure antiquo

tiquo *cap. Sponſam, de Sponſal.* & *cap. Acceſſit*, impedimentum publicæ honeſtatis conſurgebat ex matrimonio invalido, dirimens usque ad quartum gradum matrimonium inter conſanguineos conjugis, & nihil in hoc Jus novum mutavit: imò Pius V. in Motu proprio qui incipit, *Ad Romanum ſpectat*, hoc idem declaravit & renovavit; ergò propinquitas orta ex matrimonio rato, ſive valido ſive invalido, dirimit matrimonium cum conſanguineo vel conſanguinea conjugis. Quare ſi Cajus cum Berta contrahat matrimonium invalidè propter aliquod impedimentum dirimens, mortuô eô, non poteſt Berta cum aliquo illius conſanguineo usque ad quartum gradum conſanguineitatis inire matrimonium. Ita Cardin. Tuſcus & alii.

5. Addidi, *dummodo non ſit invalidum ex defectu conſensûs*: nam per tale matrimonium nolunt DD. induci impedimentum dirimens. Ita Bonac. *loc. cit.* Rebel. *lib.* 4. *ſect.* 5. *in Decal.* Tuſcus *tom.* 5. *concluſ.* 140. *n.* 5. Henriq. *lib.* 12. *c.* 10. Valent. Sanch. *lib.* 7. *d.* 70. *n.* 5. & alii contra Navar. *c.* 22. *n.* 58.

6. Dixi, *aut irritum matrimonium ob impedimentum publicæ honeſtatis*, prout colligitur ex Motu proprio Pii V. incipiente, *Ad Romanum ſpectat*. Et patet ex ſenſu communi Theologorum, ſi Cajus contraheret cum Berta ſponſalia, & matrimonium cum ſorore ejus, matrimonium cum ſorore non valeret, propter impedimentum publicæ honeſtatis contractum per ſponſalia cum Berta; & ad Bertam redire poſſet, imò teneretur cum ea contrahere matrimoniũ, quod facere nequiret, ſi hæc ratio non ſubſiſteret, quòd ſtante impedimento honeſtatis, non contrahetur impedimentum.

7. Diſparitas eſt, quare ex ſponſalibus invalidis ratione conſensûs v.g. fictè contractis, non exurgit impedimentum publicæ honeſtatis: quia Concil. Trident. *ſuprà* citatum ſancivit, ut ex ſponſalibus quacumque ratione invalidis, non oriatur impedimentum; non ſancivit de matrimonio invalido, ſed potiùs contrarium, & abſolutè demptis duobûs ſpecificatis in Reſolutione Pius V. ordinavit. Quapropter ſi Caja cum Titio ebrio, amente, infante, vel ex gravi metu contrahat, poteſt cum fratre ejus validè contrahere; cùm erat invalidum defectu conſensûs. Ita ſentiunt Doct. Reſol. *loc. cit.* Bonac. Rotar. & alii.

8. *Cum conſanguineis conjugis*, inſinuando, quòd non dirimat cum affinibus, quandoquidem nullo Jure hoc probatur. Sanch. *lib.* 7. *d.* 68. *n.* 3. Bonac. & alii.

9. Et quia Jure Eccleſiaſtico dirimit, ille qui in ſua infidelitate contraxit ſponſalia cum Berta, factus Chriſtianus poteſt contrahere matrimonium cum ſorore ejus. Pro hoc citantur Bonac. Rotar. & alii. Ratio eſt: quia exiſtens in infidelitate, non contrahit impedimentum. Infidelis non contrahit affinitatem.

 10. Quæ-

10. Quæritur utrùm matrimonia impuberum conditionata, item clandestina, inducant hocce impedimentum? *Resp.* ad 1. negativè, maximè si sint minores septenniô, *cap.* 1. (b); nisi malitia suppleat ætatem, ùt dixi *de Sponsal. sect.* 3. *n.* 2. & locis in aliis ibi: quia matrimoniū inter impuberes irritatur à Jure, eò quòd præsumatur nō adesse judicium, & consensus sufficiens ad contrahendum (b).

(b) Doct. Resol. loc. cit. Bonac.

11. Notandum, *nisi malitia suppleat:* nam Eugenius Papa III. *cap. Juvenis*, sic ordinavit & statuit: *qui puellam nondum septennem duxit, quàmvis ætas repugnaret, ex humana tamen fragilitate forsan tentavit, quod complere nō potuit. Quia igitur in his quæ dubia sunt quod certius existimamus tenere debemus; tū propter honestatē Ecclesiæ, quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur, tum propter prædictā dubitationem, mandamus quatenùs consobrinam ipsius puellæ quā postmodum duxit, dividas ab eodem.* In Corp. Jur. Can. *lib.* 4. *c.* 3. *p.* 201.

12. Imò juxta Doct. Resol. & multorum sententiam, per matrimonia impuberum inducitur publicæ honestatis impedimentum, dirimens matrimonium quoad gradum primum, eò quòd in sententia eorum matrimonium impuberum resolvitur in sponsalia, ùt legimus *de Sponsalibus sect.* 2. *n.* 6. Et colligitur ex *cap. Tuæ nobis, de Sponsalib. impub.* Ita sentiunt Navar. Valent. Reginald. Tuscus.

Quoad conditionata matrimonia.

13. Quoad secundam quæstionis partem similiter *Resp.* quòd per matrimonium conditionatè contractum, ante adimpletionem conditionis non inducatur impedimentum publicæ honestatis. Ita docent Sanch. *d.* 69. Molfes. Filliuc. Bonac. Adimpleta verò ea conditione, statim inducitur impedimentum absque novo consensu. Ex quo collige, si Titius cum Berta contraheret sponsalia conditionata, & ante adventum conditionis cum sorore ejus matrimonium, hoc licèt illicitum, tamen validum esset. Illicitum: nam expectare tenebatur conditionis eventum; validum: quia ante conditionis eventum non est inductum impedimentum publicæ honestatis. Petrus Ledesm. *q.* 55. *a.* 4. *vers. Nihilominùs*, Sanch. *d.* 69. *n.* 2. Molfes. *n.* 93. Filliuc. *n.* 224. & alii communiter.

Casus.

14. Ex quo casum resolves, quô Cajus cum Berta contraxit matrimonium sub conditione, ante cujus eventum mortuus est, relicta intacta Bertâ, quam frater Caji duxit in uxorem.

15. Quoad 3. *Resp.* affirmativè: quia non ob defectum consensûs, sed ob carentiam solemnitatis ab Ecclesia præscriptæ, ut adsint Parochus & Testes, est nullum matrimonium. Vide *n.* 2. & 5. *hîc.* Bonac. *loc. cit.* Coninch. & alii contra Sanch. Filliuc. & alios.

Bonac. Bonæ Sp. Stephan. à S. Paulo.

16. Quæritur, an quando ex mutuo consensu dissolvuntur sponsalia, dissolvatur seu tollatur impedimentum honestatis contractum per valida sponsalia? *Resp.* quòd non (c), quidquid dicat Bassæus cum Diana. Tum quia

quia impedimentum dictum non cessat morte alterius conjugis, ùt passim tradunt DD. ex *cap. Sponsam, de Sponsal.* & *cap. Si quis uxorem*; ergò neque cessat per mutuam sponsalium dissolutionem: tum quia impedimentum publicæ honestatis est perpetuum, *cap. Sponsam*, & *cap. Si quis desponsaverit*, 27. *q.* 2. Tum quia Sacra Congregatio 6. Julii 1658. declaravit, quòd impedimentum dictum per mutuam sponsalium dissolutionem non solvatur: quam declarationem approbavit Alexander VII. eamque jussit in dubium deinceps non revocari, ùt notat Bonæ Sp. *d.* 1. *n.* 73. Adfert Diana pro opposita sententia declarationem Sacræ Congregationis, sed non authenticam; imò Gobat *n.* 377. dicit esse confictam. Et Bonac. *loc. cit.* asserit esse posteriorem declarationem Sacræ Congregationis pro nostra sententia negativa.

Dissolutis sponsal. ex mutuo consensu, non tollitur impedim. publicæ honestatis.

17. Ex his collige, quòd si Caius ex mutuo consensu dissolutis sponsalibûs contractis cum Berta, contraxerit cum sorore ejus matrimonium, quia nullitatis est propter impedimentum publicæ honestatis, inductum per illa sponsalia, non sublatum per mutuam dissolutionem illorum, relinquere illam sororem tenetur, & cum quacumque de consanguineis intra primum gradum contrahere non valet, nisi cum Berta ipsa, propter nullitatem matrimonii contracti cum sorore, & non contractum publicæ honestatis impedimentum, per hocce matrimonium. Et si consummaverit cum dicta sorore matrimonium, nec cum Berta contrahere valet, propter affinitatem contractam per copulam illicitè habitam cum dicta sorore Bertæ. Hæc jam ex parte dixi *de Sponsal. sect.* 3. *n.* 6. claritatis tamen gratiâ repeto pleniùs.

Casus notabilis.

§. VI.
De vi.

1. PRæmitto, nomine ejus intelligi omne id quod impedit libertatem matrimonii. Hôc præmissô

2. Dico: Vis seu metus gravis cadens in virum constantem, ab extrinseco, à causa libera, in ordine ad extorquendum matrimonium injustè incussus, dirimit matrimonia, Jure non solum positivo, sed & Jure naturæ. Ita Doct. Resol. *in* 4. *d.* 34. *q. unic.*

3. Explicatur & probatur Resolutio. Dico, *metus gravis, cadens in constantem virum*: nam inter vim & vim (a), metum & metum, distinguere oportet, *cap. infrà, de Muliere & baptismo, Majores.* Metus levis est, quô timetur leve malum; metus gravis est, quô quis sibi aut Parentibus, aut consanguineis, aut affinibus usque ad quartum gradum, aut aliis arctissimo amicitiæ vinculô conjunctis, imminens grave malum timet; cùm Parentum & amicorum mala, nostra reputentur (b).

(a) D. R. in 4. d. 34. q. unic. Metus levis, gravis.

 4. Item

(b) Petrus à S. Iof. Gregor. à S. Laur. Malum grave abfolutè. Refpectivè.

4 Item grave malum, vel eft abfolutè tale, quod plerũque omnes homines habent pro gravi, feu valdè molefto, ùti funt mors, mutilatio, incarceratio, verberatio gravis, infamia, ftuprum, exilium, fervitus, amiffio fui honorifici ftatûs, *cap. de Iis quæ metûs causâ fiunt*, & *cap. Cùm dilectus, de Iis quæ vi:* quorum metus, quia communiter homines conftantes graviter terret, eosque ad res magni momenti aggrediendas invitos compellit, dicitur & defacto eft cadens in virum conftantem. Malum grave refpectivè eft, quod eft grave fecundùm refpecta apprehenfionis, aut conditionis perfonæ: nam pueris & mulieribus, itemque viris valde meticulofis, aut laborantibus exotica imaginatione, vel jam abundè afflictis, admodùm gravia accidunt multa, quæ vix curant homines cordati. Unde juxta Gregor. à S. Laurent. & alios, in eis metus conceptus ex his malis, dicitur metus cadens in virum non conftantem.

(c) Bonæ Sp. Petrus à S. Iof. contra alios.

5. Jam verò ut metus dirimat matrimonium, debet effe cadens in virum conftantem (c), ùt dicit Doct. Refol. *loc. cit. Si enim talis fuerit violentia, vel metus, quæ poffet cadere in virum conftantem, five fuerit major five minor ex parte ejus cui infertur, matrimonium non eft.* Ita declaratur *cap. de Sponfal. impuber. de Illis*, 2. & *cap. Ex litteris*, & *cap. Veniens*, 2.

6. Adferunt tamen alii fuas explicationes, quid fit malum grave abfolutè, quod omnes timẽt; aut eft malum grave refpectivè, quod eft grave refpectu fubjecti, conditionis ipfius. Alii, ùti Tolet. *lib.* 7. *c.* 12. ad dignofcendum quisnam fit gravis metus cadens in virum conftantem, affignat regulam quam dicit effe communem, *quando majus eft malum id, ex cujus metu id facit, quàm illud quod ex metu facit.* Hinc eft quod Bonac. *loc. cit.* & Sanch. *lib.* 4. *d.* 3. & 5. Rebel. & alii fuadent, relinquendum prudentis arbitrio judicare, quinam fit metus cadens in virum conftantem, & qui non cadens, cùm poffit aliquando quis majus malum judicare colaphum aut privationem gratiæ Parentis, quàm contrahere matrimonium. Unde qui contrahit in tali metu matrimonium, cenfetur invalidè contrahere. Ita idem cum Menoch. Decio, Tyraquel. & aliis. Et Rotar. inquit, in muliere minor metus fufficit ad annullandum matrimonium.

Conditio metûs in virum conftãtem cadentis.

7. Attamen ut metus dicatur cadens in conftantem virum, dirimatque matrimonium, conditio neceffaria eft hæc, ne temerè, fed prudenter timeatur malum grave: nam vir conftans timet malum quod fibi probabiliter imminet, non verò timet malum quod fibi non imminet probabiliter; tunc autem probabiliter timetur, quando ille qui timetur, folet exequi minas, nec ei facilè refifti poteft (d). Unde qui celebrat matrimonium ob minas illius qui non folet exequi eas, aut quibus ipfe potuiffet aliter occurrere quàm contrahendo, validè contrahit, ùt no-

(d) Bonac. Gregor. Petrus à S. Iofeph.

ùt notant Sanch. *lib.* 4. *d.* 4. Henriq. Bonac. *loc. cit.* Secùs si duorũ numeratorum unum deesset.

8. Additur metui *proximè* explicato metus reverentialis, qui non qualiscumque ac simplex esse debet, quando puella tantùm ideò consentit in matrimonium propositum sibi à Patre, quia timet ne contradicendo agat contra reverentiam debitam Parentibus; sed gravis, conjunctus cum verberibus, minis, aliisq; angustiis & corporis afflictionibus, ad extorquendum matrimonium datis, dirimit matrimonium (e): aliàs nimis lata via panderetur dissolutioni matrimoniorum.

(e) Bonæ Sp. Bonac. Rotar. Gregor. à S. Laurentio.

9. *Ab extrinseco, seu à causa libera:* nam si à causa intrinseca seu naturali proveniat metus, non irritat matrimonium (f). Et sic valet matrimonium, si Cajus timore inferni, aut infamiæ, cum sua concubina contrahat illud. Similiter si contrahat cum filia Medici, quia aliter eum sanare noluit: nam tunc metus non est incussus à Medico, sed à morbo.

(f) Bonac. Rotar. Petrus à S. Ioseph.

10. *In ordine ad extorquendum matrimonium:* nam si incutiatur non in ordine ad extorquendum, v.g. si Pater defloratæ voluerit defloratorẽ ex ira aut vindicta occidere, & ipse spontè se obtulit ad celebrandum matrimonium cum ea ut mortem vitaret, valet initum (g). Ratio est: quia metus non est directè incussus ad extorquendum matrimonium: hoc enim non intendebat Pater defloratæ, sed occidere eum; & deflorator spontè se obtulit ad celebrandum. Similiter si quis capite plectendus ob crimen aliquod à se patratum, ut pœnam talem evaderet, cum aliqua contraheret (prout est mos in aliquibus Regionibus); matrimonium illius esset firmum, & ratum: quia talis non inducitur ab aliquo, sed ipse spontè elegit medium tale, ut vitet malum nempe pœnam.

(g) Bonac. Henriq. Reginald.

Invalidum matrimon.

11. *Injustè incussus:* nam si sit justè incussus, matrimonium non tollit. Ita communiter DD. apud Bonac. contra nonnullos. Unde si Pater defloratæ ei qui eam consentientem absque promissione matrimonii defloravit; minetur accusationem, cum periculo longæ detentionis in carcere, vel exilii, nisi ducat eam, injustè incutit ei metum, non habet enim jus ad hoc; nam qui carnaliter cognovit aliquam consentientem absque promissione matrimonii, non tenetur præcisè ratione copulæ cum ea celebrare matrimonium: quare si in tali casu ob metum sibi incussum contrahat deflorator cum deflorata, matrimonium est nullum. Secùs si habeat alium titulum, qui est v.g. ut stuprator ducat puellam violatam; ùt habetur *cap.* 1. *de Adulteris*. Ita Henriq. *lib.* 11. *cap.* 9. *n.* 1. Bonac. *de Impedim. q.* 3. *punct.* 8. Rebel. & alii. A fortiori esset nullum matrimonium in eo casu, quô deflorator duxisset defloratam, eò quòd ipsum Pater defloratæ occidere voluit, nisi duxisset: nam ad hoc

hoc privata authoritate non habet potestatem, etiamsi eam invitam violasset. Econtra validum esset matrimonium per metum excommunicationis, vel mortis, vel gravis mali incussum sibi à Judice ad extorquendum consensum, quando lex ita teneret (h). Ratio est: quia sic declaratur *cap.* 1. & 2. *de Adulteris. Cap.* 1. *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam dormieritque cum ea, dotabit eam; & habebit uxorem. Si verò Pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis. Cap.* 2. *Pervenit ad nos* &c. *Disponimus, ut aut quam stupravit, uxorem habeat: aut si renuendum putaverit, corporaliter castigatus excommunicatusque, in Monasterio, in quo agat pœnitentiam, retrudatur.*

(h) Hêriq. Filliuc. & alii cōmuniter.

Casus.

12. Casus est. Titius quidem cognovit Cajam, & cum ea contraxit sponsalia; sed quia illa fornicata est cum alio, sponsalia dissolvit; & quia ei probare coram Judice nequit, licetsi viderit, eò quòd & ipsa & fornicator fortiter neget, nec subest aliquis Testis, Judex ad matrimonii eum compellit, quod & coactus init; quæritur an validum sit tale matrimonium? *Rdet* Sanch. *lib.* 4. *disp.* 14. *n.* 8. quòd sit validum. Ratio est: quia compulsio est juridica & justa, nam secundùm allegata & probata quòd & cognoverit eam, & sponsalia cum ea contraxerit.

13. Quòd Jure positivo metus explicatus dirimat matrimonium, adducitur pro hoc *cap. Veniens,* 1. *de Spons.* & *cap. Significavit, de Eo qui duxit in matrimonium quam polluit* (i). Quòd etiam hoc faciat Jure naturæ, adductum à Doct. Resol. *suprà, n.* 2. *cap. Cùm locum ostendit,* ubi sic: *Vis ex natura sua habet matrimonium dirimere, cùm enim contrahatur ex solo consensu; & ubi est vis non est consensus,* subintellige perfectus seu liber (k). Jam verò Ecclesia exigit ut sit omninò liber.

(i) Tolet. lib. 7. cap. 12.

(k) Rotarius.

14. Ex hoc quòd Jure naturæ dirimat, infero contra Bonac. Sanch. Ledesm. (l) matrimonium inter infideles per metum dictum initũ, esse nullum.

(l) Henriq. lib. 11. cap. 6. & alii.

15. Animadversiones. Qui ex metu gravi init verè consentiendo, absque intentione exercendi actus venereos conjugum, sciens illud esse nullum ex defectu consensûs, probabile est illum nec quidem venialiter peccare (m). Qui non habet animum exercendi actus, & tamen fingit se consentire in matrimonium, peccat peccatô mendacii. Qui denique matrimonium init ex metu, sciens esse nullum, & habet intentionem actus conjugales exercendi, peccat mortaliter. Ratio est: quia habet intentionem exercendi actus fornicarios.

(m) Sanch. lib. 4. de Matrimonio d. 16. n. 6. Gregor. à S. Laurẽt.

16. Quàmvis peccaret Sacerdos qui ob metum mortis daret absolutionem illi quem sciret esse indispositum, quia verè proferret verba propria formæ Sacramentalis, supra materiam indebitam; attamen contrahens matrimonium ex metu, non peccat: quia non profert verba

& signa

& signa quà sunt forma, nam non verba, sed consensus per verbâ expressus, est forma, ùt dixi *de Forma* hujus Sacramenti.

17. Utrùm compellens aliquem ad contrahendum matrimonium incurrat aliquam pœnam? *Resp.* quòd ipsô factô incurrat excommunicationem. Ita Trident. *sess.* 24. *c.* 9. dicit: *Ita plerumq; temporalium Dominorum ac Magistratuum, mentis oculos terreni affectus atq; cupiditates excæcant, ut viros & mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maximè divites, minîs & pœnîs adigant cùm iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi Domini vel Magistratus illis præscripserint. Quare cùm maximè nefarium sit matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias nasci à quibus jura expectantur; præcipit Sancta Synodus omnibus, cujuscumq; gradus, dignitatis & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipsô factô incurrant, ne quovis modo, directè vel indirectè subditos suos, quoscumq; alios cogant, quominus liberè matrimonia contrahant.*

Pœna compellentiũ ad matrimonium.

18. Ex quo contra Bonac. infero, in dicto Decreto comprehendi Dominos cogentes sua mancipia, & Parentes compellentes suos filios, aut filias: nam Trident. in dicto Decreto dicit, *vel quoscumq; alios cogant.* Econtra præfatam excommunicationem non incurrunt Episcopi, prohibentes per censuras matrimonium, quando prævidentur sequi gravissima scandala. Ita Perez *fol.* 201. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 6. *n.* 5. quidquid dicant alii in oppositum: quia Concilium non loquitur de prohibentibus, sed de cogentibus.

19. Signa intercedẽtis vis & metûs. 1. pallor vultûs & vox submissa, quòd Sponsa aliquoties interrogata, vix consensum exprimit. 2. Antecedens animi aversio, & repugnantia nubendi. 3. protestatio antecedens, de non volendo talem maritum. Cætera signa fallunt.

Signa metûs.

§. VII.

De impedimento criminis.

1. Resp. quòd sit conjugis vivente comparte scelerata conjunctio cũ alia persona, matrimonium cum ea Jure Ecclesiastico dirimens. Estque quadruplex: machinatio in mortem conjugis secuto effectu, adulterium cum data fide, adulterium cum conjugicidio, adulterium cum matrimonio irrito vivente comparte legitima (a). Explicatur per sequentes Resolutiones.

2. Dico 2. Machinatio, sive conventio uxoris cum tertio in mortẽ mariti vel econtra, non aliter quàm sub intentione contrahendi matrimonium, effectu secuto scilicet morte, Jure Ecclesiastico dirimit cum

(a) Doct. Resol. in 4. d. 34. q. unic. Tolet. lib. 7. cap. 10.

eo matrimonium contrahendum (a). *Cap. 1. Laudabilem, de Conversione infidelium.*

3. Explicatur & ultrà probatur. Dicitur, *conventio uxoris cum tertio* &c. *sub intentione contrahendi matrimonium, & effectu secuto:* nam si Berta de tali intentione occisoris non sciat (nisi obsit adulterium de quo *infrà*), potest cum eo occisore contrahere matrimonium, qui hoc fine occidit ejus maritum ut cum ea contrahat (b), *cap. Super hoc, de Eo qui duxit*, etiamsi id pro rato habeat: nam ratihabitio est posterior homicidiô (c). Requiritur ergò conspiratio utriusque, & ut uterque sive per se & physicè, sive moraliter concurrat ad mortem ejus, vel unus, & alter sciat; cùm hoc habeatur *cap. Laudabilem, suprà cit.* (d). Vel scivit ipsius machinationem, & concurrebat in mortem, sed non facta conventione cum eo de ineundo matrimonio, potiùs ob alium finem, v.g. ex odio vel vindicta conventionem occidendi maritum fecit cum eo (e); quia conventio est non sub intentione contrahendi matrimonium, quæ ab Ecclesia requiritur. Vel concurrebat quidem cum illo propter contrahendum matrimonium, sed mors non est secuta, tunc postea ob aliam causam mortuo conjuge, potest validè contrahere matrimonium cum illo, cum quo ad mortem conjugis concurrebat: colligitur ex *cap. Si quis*, 31. *q.* 1.

(b) Bonac.

(c) Sanch. l. 7. d. 78. n. 61. Henriq. & alii.

(d) Tolet. loc. cit.

(e) Bonac. Toletus.

4. *Jure Ecclesiastico:* nam *cap. Laudabilem*, & aliis citatis, taliter statutum est. Unde infidelis, qui suam uxorem concurrentibus dictis circumstantiis occidit, non tantùm ante conversionem, sed & post baptismum potest contrahere matrimonium cum ea, cum qua hoc scelus perpetravit (e). Ratio est: quia subjectus Ecclesiæ non erat, hoc impedimentum non contraxit. Si autem unus esset fidelis, alter infidelis, tunc licet non iste, tamen ille contraheret per tale scelus impedimentum de quo *hîc* (f), quod authoritate Cœlestini III. declaratur *cap.* dicto *Laudabilem*, ubi sic ille: *Interrogasti de Sarracenis, qui dum in captivitate essent quarundam Christianarum, viros earum insidiis & machinationibus occiderunt, utrùm quia postea per ipsas ad fidem Christianam conversi sunt, eas de Jure possint accipere in uxores; vel si duxerint, conjugium teneat eorundem. Hîc Triburiensis Concilii regulâ contenti sumus, asserentis, quòd si in mortem ipsorum malitiosè fuerint machinatæ, licèt earum studiô ad fidem accesserint, nec tamen eis adhærere debent, nec sunt si adhæserint etiam tolerandi, cùm tale damnum tali lucrô Ecclesia compensari non velit.* In Corp. Jur. Can. *de Convers. conjugat. infidel. p.* 176.

(e) Bonac. Toletus.

(f) Sanch. Henriq. Filliuc. Bonac.

Adulterium cum fide data.

5. Dico 3. Adulterium commissum sub promissione & fide data de matrimonio contrahendo post alterius conjugis mortem est crimen dirimens

rimens

rimens illud (a) cum adultera, *cap. Significasti*, & *cap. Relatum*, ubi si accessit juramentum: *tale ergò connubium prohibemus, & anathematizamus.* In Corp. Jur. Can. *pag.* 378. Sive sit utriusque promissio sive non, parùm aut nihil refert: nam Jura non requirunt promissionem reciprocam, ùt colligitur ex *cap. Significasti, de Eo qui duxit* (g); dummodo sit signô externo declarata, & acceptata (g). Et sive illa promissio sit antecedens sive subsequens adulterium (h): quia ita habetur in præfato *cap.* teste Toleto. Sive cum juramento sive sine juramento (i): quia *cap. Significasti*, nihil est de juramento; dummodo ante patratum adulterium non sit revocata. Ita Laym. *lib.* 5. *tr.* 10 *p.* 4. *c.* 10. *n.* 3. Sãch. *lib.* 4. *d.* 79. *n.* 9. Tambur. Bonac.

(g) Sylv. Sanch. Bonacina.

(h) Bonac. Tolet. Rotar.

(i) Bonacina.

Cõditiones.

6. Requiruntur tamen præterea conditiones. 1. ut uterque sciat esse adulterium, seu superstitem esse conjugem alterius: nam si uterque ignoret, poterunt conjungi matrimonialiter post mortem conjugis innocentis (k). Si verò unus scit, alter ignorat, poterit ignorans conscium ad contrahendum cogere post mortem innocentis conjugis: ùt deducitur non ex *cap. Significasti*, ùt alii non benè citant; sed ex *cap. Propositum*, ubi ab Alexandro III. Abbati S. Albani scribitur, quòd si quis vivente uxore contrahit cum secunda hoc ignorante, primâ mortua, ad sui petitionem non separabitur à secunda. Sequentia enim ejus Decretalis sunt: *propositum est nobis, quòd vir quidam uxorem habens, sibi aliam hujusmodi rei insciam copulavit; sed primâ mortua nititur discedere à secunda.* Et infrà: *licèt autem in Canonibus habeatur, ut nullus copulet matrimoniô quam priùs polluerat adulteriô, & illam maximè cui fidem dederat uxore sua vivente, vel quæ machinata est in mortem uxoris; quia tamen præfata mulier erat inscia, quòd ille aliam haberet uxorem viventem, nec dignum est, ut prædictus vir qui scienter contra Canones voverat, lucrum de suo dolo reportet, consultationi tuæ taliter respondemus, quòd nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri nõ sunt aliquatenùs separandi.* In Corp. Jur. Can. *lib.* 4. *tit.* 7. *p.* 210. Item requiritur ut copula sit perfecta, prout communiter docetur. Item ut promissio non sit ficta; cùm talis solùm nomine non in re sit promissio, consequenter non inducit impedimentum. Ita docent Henriq. *lib.* 12. *cap.* 14. *n.* 3. Rebel. Bonac. *loc. cit.* contra Sanch. *lib.* 7. *d.* 79. *n.* 12. & alios. Item ut adulterium vivente comparte committatur. Ita Sot. *in.* 4. *d.* 37. *q. unic. a.* 4. Bonac. *loc. cit.*

(k) Perez, Bonacina.

Adulterium cum conjugicidio.

7. Dico 4. Quando adultera occidit suum virum ut contrahat cum adultero, quàmvis adulter non sit consors aut conscius occisionis, crimen tale dirimit matrimonium celebrandum inter eos. Idem dicendum si adulter adulterâ inscia, aut maritus adulter uxorem hac intentione interfecit ut contrahat cum adultera: taliter enim *cap. Super hoc*, Alexander III. decidit: *quòd si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata,*

chinata, sive fidem dedit sive non, quòd eâ defunctâ hanc esset ducturus, secundùm Canones ab ejus consortio prohibetur, & hæc prohibitio perpetuò est servanda. In Corp. Jur. Can. *loc. cit.*

8. In hoc autem crimen de quo in Resolutione hac, differt à crimine conjugicidiô solô, quòd ad illud ut impedimentum contrahatur, uterque particeps esse debet homicidii; in crimine verò præsenti adulterii sufficit ut alteruter occidat insciô alterô, cum quo inivit contractum matrimonii celebrandi. Conditiones requiruntur præterea, quæ ad anterius crimen.

9. Cur autem hæc impedimenta ab Ecclesia sunt inducta, ratio est: ut vitetur cædes, & adulteria talia.

Adulterium cum matrimonio irritat.

10. Dico 5. Quando quis ritè celebrato matrimoniô cum una, non cognitâ eâ contrahit cum secunda, crimen hoc dirimit matrimonium cum ea secunda, etiam post mortem primæ, si illud celebret (l); servatis tamen his duabus conditionibûs, quòd hæc secunda sciebat esse conjugatum, & ab eo est cognita; aliter impedimentum inter eos non contrahitur.

(l) Doctor Resol. in 4. d. 34. q. unic. Toletus lib. 7. cap. 10.

11. Addidi ly *ritè*: quia si cum prima matrimonium erat nullum, cum secunda validum. Item addidi quòd dirimat hoc crimen matrimonium cum ea adultera: nam non impedit, ut contrahatur cum aliis; cùm hoc impedimentum inductum sit, ne contrahatur validè cum persona adultera, nihil dicendo de aliis. Ita docent Sanch. *d.* 78. *n.* 21. Bonac. *loc. cit.* Idem dicendum de anterioribus casibus, demptô hôc, quòd conjugicidium inducat impedimentum impediens matrimonium cum aliis contrahendum (m), *cap. Super eo*, ubi à Clemente III. decisum est, quòd qui vivente uxore, etiam ab eo separata quoad torum, secundam consciam ducit uxorem, primâ mortua, separabitur à secunda. Sed cum alia contrahere poterit. In Corp. Jur. Can. *loc. cit.*

(m) Sanch. d. 79. n. 41. Bonac. loc. cit.

§. VIII.

De impedimento ligaminis.

I. R*Esp.* & dico: Impedimentum ligaminis in hoc consistit, quòd ille qui contraxit matrimonium cum una persona, per illud ratum à fortiori consummatum ita est ligatus, ut nequeat cum ulla alia persona validè contrahere. Si contrahit, nullum est, *cap. Licet, de Sponsa duorum* (a), & *cap. Gaudemus, de Divortio.* Ideoque ut aliud matrimonium iniri possit, constare debet de morte alterius conjugis, ita ut absit omnis dubitatio; seu debet ita prudenter credi,

(a) Doct. Resol. Tolet. loc. cit.

credi, ut contrarium nullô modô videatur probabile: seu quod idem est, debet de conjugis morte haberi certitudo moralis (b), quæ juxta explicationem Doct. Resol. in hoc statuitur, *quòd debeat certificari de morte viri per juramentum ejus sub quo militavit, vel sociorum ejus qui mortem noverunt ejus; imò si publica fama coadjuvet, sufficit unius juramentum.* Comprobatur per *cap.* quod incipit, *In præsentia nostra*, ubi Clemens III. Cæsaraugustien. Episcopo respondens dicit: *quæsivisti quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causâ captivitatis vel peregrinationis absentes ultra septennium, præstolatæ fuerint, nec certificari possunt de vita vel morte ipsorum, licèt super hoc solicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate seu fragilitate carnis nequeunt continere petentes aliis matrimonio copulari. Consultationi ergò tuæ taliter respondemus, quòd quantocumque annorum numerô ita remaneant, viventibus virîs suis, non possunt ad aliorum consortium Canonicè convolare, nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* In Corp. Jur. Can. *de Sponsal. & matrim. lib. 4. tit. 1. p.* 203.

(b) Sanch lib. 2. d. 46. nū. 6.

Certitudo de morte conjugis.

2. Unde licetsi comprobanda est certitudo duobus testibûs (qui deponere debent à fide dignis audivisse, & esse in illo loco publicum), omni exceptione majoribus ordinariè; non tamen in eo casu, quòd nimis procul sit, & plures haberi non possunt: quia & juramentum supplet, & in præfato *cap.* Pontifex *certum nuntium*, non nuntios requirit. Et si nec talis nuntius haberi potest, *sufficit* (dicit Doct. Ref.) *sola fama sine teste, si ex aliis præsumptionibus verisimile est ipsum mortuum, ùt si valdè diu deficit, vel si senex, vel ægrotans recessit*, vel ingressus est prælium, non ampliùs comparuit, & fama est ipsum periisse: *vel si recepit litteras eorum cum quibus militavit* (c). *Si contraxit, & de morte probabiliter dubitat, reddat debitum, sed non exigat: extrà de Secundis nupt. cap. Dominus.* Si verò habeat levem tantùm suspicionem, reddere debet, & petere potest (d). Si autem nesciat certò vivere suum virum, debet abstinere à petitione & redditione debiti, & redire ad suum virum *statim quando revertetur.* 34. *q.* 1. *cap. Cùm per bellicam.*

Certitudo de morte mariti.

(c) Hugo & Guilelmus.

Si cōtraxit.

(d) Rotarius.

3. Quæritur, quando probabiliter, prudenter, aut etiam certò credit mulier virum suum esse mortuum in bello, & ille defactò vivit, an in tali casu contractum matrimonium sit validum? *Resp.* quòd non, quàmvis non peccet in tali casu, quia excusat bona fides; quidquid opponant Bonac. & alii contra primum: nam sicuti per existimationem, aut fidem humanam, non transit aqua in vinum, ita credat quomodocumque velit mulier virum esse mortuum, si ille vivat, per talem existimationem non redditur mortuus; consequenter matrimonium illo vivente contractum cum alio est nullum.

Casus.

4. Quæritur 2. utrùm inter infideles matrimonium unius viri contractum cum pluribus mulieribus, sit validum ? *Resp.* quòd non : & sic quando convertuntur, primam retinere tenetur, reliquîs dimissis si omnes convertantur, ùt iam *suprà* dixi. Ratio est : quia non solùm Jure Ecclesiastico, sed etiam Jure naturæ, & Divino (à Deo dispensabili), contractum cum una, dirimit cum aliis. Tum quia res uni tradita, non potest alteri tradi : sed corpus viri, traditum est primæ uxori; ergò Jure naturæ non potest tradi aliis.

5. Dispensatio verò à Deo facta in Lege veteri, est revocata à Christo Domino *Matth.* 19. Bonac. *loc. cit. n.* 4.

6. A fortiori esset nullum matrimonium, si aliquorum esset contractum cum una muliere, quia hoc est contra naturam : nam finis matrimonii est procuratio prolis; per commixtionem autem seminum impeditur proles.

§. IX.

De impedimento disparitatis cultûs.

DIco : Cultûs disparitas matrimonium dirimens est, ut si Christianus contrahat cum Gentili, vel Pagana, vel Judæa (a): 28. *q.* 1. *cap. Cave Christiane*, & *cap. Si quis judaicæ pravitati, conjugali societate jungitur*, ubi statuitur, quicumque eorum tam nefas admisisse cognoscitur, à Christiano cœtu atque convivio, & à communione Ecclesiæ protinùs segregetur. Utrùm autem validum sit matrimonium Catholici cum Acatholica, in præsentia Prædicautii; dictum est *suprà, dist.* 9. *ser.* 3. *sect.* 1. *nü.* 5. *pag.* 475. Plura ad propositum dixi *de Indissolubilitate matrimonii.*

(a) Concil. Urbanense, Doct. Resol. loc. cit.

§. X.

De impedimento quod est impotentia.

I. DIco : Impotentia seu inhabilitas ad copulam conjugalem perfectam, quæcumque perpetua antecedens matrimonium, non solùm Jure Ecclesiastico, sed & Jure naturæ dirimit illud. Ita communiter.

2. Explicatur & probatur. Dico, *ad perfectam*, hoc est cum seminatione intra vas habendam (a). Colligitur ex *cap. Litteræ vestræ transmissæ*, & ex communissimo TT. tali sensu.

(a) Doct. Resol. Bonæ Sp. Bonae. Rotar. Gregor. à S. Laurentio.

3. Unde spadones qui utroque teste carent, non possunt validè inire matri-

matrimonium: quiá quàmvis vas fœmineum penetrare queant, semen tamen verum mittere non valent (b), juxta communem sententiam Medicorum & S. Theologiæ DD. (b), nisi humorem quendam specie distinctum. Et inde est, quòd Sixtus V. apud Perez *hîc d.* 37. *sect.* 3. ad Nuntium Apostolicum Hispaniæ scribit sequentia: *Committimus Fraternitati tuæ & mandamus, ut conjugia per dictos & alios quoscumque eunuchos & spadones, utroque teste carentes, cum quibuslibet mulieribus, defectum prædictum sive ignorantibus sive scientibus contrahi prohibeas, eosq. ad matrimonia contrahenda inhabiles, authoritate nostra declares. Et tam locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant interdicas, quàm eos etiam qui sic defactò contraxerunt, separari juves, & matrimonia ipsa sic defactò contracta, nulla, irrita, & invalida esse decernas.* Ita habetur *Constitut.* 59.

(b) Bonæ Sp. Gregor. à S. Laur.

Spadonum matrimonia contrahēda nulla.

4. Ex his sequitur primò, spadones uno carentes testiculo, non esse inhabiles ad matrimonium; cùm valeant verum semen emittere, juxta Medicos (b).

5. Secundò, validum est cum tali muliere secundùm communissimam sententiam, quæ est impotens ad seminandum, aut virile semen susceptū retinendum. Ratio primi est: cùm fœmineum semen non sit necessarium. Ratio secundi est: cùm copula perfecta præcedat.

6. Tertiò, validum esse inter steriles, ob verum semen. Nec obest quòd non sit prolificum; cùm non ex eo dicatur copula perfecta quòd emittatur semen prolificum, sed ex emisso semine intra vas debitum, ùt omnes fatentur (b).

Inter steriles validum est matrimonium.

7. Quartò, validum est matrimonium contractum à sene decrepito, qui saltem aliqua arte juvari potest ad consummationem; secùs si omninò impotens (c).

8. Quintò, validum esse matrimonium in eò casu quô fœmina potest reddere debitum, sed nonnisi cum gravissimo sanitatis, vitæ periculo, dum credit fore quòd filii mortui ejus in lucem edantur. Ita sentiunt Rebel. *q.* 16. *sect.* 1. *n.* 1. & 10. Sanch. *lib.* 7. *d.* 92. & 102. quidquid dicant Rodriq. *c.* 235. *n.* 6. Filliuc. *n.* 65. & alii: cùm copula perfecta haberi possit; cùm non sit ad eam impotentia: matrimonium enim non in partu felici, sed in copula perfecta subsistit. Nec officit lepra, aut alia infirmitas contagiosa, ob datam rationem, & habetur *cap.* 2. *de Conjugibus leprosis.* Sanch. Filliuc. apud Bonacinam.

(c) Sanch. Navar. Rodr.

9. Dices cum Basilio Pontio *lib.* 7. *cap.* 55. 57. & 58. Spadones utroque testiculo carentes licèt sint ad generationem inepti, sunt tamen habiles ad matrimonium, in ordine ad castè in eo vivendum, prout dictum est in principio 2. *ser. hujus dist.* de casto matrimonio MARIÆ &

Animadversio.

Josephi; ergò spadones possunt validè contrahere matrimonium. *Resp.* ad matrimonium non sufficere castè in eo vivere, quia alioquin frater cũ fratre matrimoniũ contrahere posset, aut cum Matre; sed requiritur potentia generandi, juxta communissimam sententiam DD. (d).

Ad matrim. requiritur potentia generandi

10. *Quæcumque perpetua*: alia enim est impotentia ex parte fœminæ, alia ex parte viri. Et iterùm, alia est ab intrinseco seu ex vitio naturæ, alia ab extrinseco seu ex opera hominis, aut diaboli, sive ex maleficio. Ex parte fœminæ & ab intrinseco, est nimia constrictio ejus partium venerearum; ex parte viri & naturalis, quando est ejus naturæ vitium in ordine ad copulam. Item quando quis est nimis frigidus, seminare non potest, aut ita calidæ naturæ ut semper totum effundat semen, priusquam cum fœmina congrediatur (e). Uterque ultimus defectus communi nomine, in Jure Canonico (*de Frigiditate*) vocatur frigiditas.

Impotentia exdividitur & explicatur.

(e) Gregor. à S. Laurẽt.

11. Extrinseca ex maleficio impotentia est, quando quidem nec vitium naturæ viri est, nec fœmina est arcta, attamen vel ante congressum semen effunditur semper, vel sibi appropinquare non possunt, vel tempore coitus unus alterum horret subitò, & exosum habet: habetur enim aliquando à morbo, vel alia causa in his defectus.

12. Iterùm, utraque impotentia vel est temporalis, vel perpetua: temporalis est, quæ facilè licitè modò aliquò curari potest (f), aut arte medica absque periculo vitæ, & gravissimis doloribus, morbo, aut consuetis exorcismis tolli potest (g): patet ex declaratione perpetuæ impotentiæ, *inferiùs*. Talis impotentia dempta sola impotentiâ ætatis, non dirimit matrimonium, patet: tum quia nullo Jure probari potest: tum quia si contrahatur matrimonium ab infirmo proximo morti, qui numquam consummaturus est matrimonium, firmum est juxta communissimam sententiam: imò consulunt DD. ut Confessarii suadeant concubinariis contrahendum. Attamen sanus conscius suæ talis impotentiæ, si est diuturna, & eam non detegat, peccat mortaliter: quia in re gravi decipit, & periculo incontinentiæ conjugem exponit. Ita Sanch. & alii apud eum *loc. cit.*

(f) Laym. lib. 5. tr. 10. cap. 11. n. 5. & 3.

(g) Cõmuniter.

13. Si post annum 14. mas, & fœmina post 12. celebrato matrimoniô sint impotentes, expectanda est major ætas, v.g. 18. annorum in mare, in fœmina autem 14. annorum (e).

14. Harum impotentiarum non quæcumque dirimit, sed perpetua. Ita Doct. Resol. *in* 4. *d.* 34. circa finem, dicit: *scire debes, quòd frigiditas perpetua vel arctatio in muliere, præveniens matrimonium, illud dirimit, si probari potest;* adducens pro hoc *cap.* 1. quod incipit, *Ex litteris*, & *cap. Frigiditatis*. Sed non est opus magna probatione; cùm omnes his temporibũs admittant, quòd impotentia perpetua dirimat.

15.

15. Perpētua eſt, quæ nullô modô humanô licitô, aut absque periculo vitæ, aut graviſſimis doloribus, tolli poteſt (h): colligitur ex *cap. Litteris*, & *cap. Fraternitatis*, *de Frigidis & maleficis*. Unde invalidum eſt matrimonium inter Cajum & Bertam tam arctam, quòd à Cajo cognoſci nequeat, niſi aut fornicatione, aut inciſione cum periculo vitæ reddatur apta (h): ſic enim eſt perpetua impotentia. Quoad 1. juxta illud axioma Jurisperitorum, *illud non poſſumus quod Jure non poſſumus*: Jure autem id non poſſumus, quòd ſine peccato non poſſumus. Quoad 2. qùia talis inciſio eſt mulieri moraliter impoſſibilis. Quando aliter tolli non poteſt quàm cum periculo vitæ, agnoſcitur *cap. Fraternitatis*, impotentia perpetua, & admittitur à D. Reſol. *loc. cit.* Sanch. Bonac. Rotar. & aliis.

16. Quàmvis talis mulier teneatur pati inciſionem cum dolore parvo (i), ac morbo tali ad exigentiam mariti, ut vitet ejus incontinentias; non tenetur tamen cum doloribus magnis (k): à fortiori (i) ùt admittit & Bonac. non obligatur illam inciſionem pati cum dolore graviſſimo & infirmitate diuturna, maximè ſi ſubeſt periculum vitæ. Et quàmvis matrimonium ſit validum ſi abſit periculum vitæ in inciſione, non eſt tamen tale ſi ſubſit in ea.

17. Vel eſt abſoluta, hoc eſt reſpectu cujuscumque, ùt in fœmina ſi à nullo viro poteſt cognoſci, aut in viro ſi habeat tale vitium v.g. membrum aridum quòd nullam cognoſcere valeat; vel eſt reſpectiva, reſpectu unius non reſpectu alterius, ſic v.g. aliquando vir reſpectu virginis, non reſpectu corruptæ. Abſoluta dirimit cum quacumque perſona; reſpectiva cum tali, non cũ alia ad quam eſt aptitudo. Ita Doct. Reſol. Bonæ Sp. Bonac. Rotar. & alii communiter adducentes pro comprobatione *cap. Fraternitatis*, *in* 6. *de Frigidis*. Dices: Potentia reſpectiva aperit viam multis inconvenientiis. Diſtinguo: impotentia reſpectiva non perpetua, concedo; reſpectiva perpetua, nego.

18. Inde eſt, ſi quis eſt maleficiô impeditus in perpetuum ad copulam conjugalem cum Berta, poterit contrahere cum Catharina (l).

19. Addidi, *antecedens*: nam ſi impedimentum adveniat poſt celebrationem ſeu contractionem matrimonii, non impedit valorem ipſius (m); cùm jam contractum ſit validè, eò quòd tunc dum contrahebatur, non erat impedimentum. Unde ſi quis poſt contractionem matrimonii, eunuchus ſive ſpado utroque teſte carens efficiatur, licitè exercere poterit actus conjugales; nec uxor vivente eo cum alio contrahere valet. Ita docent Cajet. 2. 2. *q.* 154. *a.* 1. Navar. *c.* 22. *n.* 60. Gregor. à S. Laur. & alii communiter. Similiter dicendum ſi aliud impedimentum, non hoc,

(h) Bonæ Spei, Bonac. Lędeſm. Henriq. Rotar. & Petrus à S. Ioſeph.

(i) Bonæ Spei, Alar. Rotar. contra Tolet.

(k) Contra Bonac.

(l) Toleto, Rotar. & alii communiter.

(m) Communiter.

hoc, adveniat alicui; licitè poteſt exercere actus omnes, qui conjugibus conceduntur, modò non ſit periculum veræ pollutionis extra vas (n): imò & cum periculo effuſionis totius ſeminis extra vas, licitus eſt niſus ad copulam, quando eſt ſpes probabilis eam poſſe perfici. Ita ſentiunt Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. c. 11. Gobat *tr.* 9. *n.* 421.

(n) Gregor. à S. Laurent.

20. Quòd dirimat Jure Eccleſiaſtico, patet ex *cap. Quòd ſedem*, & aliis citatis *de Frigiditate*. Quòd inſuper Jure naturæ hoc præſtet, ratio probat: quia matrimonium eſt eſſentialiter traditio poteſtatis copulæ perfectæ, impotens verò perpetuò tradere poteſtatem copulæ perfectæ non poteſt; ergò Jure naturæ matrimonium validè contrahere non poteſt.

Caſus.

Pro intelligẽtia in occurrent. Cõfeſſario.

21. Titius cum Berta facto divortiô, eò quòd moratus cum ea per multos annos, eam cognoſcere propter ejus arctitudinem non potuit, duxit aliam uxorem; illa verò perpetuam continentiam ſe ſervaturam promiſit: tandem invenit talem qui feras hujusmodi reſervavit, & abjiciens continentiam quam promiſit, Domino N. nupſit; quid ad hæc? *Reſp.* Vel illa promiſit continentiam votô ſolemni? Tunc quia profeſſio ſolemnis dirimit matrimonium ratum non conſummatum, ùt legimus *ſuprà*, illa copula eſt ſacrilega, & matrimonium ſecundò contractum, nullum, redireque ad Religionem tenetur pro pœnitentia. Si verò continentiam promiſit ſimplici verbô? Tunc ſive artificiô Medici, ſive concubitu viri, ſeu alio quolibet modô ſeras ſuas fecit reſerari, matrimonium ſecundum cum Domino N. eſt invalidum, redire debet ad primum dicit Innoc. III. *cap. Fraternitatis*, eò *quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter Divinum miraculum per opus humanum, absq; corporali periculo potuit removeri: patet ex pòſt facto, quòd cognoſcibilis erat.* In Corp. Jur. Can. *de Frigidis p.* 216. Doct. Reſol. Bonæ Sp. *loc. cit.*

22. Dices: Impotentia dicitur hìc perpetua, quæ licitè tolli nequit, ſine periculo &c. ùt legimus *ſuprà*: iſta impotentia eſt ſublata fornicatione. *Reſp.* concedo totum, ſed nego quòd non poterat tolli licita copula maritali ſaltem diuturno uſu, aut alio modô: patet ex pòſt facto.

23. Continuatur caſus. Berta eſt reſtituta Titio, & Titius Bertæ, ſed illam cognoſcere nequit; quid faciendum cum eis? *Reſp.* Nec ipſi propria authoritate poſſunt ſeparari: declaratio enim nullitatis, ſemper debet fieri à Judice Eccleſiaſtico (o): tum ob periculum ſcandali; tum ob periculum errandi in tam re difficili. Et primò conſideranda ſunt ſequentia: ſi evidenter conſtet talis ad talem, eſſe impotentiam perpetuam, ſtatim à matrimoniali cognitione & aliis actibus, ùt ſunt

(o) Gobat. tr. 9. n. 429.

tactus,

tactus, oscula, abstinere debent; ùt si est extraordinaria improportio vasorum (p): quia sicut matrimonium propter impotentiam perpetuam inter tales personas est nullum, ita actus non sunt conjugales, sed fornicarii. Et tunc Judex Ecclesiasticus sententiam suam debet non differre, ut impediat pericula peccandi, & ipsa peccata; cùm nullum restet dubium de impotentia perpetua superandum, ad quod triennium conceditur. Si verò dubium perseverat de impotentia, conceditur ab Ecclesia *cap. Laudabilem*, 5. & *cap. final. de Frigidis*, ad experiendum tempus triennii. Si totô trienniô dubium perseveret, experientia durare debet: quia tunc dubium aliter superari non potest. Si trienniô transacto dubium restet, probabiliter judicatur quòd illa impotentia sit perpetua, juxta *cap. citat.* & communem sensum TT. Quare tunc descendere oportet Judicem ad ferendam sententiam; non aliter tamen, quàm ut priùs jurent vir & mulier, cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonæ famæ, juxta ordinationem per *cap. Laudabilem*: hoc est præter eos, septem consanguinei ex parte viri, & septem ex parte mulieris. Et si isti & tot haberi non possint, saltem tres omni exceptione majores quibus nota est vita & mores conjugum, jurare obligantur, quòd isti non possint fieri una caro (q). Ita colligitur ex *citat. capitibus*. Tempus verò computari debet à prima die intentæ copulæ perfectæ.

(p) Sanch. Pōc. Hurtado, Bonæ Spei.

(q) Doct. Resol. Sanch. Rotar.

24. Et si mulier post intentam copulam deprehendat impotentiam perpetuam, & intra bimestre non reclamat matrimonium, & interea vir dicat se matrimonium consummasse, tunc viro credendum; nisi mulier certis signîs viri impotentiam perpetuam ostendat. Econtra illa debet audiri si intra bimestre reclamat. Ita Bonæ Sp. *loc. cit.* In dubio, potiùs in favorem matrimonii judicandum, asserit Rotarius. Ex his facile casus solvitur.

An possit tãquam cum sorore manere.

25. Quæres, an præfatus Titius cum illa Berta possint manere ùti frater cum sorore, quandoquidem *cap. Consultationi tuæ*, Lucius III. sic ait: *Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus judicare, ut quas tamquam uxores non possunt, habeãt ùt sorores*. Et *cap. Laudabilem*, Cœlestinus III. *quòd si ambo consentiant simul esse, vir eam etsi non ùt uxorem, saltem habeat ùt sororem*. *Resp.* has authoritates intelligi debere de iis, quorum nec Sponsus cum alia, nec Sponsa cum alio contraxit matrimoniũ secundum; & si nec ille, nec illa vult esse parens per generationem, & periculum incontinentiæ abest, & econtra scandalum magnum & perturbationes sequuntur: non autem de talibus, quorum alteruter vult esse parens; à fortiori quorum unus habet alterius legitimam uxorem, & hæc alterius maritum legitimum, ùt est in proposito. Titius habet

habet uxorem aliam, cum qua legitimè & validè propter impotentiã perpetuam ad Bertam, contraxit matrimonium; & Berta habet alium legitimum maritum, cum quo validè celebravit illud, ex eo quòd erat nullum cum Titio: jam verò ſicut non licet alicui retinere alienam uxorem, & cum ea habitare tamquam cum uxore, impediendo vitã conjugalem cum alio exercendam; ita etiam non licet alicui mulieri retinere tali modô virum alienum.

26. Quando eſt dubium an impedimentum ex maleficio proveniens ſit ſubſequens, an antecedens matrimonium? *Reſp.* Judicandum ducũt alii cum Bonac. Rebel. & Sa, quòd ſit antecedens: econtra alii cum Sanch. Perez, Petr. à S. Joſeph, quòd ſit ſubſequens. Sed ſicuti veneficæ ſolent imponere ante nuptias, ita poſt, ante conſummationem talem, impedimentum. Magna ergò diligentia requiritur in examinando. Benignior tamen prima ſententia eſt: quia favet matrimonio & proli.

De ætate.

27. Ætas pubertatis Jure Eccleſiaſtico requiritur ex *cap. Continebatur*, & *cap. Atteſtationes*, & *cap. Ex litteris*, *de Deſponſatione impub.* Excipitur tamen caſus quô malitia ſupplet ætatem, juxta *cap. Continebatur*, & *cap. Tuæ nobis*, *de Deſponſat. impub.* Plura jam dixi *ſuprà*.

De hermaphrodito.

28. Utrùm valeat contrahere matrimonium? Videtur quòd non: nam illud matrimonium ex natura rei eſt invalidum, cujus debitum numquã reddi poteſt ſine effuſionis totius ſeminis periculo manifeſto; nam hoc impedimentum eſt impotentia: atqui hermaphroditus non poteſt reddere debitum, ſine periculo effuſionis ſeminis totius, ùt conſideranti patet; ergò matrimonium ejus ex natura rei nullum eſt. *Reſp.* & dico: prout ſexus prævalet, contrahere matrimonium poteſt: ſi prævalet muliebris, cum viro; ſi virilis, cum muliere valet, & tenetur ampliùs non aliter contrahere (r). Ratio eſt: quia talis ſexus ei magis appropriatur. Unde ſi celebret ſecundùm ſexum debiliorem, matrimonium non valet; quidquid dicant alii, ſi ſecundùm debiliorem ſexum valeat ad copulam: quia ſi fœmineus prævaleat ſexus, cenſetur fœmina; ſi prævalet maſculinus, marem ducere non poteſt.

De hermaphrodito notabilia.

(r) Bald9, Sãch. Filliuc.

29. Si verò uterque ſexus eſt in eo æqualis, quòd utroque æquè coire poſſit, eligere unum ſtatum tenetur, & jurare coram Judice Eccleſiaſtico, quòd numquam elegerit alium ſtatum. Ita Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 6. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. d.* 106. Navar. Sylv. & alii.

30. Judicare autem quiſnam ſexus prævaleat, ſpectat ad Medicum, aut

aut ad matronas peritas, quæ ex pudendarum partium inſpectione, judicium ferre debent. Ita Turrecrem. Sanch. Bonac.

31. Et quid ſi poſt mortem conjugis mutet ſtatum, & ſecundùm diverſum quàm antea contrahat? *Reſp.* tunc quidem matrimonium eſſe validum, cùm ſecundùm utrumque ſexum æquè valeat ad matrimonium; ſed mortaliter peccat (s): quia mutatio & fractio juramenti eſt in re valdè gravi. Nec poteſt Parochus ſcienter aſſiſtere hermaphrodito, niſi priùs juret coram Judice Eccleſiaſtico, ſe non mutaturum ſtatum, prout docent Majol. Sanch. Filliuc. & alii.

(s) Bonac.

32. Ad rationes *Rdet* Bonæ Sp. quòd non inſiſtendo ſolis rationibus, ſed ſiſtendo in authoritate (nam id decernitur *lege Quæritur*, *ff. de Statu hominũ*) validũ eſt matrimoniũ. Aliter tamẽ *Reſp.* & dico: Illud matrimonium ex natura rei eſt invalidum, cujus debitum numquam reddi poteſt ſine effuſione totius virilis ſeminis, ſi etiam numquam intra vas debitum recipi poteſt ſemen virile, concedo Aſſumptum; nego verò ſi recipiatur, prout ab hermaphrodito, aut in hermaphrodito contingit. Quòd autem contingat alterius ſexûs pollutio involuntaria, peccatum contra naturam non eſt.

33. Caſus eſt. Hermaphroditus utroque ſexu æquè potens ad coitum, talem hermaphroditam duxit in uxorem; quæritur an validum ſit eorum matrimonium? *Reſp.* Quàmvis ille ſi ſciret talem eſſe, deberet ſub peccato mortali cavere contrahendum cum ea matrimonium, ob periculum exercendi diverſos contra electionem juratam actus; tamen ſi contraheret, ſive ex ignorantia ſive ex malitia, valeret eorum matrimonium: tum quia nulli Juri adverſaretur, ùt docet Berteau: tum quia licet ſi uterque æquè ſit vir ſicut fœmina, tamen ex electione jurata, ille eſt vir, hic fœmina. Quapropter quoties ille quà fœmina, iſte quà vir copulam maritalem exerceret contra juratam illam electionem, toties mortaliter contra juramentum præſtitum peccaret.

Caſus.

§. XI.

De clandeſtinitate, raptuque.

I. PRæmitto, quòd raptus juxta deciſionem Gelaſii Pap. *cap. Lex illa præteritorum* (a), ſit, *cùm puella violenter à domo Patris abducitur, ut corrupta in uxorem habeatur, ſive puellæ ſolummodo, ſive Parentibus tantùm, ſive utriſque vis illata conſtiterit.* In Corp. Jur. Can. *de Raptu p.* 445. Hoc præmiſſo

Raptus.

(a) Gratian.

2. Dico: Raptus, qui eſt abductio mulieris invitæ de domo Parentis, aut Tutoris, causâ matrimonii incundi, inter raptorem & raptã ſub

Declaratio & explicatio ejus.

ſub poteſtate raptoris exiſtentem, dirimit matrimonium, etiamſi illa conſentiat ſub ea poteſtate ejus exiſtens. Ita colligitur ex *cap. Lex illa*, & Trident. *ſeſſ.* 24. *de Matrim. c.* 6. ubi taliter: *decrevit Sancta Synodus, inter raptorem & raptam quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominùs raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo Jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit ſive non duxerit, decenter arbitriô Judicis dotare.* Neque hæc dicta contrariantur *ſuprà* dictis *ſer.* 5. *ſect.* 1. *n.* 8. quia dicta ſunt juxta Jura antiqua quæ jam per deſuetudinem ceſsârunt; hæc juxta Jus novum Tridentini, quod obſervatur.

3. Explicatur & probatur. Dico, *mulieris*: tum ut intimetur locum Trident. intelligi de quacumque ſive illa ſit virgo ſive corrupta, ſoluta ſive ſponſata; cùm non dicat, *inter puellam*, ſed *inter raptam*, cujus nomine intelligitur omnis enumerata mulier: tum quia ſi mulier adoleſcentem rapiat, valet matrimonium inter illam raptricem & raptum, ſi cætera non deſint (b); quidquid dicat Bonac. Ratio eſt contra eum: quia in odioſis, fœmina ſub maſculino non continetur, & Concil. Trident. meminit ſolius raptoris; ergò ſi fœmina rapiat juvenem valet matrimonium, quàmvis exiſtens ſub poteſtate ejus contrahat, dummodo cætera obſervanda non deſint.

(b) Petrus à S. Ioſeph, Sáchez, Leſſius, Speculũ.

4. *Invitæ*: nam ſi illa rapi velit, aut precibûs convicta ſpontè in raptum conſenſit, raptus non eſt (c): ubi enim abductio violenta non eſt, raptus locum non habet; conſequenter pœnæ pro raptu latæ non incurruntur. Secùs ſi nolit, etiamſi ſit raptori deſponſata.

(c) Sanchez, Bonacina.

5. *De domo Parentis aut Tutoris abducta*: nam ſi de hypocauſto ad hypocauſtum, pœnæ Tridentini non incurruntur, nec matrimonium contrahendũ dirimitur. Et addidi *aut Tutoris*: quia Tutor nomine Parentis in multis venit.

6. *Causâ matrimonii ineundi*: nam quàmvis raptus mulieris ad explendam libidinem in ordine ad contrahendum matrimonium, ſit raptus de quo *hîc*, dirimatque matrimonium cum illa contrahendum, & trahat poſt ſe pœnas latas contra raptores (d); non tamen ſi eſt præcisè ad explendam libidinem, ſecluſa intentione contrahendi matrimonium (e). Ita colligitur ex præmiſſo *cap. Lex illa*. Ex quo loco videtur ſequi, quòd ille qui mulierem rapit non propter explendam libidinem, ſed ut honeſtè eam ducat in uxorem, non committat raptum de quo *hîc*, adeoque & vali-

(d) In hoc omnes conveniunt.

(e) S. Thõ. 2.2.q.154.a.7.ad3. Bonæ Sp. Petr. à S. Ioſ. Dian. Sãch. cõtra Bonac. & alios.

& validè matrimonium contrahit cum ea, existente sub suâ potestate, si adsit sufficiens ex parte libertatis consensus ejus, & pœnas latas contra raptores non incurrit. Adstipulatur meæ Resolutioni Bonæ Sp. de raptu sequentia dicens: *notandum, quòd specifica malitia raptus in eo consistit, quòd ad libidinem implendam talis violentia inferatur.* Trident. loquitur de raptu strictè tali, non de latè tali. Nec constat de declaratione sacræ Congregationis, quòd sit, secluso ordine ad matrimonium. A fortiori non committitur raptus de quo *hîc*, si ad alium finem rapiatur mulier, v.g. ad servitium aut plagium.

7. *Inter raptorem & raptam:* nam quia si quis rapiat illam ex intentione ut alius eam in uxorem habeat, si rapta consentiat in matrimonium ejus, valet matrimonium, nec pœnas dictas talis raptus contrahenti illi adfert, dummodo contrahens non sit causa raptûs per se aut per alios quocumque modo cooperans. Secùs esset si ad mandatum ejus esset rapta, tunc enim communi judiciô verus raptor censeretur (f): quia licèt non physicè, tamen moraliter concurrisset ad raptum.

8. *Sub potestate raptoris:* nam addit Trident. *loc.cit.quòd si rapta, à raptore separata, & in loco tuto & libero cõstituta, illũ in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.*

9. Quid si ipsa, in loco tuto existens consentiat, Parens contradicat? *Resp.* in tali casu matrimonium probabiliùs valere (g): quia licetsi in præmisso *cap. Lex illa*, hæc habeantur: *sive Parentibus tantùm vis illata constiterit*, est raptus strictè de quo *hîc*; Trident. tamen correctivum Juris antiqui, sine mentione Parentis dicit, *quòd si rapta* &c. *in loco tuto* &c. *illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.* Sequitur ergò in tali casu matrimonium valere, etiamsi incurrantur pœnæ. Et ratio esse potest: quia per Decretum Concil. Tridẽt. consulitur non libertati Parentum, sed contrahentium.

(f) Petrus à S. Ioseph.

(g) Bonæ Sp. Rotar. Elliseus à S. Ioã. Bapt. Oppositũ Bonac. Petr. à S. Ios.

De pœnis raptorum.

10. Pœnæ à Trident. statutæ jam sunt numeratæ *num.* 2. Quibus addo, declarandos esse & posse perpetuò infames, & dignitatum omnium incapaces; & si Clerici sint, à proprio gradu dejiciendos: non verò ipsô factô absque declaratione, esse tales (h): quia etsi in citato Trident. ponatur ly *ipso Jure* tales, non additur tamen, *absq; alia declaratione.*

11. Præter has pœnas, in Jur. Can. *cap. præmisso*, sic habetur: *sive puellæ solummodo, sive Parentibus tantùm, sive utrisque vis illata constiterit, hic morte mulctetur. Sed si ad Ecclesiam cum rapta confugerit, privilegiô Ecclesiæ, mortis impunitatẽ promeretur.* In Corp. Juris Cã. *part.* 2. *caus.* 35. *p.* 445.

(h) Petr. à S. Ioseph, contra Bonac. Rotar. & alios.

12. Et

12. Et Jure Civili *L. un. cod. de Raptu*, ſtatuitur ſupplicium capitis, tum raptori, tum iis qui ipſi auxiliò fuerunt, & bona illorum addicuntur mulieri raptæ. Item quòd deprehenſus in hoc crimine, poteſt à conjunctis perſonis & à Tutoribus vel Curatoribus raptæ, impunè interfici, ſpectato forô Civili. Nec obeſt quòd rapta ſit ſerva. De hoc videndi ſunt Julius Clarus §. *Raptus*, Azor. 3. *p. lib.* 3. *c.* 15. Card. Tuſcus *tom.* 7. *concl.* 710. *n.* 5. & *tom.* 6. *verb. Raptor, concl.* 6.

SERIES VI.

De revalidatione invalidi matrimonii, ac diſpenſatione in impedimentis dirimentibus.

SECTIO I.

Quot modîs matrimonium fiat invalidum, & quomodo revalidetur?

I. AD 1. *Reſp.* & dico: matrimonium invalidum eſt, aut defectu præſentiæ Parochi & Teſtium (de his jam dixi dicendo *de Præſentia Parochi*), aut eſt invalidum defectu conſensûs, ùt ſi ambo Sponſi vel alter eorum promiſit fictè vel cum metu gravi, aut ob dirimens impedimentum, ſive ſit notum ſive occultum. De his duobus poſterioribus nunc.

(a) Bonac. Sâcr. Petrus à S. Ioſeph. Stephanus cōtra Filliuc.

Ad revalidationē requiritur novus conſenſus.

2. Dico 2. Si alter fictè conſenſerit, ſufficere ut ille ſolus ex animo præbeat conſenſum (a): quia alterius non deeſt, ſed perſeverat conſenſus. Utrùm verò debeat illum conſenſum aliquô ſignô comparti declarare? Controvertunt DD. Negant Bonac. Sanchez. Ratio illorum eſt: quia ſignum externum non defuit; ergò ſicut alia quæ adhibita ſunt, non ponenda, illud poni non debet. Affirmant autem Fulienſis & alii. Ratio eſt: quia ſignum veri conſensûs non fuit; cùm nec ille conſenſus fuerit verus, nec ſignum futuri eſſe potuit: declarandum enim præcedit declarationem, & ſignum ſpeculativum ſequitur ſignatum, nō econtra. Unde oportet ut novo ſignô veritatem novi conſensûs declaret, quod eſt ſaltem tutius, ſi non probabilius. Tutius etiam eſt ut uterque de novo conſentiat, niſi probabiliter timeatur, ne alter velit reſilire à contractu, aut ſumat occaſionem, talem odiô habendi (b). Si neuter verè conſenſit, uterque de novo præbere debet conſenſum, ſignô aliquô externô declarando: in quo conveniunt omnes.

(b) Petrus à S. Ioſeph.

3. Dico 3. Si invalidum fuit matrimonium propter impedimentum dirimens,

dirimens, illô ſublatô tenetur uterque novum conſenſum præbere, ſignô aliquô declarando. Ita declaravit Clemens III. teſte Dian. & cõmuniter à DD. admittitur. Ratio eſt: quia ex parte utriuſque conſenſus erat per impedimentum irritus. Et ſi alteruter tantùm id impedimentum ſciat, non eſt opus ut alteri revelet, ſed cautè compartem ad novum conſenſum inducat: v.g. dicendo opportunè, *mene ita diligis, ut ſi nullum inter nos eſſet matrimonium, de novo me acciperes in ſuam, & accipis?* & eo ita conſentiente, mulier conſentiat & dicat, *ego viciſſim tibi nuberem, & nubo.* Non ſufficit autem ſi dicat, *vellem tecum contrahere:* quia ſic non eſſet voluntas, ſed eſſet ponenda; requiritur enim ut actu intendat & dicat, *accipio te*, vel *duco te*, vel *contrabo tecum.*

Utriusq; ſi impedimẽtum erat dirimens.

(c) Bonae. Rotar. Homob. Petrus à S. Ioſeph.

4. Non eſt tamen opus ſublato impedimentô, ut coram Parocho & Teſtibus de novo ſibi invicem promittant (c). Ita declaravit Pius V. niſi foret publicum ut de validitate exhibere teſtimonium valeant. Eſt pro hoc deciſio Clementis VIII. quam adfert Homobonus *tract.* 13. *cap.* 10. *aſſert.* 2.

Non tamen coram Parocho niſi erat publicũ impedimentũ.

SECTIO II.

Quis, & quomodo in impedimentis dirimentibus matrimonium diſpenſare valeat?

I. ANte Reſolutionem præmitto, tria eſſe impedimenta matrimonium Jure naturæ dirimentia: errorem perſonæ, impotentiam perpetuam, conſanguineitatem in gradu primo aſcendentium & deſcendentium. Hoc præmiſſo

2. Dico 1. Nulla ſubſiſtente cauſa juſta diſpenſandi, Summus Pontifex non ſolùm in impedimentis impedientibus, ſed & dirimentibus Jure Eccleſiaſtico inductis, validè (a), & licitè (b), dum diſpenſatio non cedit in præjudicium tertii, diſpenſare poteſt.

(a) Omnes.
(b) Bonæ Sp. contra alios.

3. Explicatur. Poteſt *validè;* cùm Legislator ſicut abrogare legem, ita in ea diſpenſare valet. *Licitè:* poteſt enim licitè uni gratiam in communitate præſtare, & non alteri. Sed de hoc plura ibi, ubi ex profeſſo de diſpenſatione. Addidi, *dum diſpenſatio non cedit in præjudicium tertii;* cùm illud ſit illicitum.

4. *Jure Eccleſiaſtico inductis;* cùm ſit ſupremus Legislator totius Juris Eccleſiaſtici. In impedimentis verò Jure naturali inductis, non poteſt, ùt omnes communiter DD. admittunt; ſic in tribus præmiſſis diſpenſare nequit: non enim valet ex non conſenſu, facere conſensũ; ex impo-

In quibus Papa diſpẽſare poteſt.

ex impotente naturaliter, potentem naturaliter; ex naturaliter verecundis, inverecundos. In inductis Jure Divino dispensare potest, ex speciali concessione Dei, ùt vidimus *suprà, de Matrimonio rato.*

Nuntius.

5. Nuntius absque omni justa causa validè dispensare non potest: quia aliter nequit dispensare, quàm secundùm potestatem sibi datam: atqui ipsi data est potestas ut propter justam causam dispenset; ergò seclusa omni justa causa validè dispensare non potest.

Ordinariu loci.

6. Dico 2. Quàmvis Ordinarius Jure ordinario nequeat dispensare in impedimentis dirimentibus (a), quia inferior in lege superioris ordinariè dispensare nequit, juxta *cap. Inferior, d.* 21. & Clementinam, *Ne Romani, de Electïon.* potest tamen ex tacita concessione Papali, in foro cōscientiæ (c) in eis dispensare, post jam contractum matrimonium, concurrentibus sequentibus conditionibûs. 1. Quòd sit gravissima necessitas: quæ censetur esse, quando conjuges non possunt absque gravi infamia & scandalo separari, donec Papa aut ab eo delegatus dispenset (d), si non separati versentur in periculo incontinentiæ. 2. Si recurri ad Papam aut ejus delegatum sive Nuntium, ob nimiam paupertatem conjugum, aut distantiam, nec aliô modô facilè potest obtineri dispensatio (e). 3. Si impedimentum sit occultum (tribus aut quatuor notum, non majori parti viciniæ), & matrimonium publicum (f). 4. Si matrimonium sit bona fide contractum. His concurrentibus circumstantiîs & conditionibûs, potest Ordinarius loci cum talibus ex tacita concessione Papali dispensare: nam novit Summus Pontifex à plerisque Theologis hanc sententiam doceri, & ab Episcopis practicari; contrarium tamē non declarat.

(c) de Rhod.

(d) Sanch. Pōc. Bonæ Sp.

(e) Bonæ Sp. Sanch. Gregor. à S. Laurē.

(f) Bonæ Sp. de Rhodes, Petrus à S. Jos.

7. Addidi, *bona fide*: nam qui contraxerunt in gradu prohibito scienter, v.g. quòd sit consanguinea illius personæ antea cognitæ, à fortiori quòd affinitas talis dirimat matrimonium, vel ignoranter quidem, sed non præmissis denuntiationibûs, de his in Trident. *sess.* 24. *cap.* 5. decernitur, ut separentur, & spe dispensationis careant (g).

8. Dico 3. Potest etiam ante contractum matrimonium dispensare Ordinarius loci, quando non potest differri matrimonium sine gravi scandalo, infamia, aut prolium legitimandarum præjudicio (h): quia urgente necessitate, Episcopum dispensare posse in lege Pontificis aut Concilii, docent multi (i).

(g) Vide hîc ser. 3. sect. 4. n. 2.

(h) Bonæ Sp. Ponc. Salas.

(i) Sanch. Bonac. Poncius.

9. Dico 4. Potest insuper dispensare, quando post contractum matrimonium supervenit affinitas, aut spiritualis cognationis impedimentum, de quibus dixi *suprà*, præcipuè de patrinis baptizati & confirmati; idque sive sit difficilis sive facilis ad Summum Pontificem recursus: quia jam contraria invaluit consuetudo: quapropter non reclamatione habetur ejus approbatio (h).

10. Ad-

10. Addidi in Resolutione secunda, *in dirimentibus*: nam extra dubium est apud Authores, quòd possit Episcopus dispensare in impedimentis solùm impedientibus. Addunt, dempto votô Religionis & castitatis; alii quando recursus est difficilis ad Papam (k); alii simpliciter admittunt eum posse dispensare (l). Ego distinctè taliter dicam, quòd possit Ordinarius loci dispensare, quando non est votum perfectæ castitatis, quando videlicet non est perpetuæ; vel est perpetuæ quidem, sed non integræ, quia non est de fugienda omni impuritate, tam intra quàm extra matrimonium; vel integræ quidem, sed non absolutè, verùm conditionatè promissæ (m). Idem dicendum de voto ingrediendi Religionẽ. Similiter dicendum, quando vota sunt dubia, vel certa quidem emissa ex metu injusto; gravi vel levi. Item dispensare potest in voto castitatis, quando quis obstrictus votô simplici, versatur in continuo periculo fornicationis, nisi ducat uxorem; vel puellam imprægnavit, quam ducere vellet antequam infamaretur. Ita Gregorius à S. Laurent. & alii.

(k) Sylv.

(l) Armil.

(m) Sanch. Gobat.

Quis præter Episcopum.

11. Quis præter Episcopum in dirimentibus dispensare queat? *Resp.* Legatus Apostolicus, seu Legatus à latere, urgente causa dispensare potest, cùm ei ad hoc respectivè concedatur à sede Apostolica potestas. In absentia verò ejus, permittitur in ea ut ab Episcopo dispensetur, ùt dictum est *suprà*.

12. Vicarius autem Generalis non potest in dictis etiam solùm impedientibus dispensare, nisi Episcopus specialem concedat facultatem; quod fit tunc quando dicit ei, *do tibi in mea absentia omnem potestatem, quam tamquam delegatus sedis Apostolicæ habeo.* De Capitulo sede vacante idem dicit Gobat, quod de Episcopo.

13. Regulares Confessarii non possunt dispensare ante aut post contractum matrimonium, illud reddendo validum; cùm id nullo Jure potest ostendi. Possunt tamen ad petendum debitum dispensare, si post contractionem matrimonii conjux habuerit copulam cum consanguinea suæ consortis, aut econtra; non aliter tamen quàm cum facultate suorum Superiorum, servatis servandîs, de quibus dixi *de Sacramento pœnitentiæ ser. 5. n. 15. & 16.*

Dum impedimentũ obest, modus adest.

14. Sanch. *lib. 2. d.* 40. cum aliis proponunt Confessario modum, ut impeditus impedimento dirimente, voveat castitatem ad tale tempus, intra quòd obtinere potest dispensationem, dicatque consanguineis se esse obstrictum votô, & jussum à Confessario ut abstineat à matrimonio, subticendo quòd sit ad tempus, ne audientes asserant sufficere dispensationem ab Episcopo obtinendam esse, & sic remedium eludatur. Aliud remedium dixi *suprà sub præsenti dist. ser. 3. sect. 3. num. 12.* Si casus

contingat Confessario in confessione immediatè ante contractionem matrimonii, doctus & prudens facilè eum solvere potest ex *num.* 6. 8. & 14. *hîc.*

SERIES VII.

De obligatione, & potestate conjugum.

SECTIO I.

§. I.

An & quæ sit obligatio petendi debitum?

1. RESP. & dico: Seclusâ certa notitiâ nullitatis matrimonii, & seclusa dubitatione de validitate ejus, conjux absolutè seu ordinariè loquendo, non tenetur petere debitum, sed potest petere vel non petere; ex accidenti verò, sicut in aliis circumstantiis obligatur non petere, ita in aliis tenetur petere.

2. Explicatur & probatur. Dixi, *seclusâ certa notitiâ*: nam qui certò scit matrimonium esse nullum, petere debitum nequit, quocumque imminente incommodo: colligitur ex *cap. Inquisitioni*, & *cap. Dominus*, *de Secundis nuptiis* (a). Vide §. *sequ. num.* 41.

3. *Stante dubitatione*: quia vel ea stante de aliquo impedimento, mala fide contraxit? Petere non potest, donec certò cognoscat, aut probabiliter opinetur nullum subesse impedimentum (b): quia sub tali dubio contrahens matrimonium, nullum jus petendi acquisivit; cùm possessio mala fide incepta, nulli tribuat jus, ùt patet ex *Tract. de Cōtractibus.* Vel bona fide contraxit, sed postea dubitat de valore? Nequit petere, antequam debitam diligentiam adhibuerit de occurrente impedimento &c. (c): tum quia ageret contra conscientiam; tum quia exponeret se periculo fornicationis: quia potest esse quòd in rei veritate matrimonium sit nullum. Secùs adhibita debita diligentiâ (d): tunc enim esset ignorantia invincibilis, quæ superari non potest. Hanc sententiam tenent Sot. 4. *de Justitia, q.* 5. *a. ult.* Reginald. *n.* 299. Rodriq. *c.* 243. *n.* 4. Valent. *tom.* 4. *d.* 10. *q.* 6. *punct.* 2. Sanch. *lib.* 2. *d.* 41. *n.* 46. contra Rebel. Ledesm. & alios asserentes posse reddere, non verò petere.

4. Et si post bona fide contractum matrimonium, alicui conjugum adsit

(a) Bonac. Speculum, Sanchez.

(b) Bonac. Sanch. Navar. Sylvester.

(c) Bonac. Ledesm. Sāch. Reginaldus.

(d) Vide hîc ser. 5. sect. 2. §. 4. num. 13.

adsit scrupulus tantùm, tenetur ad mandatum sui Pastoris aut Confessarii periti & timorati, scrupulum illum deponere.

5. *Ordinarie* non tenetur, *cap. Apostolicam, de Regularibus*, & *cap. Si de terra*, *de Privilegiis* (e). Ratio est: quia nemo tenetur uti jure suo, quod pro se tantùm introductum est; quale est jus matrimoniale: unde potest petere vel non petere, prout ipsi placet.

(e) Bonæ Spei.

6. Casus in quibus obligatur conjux non petere debitum. Primus est, si post contractum matrimonium, contraxerit cum altero conjuge affinitatem per copulam, habitam cum ejus consanguinea. Vide *d.* 5. *sect.* 2. §. 2. *n.* 5. & 6.

7. Quoad cognationem quidquid alii dicant, dicendum in sententia Doct. Resol. quòd etiamsi ex malitia conjux baptizet suum filium, aut patrinum agat quomodocumque, non privatur jure petendi: quod sufficienter monstravi *de Patrinis baptizati ser.* 5. *sect.* 1. *n.* 9. 10. & 11. Quibus addo ex Concil. Cabilonensi 2. *cap. Dictum est* (f), ubi: *dictum est nobis, quasdam fœminas desidiosè, quasdam verò fraudulenter, ut à viris suis separentur proprios filios coram Episcopis ad confirmandum tenuisse. Unde nos dignum duximus, ut si quæ mulier filium suum desidiâ aut fraude aliqua coram Episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam aut propter fraudem, quamdiu vivet, agat pœnitentiam, à viro tamen suo non separetur.*

Quoad cognationem.

(f) Burchard. lib. 17. cap. 23. Ivo p. 9. c. 81. Panorm. lib. 7. cap. 63.

8. Casus secundus est, si ante matrimonium, vel post matrimonium fecerit votum simplex; petere debitum non potest, donec cum ipso dispensatum fuerit. Ita communiter DD. Attamen nota ex Gobat, Sãch. & Rotario, quòd maritus istis duobus casibûs prohibitus, possit aliquando se insinuare uxori, & offerre ad usum conjugalem, petereque debitum; non in gratiam sui, volendo nimirùm suo appetitui satisfacere: sic enim est peccatum mortale; sed gratiâ uxori placendi, quando eam advertit aut fundatè judicat, quòd libenter acceptaret, sed ob ruborem petere non audet: quia ùt ex S. Thoma notat Rotarius, & Bonæ Spei asserit, tali modo petere, est potiùs reddere, ad quod obligatur. Quare petere non potest, si uxor non est verecunda, sed confidenter saltem per signa petit, dum exigit. Vide §. 2. *n.* 2. & 3.

Votô adstrictus.

Quando potest petere debitum.

9. Casus tertius est adulterium, sive uterque sive alteruter, etiamsi de consensu compartis sit talis; privatur per tale crimen jure petendi (g): nam Jus relinquit potestatem petendi tantùm innocenti conjugi.

(g) Bonac. de Affin. Greg. à S. Laurẽt.

10. Utrùm autem requiratur, ut crimen sit notum conjugi, non conveniunt DD. Sotꝰ *in* 4. *d.* 36. *q. unic. a.* 4. Sanch. *lib.* 1. *d.* 68. *num.* 4. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 15. *n.* 6. Petrus Ledesm. Bonac. *loc. cit.* dicunt, quòd si occultus fuerit incestus, adulter petere potest debitum. Ratio eorũ est: quia privatio juris petendi, est pœna; pœna autem non est imponenda

An debeat esse notꝰ alteri conjugi incestus?

nenda

nenda ante ſententiam Judicis, aut alterius conjugis. Econtra Navar. *cap.* 23. *n.* 23. Rebel. *lib.* 2. *q.* 17. *n.* 3. Rodriq. 1. *part. cap.* 243. Petrus à S. Joſeph aſſerunt, quòd ſive ſit dictus inceſtus manifeſtus, ſive occultus conjugi, petere licitè non poteſt debitum: quia conſuetudine eſt receptum, quòd cum eis diſpenſetur in inceſtu, qui nec per ſententiam ſunt declarati tales, nec noti in hoc crimine conſortibus ſuis. Hæc ſententia placuit Ambroſio Cath. *lib.* 5. contra Cajet. Illa ſententia, ab illis (h); hæc, ab his (i) Doctoribus dicitur probabilior.

(h) Tolet. lib. 7. cap. 24.

(i) Gregor. à S. Laurentio.

11. Caſus quartus eſt, quando ſunt in loco ſacro, niſi ſit ibi diuturna commoratio (i), & periculum incontinentiæ urgeat.

12. Caſus quintus eſt, quando uxor eſt amens; maritus mentis compos, non poteſt abſque peccato mortali ab illa petere debitum, ob probabiliſſimum periculum, ne illa inſaniæ furore correpta, fœtum in utero necet. Econtra à marito amente, poteſt uxor licitè petere debitum; cùm ex parte ejus, non ſit tale periculum.

13. Caſus ſextus eſt, quando uxor laborat menſtruîs naturatibus, ſingulis menſibûs occurrentibus. Sed plus quàm veniale non eſt marito, tūc petere debitū; quàmvis cōjuges arbitrētur fore ut mōſtrū gignatur. Ita Sāch. & alii cōtra Bonac. Ratio eſt P. Bonæ Sp. quia meliùs eſt proli taliter naſci, quàm non naſci. Nec veniale autem eſt petere, dum adhuc durat immundities ex partu. Item petere tempore menſtrui innaturalis, ſeu quādo fluxus menſtruorum eſt innaturalis & continuus, non eſt etiam veniale peccatum; maximè ſi eſt periculum incontinentiæ (h). Item ſi maritus petat debitum, quando ipſe patitur fluxum ſeminis, nullô modô peccat.

Fluxus ſeminis in ſeniculis.

14. Occaſione hujus nota, in ſeniculis nullum eſſe peccatum, fluxum ſeminis; cùm ipſis involuntarius ſit, & ſine ulla delectatione: in hoc enim differt à pollutione, quod pollutio fiat cum commotione membri, & ſumma delectatione (e); fluxus verò dictus, abſque.

Quando eſt periculū abortûs.

15. Caſus ſeptimus eſt, quando in uxore gravida eſt periculum veriſimile abortûs: eô ſeclusô non eſt illicitum accedere ad uxorem, cùm nulla ſit prohibitio, alioqui non rarò, ferè continuò, eſſet obligatio abſtinendi à petitione debiti (k), cùm multæ mulieres ſint ferè continuò gravidæ.

(k) Bonæ Sp. Bonac. Sāch. loc. cit. contra nō paucos.

16. Quæres quandonam ſit periculum abortus? *Rdet* Bonac. *de Matrim. q.* 4. *punct.* 6. *prop.* 2. *n.* 12. quòd ſit, 1. Tempore coagulationis & formationis, ac animationis. 2. Proximè ante partum (l): tunc enim eſt periculum, ne fœtus ob ſeminis abundantiam ſuffocetur.

(l) Sanch. Reginald. & alii.

17. Quando autem formetur ſive animetur fœtus? *Rdet* idem Bonac. quòd animetur maſculus die 40. fœmina 80. quòd colligit ex Ariſtot.

lib.

lib. 5. *Animal. c.* 3. & 9. ex Navar. *cap.* 15. *n.* 14. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 15. *n.* 6. & aliis multis. Probabiliùs tamen afferit quòd tunc animetur, quãdo eft formatus; formatio autem juxta Hippocrat. *lib. de Natura fœtûs*, in maribus abfolvitur aliquando die 30. aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. Fœminalis autem aliquando 35. aliquando 40. aliquando pofteriùs usque ad 50. prout calidior vel minùs calida eft mulier. Ita Azor. 3. *part. lib.* 2. *cap.* 4. Armilla, Sylv. & alii.

18. Et fi quæras, utrùm vir in tali cafu incurrat irregularitatem, fi fit caufa abortûs per fuam copulam? *Refp.* quòd fic, fi eft caufa abortûs fœtûs animati. Ita Lezan. *verb. Abortus*, *n.* 16. Bonac. *de Cenfur. d.* 7. *q.* 4. *punct.* 7. *n.* 22.

19. Cafus in quibus conjux tenetur petere debitum. 1. Tenetur ex charitate, quando alter defiderat, & præ verecundia non audet. 2. Ex charitate & juftitia, quando in fe aut altero advertit effe periculum incontinentiæ. 3. Si bonum commune id exigat, ut pro Rege aut Principe &c. relinquatur fucceffor; lites, bella avertantur: charitas enim exigit ut incommoda vitentnr, dum facilè poffunt.

20. Qui fcienter contraxit matrimonium cum eo qui vovit ingreffum Religionis, aut votum caftitatis, poffitne licitè à tali petere debitum? *Refp.* ad 1. affirmativè (m); ad 2. negativè (n). Authoritatem & rationes pro his vide *fér.* 5. *de Impedimentis*, *fect.* 1. *n.* 5.

(m) Omnes. Octav. n. 29. pag. 100.

(n) Doct. Refol. cõtra Octav. n. 288. pag. 99. Dian. & alios.

21. An conjux non excommunicatus ab excommunicato poffit licitè petere debitum? *Refp.* affirmativè: quia excommunicatio non tollit ufum & officia matrimonii, per fe loquendo.

§. II.

Quandonam, & qualis fit obligatio reddendi debitum?

1. RESP. & dico: Conjux ordinariè loquendo tenetur reddere debitum; per accidens autem, in aliis circumftantiis non tenetur reddere, fed poteft reddere vel non reddere, in aliis tenetur non reddere.

2. Explicatur & probatur. *Ordinariè loquendo*: nam ordinariè tenetur quisque alteri reddere quod fuum eft; fic etiam in propofito: quia Apoftolus 1. *Corinth.* 7. dicit: *uxori vir debitum reddat, fimiliter autem & uxor viro: quoniam mulier fui corporis poteftatem non habet, fed vir; & vir fui corporis poteftatem non habet, fed mulier.*

3. Et five petat explicitè five tacitè (a), fcilicet quando agnofcitur habere voluntatem, fed propter verecundiam non petit: nam taciti & expreffi

(a) Bonac. & alii commun.

expreſſi eadem eſt ràtio. Quare conſiderandum, quisnam ipſorum eſt verecundus; cùm verecundus (prout ſunt communiùs mulieres), non obligetur inverecundo reddere, niſi expreſsè petat (b).

4. Et quidem juxta omnium TT. ſenſum obligatur ſub mortali reddere, non tantùm in eo caſu quô eſt cauſa quòd compars fornicetur, ſed etiam quando nullum eſt periculum hujus, aut alterius mali; modò conjux videatur petere ſeriò, inſtanter, & rationabiliter, & non adſit aliqua notabilis cauſa excuſans à redditione (c): tunc enim ex tali cauſa accidente, non tenetur reddere, aut tenetur non reddere, prout caſus *infrà* clarificabunt. Sic ergò ſi non petat ſeriò, tamquam debitum, intendens obligare alterum ad reddendum debitum, ſed benevolè, amicè & remiſsè tantùm, non peccat alter tunc non reddendo (d); dummodo non ſit periculum incontinentiæ: imò plerumque nec veniàliter, ùt notat Sanch. *Inſtanter*, dixi: alioqui ſi frigidè petat, non inſtando, ita quòd rogatus facilè acquieſcat, excuſant eum ab obligatione & peccato, Bonac. Bonæ Sp. & alii cōmuniter. Et nō gratis addidi, *rationabiliter* (e): nā ſi irrationabiliter petat, alter rationabiliter negare poteſt: ſic v.g. quando nimis frequenter petitur. Ita communiter DD. In quo autem iſta nimietas conſiſtat, non definitur à DD. quandoquidem à circumſtantiis pendet; cùm apud multos, tales actus frequentes, pro non frequentibus acceptentur: econtra apud alios non paucos, non adeò frequentes, pro valdè frequentibus habentur, propter debilitatem ætatis, virium corporis deficientiam, aut peculiarem moleſtiam quam adfert mariti petulantia, fœtor oris ex pridiana & ferè quotidiana crapula, aut putredine pulmonum, quem etiam non paucæ mulieres intolerabilem exhalant. Generatim tamen Gobat nimis frequentem ait petitionem eſſe, ſi maritus non eſt contentus redditione nocturna, diurnam quoque petit, idque ex conſuetudine. Secùs ſi raro.

5. Idem dicendum quòd non peccet, ſi differat ad aliud ſpatium, v.g. de manè ad veſperam; modò non ſit periculum incontinentiæ. Utrùm autem una & altera vice negare poſſit, dum moderatè petitur? Plures cum Bonac. admittunt. Ego verò cum Noſtris Bonæ Sp, Antonio & Steph. nec unicam vicem admitto, in caſu quô rationabiliter petitur, & nulla ſubſiſtit cauſa excuſans à redditione. Ratio eſt: cùm ſit materia gravis, utpote ſufficiens ad prolis generationem, concupiſcentiæ remedium, & alioqui ad cauſandas graves diſcordias & incontinentiam. Unde quoties negat taliter petenti, toties mortaliter peccat (f).

6. Addidi *hîc num.* 4. ly *& non adſit aliqua notabilis cauſa excuſans à redditione debiti*: alioqui ex tali accidenti non tenetur reddere, aut tenetur non reddere. Sed

(b) Ledeſma q. 64. a. 3. Valent. tom. 4. d. 10. q. 6. p. 2. Sãch. Filliucius.

(c) Bonæ Sp.

(d) Sotus in 4. d. 23. q. unic. Sylv. verb. Debitum, Rebel. lib. 2. q. 16. n. 3. Bonæ Sp. & alii.

(e) Bonæ Sp.

In quo nimietas conſiſtat.

Nimis frequens definitur petitio.

(f) Antonius à S. Spiritu.

7. Quæ causæ sint ob quas potest conjux non reddere debitum, sed reddere vel non reddere? *Resp.* 1. est bimestre ante consummationem matrimonii, quando cogitat de ingressu Religionis; potest non reddere debitum: & si votum fecit ingrediendi Religionem, tenetur non reddere debitum, sed ingredi Religionem. Si autem nec cogitat de Religione, nec vovit eam ingredi, potiùs reddere tenetur, dixi *suprà de Indisso-lub. matrim. n.* 15. Secùs ante benedictionem matrimonii. Imò si mulier duodennis tantùm est, expectare cogitur Sponsus annis 4. dicit Alarius *n.* 11. Sed in Jure Canonico fundamentum non reperio; nisi quòd nondum sit proportio vasorum.

Causæ ob quas potest non reddere debitum cõjux.

8. Causa secunda est, impotentia coëundi, ex aliqua corporis imbecillitate (e). Et quia non redditio debiti cadit sub mortali, sequitur 1. quòd peccet mortaliter contra justitiam ille, qui se voluntariis pollutionibûs, aut adulteriis impotentem reddit comparti ad solvendum debitum, moderatè petitum (g). Non tunc peccat, quando non potest reddere: tunc enim excusatur, quia impotens est; sed peccavit quando se fecit impotentem: quia tunc voluntariè se subjecit impotentiæ, contra suam obligationem. Unde tenetur in confessione hanc circumstantiam aperire, quòd se reddiderit impotentem. Ita Bonac. Bonæ Sp. & alii. 2. Etiamsi licitis mediis, v.g. jejuniis, vigiliis, mortificationibûs reddat voluntariè se impotentem, peccat mortaliter (h). Et obligatur mulier stante periculo aversionis mariti se non efficere pallidam, deformem & exosam ei per continuas mortificationes (h), ne det occasionem ei quærendi alias fœminas: imò si aliter jejunare nequeat quin efficiatur impotens, excusatur à jejunio Ecclesiastico & quocumque alio (i). Ratio est: quia magis obligat præceptum naturale quod est reddere, quàm Ecclesiasticum quod est jejunare. Idem dicendum de viro, si ita debilis est (i). Et si vir prohibeat uxorem jejunare, probabiliter timens illius debilitatem, & aliàs graviter offenderetur per inobedientiam, tenetur in tali casu non jejunare (k): nam amor conjugalis tanti momenti est, & magis quàm præceptum Ecclesiasticum (k) obligat; cùm sit Jure naturæ debitus.

(g) Bonæ Sp. Sanch. Bonac. & alii cõmuniter.

Confitenda impotentia culpabilis.

(h) Bonæ Sp. Bonac. Sanchez.

(i) Sanch. lib. 9.d.3.n. 11. Sanc.in Select.d.54.n. 26. (k) Bonæ Sp. Sanch. loc. cit.

9. Unde puella nubere volens, si jejuniô efficiatur deformis, & ideo minùs nubilis, excusatur à jejunio juxta Sanch. & alios *loc. cit.* Ratio est P. Bonæ Sp. quia præceptum Ecclesiæ affirmativum est, quod non obligat cum tanto damno. Attamen moderata jejunia quantùm servari possunt sine tali periculo, à Confessariis semper consuli debent similibus.

A jejunio excusatur.

10. Excusatur tertiò propter modum indebitum petendi, quando debitum petitur, non tamquam debitum conjugale, hoc est non instanter

& rati-

& rationabiliter, aut nimis frequenter. Sed de his jam dixi immediatè *num.* 4.

Obligatio non reddendi debitum.

11. Causa quarta est, probabile periculum vitæ aut notabilis infirmitatis proprii subjecti: hoc enim instante, secundùm Bonacinam *q.* 4. *punct.* 1. *prop.* 1. *n.* 3. & Petr. à S. Joseph *cap.* 6. *resol.* 2. potest non reddere debitum; juxta verò Bonæ Sp. conjux considerans in se tale periculum, tenetur non reddere debitum, alioqui peccat mortaliter: quam sententiam dicit Bonæ Sp. esse communem. Ratio ejus est, quæ communiter admittitur: quia præceptum de vita propria conservanda strictiùs obligat, quàm præceptum de reddendo alteri debitum: quia vita priùs ordinatur ad proprii corporis conservationem, quàm ad alterius generationem; & ordo charitatis postulat, ut quis primò suæ incolumitati vacet, ac deinde aliis si potest, satisfaciat. Unde febris à reddendo debito excusat, ùt notat Sanch. Bonac. & alii. A fortiori pestis, lepra, leonina, aut alius morbus contagiosus, dum adest periculum infectionis.

De leprosis.

12. Dices: *cap.* 2. *de Conjug. lepros.* dicitur: *quòd si virum sive uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sana carnale debitum exigat, generali præcepô Apostoli, quod exigitur est solvendum, cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur. Resp.* locum citatum intelligi debere, quando ex Medicorum judicio, abest infectionis aut notabilis damni periculum. Ita Bonæ Sp. & patet inde, quòd ad impossibile nemo obligari potest; jam verò moraliter impossibile est conjugi reddere conjugale debitum: talẽ enim ùt talem summoperè abhorret.

13. Quid si ex parte petentis instet periculum incontinentiæ, nisi reddatur debitum? *Resp.* quòd etiam in tali casu non obligetur ad reddendum, cum gravi corporis aut valetudinis detrimento, aut detrimenti periculo; licitè tamen si velit, reddere valet (1). Ratio primæ partis est: quia conjux non tenetur præcisè reddere debitum, sed solùm salva sua incolumitate. Neque aliunde lex obligat bonum spirituale præferre bono corporali, nisi in extrema necessitate spirituali, in qua aliter occurri non potest. Ratio secundæ partis est: quia valdè laudabile est subire periculum corporale ad vitandum spirituale. Secluso hocce periculo, admittit *loc. cit.* Bonac. quòd conjux cum periculo sui præjudicii reddere debitum possit, si velit.

(1) Sãch. Laym. Bonæ Sp. Basil. Poncius.

Quæ infirmitas mulierem excusat à reddẽdo?

14. Juxta omnes verò certum est, quòd tunc nullum est peccatum, sed potiùs obligatio reddendi debitum cum periculo, quando id proprii judicii, Regni, aut Communitatis conservatio exigat: ùt si proles pro Regno conservando ex Rege desideretur. Extra omne etiam dubium est, quòd periculum levis infirmitatis non excuset à redditione

debiti

debiti conjugalis, maximè, quando ex alia parte timetur periculum incontinentiæ. Unde licèt uxor viro, morbô gallico post contractum matrimonium infecto, non teneatur reddere debitum, aut febri laborans; tenetur tamen si scienter cum tali contraxerit, aut capite vel dente tantùm molari doleat. Item non tenetur mulier reddere debitum, probabiliter timens in partu mortem, aut quia experta est se non posse filios vivos in lucem edere (m); quàmvis reddere & petere possit: quia non tenetur reddere cū probabili periculo vitæ, ùt dixi; hoc autē est magnum, si moriatur fœtus in utero. Non potest autem negare ob dolores graves, qui solent adesse partui (n): quia his se liberè subjecit per matrimonium contractum.

(m) Bonac.

(n) Rotar.

15. Quid si timeatur infectio prolis? *Resp.* Vel agitur de prole nascēda, vel de prole nata? Si de nascenda? Reddere tenetur (o): quia meliùs est prolē cum hujusmodi infectione nasci, quàm non nasci. A fortiori tenetur reddere debitum tempore fluxûs, menstrui (e): quia ordinariè nullum est periculum infectionis prolis, ùt patet experientiâ; plurimæ enim hoc tempore reddunt, & tamen proles nascuntur non monstrosæ: Si autem aliquando contingat nasci prolem monstrosam, melius est proli sic nasci, quàm non nasci. Si de nata prole? Vel infectio est manifesta, vel non. Si secundum? Tenetur reddere: quia propter incertum, non est detinendum certum, hoc est, non est neganda redditio certò debita. Et pauperum experientiâ constat, Matrem lactationis tempore, sine prolis præjudicio, posse debitum reddere; aliàs esset jugum plenum periculîs toto lactationis bienniô, Patrem & Matrem in eodem lecto dormire, & non posse debitum invicem petere. Si primum, nempe si advertat lac post copulam fore valdè perniciosum proli, aut exsiccari sibi ubera, si propter paupertatem nequeat habere nutricē pro illa? Excusatur à redditione debiti (l). Ratio est: quia prolis damnum æquiparari potest damno proprio, cum cujus periculo non tenetur reddere debitum. Quàmvis vir potest petere debitum in anteriori casu, non tamen in posteriori; cùm licèt habeat potestatem, eam exponendi ei periculo infirmitatis, non tamen habet facultatem exponendi periculo mortis; cùm sit supra ejus potestatem.

(o) Bonac. loc. cit. Rebel. lib. 2. q. 16. n. 4. Sanch. n. 25.

16. Causa quinta est excusans à redditione, tempus statim post prandium: quia tunc solet esse copula gravis detrimenti causa, ùt deducit Sanch. teste Bonacina.

17. Causa sexta est, quando maritus petit in ebrietate, phrænesi, aut amentia (p); nisi agnoscatur alioqui se polluturus. Ita Perez.

(p) Cōmuniter.

18. Quid si (maximè pauperes) non habeant unde proles nutriant; possuntne invicem negare debitum ne multiplicentur? *Resp.* quòd nō (q): quia

(q) Contra Bonac. Rodriq. Sanch. & Petrum à S. Ioseph.

(q): quia vel uxor negabit debitum diu, aut usque ad mortem? Exponet virum manifesto periculo incontinentiæ: & sic mortaliter peccabit ex sensu omnium. Si non diu? Frustra erit negatio toties admissa: nam quando consentiet marito, citiùs concipiet, ex eo quòd supponatur uterque vel saltem vir habere semen prolificum, quod proinde tantò avidiùs rapiet matrix, quantò diutiùs caruit illo quasi alimento. Ita Gobat cum Steph. à S. Paul. Imò illi existimant, esse negandam absolutionem tali mulieri, si nolit desistere à suo intento, ob metum prolis multiplicandæ.

19. Negare septimò debitum innocens potest propter fidem non servatam, si alter est adulter, aut affinitatem cum conjuge contraxit per copulam cum consanguinea ejus; cùm talis privetur jure suo in pœnam delicti, juxta *cap. Tuæ Fraternitati, etiam de eo qui cognovit*, ubi sic: *cùm affinitas post matrimonium iniquè contracta, illi nocere non debeat, qui iniquitatis particeps non existit*, non debet jure suo sine culpa privari. Ex quibus sequitur, nocentem negare non posse.

Vir adulteræ tenetur non reddere debitum.

20. Casus in quibus conjux tenetur non reddere debitum. Primò quando uxor est adultera, & pertinaciter perseverat in adulterio; tũc maritus tenetur negare petenti uxori debitum. Ita habetur *d.* 32. *q.* 1. *can. Si quis uxorem.*

21. Iste casus limitatur à Richard. *in* 4. *d.* 32. si illa velit desistere à peccato, & non perseverare in adulterio; tunc potest reddere maritus absque peccato, non tamen tenetur.

22. Secundò limitatur à Sylv. *verb. Debitum*, quando vir timet peccatum incontinentiæ in se, nisi accedat ad uxorem; tunc enim potest, nec tenetur cum periculo animæ suæ procurare correctionem illius: nam hic Canon est factus ad emendationem fœminæ, non in pernitiem viri.

23. Limitatur tertiò ab Armilla, quando alioqui timentur rixæ magnæ & scandalum, nisi reddatur debitum.

24. Limitatur quartò à Palud. *in* 4. *d.* 32. quando nulla speratur emendatio ejus.

Uxor adultero non obligatur ad non redditionem.

25. Ex his colligitur, quòd fœmina non obligetur ad non reddendum debitum viro: quia Canon solùm sonat, quòd vir tenetur non reddere uxori ob adulterium.

26. Sunt autem casus multi quibûs vir tenetur reddere debitum mulieri adulteræ, dummodo non perseveret illa in adulterio.

27. Casus primus est, quando & ipse adulterium commisit: *cap. Significasti, de Divortio.*

28. Casus secundus, si potuit & non prohibuit fornicationem, vel ipse prosti-

proſtituit uxorem : *cap. Deſcriptionem , de Eo qui cognoſcit conſanguin. uxoris.*

29. Caſus tertius eſt , quando ſciens jam eſſe adulteram, ad eam acceſſit : 32. *q.* 1. *can. Dicit Dominus.*

30. Caſus quartus eſt , quando uxor fornicata eſt violenter, vel quia credens maritum ſuum mortuum, iterùm nupſit , vel quia credens alienum eſſe ſuum maritum , ad eum acceſſit ; tunc non perdit jus petendi : quia hæc fornicatio eſt materialis , non peccaminoſa. Ita habetur 34. *q.* 2. *can. Cùm per bellicam.* Item 32. *q.* 5. *can. Propoſito.*

31. Caſus quintus ſolet addi , ſi vir dederit occaſionem fœminæ adulterandi : quia noluit reddere debitum, & quidem injuſtè; tunc ſi adulteretur fœmina , tenetur vir reddere debitum: 33. *q.* 5. *can. Secundùm verba.* Et ita ſentiunt S. Thom. Armil. *verb. Matrimonium,* §. 73.

32. Caſus quô conjux tenetur non reddere debitum, ſecundus eſt, ſi petatur , ut in loco publico aut præſentia aliorum reddatur : impedit enim ſcandalum & indecentia. Quapropter ſi reddat , ex duplici ratione peccatum committit , ideoque cavenda ſunt oſcula , amplexus & tactus in publico , propter eamdem ſcandali & indecentiæ malitiam, dicit Bonæ Sp.

In publico cavēda sūt oſcula , amplexus , & tactus.

33. Caſus tertius eſt , ſi petitus laboret morbô infectivo , ùt eſt peſtis ; talis morbum ſuum tenetur manifeſtare , aut debitum negare. Et hinc eſt, quòd meretrix morbô gallico laborans tenetur ſolicitantem præmonere , aut copulam non permittere ; alioqui ad omnes expenſas, & damna ex tali copula provenientia reſarcienda obligatur. Quapropter Confeſſarii tenentur meretrices in confeſſione interrogare de his, & ad reſtitutionem obligare , ſi non præmonuerint.

34. Caſus quartus eſt , quando petitur illicitè, non ſolùm ex perſonæ , ſed etiam ex parte actûs ; hoc eſt , quando culpa petentis provenit non ex ſola circumſtantia petentis, ſed etiam ex circumſtantia actûs conjugalis , quæ ipſum actum reddit illicitum : ùt ſi petatur dum adeſt probabile periculum abortûs , tenetur rogata , aut rogatus non reddere conjugale debitum (r). Jam verò dum formatæ prolis abeſt periculum abortûs, poteſt ; imò tenetur reddere debitum : alioqui penè continuò eſſet à reddendo debito obligatio abſtinendi ; cùm multæ ſint ferè continuò gravidæ. Similiter quando petitur in loco ſacro, niſi adſit periculum incontinentiæ , & reddi commodè poſſit. Ita communiter DD.

(r) Bonac. Petr. à S. Ioſeph, Henr. Rodriq. Sanchez.

35. Dixi , *quando petitur illicitè , non tantùm ex parte petentis , ſed etiam ex parte actûs conjugalis :* quia quando ſolùm circumſtantia petitionem reddit illicitam , ùt ſi conjux petat animô fornicario,

nicario, vel alio pravo fine exigat eam; tenetur uxor debitum reddere, præmiſſa admonitione, ne tali modô, eâ utatur (r). Ratio eſt: quia quàmvis illicitè petat, non tamen injuſtè; cùm habeat jus in corpus ejus.

Solvuntur objectiones.

36. Nec cooperatur peccato, ſed actui conjugali, taliter reddens. Nec tenetur vitare in alio peccatum, in ſe peccando; jam verò ſi non redderet, in tali caſu peccaret, cùm petēs habeat jus petendi. Gladius quidem depoſitus iniquè ad occidendum, non eſt extradendus; quia fieret tertio injuria; dum verò debitum taliter petenti redditur, nulli fit injuria: nam volenti non fit injuria.

37. Quid ſi maritus ex ſola malitia ſolitus ſit extra vas ſemen effundere, teneturne tali reddere uxor? *Rdet* Alar. *n.* 31. quòd teneatur, dummodo non cooperetur hujus effuſioni.

Conſideranda circa votum caſtitatis in matrimonio.

38. Quid quoad votum? *Reſp.* Vel unus conjugum ante matrimonium caſtitatem vovit? Talis poſt conſummationem matrimonii reddere tenetur: quia per conſummationem debitorem conjugis ſe conſtituit. Vel vovit poſt matrimonium ratum, ante ejus conſummationem, & tunc vel animô ingrediendi Religionem? Tenetur ingredi Religionē, & non conſummare matrimonium. Vel non cogitavit de Religione? Non tenetur ingredi, ſed caſtitatem ſervare quantùm poteſt, ſine præjudicio alterius conjugis; hoc eſt, numquam petere poteſt, dempto caſu *ſuprà à* §. 1. *num.* 8. accedere autem obligatur in omni caſu, quô alter jus habet petendi. Vel vovit poſtquam conſummatum ſit matrimonium, & hoc ſine licentia alterius fecit? Tenetur reddere, quàmvis petere licitè nequeat (s). Vel fecit de ſcitu & licentia conſortis, & tunc vel ſine mutuo pacto? Ad reddendum ſtringitur. De his hucuſque omnes DD. conveniunt. Quia licetſi dederit licentiam votum præſtandi, non tamen per hoc ipſum ſe privavit jure exigendi. Vel de mutuo pacto uterque fecit votum non petendi dictum debitum? Circa hoc controvertunt DD. Tanner. & alii aſſerunt, quòd etiam in tali caſu teneatur rogatus reddere debitum. Econtra Gobat, Petrus à S. Joſeph & alii, dicunt quòd licitè reddere non poſſit; cùm petens non habeat jus petendi: nam uterque renuntiavit juri ſuo petendi, ac juri in corpus alterius. Utraque ſententia eſt probabilis; poſterior tamen probabilior, tam intrinſecè quàm extrinſecè. Niſi iterùm mutuam corporum poteſtatem ſibi dent. Vide *ſect. ſequ.* 3. *n.* 18. Secùs dicendum de caſu quô non abſolutè conſentirent in votum, ſed explicitè vel implicitè concederent ſibi jus revocandi eam facultatem. Ita Greg. à S. Laurēt.

(s) Vide ſect. ſequent. 3. n. 14. & 15.

39. An reddendum ſit debitum, quando occurrit dubium de valore matrimonii? *Reſp.* Inprimis qui bona fide contraxit, & poſtea dubitat,

non

non tantùm posteà adhibita diligentiâ, non obtenta certitudine nullitatis, sed etiam antequam sit adhibita, obligatur reddere debitum, ei qui non dubitat (t). Ratio est: quia alter qui non dubitat, habet jus petendi, & est in possessione; melior autem est conditio possidentis. Econtra si uterque dubitet, uterque reddere non potest (t): quia uterque non habet jus petendi, & melius est abstinere quàm temerè reddere. Similiter non dubitans, dubitanti (t): quia talem scit non habere jus petendi.

(t) Ledesma Sanch. Bonac. Greg. à S. Lauren.

40. Si autem quis mala fide contraxit, & incipit dubitare, quàmvis non possit petere, obstrictus est tamen ad reddendum, donec devenerit ad certitudinem; non verò si uterque mala fide celebravit. Bonac. & alii apud eum. Et si una pars opinetur probabiliter matrimonium esse nullum, & altera pars quæ bona fide contraxit, bona fide petit debitum, tenetur reddere opinans, quamdiu tantam de nullitate certitudinem non habeat, ut parum vel nihil dubii remaneat. Ita testatur esse expressum in Jure, Gregor. à S. Laurentio.

41. Quando uterque aut alteruter certò moraliter scit matrimonium esse invalidum: Sicut petere, ita reddere debitum nequit. Ita colligitur ex *cap. Inquisitioni cit.* & *cap. Dominus, de Secundis nuptiis.* Ratio est: quia aliàs alienam cognosceret, & sic fornicaretur. Et hoc verum est, sive bona sive mala fide matrimonium est contractum. Ita Sanch. *lib.* 2. *d.* 44. & alii communiter. Etiamsi alter sit ignorans impedimenti ac invaliditatis, *cap. Inquisitioni.* Ratio est: quia si posset reddere, fornicatio posset esse licita. Nec juvat quòd sit censurîs Ecclesiasticis cōpulsus, ùt dixi *suprà.*

42. Ex his omnibus adfero Confessariis reflexionem in confessionibus adhibendam, quando se uxor accusat de gravi ira in maritum, interrogandam esse utrùm occasione ejus vel alterius causæ, non negaverit debitum? Et si desistere à negatione ejus nolit, non absolvendam esse. Ita Laym. & Gregor. à S. Laurentio.

SECTIO III.
De usu matrimonii.

§. I.

Vt usus matrimonii sit rectus, quæ servanda sunt; aliter, quæ peccata in eo committantur?

1. **R**Esp. Ut usus matrimonii sit rectus, servari debent modus, finis, vitatio damni, solutio debiti, locus, tempus, aliæque ejusmodi circumstantiæ, his duobus versibûs comprehensæ:

Sit modus, & finis, sine damno solve, cohære,
Sit locus & tempus, tactus, ne spernito votum.

Modus naturalis concubendi.

2. Modus naturalis concubendi est, ut mulier sit succumba, vir incubus: Sic namque faciliùs retinetur semen in vase fœmineo, ac proinde faciliùs proles concipitur, ut fiat generatio; quæ est finis ad quem instituta est copula, & semen ordinatum à natura.

Innaturalis.

3. Si verò aliter conjungatur vir uxori, vel stando, vel præposterè seu à tergo in vase naturali eam cognoscendo, vel succumbendo illâ incubâ, tunc vel est periculum effusionis seminis extra vas, vel non? Si non, & hoc fecit causâ voluptatis? Peccat venialiter (a). Vel ob justam causam eum excusantem, quòd aliter nequeat? Tunc nec venialiter peccat: Sic quando vir est ita pinguis ut non possit aliter congredi nisi à tergo, vel quando mulier est gravida, quare nisi taliter cognosci valeat. Vel est periculum dictum? & tunc vel partis? Tunc peccat venialiter, non mortaliter (b): quia juxta judicium Medicorum, solet matrix aliquam partem seminis ejicere: retenta solâ ad generationem utili (b). Vel totius? Tunc ordinariè loquendo mortale peccatū est; sicuti & peccatur mortaliter propter intentiōē pravā,quādo cōjuges ea intentione cōgrediūtur modò indebito,ut proles non concipiatur, etiamsi tunc semen extra vas non effundatur: quia sicuti mortale est actu impedire positivè generationem per concubitum innaturalem, ita & velle. Quapropter graviter peccat uxor, quæ statim post copulam mingit, vel aliô modô consultò semen receptum emittit, vel conatur emittere: hoc enim est contra finem ad quem institutum est semen, & sic peccatum contra naturam. Ita Sanch. *d.* 20. *n.* 3. Rebel. *lib.* 3. *q.* 19. *n.* 15. Reginald. *lib.* 31. *n.* 334. & alii. Secùs si expulsio præter intentionem contingat fœminæ, quia v.g. illud retinere non potest.

(a) Sanch.

(b) Bonæ Sp. Sanch. Poncius, Palao, Perez contra Dicast.

In eo mortale.

6. Proinde tunc solùm in modo concubendi est mortale, quando adhibetur vas non debitum, aut semen totum effunditur extra vas (c), aut generatio impeditur (d).

(c) Tolet. lib. 7. c. 24.

7. Unde quando vir post matrimonium in eam impotentiam incidit, ut intra vas fœmineum seminare nequeat, vel fœmina est adeò arcta facta, ut semen recipere non possit, estque desperatum de potestate seminandi intra vas, nequaquam licitus est illis conjugalis accessus.

(d) Perez.

Licitus coitus in spe.

8. Dixi *suprà, ordinariè*: nam si probabilis est spes seminandi intra vas, licitum est ad id conari, quàmvis per accidens, & præter intentio-

nem

enm ſemen effundatur extra vas. Quare ſenes habentes ſpem ſeminandi intra vas, licitè poſſunt uti copulâ cum periculo pollutionis: imò quãdo non conſtat impotentiam eſſe perpetuam, etiamſi vir ſibi perſuadeat fore, quòd hac vice quâ congreditur, intra vas non poterit ſeminare; poteſt depoſita conſcientiâ accedere ad uxorem conando habere copulam legitimam (e).

(e) Sanch. Gregor. à S. Lauren.

Finis.

9. Per particulam, *finis*, innuitur conjugibus quòd in uſu matrimonii debeant habere finem ſeu intentionem honeſtam, v.g. procurationem liberorum, vel remedium concupiſcentiæ, ac fugam incontinentiæ. Iſti ſunt fines intrinſeci matrimonii, ùt legimus *ſuprà*, *ſer. 2. ſect. 3. n. 2.* Poteſt etiã conjux ſecluſa omni culpa velle copulam, v. g. propter conſervationem vel reſtaurationem ſanitatis pro Dei obſequio, quando non adeſt aliud medium (f), vel propter alium finem extrinſecum honeſtum, etiam principaliter intendendo eum; dummodo poſitivè non excludat fines matrimonii intrinſecos (g). Ratio eſt Bonæ Sp. quia finem matrimonii primarium intendere, ſcilicet procreationem prolis, non eſt præcepti: patet in ſterilibus, & uxoribus ſenibus, quæ ad generationem ſunt inhabiles; & tamen contrahere matrimonium & copulam continuare non prohibetur ab Eccleſia. Unde poteſt conjux copulam exercere propter lucrum, ſi proles naſcatur (g).

(f) Averſa, Dian. p. 11. tr. 1. reſol. 41.

(g) Bonæ Sp. contra Boſſium.

Ob ſolã voluptatem nõ eſt licitus uſus matrimonii.

10. Non eſt autem licitus uſus matrimonii ob ſolam voluptatem: patet ex damnata ab Innoc. XI. prop. 9. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpâ ac defectu veniali.* Secùs ſi intendatur etiam finis primarius, aut ſecundarius matrimonii, aut alius honeſtus inſimul, ſive magis principaliter ſive minùs principaliter, maximè ſi ob delectationem moderatam.

11. Dixi, quòd *debeant habere finem ſeu intentionem honeſtam*: nam juxta *can. Cùm Miniſter, 23. q. 5. qualis finis, talis actus.*

Secùs in remedium incõtinentiæ.

12. Unde probabiliter nec venialiter peccat conjux, petendo debitum in remedium dumtaxat incontinentiæ, etiamſi eam poſſit effugere aliis adhibitis remediis, cùm etiam in hunc finem ſit inſtitutum matrimonium, ùt vidimus *ſuprà.* Item ad tuendam vel reſtaurandam ſanitatem, tametſi aliud remedium haberi poſſit (h): quia non tenemur ſemper poſitivè agere ex fine intento à Deo, vel legiſlatore; ſufficit quòd actus referatur ad finem honeſtum, & non excludatur ordo ad finem honeſtum, & non excludatur ordo ad finem à Deo aut lege intentum. Ita communiter.

(h) Gregor. à S. Laurent.

13. Peccat autem venialiter petens aut reddens debitum propter ſolam voluptatem. Item exercendo cum expreſſo deſiderio, ut proles non naſcatur; modò nihil faciat, vel fieri ab alio permittat, quod prolis conceptioni obſtet.

14. Mor-

14. Mortaliter verò peccat accedens ad propriam uxorem animô adulterandi, scilicet imaginando actum cum alia: quare pro qualitate personæ quam mente revolvit, peccat; nempe si mente revolvit uxorem alterius, aut Monialem. Ita communiter DD. apud Bonac.

Sine damno.

15. *Sine damno*, significat licere negare debitum propter periculum gravis morbi, vel detrimenti &c. De quibus dixi *sect.* & §. *præced.*

Solve.

16. *Solve*, significat subesse obligationem reddendi conjugale debitum, seriò, instanter, ac rationabiliter petenti; nisi adsit justa causa excusans à redditione. Sed de hac obligatione satis dixi dicendo §. *præced. de Redditione*. Hîc solùm nonnulla addo. Inprimis

17. Utrùm debeant conjuges conari, ùt simul seminent? *Resp.* probabiliter non debent; sed eis expedit, antequam sint discopulati, ut se ad seminationem excitent.

18. Explicatur & probatur. Quòd debeant, non dico; propter majorem probabilitatem intrinsecam, seu rationem sententiæ negativæ, prout vidimus *suprà de Affinit. n.* 18. & videbimus *statim*. Nec dico quòd absolutè non debeant (i), propter extrinsecam magnam probabilitatem oppositæ sententiæ. Sed dico, probabiliter non debent: quia probabiliter non est necessarium semen mulieris ad generationem, prout vidimus *de Affinit.* §. 4. *immediatè loc. cit.*

(i) Bonac. contra Rotar.

Expedit simul seminare.

19. *Expedit eis* simul seminare: nam juxta communem TT. & Medicorum assensum, mulieris semen juvat ad formandum formosiorem fœtum: in hocque sensu existimo Doct. Resol. citatum *de Affinit. n.* 18. intelligi, & *cap. Fraternitati.*

20. Addidi, *antequam sint discopulati*, non pòst (k): quia postquam sunt discopulati, si se fœmina tactu quæ nondum seminavit excitet ad seminandum, excitat se ad actum mollitiei, hoc est ad pollutionem (k). Quod probo argumentô ad hominem: Postquam fœmina se retraxit, si vir se excitaret ad emittendum semen, excitaret se ad pollutionem, ùt asserit Sanch. *lib.* 9. *d.* 17. *n.* 10. cum Bonac. *loc. cit.* Ergò etiã postquam vir se retraxerit, si fœmina se excitaret tactu vel aliter ad seminandum, excitaret se ad pollutionem.

(k) Plurimi cũ Steph. à S. Paul. contra Sanch. Bonac. Rotar. & Caramuelem.

Rationes Bonacinæ & Rotarii refutantur.

21. Postquam se subtraxit fœmina à viro, etiamsi sit ille libidine maximè excitatus, non potest tamen in se causare seminationem; ergò etiam fœmina postquam se ab ea retraxit vir, quàmvis sit maximè afflicta inde quòd sit ita libidine accensa, & taliter relicta, non potest in se causare seminationem. Licitum quidem est fœminæ se præparare ad copulam antecedenter, non autem post copulam, ad seminationem. Quando autem vir separatus est ab uxore, copula non est: & redit argumentum ad hominem *suprà* positum.

22. Ex his collige, fœminam non peccare mortaliter, si in usu matrimonii consultò animum distrahat aliò, ne post viri seminationem, vel ante ipsam natura excitetur ad eam; cùm semen mulieris non sit necessarium simpliciter ad generationem: probabiliter tamen venialiter; cùm ejus semen conducere possit ad formosiorem formandum fœtum. Item non peccare mortaliter conjugem, si in copula à simultanea profluxione seminis abstineat: tum quia non est præceptum procurandi simultaneam; tum quia communior oppinio fert, generationem non impediri successiva seminatione: imò etiam tunc maritus probabiliter non peccat mortaliter, si propter impediendam prolis generationem conetur non simul seminare cum fœmina, sed præveniendo aut sequendo uxoris seminationem: non enim tenetur adhibere certius medium generationis.

23. Utrùm licitum sit conjugi ab inchoata copula desistere? *Resp.* Inprimis præmitto, quando adest justa causa excusans à continuatione, v.g. non prævisum periculum morbi, mortis: aut quia aliquis supervenit; tunc licita est interruptio copulæ, etiamsi ex naturæ concitatione sequatur pollutio: in his enim casibus Jus naturæ cessat obligare, propter oppositum Jus naturæ de conservatione vitæ, aut honestatis. Ita Sanch. & alii. His præmissis

Circa desitionem copulæ, vide sect. 4. sequ. n. 3.

24. Dico: Seclusis dictis nunc, fœmina si post seminationem viri, ante effusionem proprii seminis, dum in ea non adest periculum pollutionis, consultò desistat à copula, non peccat mortaliter; sed probabiliter venialiter.

25. Explicatur & probatur. *Post seminationem viri*: nam ántè non potest absque peccato mortali, nisi de consensu mariti (l); cùm habeat jus maritus ad perficiendam copulam. Neque si in alterutro, à fortiori si utroque est periculum pollutionis: quia hoc vitandum est.

(l) Bonac. Rotar.

26. *Non peccat mortaliter*: quia non est id vî cujus taliter peccaret. Peccat probabiliter venialiter tantùm (m): quia seminatio mulieris ad formosiorem fœtũ, juxta senten. Bonac. & aliorũ communem, cõducit.

(m) Gregor. à S. Laurentio.

27. Dico 2. Si uxor jam seminavit, vel jam est ita excitata, ut probabiliter adsit periculum seminandi, delinquit mortaliter maritus, si consultò à copula desistat, ante proprii seminis effusionem; vel avertit phantasiam aliorsùm, impediendo seminationem propriam (n). Ratio est: tum quia viri semen est necessarium ad generationem; tum quia defraudat suo fine semen fœmineum: quod contra naturam esse dicunt Bonac. & Rotarius.

(n) Rotarius, Gregor. à S. Laurentio.

28. Si verò nondum seminavit uxor, nec seminandi in ipsa vel viro extra vas adest periculum, & ipsa non exigit completionem copulæ, non est peccatum mortale viri, si retrahat se à copula non emisso se-

mine proprio (o). Ita communiter DD. Ratio est: quia illa vasis fœminei penetratio absque seminatione, reputatur instar tactuum partium verendarum; qui inter cõjuges cessante periculo pollutionis sunt permissi.

(o) Sanch. Gregor. à S. Laurent.

29. Item non peccat mortaliter maritus, si post effusionem proprii seminis, secluso periculô pollutionis in uxore, non expectet seminationem uxoris, quàmvis possit eò usque continuare copulam: & quidem juxta alios sub veniali, ut formosior fœtus formetur, restringitur ad continuandam copulam. Juxta Henriq. verò & alios, periculum est ne generatio impediatur tali continuatione. Ego verò juxta alios utrumque non admitto. Primum propter inanem in multis casibus continuationem: nam sicut non paucæ mulieres nimis difficiles ad seminandũ, ita multæ inhabiles reperiuntur. Secundum; cùm non sit unde constet.

30. *Cohære*, denotat obligationem cohabitandi. Sed de hoc *infrà*.

31. *Sit locus*, innuit abstinendum esse sub peccato à conjugali copula, in loco publico. Item sub peccato sacrilegii in loco sacro, dempta diuturna moratione, urgente periculo incontinentiæ, ùt dixi *suprà de Petitione, redditione debiti;* & *de Pollutione Ecclesiæ dist. 4. de Euchar.* Hîc addo tantùm, quòd quàmvis non committatur sacrilegium habendo copulam cum fœmina quæ habet in collo reliquias appensas, quia sic non agit specialiter contra rem sacram; committit autem, si actum luxuriosum cum ea habeat, pro re sacra: facit enim tunc rei sacræ injuriam, dando illam ùt pretium, pro re turpi. Ita Bonacina.

32. *Tempus*, ad actum cojugalem debet esse conveniens, nisi causa urgens, vel necessitas in periculo incontinentiæ aliud exigat. Plura vide *dist. 4. ser. 5. sect. 2. n. 6.* & 7. Quibus addo B. Hieronymi admonitionẽ relictam conjugibus: *Si panes propositionis non poterant ab iis, qui uxores suas præcedenti nocte tetigerant comedi; quantò magis panis ille qui de cœlo descendit* &c. De reliquis particulis, de tactu, dicam *statim.* Quare sit

§. II.

Quænam sint actiones venereæ licitæ conjugibus, quæ illicitæ, qualiave peccata?

1. RESP. & dico 1. Verba turpia, aspectus, tactus partium inhonestarum inter conjuges, quoties fiunt causâ excitandi naturam ad copulam, liciti eis sunt (a), secluso periculô pollutionis. In hoc communiter conveniunt DD. Ratio est: quia tales actus sunt media ad copulam; jam verò cui licitus est finis, licita sunt media (a). Venialiter verò mali sunt tales actus, quando referuntur ad solam majorem volupta-

(a) Busenbaum, Steph. à S. Pau. Greg. à S. Laurent.

voluptatem in copula habendam: quia referuntur ad actum venialiter malum: copula enim propter solam voluptatem habita, est venialiter mala, ùt ostendi §. *anter. n.* 10.

2. Dico 2. Præfati actus, quando conjuges eîs utuntur absque intentione copulæ conjugalis, sed potiùs, aut merè voluntatis (b), aut voluptatis (c) causâ, dummodo non sit periculum pollutionis, probabiliùs probabilitate extrinseca est, eos non esse peccatum mortale, docent Sylv. Zarand. Filliuc. Perez & NN. Gregor. à S. Laurent. Steph. à S. Paul. & Urban. ab Ascen. Domini *tr.* 1. *c.* 46. ubi sic loquitur: *Certum est in materia venerea, conjuges non peccare mortaliter, utendo invicem delectationibûs & aliis actibûs eam concomitantibus: modò numquam se exponant periculo pollutionis; venialiter autem peccare possunt, pro excessu nimiæ delectationis.* Imò P. Antonius *tract.* 11. *d.* 9. *n.* 659. addit, etiamsi illa fiant cum alteratione & aliqua distillatione, si absit periculum pollutionis veræ, non esse mortale. Pro hac sententia est etiam Diana *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 225. ubi exclamat: *Væ, væ conjugatis, si opposita sententia vera esset!* Oppositum, scilicet quòd conjuges in tali circumstantia exercentes dictos actus peccent mortaliter, tenent Sylv. Palud. Communiter tamen DD. tales actus dicunt esse veniale peccatum (d). Bonæ Sp. dicit, nullum esse peccatum, quando tales actus, v.g. tactus inter cõjuges fiunt ex fine justo, honesto. Certum enim est, quòd conjux alterius sui conjugis possit videre, tangere pudenda, sine ullo peccato, si urgeat necessitas: quia si hæc præstare possit Chirurgus, aut quilibet sibi, in tali casu, cùm urgens necessitas cohonestet actum & ab omni culpa excuset, prout est communis assensus TT. cur non & conjux conjugi idem facere possit?

(b) Busenbaum.
(c) Gregor. à S. Lauren.
(d) Gregor à S. Lau. Bonac. Lessi9 & alii.

Quale peccatum dum conjux se tãgit.

3. Utrùm possit conjux seipsum causâ delectationis turpiter tangere? *Resp.* distinguendum esse: Vel in præsentia consortis, vel in absentia se tangit? Si primum? Veniale est solùm peccatum, quando conjux propter captandam voluptatem seipsum impudicè tangit, sine imaginatione personæ alterius quàm conjux est, & citra periculum pollutionis (e). Ratio est: tum quia compartem habet ad latus, vel non procul, cum qua copulari potest in periculo; tum quia actus ille est indifferens ad pollutionem, aut copulam conjugalem, quam statim in periculo pollutionis complere valet. Si secundum? Mortale est (f): quia incipiens exercere talem actum cum intentione delectationis venereæ, exponit se nimio periculo effundendi semen extra vas, seu pollutionis propriè dictæ. Excipe tamen casum quô conjux speraret statim adventurũ alium conjugem (g), & minimè speraret periculum pollutionis.

(e) Sanch. Gregor. à S. Laurentio.
(f) Contra Sanch. Ochag. & Bonæ Sp.
(g) Vasq. 1. 2. q. 74. tr. 8. d. 113. n. 4. & Steph. à S. Paulo.

4. Qui vovit castitatem, nullum actum externum aut internum, scilicet delectationem de actu conjugali habere potest, nisi solùm in reddi-

 tione.

De obstricto votô castitat.

tione. Ratio est: quia vovens absolutè castitatem, tenetur quantùm potest abstinere ab omnibus, quæ castitati adversantur: sicque talis sub mortali aliàs committendo, non potest delectationem habere veneream, præterquam in redditione: quia solùm de actu licito, licita est delectatio.

5. Quando verò est illicita copula, propter circumstantiam aggravantem actum conjugalem, tunc secluso periculô pollutionis, alii actus, tactus &c. non prohibentur sub mortali. Ita Perez. Quàmvis non excusarem à veniali, conformiter ad dicta *num.* 2.

6. Ultrà dicendum: Actum voluntatis approbantem voluptatem in parte genitali ortam, ex cogitatione actûs conjugalis liciti, quasi præsentis, non esse mortale peccatum, modò absit periculum pollutionis. Docent Sanch. Perez & alii. Ratio est: quia talis est delectatio, quale objectum: sed objectum nempe copula, de qua est delectatio, non est illicitum sub mortali; ergò neque delectatio.

Propositio ab Innoc. XI. damnata, ad hanc Sect. reducenda.

Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpâ ac defectu veniali. 9.

SECTIO III.

Quæ maritus vota uxoris, & uxor mariti irritare possit?

Potestas mariti & uxoris ad vota irritanda.

1. R*Esp.* & dico: Vota stante matrimonio, inscio altero conjuge facta, si de mariti quæritur potestate, potest vota uxoris non tantùm ea quæ ei præjudicant quoad torum, aut mutuam cohabitationẽ;sed etiã omnia quæcumque alia eum offendentia irritare. Econtra uxor, solùm ea quæ sunt cùm præjudicio ejus quoad torum, aut mutuam cohabitationem. Ita docent Doct. Resol. *in* 4. *d.* 3. *q.* 3. *a.* 2. Bonæ Sp. *de Matrim. d.* 9. *dub.* 2. Sanch. *in Opere morali, lib.* 4. *c.* 34. & alii.

2. Explicatur & probatur. Dico, *stante matrimonio:* nam si ante matrimonium, tunc sicut uxor ita maritus nullatenùs ea absolutè irritare potest, ita ut postea soluto matrimoniô, ea non obligent: patet *suprà, d.* 9. *ser.* 5. *sect.* 1. *n.* 5. de obstricto votô simplici, quòd teneatur soluto matrimoniô votum servare. Potest tamen ea licitè impedire & suspendere vir, quæcumque ùt dixi *suprà*; uxor verò, repugnantia ei quoad torum, aut mutuam cohabitationem.

3. Potest tam maritus quàm & uxor impedire inconvenientia sibi

quoad

quoad torum, aut mutuam cohabitationem (a); dempto votô ingrediendi Religionem: nam per matrimonium jus acquisivit maritus insuper in voluntatem uxoris, ut ei totaliter sub sit, ùt patebit statim: quare valet impedire vota alia quæcumque (a) dicta *suprà* in Resolutione. Quod considerans Doctor Resolutus *loc. cit.* dicit de uxore: *Si ante matrimonium contractum votum abstinentiæ emiserit, non debet invito maritô illud adimplere: quia in talibus debet obedire marito.*

(a) Doct. Res. Bonæ Sp. loc. cit.

4. *Non potest irritare.* Probo per maritum, qui est caput uxoris: quia vota illa sunt facta tempore independentiæ uxoris à voluntate mariti. Quòd verò Prælatus possit irritare vota sui inferioris, facta ante ingressum Religionis, privilegium Apostolicum pro hoc habetur; quod non est pro marito aut uxore, ut possit sui conjugis vota antea facta irritare.

5. Dixi, *dempto votô ingrediendi Religionem:* quia si tale etiam post ratum matrimonium, ante consummationem ejus faceret v.g. uxor, non posset eam maritus cogere ad reddendum debitum; & ipsa etiam invitô maritô teneretur ingredi Religionem (b), ob ordinationes & privilegia Apostolica, *cap. Publico*, & *cap. Tua.* Vide *suprà* sub *tit. Quomodo matrimonium sit indissolubile n.* 12. & 13.

(b) Sanch. loc. cit.

6. Quòd maritus vota uxoris stante matrimonio facta, ea quæ ei quoad torum aut cohabitationem sunt injuriosa, valeat irritare, similiter uxor vota talia mariti; in hoc conveniunt omnes DD. ùt videre est apud Bonæ Sp. & Sanch. *loc. cit.* Ratio est: quia sicut maritus corporis uxoris, ita uxor corporis mariti, habet dominium & potestatem, ùt patet ex Apostolo 1. *Corinth.* 7. In hoc enim sibi sunt pares, *cap. Gaudemus, de Divort. cap. Si quis uxorem*, 32. *q.* 1. Et sic uxor irritare potest votum mariti portandi habitum Eremiticum. Sanch. Suar. & alii. Unde vota talia quando fiunt inscia comparte, debent intelligi, *si alter cōjux consenserit.* Imò inquit Bonæ Sp. alioqui eô ipsô sunt irrita.

7. Quòd verò maritus insuper possit omnia alia quæcumque vota uxoris, eum offendentia irritare, docent D. Thom. Bonav. *in* 4. *d.* 32. Doct. Resol. *loc. cit.* Glossa, Gratian. Sot. Sanch. *loc. cit.* contra Leonard. *lib.* 2. *de Justit. cap.* 40. *dub.* 10. *n.* 83. Azor. *tom.* 1. *tr. de Instit. moral. lib.* 11. *cap.* 16. *q. ult.* & *cap.* 17. *q.* 12. Suar. *tom.* 2. *de Relig. tr. de Voto*, *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 26. & *lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 2. Octav. *interrog.* 869. *n.* 519. qui majorem potestatem quoad vota irritanda non concedunt marito, quàm uxori. Anglez, solùm vota de rebus necessariis, ùt v.g. de non mentiendo; Bonæ Sp. ea in materia Deo subjecta, ùt sunt Deum adorare &c. marito non concedunt irritari. Inprimis contra illos

8. Probatur: quia uxor subditur viro non solùm quoad materiam promissam, sed etiam quoad voluntatem gubernandam: quod negatū

ab ipsis sic probatur: nam *Genes.* 3. sic dicitur: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Et *Num.* 3. *Si mulier maritum habuerit, & voverit aliquid, si audiens vir statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, propitius ei erit Dominus.* Quem locum 70. Interpretes intelligunt de omni voto (c). Et Apostolus *ad Ephes.* 5. sic ait: *mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ*: sed Ecclesia est subjecta Christo in omnibus; ergò & uxor viro. Item Doct. Resol. probat, quia *cap. Mulier*, accipitur à *lib. Numer.* 30. *ubi postquam dixerat, quòd si mulier in puellari ætate voverit, quod nisi Pater contradixerit, tenebitur: Simile addit, si virum habuerit mulier, & quidquam voverit, nisi statim contradixerit, votum reddet; quòd si audiens vir tacuerit, & in alterum diem distulerit sententiam; quidquid voverit, reddet. Filius tamen familias pubes, potest vovere votum Religionis.* 19. *q.* 2. *cap.* 1. & 2.

(c) Bonæ Sp.

Filius pubes potest facere votū Relig. cōtradicente Patre, non filia.

9. Nec requiritur spiritualis, sed sufficit temporalis potestas ad irritanda vota. Bonæ Sp. Sanch. *loc. cit.*

Vota complenda post matrimonium.

10. Ex his collige & nota, maritum omnia quæcumque vota uxoris stante matrimonio facta, non tantùm tempore hujus matrimonii, sed etiam eô postmodum solutô adimplenda, totaliter irritare posse; ita ut eô solutô, nullam vim obligandi habeant, quasi numquam fuissent. Docet Bonæ Sp. contradicente Sanch. *loc. cit.* Ratio est *suprà* data: quia voluntas uxoris est subjecta consensui & directioni mariti.

Doct. Resol. pro utraq; parte accipi potest loc. cit.

11. Unde si stante matrimonio jam consummato, uxor inscio aut nō consentiente viro, voveret ingressum Religionis, maritus illud votum absolutè irritare posset (c): Ratio est Bonæ Sp. quia nullibi Jus speciale reperitur, concedens uxori authoritatem votum hoc faciendi, prout ingrediendi Religionem ante matrimonii consummationem; sed potiùs (ut vidimus *suprà*) voluntatem uxoris totaliter subjicit marito.

Votum abstinēdi à venereis actibus.

12. Quid si alteruter fecerit votum abstinendi à venereis actibus? *Resp.* Vel fecit tale votum maritus, vel uxor. Si maritus? Vel fecit non exigendi rigorosè, hoc est non obligandi uxorem si illa noluerit, nō adimendo tamen facultatem petendi? Tale votum nequit uxor irritare; cùm ipsi non sit injuriosum, sed potiùs favorabile. Vel fecit votum non exigendi lato modô, hoc est non petendi? Tunc etiamsi juxta sententiam communem, valeat tale votum, prout colligitur ex *cap.* dicto *Quidam*; distinguendum tamen: Vel ille vovit absolutè, hoc est in nullo casu petere? Tale illa potest irritare, ùti ipsi injuriosum summè, quòd illa contra innatam mulieribus verecundiam semper deberet petere debitum. Vel vovit saltem implicitè cum hac exceptione, quando adverteret eam esse indigentem, libenter acceptaturam, quòd

protunc

protunc potiùs se ei offerret ad copulam, eamque petet? Tunc tale irritare non valet, ob datas rationes immediatè. Imò hanc clausulam in dicto voto semper includi volunt, Leonard. *lib. 2. de Just. cap.* 40. *dub.* 10. *n.* 84. Sanch. *loc. cit.* & alii. Quia in tali casu potiùs est redditio, ùt dixi de redditione *suprà*, & meritoria: taliter enim D. August. (d) in *Epist.* 199. ad Ecditiam dicit: *secundùm verba Apostolica, etiamsi se vir continere voluisset, & tu noluisses, debitum tibi reddere cogeretur; & illi Deus imputaret ad continentiam, si non suæ sed tuæ cederet infirmitati, ne in adulterium caderes.* In Corp. Jur. Can. *pag.* 427. *de Voto.*

(d) Beda & Glossa Ordinaria.

13. Neque potest uxor irritare votum mariti abstinendi à venereis extra matrimonium, ùt sunt v.g. delectari in actu conjugali præterito: quia voluntas mariti, non est subjecta uxori. Econtra maritus omnia nunc dicta vota uxoris irritare absolutè & tollere potest: quia uxoris consensus pendet à voluntate viri.

De licentia mariti.

14. Et quid, si de licentia mariti sui votum emiserit uxor? *Resp.* inprimis, quòd impedire & suspendere illud votum possit, illicitè quàmvis, si sine causa: patet *Numer.* 30. *n.* 15. & 16. ubi: *si audiens vir tacuerit, & in alterum diem distulerit sententiam, quidquid voverat atque promiserat, reddet; si autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus:* ergò ipsa libera. Utrùm verò irritare absolutè queat? Alii distinguunt, vel illud votum erat castitatis, vel non castitatis? Si secundum? Irritare potest validè, quàmvis illicitè si sine justa causa (e). Si primum? Nequaquam. Hujus sentent. sunt Leonard. *lib.* 2. *de Justit. cap.* 40. *dub.* 10. *n.* 85. Petrus de L. desm. 2. *tom. Summ. tr.* 10. *cap.* 7. *dub. ult.* & alii apud Sanch. *lib. de Matrim.* Alii simpliciter admittunt quòd possit, prout sunt Sanch. *loc. cit.* Suar. *lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 10. Bonac. *Circa secundum Decal. præc. disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 2. *prop.* 3. Ratio est: quia maritus per consensum datum non desinit esse superior uxoris, nec amittit dominium quod habet in voluntatem ejus. Quare etsi illicitè absque causa revocare consensum potest, & irritare votum ejus; licitè si adest justa causa: nam licentia vovendi dicta, juxta communem sententiam DD. (c) conceditur intantum, inquantum nec minimè noceat concedenti. Idem dicendum de uxore quoad vota mariti, quæ illa irritare potest; cùm per datam licentiam non amiserit jus ad torum, & mutuam cohabitationem, nisi uterque cedat juri suo, de quo statim.

(e) Sanch. Bonæ Sp.

Aut uxoris.

15. Inde sequitur, quando alteruter fecit votum castitatis simplex, quòd alter qui ei licentiam dedit, possit petere debitum, & votô obstrictus tenetur reddere (c): quia consentiens per datum consensum, non

Qui consensit in castitatem debitũ petere potest.

non censetur cedere juri suo ad petendum & reddendum, sed solùm dat licentiam alteri, ut alter ex parte sua continentiam servet; & sic dat licentiam non petendi debitum. Quare taliter habens licentiam, nō tenetur petere debitum, quando advertit consortem esse in tali dispositione, quòd libenter acceptaret dictam copulam. Dixi, *simplex castitatis votum*: quia *si in solemne Religiosæ professionis votum consenserit, censetur omni juri suo cessisse*, dicit Bonæ Sp. *loc. cit.*

Casus. 10. Sed quid ad hoc, maritus est adulter? adulter autem innocentis vota irritare nequit? *Resp.* Vel innocens velit recedere à nocente per sententiam divortii, vel non? Si primum? Tunc non tantùm nocens innocentis, sed & innocens nocentis vota irritare non valet: quia per divortium suspenditur ea potestas. Sanch. *loc. cit.* Si secundum? Potest alteruter alterius vota irritare: quia conjux adulter non omninò perdit jus exigendi debitum, sed in favorem innocentis, si hic velit eam exceptionem opponere, & eo uti jure.

Quomodo perdit jus conjux adulter?

17. Quid si de mutuo consensu uterque conjux votum castitatis aut Religionis emiserit? *Resp.* Vel est conditionatè factum, vel absolutè? Si primum? Quia votum ante purificatam conditionem non obligat, potest peti debitum, & uterque habet suam potestatem revocandi vota (c). Si secundum? Prout tendunt in perpetuam separationem & continentiam, neuter alterius irritare vota valet (b). Ratio est: quia uterque cessit juri suo, & alterum à servitute ista liberavit (c). Si tamen in tali tempore & circumstantia habeant copulam, non cōmittunt fornicationem, aut adulterium, cùm in eis perseveret obligatio radicalis ad debitum reddendum; sed simplex sacrilegium propter usûs renuntiationem per votum legitimum, inquit Bonæ Spei.

Casus. 18. Sed notandum, quòd in illo statu possit maritus omnia vota uxoris tollere, suspendere, præter votum hoc de mutuo consensu castitatis factum (f). Et si de mutuo consensu illi *conjuges etiamsi sacrilegè dent iterùm sibi mutuam corporum potestatem, poterit vir id castitatis votum uxoris irritare, & quidem validè, sed cum peccato absq; causa, licitè autem cum causa. Idem dicendum est de voto Religionis emisso communi consensu, ante hanc novam potestatem*, dicit Sanchez *loc. cit. n.* 17. adducens plures DD. *lib.* 9. *de Matrimonio*, *d.* 40. *n.* 19. & *n.* 22. Ratio ejus est: quòd tunc matrimonium sit plenè restitutum ad priorem statum, & renuntiatio illa juris de mutuo consensu validè sit remissa. Et quia matrimonium est plenè restitutum, revivîscit jus in uxore ad irritanda vota mariti quoad torum, & mutuam cohabitationem ei repugnantia.

(f) Sanch. loc. cit. n. 32. Probabiliter.

19. Ne omittam Deum offendentia vota declarare, adduco Doct.

Resol. *loc. cit.* ea quæ ibi dicit Hugo 33. *q.* 5. *cap. Manifestum:* quòd *uxor vota aliqua v.g. abstinentiæ, potest sine licentia mariti, & quæ sine scandalo viri adimplere potest, talia non tenetur frangere, sed adimplere: ùt si vovit quòd daret de suo proprio, vel quòd cantaret unum psalterium, vel psalmum, vel Pater noster in nocte, vel in tali hora. Sed illa tenetur frangere si vult vir, quæ non potest implere sine scandalo mariti: ùt de jejunio in tali die, de non comedendis carnibus tali die, de surgendo ad matutinum singulis noctibûs, de jacendo tota nocte in camisia, & hujusmodi. Sed licèt uxor scandalizaretur, non tamen vir cogitur talia vota frangere, nisi sint talia quæ fuerant præjudicium uxori, reddendo vel exigendo debitum, vel etiam in alio jure. Hæc autem imparitas abstinentiæ in votis fit, ut sic ostendatur quanta sit subjectio mulieris ad virum.*

20. Ultimatè nota, posse virum absque consensu mulieris vovere aliquam brevem peregrinationem, non autem longam. Sanch. Imò Abulensis *cap.* 27. *Levitic. q.* 10. asserit, posse omnem peregrinationem præter ultramarinam. Excipiunt DD. votum peregrinationis Jerosolimitanæ, quod est non solius devotionis causâ factum, sed in subsidium terræ Sanctæ, ab uxore irritabile. Ita Sayr. *in Clavi Regia lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 9. Suar. & alii. Sed additur ex D. Antonino 3. *part. tit.* 1. *cap.* 22. §. 1. virum tale votum non posse implere per se, si uxor nolit eum comitari, & sit juvenis; si relinquatur, exponeretur periculo incontinentiæ. Quare in tali casu maritus satisfaciet redimendo votum. Sanch. *in Opere moral. lib.* 4. *cap.* 34. *num.* 24.

SECTIO IV.

Quænam sint conjugum officia & obligationes, tam erga se quàm erga prolem in fieri & in facto esse?

1. Resp. & dico: Conjuges nequeunt impedire generationem prolis, alioqui mortaliter peccant (a), ùt omnes DD. fatentur; signanter D. August. *lib.* 1. *de Nupt. cap.* 15. qui ibi sic habet: *Qui propagationi prolis obsistunt, sive votô malo, sive opere malo, quàmvis vocentur, conjuges non sunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem; sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt.* Et Ostiensis *Summ. tit. de Voto* §. *Quis vovere possit, num.* 7. & Hugo *cap. Noluit.* Peccatum autem hoc, est contra naturam: nam contra ordinationem legis naturæ, quæ ordinat copulam ad generationem.

(a) Vide hâc ser. sect. 1. §. 4. n. 18. & sect. 2. §. 1. n. 5.

2. Dico 2. Attamen uxor ab alio, aut alia mulier vî oppressa, potest licitè, vel in oppressione ipsa, vel statim pòst, semen expellere (b). Idem

(b). Idem dicendum de uxore primo bimestrî ante consummationem matrimonii, vî aut per metum gravem ad copulam adducta, quæ Religionem ingredi cogitabat. Ratio est: quia si hujusmodi feminis violenter accepti statim fiat expulsio, est justæ defensionis continuatio. Et quàmvis alia mulier ob gravem metum consentiat, mortaliter delinquens; potest non obstante assensu in copulam, expellere semen illud: quia adhuc stante tali consensu, copula est ei graviter injuriosa.

(b) Sanch. de Matri. lib. 2. d. 22. n. 17. Dian. p. 7. tr. 5. resol. 30. Marchât. Resol. p. 1. c. 6. q. 1.

3. Quid si inchoata copulâ fornicariâ, in interruptione, vel nō in interruptione, fornicarius sit tactus remorsu peccati fornicationis; teneturne abstinere à fornicatione, vel nō? *Resp.* quòd teneatur, etiā cum periculo effusionis seminis extra vas, seu polluendi se (c). Alioqui quæro, in tali casu pœnitentiâ ductus fornicarius, si tenetur ex supposito inchoationis cōtinuare, vel peccat continuando vel non? Si primum? Obligatur ad peccandum. Si secundum? Fornicatio voluntaria, non est peccatum; quod omnis Theologia negat. Et probo aliter: quia pœnitentiâ ductus, illam pollutionem involuntariè pateretur; & si continuet fornicationē, voluntariè eam perficit, & consequenter voluntariè peccat: & propter interruptionem, juxta communē Theologiam duplex peccatum cōmittit.

(c) Less. lib. 4. cap. 3. n. 55. Dian. p. 3. tr. 4. resol. 227. Bonæ Sp. d. 9. de usu, dub. 3.

4. Utrùm possit uxor aut alia mulier in aliquo casu procurare abortum? *Resp.* Imprimis præmitto Constitutiones Sixti V. & Gregor. XIV.

5. In Constitutione Sixti V. quæ incipit, *Effrænatam*, anno 1588. edita hæc habentur: *Omnes & quoscumq. tam viros, quàm mulieres cujuscumq. statûs, gradûs, ordinis & conditionis, etiam Clericos Sæculares, vel cujusvis Ordinis Regulares, quâvis dignitate & præeminentiâ Ecclesiastica vel mundana fulgentes, qui de cætero per se aut interpositas personas, abortûs seu fœtûs immaturi, tam animati quàm etiam inanimati formati, vel informis, ejectionem procuraverint, percussionibûs, venenîs, medicamentîs, potionibûs, oneribûs, laboribûsq. mulieri prægnanti impositis, ac aliis etiam incogitatis, vel maximè exquisitis rationibûs, inde ut re ipsa abortus sequutus fuerit, ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint, pœnas tam Divino quàm humano Jure, ac tam per Canonicas Sanctiones & Apostolicas Constitutiones, quàm civilia Jura adversùs veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu, & re ipsa patraverint, propositas & inflictas (quorum omnium tenore his nostris litteris pro expressis & ad verbum insertis habemus) eô ipsô incurrere hac nostra perpetuò valitura Constitutione statuimus & ordinamus; ipsasq. pœnas, leges, & constitutiones ad casus præfatos extendimus. Eos verò qui Clerici fuerint, omni privilegiô Clericali, officiîs, dignitatibûs, & beneficiîs Ecclesiasticis, quæ sic vacatura nostræ & Sedis Apostolicæ dispositioni perpetuò reservamus, ipsô factô privamus, & in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus, adeò, ut illi qui hoc delictum commiserint, non secùs*

Quas pœnas incurrunt procurantes abortum.

atq; ii, qui sua voluntate homicidium perpetraverint, juxta Concilii Tridentini Decreta, etiamsi crimen id, nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, ad sacros Ordines promoveri, aut in susceptis Ordinibus ministrare nullo modo possint, nec illis aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni Ordine ac beneficiô & officiô perpetuò careant. Nec non etiam illos, qui Clerici non fuerint, & talia perpetraverint, non solùm pœnas incurrere suprà narratas, sed etiam inhabiles ad Ordines, & alia prædicta, decernimus & declaramus. Volentes quòd hi, qui foro Ecclesiastico subjecti, ùt præfertur deliquisse comperti fuerint, per Judicem Ecclesiasticum depositi & degradati, Curiæ & potestati sæculari tradantur, quæ de eis illud capiat supplicium quod contra laicos verè homicidas per Divinas leges, ac Civilia Jura est dispositum. Præterea eisdem pœnîs teneri omninò statuimus eos, qui sterilitatis potiones, ac venena mulieribus propinaverint, & quominùs fœtum concipiant impedimentum præstiterint, ac ea facienda, & exequenda curaverint, sive quocumq; modo in his consuluerint, ac mulieres ipsas, quæ eadem pocula spontè ac scienter sumpserint. Quocirca mandamus universis & singulis Judicibus ordinariis & delegatis, tam Ecclesiasticis quàm Sæcularibus, quibus contra criminum reos etiam quoad causas hujusmodi de Jure, vel ratione delicti, aut personarum legitimè competet jurisdictio, ita tamen ut inter eos præventioni locus sit, ut in his delictis quæ ùt plurimùm in occulto perpetrantur, contra quoscumq;, non solùm per accusationem & declarationem, verùm etiã per inquisitionem ac simplicem denuntiationem procedant, ac ad illa probanda Testes aliàs de Jure inhabiles, eorundem tamen Judicum arbitriô, habita ratione personarum, causarum, & qualitatum illarum ac circumstantiarũ quarumcumq; admittant, ac in eos qui culpabiles fuerint, prout per Nos sancitum est, demùm animadvertant &c. Insuper, ut immanissimi hujus delicti gravitati non solùm temporalibus, verùm etiam spiritualibus pœnîs prospiciamus, ac provideamus, omnes & singulos cujuscumq; statûs, gradus, Ordinis, vel conditionis existentes, tam laicos, quàm Clericos Sæculares, & cujuscunq; Ordinis Regulares, nec non mulieres sæculares, vel quemcunq; Ordinem professas, qui vel quæ ùti principales, vel ùt sociæ ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cujuscunq; generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras privatas, vel apochas, vel aliàs verbîs aut signîs juverint, aut consuluerint, (ultra suprà dictas pœnas) ipsô factô nunc prout extunc excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus, decernentes ac declarantes, quòd per quæcunq; jubilæa & indulgentias, per Nos & Successores nostros etiam annô jubilæi aut alio quovis tempore etiam Cruciatæ Sanctæ jubilæi, vel quovis aliô titulô concessas, & concedendas, ac etiam vigore privilegiorum Mare magnum, vel

vel aliàs quomodolibet nuncupatorum, quibusvis Congregationibus Regularium, aut Episcopis vigore Concilii Tridentini, vel aliàs per Nos, & Prædecessores nostros quomodocumq; concessorum, vel in futurum concedendorum, nec personæ sic ùt præfertur delinquentes & excommunicatæ, præterquam in mortis articulo absolvi valeant; nec cum his Clericis qui hujusmodi delicta perpetraverint, etiamsi eorum crimen occultum fuerit, super irregularitate præmissorum occasione contracta, nec per locorum Ordinarios, nec per alios quavis auctoritate fulgentes, quàm per Nos & Romanos Pontifices nostros Successores, & tunc nonnisi urgentissimis de causis dispensari possit. Ac tam absolvendi, quàm dispensandi facultatem hujusmodi, & quoad forum conscientiæ in casibus superiùs expressis, Nobis & Successoribus nostris duntaxat reservamus &c. Vide Bullam 2. *tom. Bullar.* inter Constitutiones Sixti V. *n.* 7. (d).

(d) Lezan. verb. Abortus, pag. 7.

6. Hanc Constitutionem moderat Gregor. XIV. Constitutione quæ incipit, *Sedes Apostolica*, anno 1591. sequentibûs: *Constitutionem prædictam sic duximus moderandam, ut à peccato & excommunicatione contra personas ibi expressas lata, tam quoad eos qui hactenus deliquerunt, quàm quoad illos qui post nostram Constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet Presbyter tam Sæcularis, quàm cujusvis Ordinis Regularis, ad Christi fidelium confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam & liberam in foro conscientiæ tantùm, absolvendi habeant facultatem; eamdem prorsùs, quam idem Sixtus Prædecessor sibi ac suis Successoribus reservavit. Quò verò ad pœnas procurantium abortum fœtûs inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocunq; modo auxilium, vel consilium eis dantium, in prædicta Constitutione contentas, Constitutionem præfatam in ea parte ubi de his agit, ad terminos Juris communis, ac sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini dispositionem, auctoritate Apostolica tenore præsentium, tam quoad præterita quàm quoad futura perpetuò reducimus, perinde acsi eadem Constitutio in hujusmodi parte numquam emanasset. Non obstantibûs, eadem Prædecessoris nostri Constitutione, quàm quoad reliqua omnia, præter contenta in hac nostra Constitutione, in suo robore omninò permanere volumus, cæterisq; contrariis quibuscumq;*. Vide Bullam *in* 2. *tom. Bullar.* inter Constitutiones Gregor. XIV. *num.* 8.

7. Ex his collige 1. Quia Constitutione Greg. XIV. Constitutio Sixti V. quoad abortum fœtûs inanimati tollitur in totum, procurans quicumque, aut consulens abortum fœtûs inanimati, non incurrit excõmunicationem, irregularitatem, aut alias pœnas à Sixto V. latas (e); peccabit tamen mortaliter id faciens, aut consulens: quia talis opera impedit semen jam effectum, & fœtum à suo naturali fine (qui est gene-

(e) Lezã. verb. Abortus, n. 4. Porrel. n. 3. Peyrin. tõ 2. de Prælat. q. 3. cap. 2. n. 49.

generatio hominis) expellit (f). Similiter non incurrit dictas pœnas dans remedium fœminæ ne concipiat, vel ut sterilis fiat; aut ipsa illud accipiens (g): quia illas pœnas latas à Sixto V. Gregorius XIV. abstulit, ad terminos Juris communis casum reducendo; quòd nihil circa hoc disponat, dicit Lezan. & Portel. *loc. cit.* Peccant tamen tales gravissimè contra naturam, eò quòd fœmina tali remediò, privetur potentiâ generativa, & impeditur conceptio fœtûs. Azor. *t.* 3. *lib.* 2. *c.* 4. Bonac. *de Restit. d.* 2. *q. ult.sect.* 1. *punct.* 7. *num.*6. & Lezan. *loc. cit.*

8. Collige 2. Quia illa Constitutio Sixti V. quoad abortum fœtûs animati à Gregor. XIV. relinquitur in suo primo statu, solo addito moderamine, quòd excommunicatio jam non sit Papæ sed Episcopo reservata, & ut ab ea possit quicunque Confessarius de speciali tamen licentia Episcopi absolvere (h), procurantes abortum fœtûs animati, aut exhibentes mulieribus, vel sumentes, aut quocunque modo auxilium, vel consilium dantes, incurrunt pœnas latas in præfata Constitutione Sixti V. Non tamen mulieres incurrunt irregularitatem (i), cùm non sint capaces ejus, non enim illæ accipient Ordines; quidquid dicant alii speculativè in oppositum: verum est practicè, quòd mulieres procurantes abortum fœtûs animati incurrant excommunicationem (k): Sic enim est usu receptum (k); non aliter tamen quàm secuto effectu, incurrit excommunicationem; & vir etiam irregularitatem. Quare si fœtus vivus exit in lucem, & non moritur, propterea quòd citiùs sit expulsus, viri concurrentes ad abortum ejus, non sunt irregulares (h); cùm non sint homicidæ.

9. Utrùm verò tales concurrentes ad abortum fœtûs animati, suos Inferiores possint absolvere Prælati Regulares? Probat Lezan. *loc. cit. n.* 8. quòd possint: adducens privilegium ab eodem Gregor. in Bulla quæ incipit, *Illius qui*, concessum Generali Clericorum Regularium ministrantium infirmis, ut possit per se vel per alios ad id deputatos, à quibuscunque censuris quomodolibet latis absolvere. Hîs præmissis

10. Ad quæstionem *Resp.* & dico: Non tantùm uxor, sed & quæcumque mulier, etiam ob avertendam infamiam aut grande scandalum, non tantùm animati, sed & inanimati fœtûs abortum procurare licitè nequit; dempto casu de quo *num. sequ.* Ita docet Bonæ Sp. cum multis.

11. Explicatur, & probatur. Dixi, *non tantùm uxor, sed & quæcunq; mulier*: sive Nobilis, sive Monialis quæ cum viro modò fornicario peccavit, & timet mortem vel infamiam, vel grande scandalum; non potest propterea ut avertat à se tale malum, procurare licitè abortum, etiam ante animationem fœtûs; sed procurans mortalissimè peccat: tum quia inquit Apostolus *Rom.* 3. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

(f) Azor. tom. 3. lib. 2. cap. 4. Sāch. lib. 9. de Matr. d. 20. n. 2.

(g) Lezan. loc. cit.

(h) Portel. Lezan.

(i) Lezan.

(k) Bonac. Lezan.

Tum quia hæc propositio est damnata: *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

12. *Non tantùm animati, sed & inanimati.* Prima pars habetur 1. *cap. Consuluisti*, 2. *q.* 5. in quo procurans abortum fœtûs animati dicitur *homicida.* Item *can. Quòd verò*, & *can. Moyses*, 32. in quibus abortus formati fœtûs voluntariè procuratus, ad homicidium reducitur. Et ex Cõstitutionibus prædictis patet. Septuaginta interpretes locum *Exod.* 21 *Si percusserit quis mulierem prægnantem* &c. vertunt: *qui percusserit mulierẽ prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro anima; si nondum erat formatus, mulctabitur pecuniâ.*

13. Quando autem reperiatur fœtus animatus, dixi *hâc ser. sect.* 1. §. 1. *n.* 16. & 17. Quibus addit P. Bonæ Sp. quòd cùm venter intumuerit, censeri debeat animatus.

14. Secundam partem quòd nequeat licitè procurare abortum fœtûs inanimati, hoc est nondum animatum rumpere & expellere, communiter admittunt DD. signanter August. *lib.* 14. *de Civit. cap.* 16. ubi ait: *coire non ad liberorum procreationem, est facere injuriam naturæ.* Et Tertulian. *cap.* 5. *Apologet.* sic dicit: *nobis verò homicidiô semel interdicto, etiam conceptorum in utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet, homicidii festinatio est, prohibere nasci; nec refert natum, qui eripit animam, an nascentem disturbet, homo est, & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est.* Cui consonat *cap. Si aliquis, de Homicidio,* ubi taliter: *si aliquis causâ explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere vel nasci soboles, ut homicida* (puta in radice solùm) *tenetur.* Ratio partis hujus est data *num.* 7. *quia talis opera* &c. Addidi hîc, *dempto casu de quo infrà:* dehocque

15. Dico: Mulier prægnans, sive uxor sive quæcumque alia periclitans de vita, si aliud remedium salvandi eam non est quàm procuratio abortûs, in tali casu distinguendum: vel fœtus inanimatus, vel animatus est? Si inanimatus? Potest illa licitè procurare abortum (l): tunc enim jus naturale conservandi Matrem vivam præponderat bono prolis non vivæ, sed futuræ: imò etiam si illa medicamenta aut alia remedia, directè tendant ad corruptionem & expulsionem illius fœtûs inanimati, potest illîs talis mulier licitè uti, docent Bonæ Sp. Sãch. Laym. Henriq. Sylv. ob datam rationem immediatè. Vel fœtus jam est animatus? Tunc subdistinguendum; vel judicatur simul cum Matre fœtum periturum? Tunc etsi illicitum est adhibere aliquid directè tendens in expulsionem fœtûs (quod pro licito admittit Lezan. cum Sanch. & aliis; negat verò Bonæ Sp. *loc. cit.* Et ratio probat, quòd propter sanita-

(l) Sanch. Laym. Lezan. Bonæ Sp. loc. cit.

sanitatem recuperandam non liceat directè procurare pollutionem (ergò nec abortum); licet tamen assumere illa quæ sunt indirectè tendentia ad destructionem fœtûs, directè verò ad sanitatem conservandam Matris; sive, non intendere corruptionem fœtûs, sed sanitatis reparationem & conservationem. Ratio est: quia meliùs est unum innocentem perire, quàm utrumque. Imò ex Diana tenedū (m) id etiam in dubio, an medicamenta sint Matri allatura vitam, vel mortem: quia meliùs est dubium medicamentum experiri quàm nullum, & ita mori. Vel judicatur Matrem sine tali remedio probabiliter interituram, & fœtum vivum è secto utero Matris extrahi posse, lavacroque baptismali salvari? Tunc illicitum est Matri procurare abortum quomodocumque (n): quia quàmvis jus naturæ spectando possit, quia *leg.* 1. & 2. *cod. ad leg. de Sicariis*, *leg.* 1. *cod. Vnde vî*, *lege Etsi quicunq̃*, *ff. Ad leg. Aquilejam*, *leg.* 1. *de Vi armorum*, *leg. Vt vim*, *ff. de Justitia & Jure*, & *leg. Injuriarum*, *ff. de Injuriis*, statuitur licere innocenti, vitæ suæ aggressorem etiam innocentem, servato tamen inculpatæ tutelæ moderamine, occidere; tamen quia hoc charitas ipsa expostulat, ut vita spiritualis animati fœtûs præferatur vitæ corporali ipsius Matris (o): Si enim Mater perdit vitam temporalem pro æterna prolis, invenit æternam; sin secùs, proles non pervenit ad vitam æternam in perpetuum.

(m) Rotarig, Bonæ Sp. loc. cit.

(n) Lezan. Bonæ Sp. Homob. Less. Laym. & alii.

(o) Laymā, Lezan. Bonæ Sp. loc. cit.

Pro discursu & solutione.

16. Contra 1. partem oppones: Non licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida, occidatur aut infametur, ùt patet ex opposita propositione damnata *infrà* posita; ergò etiam non licet procurare ob avertendam mortem, provenientem ab interitu fœtûs. *Resp.* inprimis, quòd in illa muliere periculum debuit esse prævisum; non sic in hac sequenti. Denique in moralibus, non urget paritas pro consequenti, dum est pro antecedenti decisio, & nō est pro consequenti; plus enim valet Ecclesiæ decisio, quàm excogitata ratio: jam verò ne occidatur, aut infamiam grandem patiatur, quòd possit licitè procurare abortum, damnatum est ab Innoc. XI. non est autem damnatum, quòd si deberet fœtus eripere Matri vitam, quòd possit in tali casu expelli fœtus, si aliud remedium non subsistat. Et disparitas est: quòd ex antecedente admisso sequeretur grande inconveniens, quod non sequitur ex consequente; scilicet, quòd multæ mulieres propterea caveant à carnali hocce peccato, ne fœtu concepto, prodantur & occidantur, aut infamiam grandem sustineant; quod frenum tolleretur, si licitum illis esset ob avertendam confusionem aut ne occidantur, procurare expulsionem fœtûs inanimati; & concederetur innumeris mulieribus securitas fornicandi; quod inconveniens non reperitur in consequenti.

Quare ob vitandā infamiam non licet.

17. Neque

(p) Sanch. lib. 9. d. 20. n. 10. Poncius, Bonæ Sp.

Quoad cohabitationẽ.

17. Neque poteſt licitè expellere fœtum inanimatum, ne patiatur ingentem difficultatem in partu (p): quia cùm hoc periculum ſit præviſum, eſt in inſtanti aliud remedium, ſcilicet abſtinendi à copula.

18. Quoad cohabitationem mutuam dicendum, quòd teneatur cohabitare, prout colligitur ex *cap. Litteras, de Reſtit. ſpoliat.* Ratio eſt: quia matrimonium eſt ordinatum ad procreandam prolem, & vitandam fornicationem.

19. Tenetur tamen potiùs uxor cohabitare viro, quàm vir uxori, *cap. Vnaquæq.* 13. *q.* 2. (q): quia maritus eſt caput ejus.

(q) Bonac. Sanch.

20. Excipe, niſi timeatur probabiliter grave damnum corporis vel animæ, periculum vitæ, pudicitiæ, ſalutis &c. vel aliter eſt conventum in contractu ante nuptias; aut maritus eſt factus vagus qui antea non ſciebatur talis (q).

21. Utrùm debeat eum ſequi in exilium? Non conveniunt de hoc DD. Bonac. *de Vſu matrim. q.* 4. *punct.* 6. *num.* 23. Sanch. & Reginald. apud eum tenent, quòd debeat; econtra Henriq. *lib.* 11. *cap.* 10. *num.* 4. & alii, negant.

Etiã vir uxorem ſequi debet.

22. Si uxor gravi cauſa mutet domicilium, debet eam ſequi vir; cùm habeat jus in virum & cohabitationem mutuam.

Obligatio conjugum.

23. Obligatio viri erga uxorem eſt, præter amorem mutuum, procurare ei victum & amictum juxta ſtatum ejus, & corrigere eam; uxoris verò erga virum, præter amorem & reverentiam mutuam, obedientia viro debita, cùm ſit caput ejus. Obligatio utriusque erga prolem, eſt bona educatio. Sed de his dicam *in Statera Juris & Juſtitiæ*, Deo dante.

Propoſitiones ab Innoc. XI. damnatæ ad hanc Sectionem pertinentes.

Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehenſa gravida, occidatur aut infametur. 34.

Videtur probabile omnẽ fœtum quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cum parietur, ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium cõmitti. 35.

SERIES VIII.

De divortiis; Quid ſit & quotuplex divortium?

Quid divortiũ, & quotuplex.

RESP. Divortium, eſt legitima viri ab uxore & econtra ſeparatio. Eſt autem triplex. 1. quoad torum, hoc eſt quoad carnalem copu·

copulám. 2. est separatio quoád torum & mutuam cohabitationem: & hæc, vel est ad tempus, vel perpetua, ùt patebit ex dicendis. 3. quando est etiam quoad vinculum, ut omninò dissolvatur ac si nullum esset; quod contingit, quando fit divortium ob impedimentum aliquod dirimens. Sed de hoc sufficienter dixi *de Indissolubilitate matrimonii*. Neque teram gratìs tempus de divortiis quoad torum, utrùm se separare potest conjux, non reddendo debitum? quia sat de tali dixi, *de Redditione debiti* dicendo. Sed dicam de divortio secundo modô sumpto, scilicet quoad torum & cohabitationem mutuam, sitque

SECTIO I.

Ob quas causas conjux licitè potest, ob quas tenetur, ob quas non potest facere divortium?

I. RESP. & dico 1. Potest licitè facere divortium conjux, 1. uxor ob sævitiem mariti, qui nimis rigidè & injuriosè se gerit erga eam, levibus de causis graviter eam verberando; nisi sufficiens ab eo cautio exhibeatur de non offendenda ea, ùt patet *cap. Literas, de Restit. spoliat.* & *cap. Ex transmissa* (a). Ad quod animadvertere oportet, quando uxor timet grande malum futurum (a): quod præsumi potest, quamdiu vir retinet concubinam (b) domi, vel extra domum. Quare requiritur pignoratoria aut juratoria cautio danda uxori. Attamen data tali cautione, potest uxor moderatè percuti, si opus est tali correctione, docent Bonac. *de Iis quæ pertinent ad usum matrimonii q. 4. punct. 5. prop. 2. n. 25.* & alii apud eum.

(a) Bonæ Spei, Sanch.

Causæ ob quas conjux potest divortium facere.

2. Secundò, quando ob morbum contagiosum alterius, timet grave malum (a). Pro hoc sunt *suprà* immediatè citata *cap.* Et ratio est casûs primi & secundi: quia lumen naturæ dictat, unumquemque posse grande sibi imminens malum, vitare. Attamen sicut de sævitie, ita de morbo contagioso prudenter constare debet.

3. Tertiò, ob adulterium alterius conjugis, propter quod innocens se separare valet. Colligitur etiam ex S. Scriptura *Matth. 5. Omnis qui dimiserit uxorem suam, exempta fornicationis causâ* &c. Et 19. *Dico autem vobis, quia quicumq; dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem* &c. Dixi, *etiam ex S. Scriptura*: cùm id præterea colligatur ex *cap. Significasti, 4. cap. Ex litteris*; & *cap. Gaudemus, de Divort.* Hocque fundatur in Jure naturæ, *frangenti fidem, fides frangatur eidem, leg. Si cùm venerit, ff. Pro socio,* & *cap. Pervenit, de Jure jurando.* Matrimonium est initum, ut per illud fiat una caro, & non dividatur, juxta illud

illud *Genes.* 2. *erunt duo in carne una*; non dicit Scriptura S. *tres vel plures*, sed *duo*; nec dicit, *adhærebit uxoribus*, sed *uxori*.

4. Ex hoc autem quòd causa divortii sit adulterium, *inde quòd dividatur caro secundùm usum naturalem generationi aptum*, inferunt DD. quòd oscula, tactus impudici, mollities, etiam in ordine ad adulterium, sive imperfecta sive perfecta, sive adminiculô proprio sive alieno procurata,
(b) Omnes. non est sufficiens causa ad faciendum divortium (b): quia per tales actus non dividitur caro. Neque copula imperfecta (c) est causa sufficiens.
(c) Rotar.

5. De sodomitico actu non conveniunt DD. Sanch. enim cum Bonac. *loc. cit.* afferunt esse causam sufficientem ad faciendum divortium; econtra negant Aversa *q.* 23. *sect.* 2. Rotar. Basil. Ponc. *lib.* 9. *c.* 18. *n.* 5. Bonæ Sp. *d. ult. resol.* 1. *n.* 8. Ratio horum est DD. quia adulterium se non extendit ad alia peccata. Illorum ratio est: quia caro dividitur per talem actum.

6. Quarta causa est, ob quam fieri potest divortium, si unus occidere alterum tentaverit. Ita Sanch. *d.* 18. *n.* 22. Covar. 4. *Decretal. part.* 2. *c.* 7. §. 6. Bonac. *loc. cit.*

7. Quinta causa, si unus conjux alterum ad peccandum pertrahat, aut solicitet, *cap. de Divort.* & *cap. Idololatria*, 28. *q.* 2.

8. Unde uxor præmissa monitione, si eam vir solicitet ad peccatum sodomiticum, potest illũ deserere, donec resipiscat; similiter si ad peccandum cum alio, docent communiter: quia cum gravissimo animæ aut corporis sui detrimento, non tenetur cum eo cohabitare.

9. Secùs dicendum, quòd ipse in se sit sceleratus, dummodo fidem
(d) uxori servet (d): colligitur ex *cap. Mulier*, ubi dicitur quòd *pro furto*
Bonæ Sp. *vel alio crimine viri ab eo separari non debet.* Et ex *cap. Quæsivit*, ubi Alexander III. ita ordinat: *Nos itaq; taliter respondemus, quòd mulier pro furto vel alio crimine viri sui (nisi fidei suæ religionem corrumpere velit), ab eo separari non debet; Verùm si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit separari, ita quòd ei nubere alteri non licebit: quia licèt separetur, semper tamen conjuges erunt.* In Corp. Jur. Can. *de Divortiis*, *pag.* 221.

10. Sexta causa est, quando ex mutua cohabitatione, conjux timet interitum aut grave damnum, ùt si uxor est venefica, filios interficit. Bonacina *loc. cit.*

11. Septima est, si alteruter incidat in hæresim, vel paganismum, vel judaismum: nam sic decisum est *cap. final. de Conversat. conjugat. cap.* 5. *de Divort.* & *cap. Idololatria*, 28. *q.* 1. Et in S. Scriptura *ad Tit.* 3. *hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem devita.* Ratio est: quia spiritualiter mœchatur.

12. Octa-

12. Octava, quando de mutuo consensu uterque aut alteruter intendit ingredi Religionem. Ita communiter DD. Vide *de Ordine ser.* 4. *n.*25.

13. Dico 2. Maritus uxoris adulteræ, probabiliter sperans emendationem ejus fieri per divortium, si aliter eam corrigere & à peccato retrahere nequeat, tenetur sub mortali peccato facere cum ea divortiū; nisi inde gravius malum eventurum timeat. Ob quas tenetur.

14. Explicatur & probatur. Si aliter corrigere & ab adulterio eam retrahere, v.g. verberibûs, reclusione &c. nequeat, & sperat emendationem fieri per divortium, tenetur sub peccato mortali cum ea facere divortium: quia ita ordinatum est *cap. Si vir*, *de Adulter.* Et ratio est: quia vir est caput mulieris; ejus ergò muneris est uxorem à peccato retrahere. Quare quia uxor non est caput viri, non obligatur sub mortali ad faciendum divortium cum suo viro adultero, cùm non sit ejus muneris virum punire (e); Sed potest facere, vel non facere.

(e) Alar. Rotar.

15. Addidi, *nisi vir inde timeat gravius malum*: nam si probabiliter timeat rixas inter consanguineos, aut in se lapsum incontinentiæ, aut in uxore periculum liberiùs adulterandi, tunc non tenetur facere divortium; cùm non obligetur cum tanto incommodo corrigere delinquentem.

16. Secundus casus est, quando maritus innocens censetur fautor adulterii, & aliter non potest occurrere scandalo, quàm per divortium, tunc tenetur propter evitandum scandalum facere cum uxore adultera divortium. Tenent Sylv. *verb. Debitum*, *n.* 15. Navar. *cap.* 16. *n.* 28. Cajet. *verb. Matrimonium*, ad finem, Sanch. *lib.* 10. *d.* 13. *n.* 10. & alii apud Bonac. *q.* 4. *punct.* 5. *num.* 13.

17. Dico 3. Casus sunt quibus non licet conjugi facere divortium cum altero conjuge adultero. Primus est *cap. Significasti*, si etiam ipse perpetravit adulteriū. Ratio est: quia *paria delicta, mutua cōpensatione tolluntur*, inquit Glossa. Ob quas nō potest.

18. Et quid si unius adulterium est publicum, alterius occultum; potestne hic cum illo facere divortium? *Resp.* quòd non (e). Ratio est immediatè data: quia *paria delicta* &c. Nisi urgeat grave scandalum. Casus.

19. Quæritur etiam, si illorum unus se emendaverit, potestne facere divortium cum eo, qui in sua turpitudine perseverat? *Resp.* quòd præmissa monitione & non sortita correctionem, potest cum tali facere divortium (f): nam si uterque resipisceret, & iterùm unus eorum relaberetur in adulterium, innocens posset cum eo facere divortium; ergò similiter in proposito, cùm correctus sit innocens.

(f) Sanch. lib. 10. d. 7. n. 4. Petrus Le desm. q. 62. a. 1. Bonac. loc. cit.

20. Secundus casus est, si vir directè dedit causam adulterandi, adulterium vel expressè vel tacitè concedendo; ùt si eam prostituerit,

 aut

aut non prohibuerit dum facilè potuit (g): Sic enim volenti non fit injuria. Dixi tò *directè*: nam si solùm indirectè ac remotè causa fuit, eò quòd non administraverat ei vestes pretiosas juxta ejus statum, aut alimenta negaverat, aut ex ira è domo ejecit eam, & ea adulteret, potest separari ab ea per divortium ob adulterium tale (g); cùm non dederit ei causam sufficientem ad committendum adulterium, ad quod nulla talis causa dari potest, cùm potiùs mori debeat quàm adulterare.

(g) Bonac. Rotar.

21. Tertius casus est, si adulterium sit per vim factum, aut sine adulterii culpa commissum, juxta *cap. In lectum*, 34. *q.* 2. & *cap. Proposito*, 33. *q.* 5. Ut si credat proprium virum, cum quo habet copulam; aut priorem esse mortuum, cum alio contraxit. Ita Bonac. Petrus à S. Joseph, Sanch. *loc. cit.*

22. Quartus casus est, si innocens expressè vel tacitè per sequentem copulam, injuriam nocenti remiserit: quia ei remittendo, cedit juri suo.

SECTIO II.

Qua authoritate potest fieri divortium, & quæ ad illud requiruntur?

I. RESp. & dico: Communis quidem est sententia DD. quòd conjux habens paratas probationes ad judicium (a), propria authoritate possit se separare ab altero conjuge (b): quia Jure naturæ frangenti fidem fides servanda non est; nisi sequatur ex divortio scandalum, *cap Dixit Dominus*, 31. *q.* 1. & sic potest in longinquam Regionem ire (b). Consulendum tamen talibus, ut non aliter fiat divortium quàm judiciò Ecclesiæ: nam *cap. Porrò*, Alexander III. Episcopo Ambianensi sic scribit de Comite Pontini: *qui B. uxorem suam absq; judicio Ecclesiæ dimisit, quia eam cognatam fuisse uxoris defunctæ proponit, prudentia tua cognoscat, quòd si etiam parentela esset publica, & notoria, absq; judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit; quare ipsum ad eam recipiendam, quæ petit restitutionem ipsius, districtè compellas; quam si recipere noluerit, eum & superinductam, vinculò excommunicationis adstringas.* Et Urbanus III. Episcopo Florentino taliter ordinat *cap. De illa* (c): *quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis quòd mulier (maximè si ea intentione decessit, ut lapsus in hæresim tædiô pariter & confusione affectus se ab errore converteret), ei cùm reversus fuerit est reddenda; quæ etiamsi reverti noluerit, compellatur. Si verò judiciò Ecclesiæ ab eo recesserit, ad recipiendum* eum

(a) Bonæ Sp.
(b) Sot. d. 36. q. unic. a.2.c.3. Ledesm. Sāch. lib. 10.d.12. n.31. Bonac. loc. cit.

(c) Cap. 5. ead. tit. in 1. Cōpil.

eum nullatenùs dicimus compellendam. In Corp. Jur. Can. *de Divortiis pag.* 221.

2. Requiritur autem ad faciendum divortium propter adulterium, ut conjux volens facere divortium ſit certus moraliter de adulterio: quia poſſeſſio ſtat pro altero; & nemo in dubio privandus eſt ſua poſſeſſione. Ille verò eſt certus moraliter, qui habet fundamentum magnum ſuſpicionis: ùt ſi adultera confiteatur conjugi, vel alteri ſuum adulterium, aut inventa eſt nuda cum nudo, aut ſola cum ſolo in lecto, *cap. Litteris, de Præſumptione* (d); non ſufficiunt autem verba amatoria, oſcula, amplexus (d).

Quæ requiruntur ad faciendũ divortium.

(d) Bonac.

3. Inſuper pro foro externo ſeu judiciali, requiruntur probationes, & ut adulterium ſit publicum ac notorium (e), *cap. Significaſti, de Divortiis.*

(e) Rotar.

4. Inſuper requiritur accuſatio, & teſtimonium in cauſa matrimoniali perſonaliter; & non per litteras fieri debent. Ita Clemens III. *cap. A nobis*, dicit eſſe quæſitum, *utrùm aliqui ſuper accuſatione matrimonii, nihil voce propria depromentes, debeant per ſolam chartulæ conſumptionem admitti? Ad hoc reſpondemus, quòd in talibus, niſi quantùm ad præſumptionem, nullius momenti eſt conſcriptio quoad ſententiam proferendam, niſi alia legitima adminicula ſuffragentur.*

5. In cauſa matrimoniali ſuper conſanguineitate, repellitur ab accuſatione matrimonii qui denuntiationis tempore tacuit; niſi denuntiationem probabiliter ignoravit, vel juret de novo didiciſſe, & quòd non objicit illam malitiosè. Ita Innocentius III. *cap. Cùm in tua Diœceſi.* In Corp. Jur. Can. *p.* 220.

SECTIO III.

Quæ poteſt conjux & tenetur facere facto divortiò?

I. DIco 1. Poteſt innocens cogere nocentem, ut ad eum redeat (a). Ratio eſt: quia ſententia divortii facta eſt in pœnam adulterii, & in favorem innocentis. Unde poteſt innocens revocare adulterum in amicitiam, *cap. Si vir, de Adultero;* quàmvis non teneatur, *cap. Admonere,* 33. *q.* 2. Inde habetur differentia inter inceſtum & adulterium, quòd alter conjux innocens poteſt huic, non illi cencedere jus petendi debitum. Notandum, ſi innocens non poteſt continere, abſolvendus non eſt niſi reconcilietur, dicit Alarius *num.* 13.

(a) Petrus Ledeſm. q. 62. a. 6. Sanch. lib. 10. d. 10. n. 3. Bonac. loc. cit.

2. Dico 2. Conjux innocens, poſt factum judiciô Eccleſiæ divortium, poteſt invita comparte nocente profiteri Religionem, aut ſacros Ordines ſuſcipere: deciſum enim eſt *cap. Agatoſa,* 27. *q.* 2. & *cap. Conſtitutus, de Converſ. conjugat.*

Pro discursu & solutione.

3. Dices: Inde sequitur non parvum absurdum, quòd si uxor innocens, invito maritô esset professa solemniter, illa, casu quô peccaret copulâ cum marito, votum tale posset irritare maritus, juxta dicta *hac ser. sect.* 3. *n.* 18. *Resp.* Nequaquam posset irritare: hoc enim solemne votum, & annexum sacris Ordinibus excipitur: nam Ecclesia concedit innocentibus, in pœnam nocentium adulterorum, profiteri sacram Religionem, & sacros Ordines suscipere; ista autem vota, ita vult ab eis observari, ut ab omnibus actibus venereis in perpetuum abstineant, cùm sint vota perpetua.

4. Dico 3. Similiter facto divortiô, judiciô Ecclesiæ, ob hæresim aut infidelitatem, quòd unus eorum in eam lapsus est; alter remanens in fide, potest nocente illo vivente qui ab infidelitate convertitur, convolare ad Religionem, & eam profiteri, vel in mundo remanere, & ad suum consortium illum revertentem non admittere: *cap. final. cit. De illa, suprà cit.*

5. Addidi, *facto judiciô Ecclesiæ*: nam si propria authoritate factum esset divortium, tunc non posset innocens Religionem profiteri, neque Ordines sacros recipere; sed ad fidem revertente altero, ad eam redire teneretur, ùti hoc *cap. De illa, suprà* deciditur.

6. Quare etiamsi innocens professus aut professa esset, redire ad conversum tenetur; nisi ei licentiam permanendi in tali statu concedat. Docet Petrus à S. Joseph cum Bonæ Sp. & aliis. Vide *de Indissolubilitate matrimonii suprà, num.* 3.

7. Non potest autem nocens sine licentia innocentis ingredi Religionem, aut sacros suscipere Ordines: quia innocens habet jus revocandi nocentem, quandocumque ei placuerit. Secùs esset, si post professionem innocentis esset: tunc enim jam non haberet jus revocandi ad maritalem cohabitationem. Non tamen ineundi matrimonium, cùm vinculum matrimonii maneat usque ad mortem compartis, ùt jam dixi *suprà.*

8. Addunt tamen Sanch. *lib.* 10. *d.* 11. *num.* 6. Henriq. *num.* 6. Reginald. *lib.* 31. *num.* 326. Ledesma *q.* 53. *a.* 4. Bonac. *loc. cit.* & alii, quòd si nocens aliquoties petat reconciliationem ab innocente, & non conceditur ei, censetur ei concedi licentia intrandi Religionẽ, aut suscipiẽdi sacros Ordines. Quam sententiam non admitto; cùm possit innocens ob justas rationes multoties reconciliationem denegare, separationem protrahendo, non in perpetuum consortem dimittendo. Et sic Idearũ Sacramentalium in Gloriam JESU Christi Sacramentorũ Authoris, Matrisque ejus Purissimæ, necnõ Magni utriusque Zelotis Sancti Patris nostri Eliæ Venerationem.

FINIS PARTIS I.

PARS II.





ORDO IDEARUM, CENSURARUM ECCLESIASTICARUM,

Multa de censuris in communi, & in specie, de excommunicatione, suspensione, interdicto; item de degradatione, depositione, cessatione à Divinis, & irregularitate, paucis exponens. Et quia quò distinctiùs eò clariùs, sit itaque

DISTINCTIO I.

Respiciens Ideas Objectivas, sive ipsas rationes intelligibiles Ecclesiasticarum censurarum in communi.

SERIES I.

De quidditate Ecclesiasticæ censuræ in communi.

Addo, *Ecclesiasticæ*, excludendo censuram in communi, ad hunc Tractatum prorsùs impertinentem; prout & eam censuram, quæ apud Romanos significabat sententiam Censoris (cujus muneris erat, de Civium moribus quærere, quinam erant promovendi qui non), aut pœnam à Censore illo latam. Non de tali censura, aut alia; sed de Ecclesiastica tractabimus. De qua sit imprimis

SECTIO I.

Quid sit censura?

1. Resp. & dico: Censura, est pœna spiritualis, medicinalis, Ecclesiastica Definitio censuræ.

siasticâ fori exterioris, privans hominem baptizatum usu aliquorum bonorum spiritualium. Ita Verani, Bonac. Lezan. Justinian. à S. Michaële & alii.

2. Explicatur & probatur. Dicitur *pœna*: quia non infertur neque contrahitur, nisi ob culpam (a). Et in hoc habetur genus, in quo omnes censuræ conveniunt, quòd sint pœnæ.

(a) Verani, Iustinian. à S. Michaële.

3. *Spiritualis*: cùm sit pœna animæ. Et est ad differentiam pœnarum corporalium.

4. *Medicinalis*: quia imponitur non tantùm ut homo puniatur, sed magis ut resipiscat, & recedat à culpa ac contumacia, ùt desumitur ex *cap. Ex litteris, de Censuris*. Dupliciter autem dicuntur censuræ, pœnæ Ecclesiasticæ medicinales. Primò, ratione aliorum Fidelium, quatenùs timore pœnarum talium, avertuntur à talibus delictis. Secundò, respectu illorum quibus imponuntur, inquantum ob eas resipiscunt, & à contumacia desistunt. Neque obest, quòd in aliquibus tales pœnæ non sortiantur suum effectum; cùm hoc non proveniat ex defectu talis medicinæ, sed per accidens, ex defectu subjecti inutilis.

Cẽsura quomodo medicin.

5. *Ecclesiastica*: hoc est potestate Ecclesiæ inflicta.

6. Dicitur, *fori exterioris*: quia pœna quam Confessarius imponit in foro pœnitentiario, non est censura; quàmvis sit pœna spiritualis Ecclesiastica, cùm sit potestate Ecclesiæ. Unde suspensio, quâ pœnitens Sacerdos suspenditur à celebrando per Confessarium, non est vera suspensio, quæ irregularem facit celebrantem: quia non est inducta ab habente jurisdictionem in foro exteriori, quod est necessarium ad inducendam censuram: ùt videbimus.

7. *Privans hominem baptizatum*: nam Ecclesia, nec habet jurisdictionem spiritualem super non baptizatos, nec tales sunt capaces bonorum spiritualium.

8. Dico, *usu bonorum spiritualium*: spiritualia enim sunt bona, quibûs privat censura: ùt videbimus *infrà*. Et differentia habetur ab aliis temporalibus sive corporalibus, quibûs etiam Ecclesia privare solet. Privat quidem Ecclesia imponendo censuras usu corporalium seu externarum actionum, sed per accidẽs & secundariò; quatenùs hæc privatio sequitur ad illam spiritualium actionum. Hinc censura privat communione humana, honore, salutatione & aliîs: semper indirectè, in ordine ad spiritualia (b).

(b) Verani, Bonac.

9. Et non gratìs addidi, privans aliquibûs: nam non privat omnibus bonîs spiritualibus: non privat enim habitibûs permanentibus, nec charactere indelebili. Quapropter non potest censura privare potestate Ordinis, nec gratia habituali &c. &c.

10. Ex

10. Ex his collige, peccatum non esse censuram: quia quàmvis privet bonis spiritualibus, gratia habituali & usu Sacramentorum, maximè susceptione Eucharistiæ; non est tamen pœna Ecclesiastica. Bonac. *de Censuris disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. *prop.* 1. *n.* 3. Reginaldus & alii.

Peccatum non est censura; quare?

SECTIO II.

Quotuplex sit censura?

I. ANte Resol. præmitto, non deesse DD. qui cum N. Cornejo asserunt esse 7. censuras: excommunicationem, suspensionem, interdictum, irregularitatem ratione delicti, degradationem, depositionem, & cessationem à Divinis. Contra quos

2. Dico, tres tantùm esse species censuræ: excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Ita Glossa in *cap. Quærenti, de Verborum signific.* Ostiensis *ibid.* Panormitanus in *cap Præterea, a.* 2. *de Offic. deleg.* in *cap. Cler. n.* 4. Lezan. & alii communiter. Ratio est: tum quia ita videtur esse determinatum ab Innoc. III. in *cap. Quærenti, de Verborum signific.* qui interrogatus, quid per censuras intelligeretur? *Respondit*, intelligi interdictum, suspensionem & excommunicationem: quæ responsio manca esset, si præterea darentur aliæ species. Estque hæc sententia conformis Stylo Curiæ (a), qui istas & non plures species pro censuris usurpat. Possunt quidem & reliquæ pœnæ *suprà* numeratæ, dici censuræ, sed non aliter quàm reductivè (b): inquantum priores tres, nempe irregularitas ratione delicti, degradatio, & depositio, reducuntur ad suspensionem, quia per ipsas homo est quasi suspensus à receptione & usu Ordinum; ultima verò, scilicet cessatio à Divinis, reducitur ad interdictum.

Tres sunt species censuræ.

(a) Lezã. Suar.

(b) Cornexo, Lezã. Iustinian. à S. Mich. Stephanus à S. Paulo.

3. Ultrà exdividitur censura, tam excommunicationis quàm suspensionis & interdicti. Alia est quæ dicitur à Jure, estque quæ fertur per legem, aut statutum perpetuum. Alia ab homine, ea scilicet quæ fertur à Judice aut Prælato permodum mandati, vel sententiæ judiciariæ, absque intentione, legem aut statutum condendi in perpetuum (c). Inter censuras ab homine, numerantur latæ ab Episcopo per Decretum tempore visitationis (cùm sint permodum mandati): proinde eô mortuô, aut ad alium Episcopatum assumptô, vim suam amittunt; nisi à Successore renoventur, & confirmentur (d). Quid verò de nostris Provincialibus dicendum, patet *part.* 3. Constit. *cap.* 21. *n.* 15. Ultrà, alia est latæ sententiæ, alia ferendæ: illa est, quæ ipsô factô, criminis commissione, incurritur; hæc est, quæ per sententiam infligenda est (c).

Hæ exdividuntur.

(c) Lezan. Bonac.

(d) Sylv. Sayr. Octav. n. 626. p. 116.

4. Quæ-

Censura latæ sentētiæ.

4. Quæres, unde cognoscitur, quòd sit latæ, aut ferendæ sententiæ censura? *Resp.* Cognoscitur censura latæ sententiæ, si ponantur hæc verba: *ipsô factô*, *ipsô Jure*, aut *eô ipsô*, aut *latæ sententiæ*, vel *confestim*, *statim*, *illicò*, *continuò*, *extunc*, *omninò*, *prorsùs*, *mox*, *protinùs* (c). Item cognoscitur inde, si feratur per verbum de præsenti, vel præterito tempore: ùt si dicatur v.g. *qui hoc*, vel *illud fecerit*, *excommunicatur*, *suspenditur*, vel *est excommunicatus*, *suspensus*, aut *noverit se excommunicatum* vel *suspensum* &c. vel si dicatur: *sit anathema*; cùm idem sit ac si diceretur, *sit excommunicatus*. Ita sentiunt Suar. *d.* 3. *sect.* 3. *n.* 4. Sanch. *de Matrim. lib.* 7. *d.* 12. *n.* 2. Bonac. *loc. cit.* Aut fertur per verba imperativi modi, temporis præsentis, v.g. *maneat excommunicatus*, *suspensus* &c. Immediatè citati.

Ferendæ.

(e) Cōmuniter.

(f) Lezan. tom. 1. cap. 10. num. 29.

5. Censura verò ferenda agnoscitur ex sequentibus: si dicatur, *incurrat censuram comminatoriam*, vel *præcipimus sub pœna excommunicationis* &c. aut si ponantur verba, *excommunicabitur*, *suspendetur* (e), *excommunicetur*, *suspendatur* (f). Ad quæ verba reflectit Bonac. Vel sunt in præcepto ad Judicem inferiorem? Denotant censuram ferendam: vel modô imperativo intimant voluntatem ferentis? Intelligitur latæ sententiæ censura.

6. Si dubium sit, an latæ sententiæ, an ferendæ sententiæ censura dicenda: benignior sententia tenenda est, quòd sit ferendæ: prout colligitur ex *Regula* 49. *Juris in* 6. Docent Felin. Bonac. *loc. cit.* contra alios apud eos.

SERIES II.

De causa efficiente censurarum.

SECTIO I.

Quis habet potestatem instituendi, ferendi, applicandi censuras?

1. PRæmitto 1. quòd Jure Divino (nam à Christo Domino) data sit potestas in Ecclesia Dei, censuras instituendi, & applicandi. Ita omnes Catholici.

Christus dedit potestatē Ecclesiæ cēsuras ferēdi.

2. Probatur: quia Christus dedit Petro & Apostolis eam: nam dixit *Matth.* 16. & 18. *quodcunq; ligaveris* (seu ligaveritis) *super terram*, *erit ligatum & in cœlis*. Per hæc verba dedit eis jurisdictionem tam

quoad

quoad forum internum, quàm etiam quoad forum externum; cùm non limitaverit eam: ùt notavit Innoc. III. in *cap. Solitæ*. Item *Matth.* 18. ordinavit: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*: hoc est, ùt segregatus à Fidelium consortio & eorum communione: prout communiter explicant SS. PP. Unde Paulus 1. *Corinth.* 5. incestuosum quendam tradidit satanæ inquiens: *judicavi tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis*. Quod nihil aliud significat, quàm illum excommunicasse. Item ibi: *auferte malum ex vobis*. Ubi D. August. sic explicat ut sensus sit: *auferte hominem malum & perniciosum à vobis, separate per excommunicationem*.

3. Neque hæc potestas & censura, est in destructionem Fidelium, cùm nec virtutes, nec gratiam tollat; sed est in ædificationem, scilicet ut commoveantur homines contumaces ad resipiscendum, ac deserendam contumaciam. Objectio solvitur.

4. Præmitto 2. quòd nulla censura sit instituta aut lata Jure Divino (a); cùm nulla Scripturâ id probari possit. (a) Sayr. Verani Theat.

5. Dices: *Matth.* 18. Christus tulit sententiam: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Item Apostolus 2. *Thessalon.* 8. ait: *denuntiamus vobis in nomine Domini IESV Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre, inordinatè ambulante*. Rursùs *Tit.* 3. *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita*. Et 1. *Corinth.* 5. vult: *cum hujusmodi nec cibum sumere*. *Resp.* ad 1. Sermo est non de lata, sed ferenda aliqua censura: colligitur inde quòd statim subjunxerit Christus: *quodcunq; ligaveris super terram* &c. Ex aliis authoritatibus plus non sequitur, quàm quòd debeamus tales cavere; cùm communicatio eorũ sit nobis noxia.

6. Dico, quòd potestas instituendi censuras, resideat in solo Papa, cùm censuræ sint ritus universalis Ecclesiæ; ferẽdi verò eas, præter Papam respectu omnium Christianorum, habent potestatem respectu suorum subditorum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi habentes proprias Diœceses, *cap. Debent*, 11. *q.* 3. Vicarii recensitorum (b); Cardinales in propriis Ecclesiis suorum titulorum, quia in eis habent jurisdictionem Episcopalem, ùt habetur in *cap. His quæ*; Generales, & Abbates Regulares, *cap. Cùm in Ecclesiis*; Concilia Generalia & Provincialia, *cap.* 1. *de Judiciis*, & *cap. Grave nimis, de Præbend.* Item Synodus Diœcesana, Capitulum Ecclesiæ Cathedralis sede vacante, ùt constat ex *cap. unic. eod. tit. in* 6.; Vel si detineatur Episcopus in captivitate: quia tunc censetur civiliter mortuus, *cap. Si Episcopus, de Supplenda neglig. Prælatorum in* 6. Item Vicarius electus à Capitulo: ex Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 16. *de Reformatione*. Et alia inferiora Capitula, mortuó physicè aut morali-

Potestas instituendi cẽsuras in solo Papa. Ferendi verò in aliis etiam.

(b) Gloss. cap. Licet, de Offic. Vic. in 6.

ter eorum Prælatô. Item Provinciales, Priores & Guardiani, quia isti habent jurisdictionem quasi Episcopalem: ùt colligunt communiter DD. ex Clement. *de Rebus Eccles. non alienād. verb. Proprii.* Et ex *cap. Abbatis, de Privileg. in* 6. (c). Non possunt tamen imponere irregularitatem, etiam Episcopi; sola enim Pontificis authoritate, & in casibus à Jure expressis incurritur: *cap. Is qui, de Sentent. excom. in* 6. (c). Parochi poterant antea à Jure, 2. *q.* 1. *cap. Nemo*, ferre excommunicationem in suos Parochianos, in notoriis criminibus, quàmvis non in occultis quæ requirunt indagationem judicialem, ùt videre est apud Ostien. & NN. Guidonē & Doct. Resol. *in* 4. *d.* 18. *q.* 1. *a.* 1. Sed hæc facultas revocata est per Concil. Trident. *sess.* 25. *c.* 3. *de Reform.*

(c) Suar. Lezā. loc. cit.

Prælati irregularitatem imponere nequeunt.

7. Notandum id, quod dicit & probat Doctor Resolutus *in* 4. *d.* 17. *q.* 2. *a.* 3. quòd arbiter (nisi sit Judex delegatus) censuram, excommunicationem, ferre nequeat. Rationem dat: *nam ab omni excommunicatione appellari potest, & per legitimam appellationem suspenditur excommunicatio, & si lata sit pòst, nulla est, de Sentent. excom. cap. Per tuas. Sed ab arbitro compromissario non potest appellari; ùt hîc suprà de Arbitris cap.* 1. *eò quòd à tali non appellatur: sed ejus sententia sive sit æqua sive iniqua, tenenda est; & sibi imputet qui sic voluntariè in ipsum compromisit.* Et *ultrà* dicit: *Aliud est arbitrium, aliud judicium; & alius arbiter, alius Judex: Sed per hoc, quòd concertantes voluntariè compromittunt in arbitratorem quòd stent sententiæ ejus; non datur ei judiciaria potestas, aut jurisdictio: cùm non ponatur ibi aliqua delegatio ab habente judiciariam potestatem, aut jurisdictionem.* Hujus sententiæ sunt etiam Ostien. *tit de Sentent. excom.* §. *Quis possit excommunicare*, Joan. Andr. 6. *de Arbitris, cap.* 1. Guido & alii.

SECTIO II.

Quænam conditiones requirantur, ut quis possit validè ferre censuras?

1. RESP. imprimis oportet ut habeat jurisdictionem in foro externo; cùm censura sit actus jurisdictionis externæ: prout sumitur ex *cap. Cùm ab Ecclesiarum, de Offic. Ordinar.* (a).

(a) Lezā. Lay.

Cōditiones ut habeatur jurisdictio.

2. Hinc requiritur secundò ut sit Clericus, non laicus: *cap. Decernimus, de Judiciis, cap. Indicatum, d.* 89. Conveniens enim est ut hæc potestas Ecclesiastica, exerceatur ab Eccesiastico, saltem tonsurâ initiato: consequenter debet esse vir non fœmina: *cap. De Monialibus, de Sentent. excom. cap. Nova, de Pœnit. & remiss.* & *cap Delicta.*

3. Unde

3. Unde non poteſt fœminis committi facultas ferendi cenſuras : nec pſæ, ſive Matres, ſive Abbatiſſæ, Monialibus præcipere ſub pœna excommunicationis, vel alterius cenſuræ (b); nihilominùs tenentur eis Moniales obedire eò quòd obediētia ſit unū ex præceptisRegulæ. Nec Clerico conjugato conceditur hæc poteſtas (c).

(b) Sot. in 4. d. 20. q. 1. a. 4. Lezan. tom. 1. cap. 26. num. 11.

(c) Verani.

4. Requiritur præterea ne poteſtas ſit impedita: cùm talis nequeat ſuum effectum producere. Et ſicut debet eſſe, privatione uſus rationis non impeditus, ùt in ebrio, furioſo, inſano, quia ferre cenſuras, eſt actio humana (d), quæ non convenit ebrio & inſano; ita etiam debet eſſe, non ligatus cenſurâ: v. g. excommunicatione aut ſuſpenſione. Talis enim, ſive Epiſcopus ſive Prælatus Ordinis, qui eſt publicè excommunicatus, aut notorius Clerici percuſſor, aut hæreticus vel ſchiſmaticus, aut ab officio ſeu jurisdictione ſuſpenſus, nequit validè ferre cenſuras: quia tales cenſentur privati uſu jurisdictionis ac poteſtatis, ferendi dictas cenſuras: ùt patet ex *cap. Audivimus*, 24. *q.* 1. & *cap. Exceptionem*, *de Exempt.* & *cap. Approbandum*, *de Sentent. & rejudic.*

Ne poteſtas ſit impedita cenſurâ.

(d) Verani, Lezan. Cornex.

5. Tria ſunt notanda circa hoc impedimentum. Primum, quòd talis debeat eſſe excommunicatus nominatim: quia de excommunicato occulto non conveniunt omnes, an cenſura ab eo lata, valida ſit, nec ne? In favorem cenſurati occulti, ſunt Verani *de Cenſur. d.* 36. *ſect.* 5. Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 2. *a.* 1. Covaruv. in *cap. Alma Mater*, 1. *part.* §. 7. *n.* 9. & §. 1. *n.* 4. Imò in Extravag. Martini V. quæ incipit, *Ad evitanda ſcandala*, ordinatur: excommunicatum toleratum in his quæ procedunt ab officio ejus publico, non eſſe vitandum ante denuntiationem, etiam ab illis quibus ejus excommunicatio nota eſt (e). Secundum, quòd talis excommunicatio debet eſſe major: quia qui tantùm minore excōmunicatione eſt excommunicatus, in alios ferre cenſuras validè poteſt; etiamſi illa excommunicatio ſit publica: colligitur ex *cap. final. de Cleric. excom.* Tertium de ſuſpenſo, ut ſit ſuſpenſus à jurisdictione: nam ſi tantùm eſt ſuſpenſus ab Ordine, poteſt ferre in ſubditos cenſuras: patet ex *cap. Tranſmiſſam*; cùm hoc ſpectet ad jurisdictionem.

Ad quid hæc requirūtur.

Minor excommunicatio non impedit.

Suſpenſus ab Ordine, ferre cenſuras poteſt.

6. Ex his reſolves caſus. Vicarius Epiſcopi excommunicati excommunicatione majori, nequit validè ferre cenſuram in alium. Ita enim habetur in *Deciſ.* 4. *Rotæ de Offic. Vic.* Et ratio eſt: quia jurisdictio Vicarii dependet à jurisdictione Epiſcopi: conſequenter ceſſante vel impedita jurisdictione Epiſcopi, ceſſat vel impeditur jurisdictio Vicarii. Idē dicendum de jurisdictione Judicis delegati: ùt habetur *cap. Licet, de Offic. delegati.*

Impedita jurisdictione Epiſcopi, impeditur & Vicarii ejus. Idem deDelegato.

7. Item invalida eſt cenſura Judicis inferioris, contra ſuperioris prohibitionem: *cap. Quia plerią;* (ſubintellige), ſi non ſolùm prohibeat, ſed

Inferioris Iudicis ſententia cōtra

prohibitio-nem Superioris irritatur.

sed & irritet ferendam. Secùs, valet censura; sed mortaliter peccat ferens eam.

8. Item invalida est censura lata à Vicario Episcopi detenti in captivitate ab hostibus. Ratio est: quia tunc usus Episcopalis jurisdictionis devolvitur ad Capitulum; donec Episcopus pristinæ restituatur libertati: prout habetur *cap. Si Episcopus, de Supplenda neglig. Prælat. in* 6.

(e) S. Thom. 2. 2. q. 67. a. 1.

9. Insuper requiritur, ut censura feratur in subditum: *cap. A nobis*, 1. *de Sentent. excom.* (e). Nec validatur per hoc censura, quòd postea rati habeatur à proprio Superiore. Ita Gloss. in *cap.* 1. *verb. Rata*, 9. *sect.* 2. Ratio est: quia juxta regulas Juris, non potest quis ratum habere, quod factum non est nomine ejus.

SERIES III.

De forma ferendi censuras.

SECTIO I.

Quomodo ferenda sit censura?

Censura potest ferri scriptô.

1. RESP. & dico 1. Quàmvis sententia in foro conscientiæ debeat omninò verbîs proferri, sufficit tamen in foro externo, ut sententia continens censuras, feratur scriptô. Doct. Resol. *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *a.* 2. Guido & Gloss. *cap. Romana*, & *cap. Cùm medic.* Ratio est: quia pro foro conscientiæ stat decisio Ecclesiæ: pro foro autem contentioso quoad censuras, nulla lex assignari potest, in qua id præcipiatur; sed potiùs oppositum permittitur: ùt vidimus *suprà*.

Prælatus mutus censurare potest.

2. Unde Prælatus ex accidenti mutus, habens in salvo jurisdictionem, posset suum inferiorem scriptô censurare, v.g. excommunicare: quia æquè scriptô sicut verbîs, posset suam voluntatem declarare.

Non mutus verbîs.

3. *Si non feratur in scriptis*, inquit Doct. Resol. *loc. cit.* ùt *in cap. Cùm medic.* nihilominùs ligat: sed relaxanda est sine difficultate.

Aut quicũq; nutibûs.

4. Imò solìs nutibûs censura lata valeret, si sufficienter esset expressa: docet Verani cum Nostro Lezana.

5. Addidi, *ex accidenti mutus*: quia si esset à nativitate mutus, non esset capax regiminis Ecclesiastici.

Verba determinata esse debet.

6. Dico 2. Etiamsi nec sit necesse, ut Prælatus voce ferat censuram, nec ut in ferendo eam sint verba ab omnibus eadem; oportet tamen omninò ut prolata aut scripta verba, sint determinata ad censuram in specie,

ſpecie , ad perſonas in individuo, aut uno eodèmque delicto affectas.

7. Explicatur & probatur. Debent ſignificare determinatè cenſuram talem: quia alioqui inferior non ſciret, an illa, vel illa contra eum cenſura feratur: conſequenter ad nihil teneretur; cùm non ſciret ad quid eſſet obligatus.

8. Dices: ſi dicat Prælatus genericè: *excommunico te*, aut, *excommunico Petrum*, excommunicatio eſt valida: ùt patet ex *cap. Si quem, de Sentent. excom.* ergò etiam valida eſt cenſura in genere lata, ſi dicat: *fero cenſuram in te*, aut, *in Petrum*, ſeu, *ſit ſtatim cenſuratus*. *Reſp.* diſparitatem eſſe: quia *cap. cit.* in propoſito caſu verbum *excommunico*, ſumit & vult ſumi, pro excommunicatione majori. Quare quando fertur minor excommunicatio, ſolet apponi verbum aliquod, deſignans talem eſſe; de cenſura verò quando profertur in genere, hoc non currit: quia nulla lex declarat, qualem cenſuram in tali caſu intelligere debeamus. Nec etiam effectus in genere producitur, ut correſpondeat cenſuræ in genere. Objectio ſolvitur.

9. Quòd ſimiliter debeant verba eſſe determinata ad perſonas in individuo, aut uno eodemque delicto effectas; ratio eſt: quia non ſciretur quisnā cēſuraretur. Cēſura fertur in perſonas eodē delicto affectas, v. g. ſi dicat Judex: *excommunico eos qui hoc commiſerunt furtum*.

10. Utrùm poſſit ſub conditione ferri cenſura? *Reſp.* & dico 3. quòd poſſit ſub conditione pertinente ad cauſam ferendæ ſententiæ: ùt ſi feratur taliter: *niſi ſolveris intra tres menſes, excommunico te* (a). Sic enim tenet uſus Eccleſiæ, dicit Lezana: & colligitur ex *cap. Præterea, 2. de Appellatione*, & *cap. Romana*, §. *Caveant, de Sentent. excom. in 6.* Non incurritur tamen dicta cenſura, donec adveniat & impleatur conditio (a): Quia tunc cenſetur efficaciter proferri à Judice cenſura: ùt notant Canoniſtæ, præſertim Covaruv. in *cap. Alma Mater*, 1. *part.* §. 10. *n.* 6. Ugolin. *tabul.* 1. *cap.* 1. §. 2. *n.* 3.

(a) Verani, & NN. Lezan. Cornejo & Iuſtinian. à S. Michaële Belga.

11. Quid ſi pendente conditione appellet à cenſura, is in quem lata eſt? *Reſp.* Hoc legitimè faciens, non incurrit cenſuram adveniente cōditione, v. g. terminô præfixo; ſicut ſi appellaret ante latam ſententiam (a): Ita declaratur *cap. Præterea, de Appellat.* Ratio eſt: quia ante adventum conditionis, cenſura nullas vires habet; ſicut ante prolationem ſui: ergò legitima appellatio, ſicut invalidat latam poſt ſe cenſuram; ita poſt eam, ante adventum conditionis facta, impedit, ne ea adveniente conditione, ſortiatur effectum. Caſus notādi.

12. Quid ſi pendente conditione, is in quem cenſura lata eſt, forum mutet? *Reſp.* Adveniente conditione, cenſuram nihilominùs incurrit (b): col-

(b) colligitur ex *cap. Præterea*, & *cap. Propoſuiſti, de Foro competente*, & *leg. Cùm quædam*, *ff. de Jurisdictione omnium Judicum.* Ratio eſt: quia iſte ante fori mutationem, eſt à Judice per ſententiam latam præventus, per quam ei eſt ſubditus quoad inceptum negotium, ubicunque fuerit: quia *cap. dict. Propoſuiſti*, & *leg. Vbi acceptum*, *ff. de Judiciis*, deciſum eſt, quòd ubi judicium inceptum eſt, ibi finiri debet.

(b) Ugolin. Verani, Cornejo.

Ubi judiciũ inceptũ eſt, ibi finiri debet.

13. Et ſi creditor pendente conditione, inconſulto Judice debitori ulteriorem terminum præfigat: v.g. Judex aſſignavit pro exolvendo duos menſes ſub incurrenda excommunicatione ipsô factô abſque alia declaratione, creditor verò conceſſit debitori tertium menſem inconſulto Judice; incurritne debitor excommunicationem, finito menſe ſecundo? *Reſp.* debitorem in tali caſu non incurrere cenſuram (c). Probatur à pari: poteſt creditor ante terminum à Judice præfixum, debitori totum debitum remittere, & adveniente tempore præfixo non incurreret cenſuram debitor; ergò etiam poteſt ei terminum prorogare, & debitor tempore præfixo à Judice non incurret cenſuram: cùm hoc ſit juxta intentionem Judicis. Nam Judex (ùt colligitur ex *leg.* 1. §. *Poteſt autem quis*, *ff. de Novi operis enuntiatione*) nihil aliud intendit, quàm ut partes concordent, ad quem finem cenſuram tulit.

(c) Cornejo, Verani, Sylv.

14. Et ſi debitor neque terminô aſſignato à creditore, ſolvat? Contra multos dicendum cum Verani, & Juſtinian. à S. Michàéle, debitorem in ſecundo termino incurrere cenſuram: quia Judex cenſetur ſuſpendiſſe cenſuram, ad dictum ſecundum terminum. Tum propter allegatam immediatè rationem: tum quia Judex intentionem ſuam conformat intentioni creditoris, in cujus favorem, ſententiam continentem cenſuram, tulit. Ita immediatè citati.

15. Quid ſi ante conditionis adventum moriatur Judex? *Reſp.* In tali caſu debitor adimpleta conditione non incurrit cenſuram (d). Ratio eſt: quia cenſura conditionalis non cenſetur ferri, niſi adimpleta conditione; ſicut & abſolutio à cenſuris conditionalis, non fertur niſi adimpleta conditione: atqui tempore completæ conditionis, Judex non fert, nec cenſetur ferre dictam cenſuram, cùm non exiſtat; ergò in tali caſu debitor non incurrit eam. Idem dicendum ſi Judex deponeretur, aut reſignaret officio dependente conditione. Ratio eſt: quia per depoſitionem, aufertur ab eo jurisdictio, à qua pendet cenſura. Ablata ergò illa jurisdictione, aufertur & cenſura, etiamſi poſtea reſtituatur ei idem officium, ſiquidem jurisdictio noviter collata, perinde ſe habet, ac ſi eſſet jurisdictio alia. Verani cum aliis.

(d) Cornejo, Ugolin. Verani, Juſtiniã. à S. Michàéle.

16. Si verò Judex pendente conditione eſſet ſuſpenſus, aut excommunicatus, & poſtea ante impletionem conditionis eſſet abſolutus;

debitor

debitor si non satisfaceret impleta conditione, incurreret latam censuram. Ratio est: quia per excommunicationem aut suspensionem, non adimitur ipsi jurisdictio, sed solùm usus ejus impeditur.

17. Dico 4. Lata censura sub conditione de præsenti aut de præterito, verificata conditione, valida est, sed illicita. *Valida*: cùm sic verificata conditione, potiùs absoluta sit. Quare illicita? statim patebit. Censura sub conditione.

18. Lata verò sub conditione de futuro, vel est de futuro necessario? Sic valida: quia tale, est quodammodò præsens in suis causis; at illicita. Vel est de futuro contingenti? tunc, vel nulla præcessit culpa? Sic quàmvis non ab homine, tamen à Jure ferri potest: quidquid alii dicant. Vel præcessit? Sic non video quare non possit etiam à Judice ferri, prout dicit Doct. Resol. *loc. cit. si quis teneat concubinam, à qua fuerit separatus, justè potest excommunicari, dicendo: excommunico te, si ulteriùs tenueris eam.* Hoc etiam ponit Joannes Andreas.

SECTIO II.

De conditionibus præcedentibus prolationem censuræ, seu de admonitionibus.

Conditiones aliæ sunt generales, aliæ speciales: illarum præcipua, est recta Judicis intentio, ut non ex odio, aut alio pravo fine ferat censuras; sed ex simplici justitiæ zelo, & officii debito: *cap. Judic.* & 3. *q.* 7. Hæ verò sunt in triplici differentia: aliæ sunt antecedentes, quæ requiruntur antequam sententia feratur, suntque admonitiones: aliæ sunt concomitantes, aliæ subsequentes. Hac Sectione de primis, sit Conditiones ad censuras ferendas.

§. I.

Vtrùm omninò præmittenda sit aliqua; & quotuplex admonitio?

I. Resp. & dico 1. quòd omninò præmittenda est monitio (a): quia ita decisum est, de excommunicatione *cap. Facto, de Sent. excom.* & *cap. Romana, de Sentent. excom. in* 6. de suspensione, *cap. Reprehensibilis, de Appellat.* & de interdicto, *cap. Statutum, de Senten. excom. in* 6. Estque id conforme Juri Divino *Matth.* 18. *vers.* 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et naturæ censuræ, quæ

(a) Doct. Resol. in 4. d. 18. q. 2. a. 1. Lezã. & alii communiter.

quæ non fertur nisi ob contumaciam: contumax autem ille est, qui post sufficientem monitionem adhuc persistit in suo delicto.

2. Dico 2. Ad censuras sive à Jure sive ab homine latas, pro futuris culpis vitandis, non requiritur distincta ab ipsa impositione censuræ nō ignoratæ, admonitio (b); siquidem ipsa lex sive impositio censuræ, quamdiu perseverat monet subditos, ne committant crimen tale. Quapropter percussor Clerici ipso facto incurrit excommunicationem, qui censetur sufficienter esse monitus ipsa lege excommunicante percussorem, quæ est virtualis continua monitio.

(b) Lezan. Bonac. Ugolin. contra Covaruv. Suar.

3. Addidi tò *non ignoratæ:* nam ignorantia à contumacia excusat: ùt patet *ex cap. 2. de Constit. in* 6. apud Verani *pag.* 687. *de Censuris.*

Ad quas cēsuras ferēd. monitio requiritur.

4. Econtra ad censuras ferendas, aut latas, pro culpis præteritis, aut præsentibus, requiritur expressa, distincta ab impositione censuræ monitio (c); & quidem ordinariè trina, formaliter vel virtualiter: habetur in *cap. Constitut. de Sentent. excom. in* 6. *cap. Statutum*, & *cap. Omnes decimæ, in* 6. *q.* 7. ubi dicitur: *secundùm Domini nostri præceptum, admoneatur semel & secundò & tertiò.* Trina est formaliter, cùm fit per tres vices distinctas, interposito aliquo spatio dierum, saltem duorum. Ratio est: quia expresè textus requirit aliquorum dierum competentia intervalla: ùt si Prælatus moneat inferiorem ut satisfaciat intra duos dies, quo tempore elapso, iteratò moneat ut intra tale spatium satisfaciat; quô præteritô, si in eadem persistat inobedientia & contumacia, tertiò eodem modo moneat. Virtualiter est, cùm fit una vice, designatis tribus terminis: ùt si superior dicat subdito: *præcipio, & moneo te, ut infra* 6. *dies, quorum duo sint pro prima, duo pro secunda, & reliqui pro tertia monitione, satisfacias: cap. Sacro, de Sentent. excom. competen.* Ita Doct. Resol. *loc. cit.* Glossa, Verani, Lezana.

(c) Doct. Resol. loc. cit. Lezan. Bonac. Cornexo.

Monitio trina formaliter.

Virtualiter.

5. Ordinariè intervalla dierum relinquuntur arbitrio Judicis: prout asserente Doct. Resol. *loc. cit.* censent omnes tres Glossæ.

Quomodo intervalla restringere potest Prælatus urgente necessitate.

6. Quid si sit periculum in mora? *Resp.* Sicut ex causa justa prorogare potest intervalla Prælatus, ita & restringere, dum periculum est in mora: ùt constat ex *cap. Constitutionem,* in fine. Doct. Resol. *loc. cit.* Unde potest illa dierum pluralitas coarctari ad unum imò ad medium diem si ita urgeat necessitas: ùt v.g. si vim Ecclesiæ inferre, aut Clericū captivare vellet Judex Sæcularis, nisi ei quàm citissimè mitteretur pœna comminatoria. Absque justa verò causa, nequit Prælatus restringere intervalla: nam dictô *cap. Constitutionem,* dicitur: *nisi facti necessitas aliter suaserit moderanda.*

Et quid dū non est spes emendationis.

7. Suntne servanda intervalla in casu, quô non esset spes resipiscentiæ Rei: ùt si juraret se minimè paritutum monitionibus? *Resp.* Etiam in tali

tali casu præmittendæ sunt monitiones, & servanda intervalla: non tantùm ob suavitatem Ecclesiæ, sed etiam, tum quia reus habet jus ad trinam præmittendam monitionem, antequam censurâ ligetur: tum quia Judici non constat contumacia Rei absque præmissis monitionibus; cùm contumax est, qui post sufficientem monitionem, persistit in suo delicto.

8. Potestne sine urgente periculo in mora, Prælatus, unam pro tribus monitionem præmittere? *Resp.* Sayr. quidem *lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 36. & alii afferunt, Judicem extra necessitatam peccare mortaliter, si unã pro trina faciat monitionem: hoc est, unam formaliter, trinam virtualiter; sed notandum, quando textus dicit quòd una monitio fiat pro trina, nulla exigitur causa, inquit Verani. Ratio ejus est: quia usus Curiæ suadet, etiam nulla urgente causa, posse Superiorem, unam præmittere monitionem, pro trina.

9. Quomodo sint faciendæ monitiones istæ? *Resp.* Quando fertur censura contra personam particularem, debet monitio fieri corã personis idoneis ad id testificandum: constat ex *cap. Sacro.* Ita Ugolin. & alii communiter apud Bonac. Dixi, *quando fertur contra personam particularem*: nam si generaliter, tunc debet in loco publico promulgari: v.g. in Ecclesia coram populo. Quomodo faciẽdæ monitiones.

10. Excipe tamen Judicem sive Prælatum, à trina facienda monitione personali. Primò, si probari potest quòd se dolosè abscondat monendus, aut fraude impediat, ne moneatur in propria persona; tunc absque trina monitione, potest eum Judex censurâ punire: dolus enim nemini patrocinari debet: ùt habetur *cap. Qui frequenter*, *de Dolo.* Mittenda tamen est monitio tali, domum sive ad residentiam ejus: Si domum non habet, moneri in ecclesia Cathedrali vel principali illius loci potest. Bonac. Secundò, si jam est semel personaliter monitus: tunc cæteræ monitiones possunt mitti domum ejus. Ita sentiunt Verani, Bonac. Ugolin. Tertiò, quando est malè absolutus, estque revocandus ad priorem excommunicationem. Bonac. *loc. cit.*

§. II.

An Iudex peccet mortaliter, omittens aliquam ex prædictis monitionibus absq; necessitate; & utrùm in tali casu validè feratur censura?

1. RESP. (a) quòd in tali casu Judex peccet mortaliter: quia violat Rei

(a) Cum Soto in 4.d.22. q.1.a.2.

Rei jus in re gravi, quod habet ad trinam monitionem: validè tamen fertur censura, demptis casibus *infrà* positis. Ita Doct. Resol. Veran. Lezan. Sayr. & alii. Ratio est communis DD. quia hæc prævia trina monitio, est introducta Jure, non ut aliquid substantiale, sine quo censura esse suum habere non potest; sed solùm ùt quid accidentale, pertinens ad solemnitatem: ùt colligitur ex *cap. Sacro, de Sent. excom.* Et Doct. Resoluti ratio est de censura excommunicatione, *quòd hujusmodi sententia ligat cap. Romana, ubi dicitur: quòd sententiæ absq; monitione præmissa sunt injustæ*, ergò validæ: *aliàs non diceret hîc littera injustas, sed diceret nullas; sicut dixit, cap. Statuimus, in fine, in 6. de Sentent. excom.* Hoc idem affirmat Bonif. VIII. per *cap. Statutum.*

Omissis monitionibus valida est censura.

Doct. Resol. in 4. d. 18. q. 2. a. 1. lit. C.

2. At taliter excommunicans, incurrit pœnas sequentes: nempe ùt ait Doct. Resol *loc. cit. qui excommunicat, Canonica monitione non præmissa, est ab ingressu Ecclesiæ interdictus per mensem unum: de Sentent. excom. cap. Sacro.* Ibi sic habetur: *prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & personis præsentibus idoneis, per quas si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat. Quòdsi contrà præsumpserit, etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictū, alia nihilominùs pœnâ mulctandus, si visum fuerit expedire.* In Corp. Jur. Can. Decretal. Gregor. IX. *lib. 5. tit. 39. pag. 276.* Addit ultrà *ibi* Doct. Resol. *& qui interdictus est ab ingressu Ecclesiæ, & in ea celebrat durante interdicto, irregularis est: de Sentent. excom. cap. Cùm medicinalis, in 6.*

Sed Judex pœnas incurrit taliter ferendo.

3. Prælati tamen Regulares ferentes censuras, non præmissa trina monitione, eximuntur à dictis pœnis & culpa: quia multa privilegia pro ipsis sunt, quòd in correctionibus suorum subditorum, non tenentur observare rimulas & apices Juris: prout habent Tolet. in *Summ. lib. 1. cap. 9. n. 3.* Lug. *tom. 2. de Instit. & Jure d. 37. sect. 14. n. 66.* Lop. *al-leg. 73.* & noster Lezan. *verb. Censura, n. 6.* Doct. Resol. verò *loc. cit.* distinguit dicens: *aut enim procedit Prælatus per viam correctionis, & tunc non est necessaria Canonica monitio: cap. Cum speciali, de Appellationibus,* ubi *fit mentio de competenti monitione quando proceditur ad excommunicationem, quæ monitio statuitur de Sentent. excom. cap. Sacro. Similiter ibi statuitur de modo, quô potest Judex recusari propter suspicionem, & ab eo appellari propter gravamen. Et in fine subditur: has duas Constitutiones præmissas, nolumus ad Regulares extendere. Aut procedit judicialiter, & tunc necessariò præcedit monitio Canonica, & alia quæ ponuntur in Constitutione, Cùm medicinalis.* Sed nota, posteriora esse privilegia Regularium, eis sine distinctione & restrictione concessa: prout & in nostris Statutis ab Urbano VIII. approbatis *part. 3. cap. 18. n. 20.* habetur: *ubi Provincialis in visitati-*

Demptis Prælatîs Regularibus.

visitatione vel extra, compererit Religiosum de aliquo crimine diffamatum, statim absq; mora processum servatis servandis instituat & perficiat; summariè tamen & de plano, sine strepitu & exactiori figura judicii, nec per singulos Juris apices: quod observari debet à quibuscunq; Superioribus Provinciæ, in judicio Regulari.

4. Bonac. *hîc d. 1. q. 1. punct. 9. prop. 3. num. 3.* dicit absolutè, à quocunque ferri posse sententias, suspensionis, interdicti; non tamen per modum pœnæ: quia defactò aliquando sic fertur suspensio & interdictũ, absque prævia monitione.

Aliquando fertur interdictum non per modum censuræ sed per modum pœnæ.

5. Casus intimati in Resolutione *suprà n. 1.* Primus est, quô Prælatus excommunicationem fert contra participantes cum excommunicato à se: tunc enim absque trina monitione lata, valida non est: quia ita decisum est in *cap. Statuimus, de Sentent. excom. in 6.* (b). Addidi, *à se* ipso: cùm id addatur à Jure dictô *cap.* Quare si feratur ab alio Prælato, non præmissa *trina monitione, quàmvis illicitè, validè tamen fertur* (c). Secundus casus est, si Judex in sententia exprimeret se studiò omisisse trinam monitionem, propter ejus peccatum mortale; nullitatis esset sententia, propter intolerabilem errorem, dicit Verani. Tertius, si Judex delegatus absque dictis monitionibus, & absque necessitate urgente, ferret censuram. Ratio est: quia non tulit eam sententiam ex jurisdictione & potestate delegata; cùm ei Superior contulerit jurisdictionem in ea conditione, ut censuram nisi præmissis Canonicis monitionibus ferat (c).

Casus.

(b) Verani, Bonac. Lezan.

(c) Verani.

SECTIO III.

De conditionibus concomitantibus, & subsequentibus actum ferendi censuras.

§. I.

Vtrùm censura lata non scripturâ, sit illicita?

1. R*Esp.* & dico: Prælatus ordinariè, sed non omnis, proferens solo verbo non scripturâ censuram, peccat mortaliter. Verani, Bonac. Cornej. Lezan.

2. Explicatur & probatur. *Peccat mortaliter:* cùm id sit statutum *cap. Cùm medicinalis, de Sentent. excom. in 6.* (a), quòd debeat proferri scripturâ. Et *ibidem* additur, quòd secùs faciens, suspensionem ab ingressu Ecclesiæ & à Divinis officiis incurrat per mensem. Quam suspensionem etiam

(a) Lezan. Verã. Bonacina.

Nō in ſcrip. ferens cēſur. aut cauſam non exprimens, ſuſpēditur à Divinis.

etiam incurrit, ferens cenſuram ſine expreſſione cauſæ, pro præterito aut præſenti delicto, *contra perſonam determinatam* (b), addo cum Guid. & Doct. Reſol. *loc. cit.* Nam non eſt opus cauſam exprimere, quando ſententia fertur in generali, vel contra hominem in particulari ignoratum; tunc enim ſatis eſt quòd delictum ſit publicum, ſufficienter probatum: vel ſi feratur in ordine ad futurum, ut caveatur crimen, inquit Verani. Ratio ejus eſt: quia cauſa eſt, contumacia. Item per idem *cap.* nunc citatum, eandem pœnam dictam incurrit Judex, qui parti excommunicatæ, petenti, non concedit exemplar cenſuræ intra menſem (c). *Intra menſem:* Unde (inquit Doct. Reſol.) *ſi non det quandocunq; petitur, non tamen incidit in pœnam hujusmodi Conſtitutionis, dummodo det infra menſem à tempore requiſitionis.* Et addit Guido: *quòd poſt requiſitionem, aliquanto tempore tenetur expectare.*

(b) Doct. Reſol. loc. cit. n. 2. Lezan. Veran.

(c) Guido, Doct. Reſol. loc. cit. Oſtien. Veran. Lezan.

Caſus.

3. *Sed pone* (inquit Doct. Reſol. *loc. cit.*): *Excommunicatus legitimè petiit, & receſſit, nec inveniri poteſt: quid faciet Judex? Rdet Guido: faciat quod poteſt, videlicet publicè in Eccleſia dicat ſcriptô & verbô, quòd tali excommunicato, tradit exemplum talis excommunicationis; mittat etiam domum illius: ſic enim pœnam evitabit hujusmodi Conſtitutionis.*

4. Sed incurritur ne pœna aliquarum dictarum, quando cenſura lata, eſt invalida? *Reſp.* quòd non: quia quod eſt irritum, perindè ſe habet ac ſi non ſit; quod autem non eſt, nullum poteſt effectum producere: ùt conſtat ex *cap. Illud, de Jur. Patron.* & *leg.* 4. §. *Condemnatum.*

5. Quid ſi quidem validè lata eſt cenſura, ſed nondum ſortita eſt ſuū effectum, eò quòd reus ſtatim obediverit? *Reſp.* in tali caſu Judicem incurrere pœnam latam præfatô *cap. Cùm medicinalis:* quia cenſura erat valida; quòd verò non eſt ſortita ſuum effectum, hoc provenit ei per accidens, quòd ſe ſtatim humiliaverit reus.

6. Exime ab his pœnis *n.* 2. ſpecificatis, Epiſcopos: quia in dicto *cap. Cùm medicinalis*, non ſit mentio Epiſcoporum: jam verò quando in cenſura ſuſpenſionis aut interdicti, non ſit mentio ſpecialis Epiſcoporum, Epiſcopi eam non incurrunt: declaratum eſt *cap. Quia periculoſum* (d). Et in propoſito caſu ferentes excommunicationem, eximuntur: 6. *de excom.* apud Doct. Reſol. *loc. cit.* Excipe etiam denuntiantem, excommunicationem: quia in dicto *cap.* non eſt mentio denuntiantis (e). Item Prælati Regulares non committunt peccatum, ferentes cenſuras non ſcriptô: quia eos privilegia excuſant à culpa, ùt dixi *ſect.* 2. §. 2. *n.* 3.

(d) Verani, Bonac.

(e) Navar. Avil. Bonac.

7. Addidi in Reſol. *n.* 1. *non omnis proferens peccat mortaliter:* nam quando urget juſta cauſa, v.g. periculum, niſi ſtatim proferatur taliter qualiter poteſt nempe verbô; tunc proferens non peccat, taliter ferendo cenſuram. Item quando hoc facit bona fide, ex inculpabili igno-

ignorantia, aut ex inadvertentia quadam (f): quia textus dictus *cap. Cùm medicinalis*, loquitur de iis, qui temerè faciunt.

(f) Lezan. Bonacina.

8. Notandum, quòd præfata scriptura debeat esse authentica, hoc est manu publici Notarii, aut ipsius Judicis subscripta, & sigillô authentico sigillata; ut possit sufficienter constare Judici superiori, esse legitimè, aut non, latam censuram.

Qualis scriptura esse debet censuræ.

9. Et quàmvis judicialiter censura ferri non potest, diebûs specialiter dicatis (g); secùs tamen dicendum de ea, permodum legis aut præcepti lata: quia ad talem non requiritur judicialis cognitio. Ita Lezan. Cornex. & alii.

(g) Sayr. Lezan.

10. Item quòd etiamsi Prælati Regulares non teneantur observare regulas Juris, ùt dixi *suprà, sect. 2. §. 2. n. 3.* nihilominùs tamen ut declarent transgressorem, talem censuram incurrisse (maximè si de excommunicatione agatur, quæ est pœna maxima), tenentur reum citare ad respondendum (h): quia *contra inauditam partem, sententia ferenda non est*: prout ex principio Juris fertur. Neque potest quis per Ordinarium declarari incidisse in Canonē, *Si quis suadēte*, nisi vocetur seu citetur: est enim expressa determinatio Rotæ Romanæ *decis. 3. de Litis contestatione, in novis*: ùt videre est apud Donat. *loc. citato*. Quapropter si non vocata parte rea, declaretur ea excommunicata; declaratio nulla, colligitur ex præfata Decisione Rotæ Romanæ, & aliis quas refert Catharinus, Donat. *loc. cit.* & alii.

(h) Donat. de Appel. tr. 10. q. 28. Veran. Lezan. loc. cit.

Ut declaretur aliquis incurrissecēsuram, requiritur citatio ejus.

§. II.

Episcopus existens extra suam Diœcesim, utrùm possit ferre censuras in suos subditos?

I. RESP. quòd non (a), demptis casibûs *infrà* positis: colligitur ex *cap. Episcopum*, ubi habetur non debere in alienam *irruere Civitatem, ad aliquid ordinandum, 9. q. 2.* & Clement. *Quàmvis*, *de Foro competenti*. Ratio suadet: quia ad ferendam censuram ab homine, requiritur cognitio causæ judicialiter per processum, quod est facere sedendo in tribunali: atqui nemo in alieno territorio potest pro tribunali sedere, ad exercendam contentiosam jurisdictionem, ùt habetur in *cap. Novit, de Offic. deleg.* & §. *Off. Proconf.* ergò Episcopus existens in aliena Diœcesi, non potest ferre sententiam in subditos, demptis casibûs *infrà*.

(a) Bonac. Veran. & alii communiter.

Episcopus extra Diœcesim ferre cēsuram quādo potest.

2. Casus autem sunt, quibûs extra suam Diœcesim existens, potest censuras ferre in subditos suos. Primus est in Concil. Vien. sub Cle-

Casus.

 mente

mente V. Si Epiſcopus eſt expulſus ex ſua Diœceſi, conceditur ei ut in aliena ferat contra expulſores, Conſiliarios, & quocunque titulo fautores, cenſuras Eccleſiaſticas. Sic enim ibi habetur: *quamvis ſacris Canonibus ſit generaliter interdictum, ne quis Epiſcopus jurisdictionem in Diœceſi exerceat aliena; Nos tamen Epiſcopis qui à ſuis ſedibus protervià impiorum expulſi, non audent propter metum perſequentium in ſuis Civitatibus vel Diœceſibus, aut earum parte aliqua reſidere, nec jurisdictionem ad ſe ſpectantem, per ſe vel alium inibi exercere, ne injuria eorum expulſione, ipſorum irrogata Eccleſiis, hoc prætextu remaneat impunita, duximus indulgendum, ut in Diœceſibus alienis, Civitatibus videlicèt vel locis inſignibus, ſuis Eccleſiis viciniorıbus, in quibus poterunt ſecurè morari, & jurisdictionem ſuam liberè exercere poſſint contra ſuos expulſores, & eorum in hac parte Conſiliarios & fautores* &c. In Corp. Jur. Can. *pag.* 355. Caſus ſecūdꝰ eſt, quādo culpa manifeſta eſt, quòd nō requirat cognitionē contentioſā (b). Pro hoc vid. *cap. Cùm ſit*, §. *final. de Appel.* & *cap. Evidentia, de Cenſur.* & *cap. Manifeſta*, *q.* 1. Item poteſt ferre ſententiam permodum ſtatuti. Bonac. *de Cenſur. q.* 1. *punct.* 11. *prop.* 1. *n.* 4. Caſus tertius, eſt additus à Gloſſa in *cap. Vt litigantes*, *verſ. Conſvetudine, de Offic. Ordinarii in* 6. ſcilicèt quando partes ipſæ, & Judex territorii in quo Epiſcopus exiſtit, conſentiunt.

(b) Bonac. Navar. & NN. Cornej. Iuſtinian. à S. Michaële.

3. Dices: Epiſcopus Sacerdos in alia Diœceſi exiſtens, ligare & abſolvere ſacramentaliter ſuum ſubditum poteſt; ergò & id judicialiter facere, in foro externo poteſt. *Reſp.* Nego ſecundam prop. diſparitas eſt: quia primum nullibì denegat Eccleſia; ſecundum verò denegat citat. *cap. Epiſcoporum* &c.

§. III.

Epiſcopus exiſtens in ſua Diœceſi, utrùm valeat cenſurâ punire ſuos ſubditos, exiſtentes extra eam Diœceſim? Similiter exiſtentes in loco exempto?

Ferri cenſuram per modum ſtatuti & permodū ſententiæ.

1. IMprimis præmitto, aliud eſt ferri cenſuram per ſtatutum, & aliud per ſententiam, ſive contineat verba ſpecialia ſive generalia. Quid autem hæc ſint? variant DD. Verani cum Bonac. hanc differentiam aſſignant: quòd ſtatutum, reſpiciat territorium; ſententia, perſonas; ut illarum contumacias tollat. Unde ſtatutum, ùti conſuetudo eos omnes qui verſantur in territorio, ratione territorii obligat; ſententia verò fertur præcisè in perſonas. Hìs præmiſſis,

2. Dico 1. Epiſcopus ſubditum extra proprium territorium exiſtentē, cenſurâ

cenſurâ lata per ſtatutum, nequit punire; niſi ratione rei exiſtentis intra proprium territorium, aut delicti ſtante ſtatuto commiſſi in territorio eo.

Epiſcopus ſubditū extra territor. exiſtentem, quando cenſurare valet.

3. Explicatur & probatur. *Cenſurâ lata per ſtatutum, non poteſt punire exiſtentem extra ſuum territorium, Epiſcopus* (a): nam habetur *leg. final. de Juriſdict.* & in *cap. Vt animarum, de Conſtit. in* 6. ubi: cùm extra territorium jus dicenti, non pareatur impunè; ubi Gloſſa explicat *impunè, id eſt, non parens, ex eo pœnam non patitur.* Et etiamſi intendat per ſtatutum, extra territorium ligare ſubditos, Prælatus inferior Papâ, non ligat; cùm ei obſint ordinationes factæ *cit.* immediatè *capitibus*.

(a) Verani, Donat. Bonac. & alii cōtra Vaſq.

4. *Niſi ratione rei exiſtentis intra Diœceſim propriam* (b): nam poteſt Epiſcopus ſtatutum ferre, & per eum cenſuras, contra non reſidentes in ſuis beneficiis; & ſic exiſtentes extra hanc Diœceſim, incurrere latā cenſuram, aut cenſuras: juxta *leg. Qui non facit, ff. de Regul. Jur.* Quando quis tenetur aliquid facere, non factum cenſetur, ubi id facere debeat.

(b) Navar. cap. 27. Sylvius verb. Excō. n.8. Salas.

5. Dixi, *aut ratione delicti commiſſi in eo proprio territorio:* nā eô patrato, ſi ſubditus aufugiat in aliam Diœceſim, poteſt à proprio Epiſcopo cenſurîs puniri. Docent Sot. *d.* 22. *q.* 2. *a.* 1. cum aliis Canoniſtis. Et probatur: tum praxî Eccleſiæ teſte Verani. Fundamentum praxis eſt, quia ſi talis non poſſet puniri ab Epiſcopo proprio, eò quòd ſit extra ejus Diœceſim, nec etiam ab alio ad cujus Diœceſim fugeret, cùm non ſit ejus ſubditus; ſic à nemine niſi à Papa. Tum quia, cùm incurratur cenſura ipsô factô, ſecum delictum profugi, trahit executionem pœnæ: ùt habetur in *cap. Paſtoralis, §. Verùm, de Appel.*

6. Addidi, *commiſſi in territorio eo:* quia ſi ante ſcelus tale, mutaret domiciliū, & ibi in alia Diœceſi illud cōmitteret; nō incurreret illas latas cenſuras. Ita Bonac. *loc. cit.* Ratio eſt: quia tunc non eſſet ſubditus ejus.

Pro diſcurſu & ſolutione.

7. Dices contra tertiam partem Reſol. Non poteſt Epiſcopus pœna corporali punire ſubditum in aliena Diœceſi, quod probatur per hoc: quòd Rex Poloniæ nequeat ſuum ſubditum punire in Suecia; ergò neque Epiſcopus cenſurîs in aliena Diœceſi, valet ſuum ſubditum ligare. *Reſp.* diſparitatem eſſe, inter pœnam corporalem & ſpiritualem: quòd corporalis non incurratur in inſtanti, ſicut aliquando ſpiritualis; ſed per ſententiam condemnatoriam, cum ſtrepitu Juris, quod unus Princeps in ditione alterius facere nequit.

8. Urgebis: Si hoc eſt verum, quòd Epiſcopus ſubditum ſuum, poſſit ratione delicti commiſſi in ejus Diœceſi, cenſurâ lata per ſtatutum, punire exiſtentem in aliena Diœceſi; ſequitur quòd poſſit eum excommunicare pro inchoato, imò pro non inchoato delicto in ſua Diœceſi: quod ſic deducitur: v.g. ſtuprum prohibuit ſub pœna excommunicationis, & aliquis

aliquis virginem rapuit, extra Diœcesim violavit. Item prohibuit sub eadem pœna homicidium, Petrus vulneravit Felicianum, qui extra hāc Diœcesim mortuus est. In primo casu, nec inchoatum est scelus in hac Diœcesi; in secundo casu, consummatum extra Diœcesim. Et tamen omnis Theologia negat incurri censuram per inchoationem sceleris. *Resp.* ad primum casum, quòd in eo non incurratur censura: quia stuprum non est consummatum, nisi extra Diœcesim, ubi nulla est lata censura contra raptorem, ùt supponitur. Ad secundum dico, quòd talis incurrat censuram latam propter homicidium: non minùs quàm vulnerans aliquem in Ecclesia, ex quo vulneratus, extra Ecclesiam moreretur. Ratio est: quia *ictus vulnerum attenditur*, ùt habetur *de Clerico percussore, cap. 2. de Censur.* (c). Cùm ergò vulnus causans mortem, consummatum est in proprio territorio vulnerantis, censetur consummari & homicidium in eodem territorio. Ita tenent Doct. Resol. Veran. Bonac. & alii.

(c) Doct. Resol. in 4. d. 11. q. 1. a. 3.

9. Similiter non incurreret censuram latam contra percussores in Ecclesia, qui ex Ecclesia projiceret sagittam, & alium extra Ecclesiam ad mortem vulneraret (d); etiamsi ille intra Ecclesiam moriatur (d) : nam vulnus, non in Ecclesia est inflictum.

(d) Doct. Resol. Veran. Bonac.

10. Et quid si ex limitibus unius Diœcesis sagittam projiceret quis, in hominem existentem in alia Diœcesi, eique mortem inferret: possetne censurari ab utroque Episcopo? cùm per delictum subjiciatur utriusque foro: juxta *legem* 1. *cod.* ibi: *de crimine agi oportet, ubi delicta commissa sunt, & inchoata sunt. Resp.* dictam legem esse quoad alias pœnas, non quoad censuras. Verani.

Casꝰ in quo in utraq; Diœcesi latam excõmunicationẽ nõ incurrit patrator sceleris.

11. Quæres, quis Episcopus eum censurâ punire potest, in supposito quòd in utraque Diœcesi, sit censura contra tales lata? *Resp.* neuter. Non ille in cujus Diœcesi sagitta occidit ejus subditum, cùm nec sit ejus subditus, nec existat in ejus territorio; non etiam iste cujus est subditus, cùm in ejus Diœcesi homicidium non consummavit.

12. Si quæras, quia (demptis casibûs *suprà*) non potest Episcopus, suū subditum existentem in aliena Diœcesi, punire censurîs latis in sua Diœcesi: utrùm saltem citare eum valeat? *Resp.* quòd non potest: propter Clementin. *Pastoralis, de Sentent. & rejudic.* Ratio est: quia citatio, est actus judicialis, qui præsupponit jurisdictionem.

Potest excõmunicari nõ citari.

13. Dices: plus est excommunicare quàm citare: sed potest eum excõmunicare; ergò etiā citare. Denique, si non potest eū citare, non potest monere; si nõ potest monere, nõ potest excõmunicare. *Resp.* potest excommunicare: quia excõmunicationē, absque strepitu Juris, in aliena Diœcesi potest exequi: cū eā trahat secū subditꝰ annexā delicto, quod sequitur delin-

quentem. Non poteſt autem citari; cùm ſine ſtrepitu judiciali, citatio perfici nequeat. Quoad monitionem, dico: Vel erat jam lata cenſura, antequam delictum commiſſum fuerit? Sic lex ſeu ſtatutum, fuit ſufficiens monitio. Vel adnectitur delicto patrato, cenſura permodum ſententiæ, & ipſe patrato delictô aufugit, ut monitionem & citationem impediret? Sufficit, ut in loco publico intra proprium territorium fiat citatio, aut in domo ejus: & ſi negligat ſe ſiſtere, poteſt excommunicari; ne dolus & fraus, patrocinetur ei. Quapropter

14. Dico 2. Epiſcopi & alii Prælati, cenſuris latis permodum ſententiæ, ligare poſſunt ſuos ſubditos, exiſtentes in alieno territorio. Ita docent Ugolin. *tab.* 1. *cap.* 9. §. 3. *n.* 4. Bonac. Sayr. Veran. *de Cenſur.* contra Avil. Sylv. apud Bonac. *loc. cit. prop.* 3.

Cẽſuris permodũ sẽtẽt. extra ſuã Diœceſ. exiſtẽtes ſubditos, Epiſcop9 ligare poteſt.

15. Quoad ſecundam partem quæſtionis *num.* 1. quid dicendum? *Rdet* DD. communiter negativè. Ratio eorum eſt: quia etiamſi locus exemptus, dicatur materialiter eſſe intra territorium Epiſcopi; formaliter tamen, eſt extra ejus territorium, ſiquidem eſt extra ejus jurisdictionẽ, quod colligunt ex *cap. Cùm Epiſcopus*, *de Offic. Ordinar. in* 6. Sed quisnam ſit locus exemptus, de quo hîc? Non conveniunt DD. Verani Suar. & alii dicunt, non intelligi Eccleſias aut Monaſteria Religioſorum exemptorum: quia hæc loca, non dicuntur exempta, niſi ratione talium perſonarum: quare ſi locis in aliis perſonæ ſubditæ Epiſcopo incurrant cenſuras, incurrunt & exiſtentes in Monaſterio, ſi committat aliquid tale, ob quod lata eſt cenſura ab Epiſcopo. Econtra Doct. Reſol. *in* 4. *d.* 25. *q.* 15. *a.* 3. *lit. C.* Panormitan. in *cap. A vobis*, Joan. Andr. in *cap. Vt animarum, de Conſtit. in* 6. Bonac. *de Cenſur. d.* 1. *q.* 1. *punct.* 11. *num.* 8. Nald. *in Sum. verb. Exemptio*, *num.* 5. & *verb. Statutum*, *num.* 15. Azor. *p.* 1. *Inſtit. moral. l.* 5. *c.* 25. Laym. *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 3. *num.* 5. Donat. *tom.* 3. *de Clauſur. tr.* 5. *q.* 33. probant locum exemptum de quo *hîc*, eſſe etiam quodcunque Monaſterium exemptum. Innoc. apud Doct. Reſol. *loc. cit.* in Gloſ. ſuper *cap. Volentes*, in fine addit: *etiam domus Monaſterii eſſe exemptas*: habetur enim in Bulla Nicolai IV. quæ incipit, *Dum ſolicitæ conſiderationis* &c. & in aliis. Et inde Pelizzarius *de Monial. cap.* 5. *ſect.* 4. *q.* 12. & 13. *num.* 190. inquit: quòd puellæ quamdiu commorantur in Monaſteriis Monialium exemptis, non ſubjiciuntur Ordinario; niſi in iis, in quibus eidem ſubſunt ipſæmet Moniales.

De adminiſtratione Sacramentorũ puellis in Monaſteriis exemptis.

16. Notandum, quòd in caſu quô ſubditus proprii Epiſcopi revertitur ad ejus Diœceſim, qui in aliena delictum v. g. furtum perpetravit, poteſt ab eo puniri & ad reſtitutionem cogi per cenſuras (e); niſi ab eo Epiſcopo in cujus territorio deliquit, præventus ſit judicialiter: nam ubi

(e) Sot. d. 22. q. 2. a. 1. concl. 1.

ubi cáufa incèpta eft, ibi etiam finiri debet: ùt dixi *suprà*. Sic enim ratione delicti, fubditus eft illi Epifcopo.

Regulares Prælati fubditos ubicūq; exiftētes, cenfurâ punire pofsūt.

17. Quid de Prælatis Regularibus dicendum? *Resp.* Prælati Regulares exiftentes etiam extra fuos Conventus aut Provincias, poffunt fuos fubditos ubicunque exiftentes, cenfurîs punire. Ita Lezan. *de Censur.* Cornex. Sayr. Panormitan. & alii. Ratio eft: quia ipfi non habēt territoria divifa, fed jurisdictionem fupra fubditos ubicunque fuerint; cùm ratione voti obedientiæ, fe illis abfolutè fubjecerint.

§. IV.

Quosnam Regulares, Episcopi censurîs punire queant?

Regulares non exēpti abfolutè.

1. REgulares, alii funt non exempti à jurisdictione Epifcoporum; alii exempti & privilegiati.

2. Non exempti, alii funt abfolutè; alii refpectivè tales. Non exempti abfolutè, funt (ùt Moniales Vifitationis B. M. V. Moniales S. Birgittæ) promittentes in profeffione obedientiam regularem Epifcopis. Tales, Epifcopi pœnîs quibuscunque & cenfurîs, punire valent; ficut alii Prælati fuos inferiores. His temporibûs tales Religiofi pauci reperiuntur. Et PP. Ordinis Salvatoris S. Birgittæ, erant exempti à dicta jurisdictione: prout mihi conftat ex Decifione Rotæ Romanæ (a).

(a) Vid. nū. 10.

Refpectivè.

3. Non exempti refpectivè, & exempti refpectivè, funt, qui in profeffione promittunt obedientiam fuo Prælato, Abbati, aut Generali. Quapropter, quoad obfervantiam regularem Regulæ & Statutorum, magis tenentur obedire fuis Prælatis Regularibus, quàm Epifcopis (b); quoad difciplinam verò Ecclefiafticam, quia funt locò Sæcularium Sacerdotum & Canonicorum inftituti, quales funt aliqui in Sicilia, fcilicet in Panormitana, & Montis Regalis Cathedrali Ecclefia Canonici Regulares; totaliter jurisdictioni Epifcopi fubjiciuntur: per Bullam Pauli III. conftat ex Decifione Sacræ Rotæ Romanæ 1604. coram Illuftriffimo Domino Coccino habita. Tales ergò ratione difciplinæ Ecclefiafticæ, Epifcopus corrigere, punire, & cenfurîs fi opus eft, poteft: remittendo eos corrigendos & puniendos pro tranfgreffione Statutorum & Regulæ Ordinis, ad Superiorem eorum: *cap. Quantò, de Offic. Judic. Ordinar.* & in Extravag. *Debent Superioribus suis, de Offic. Ordinar.* Lezan. *v. Episcopus, num.* 16. Barbof. *de Offic. & potestat. Episcop. alleg.* 105. *num.* 77.

4. Regulares exempti & privilegiati funt, qui ob privilegia à Gregor. *cap. Nullam, num* 3. (c), ab Innoc. IV. (d), à Joan. XXII. Clement.

(b) S. Thō. in 2. d. 44. in fine, Sylv. v. Obediēt. q. 8. num. 10.
(c) Rodriq. tom. 2. q. 63. a. 1. Tābur. tom. 1. de Iure Abb. d. 15.
(d) Donat. de Exempt. tr. 13. q. 8.
(e) Doct. Refol. in 4. d. 25. q. 14. a. 4. Lezan. verb. Exēpt. n. 8.

Clement. VI. Sixt. IV. (e), Paul. III. (f), & ab aliis multis: in favorem Regularium lata; validè censurîs puniri, nisi à Sede Apostolica, & Legatis à latere, possunt: prout habetur in Bullis Joan. XXII. Clement. VI. & Sixti IV. pro Carmelitis: *quòdsi forsan quidquã cõtrariũ à quocũq; fuerit attentatum, illud omninò irritum sit & inane* (e). Et Pauli III. pro Jesuitis: *eô ipsô irrita, & nullius roboris sit.* Demptis casibûs, in quibus ab Ordinariis locorum, tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ, dictis cẽsurîs affici valent.

(f) Lezan. loc. cit.

5. Sed qui sunt casus, in quibus Ordinarii locorum, censuras in Regulares à sua jurisdictione exemptos, tanquam sedis Apostolicæ Delegati, valeant ferre? Oportet distinguere, ut exactè punctus difficultatis enucleetur. Regulares exempti privilegiati, vel sunt extra Conventum, Monasterium, Collegium? Vel intra? Si extra? Vel sunt absque licentia Superioris, Provinciæ, Congregationis &c. suntque profugi? Tales, locorum Ordinarii punire possunt, tanquam desertores sui instituti: nam in Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 4. sic habetur: *nec liceat Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi; nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit; ab Ordinariis locorum, tanquam desertor sui instituti, puniatur.* A fortiori si cursu testudineo ad Superiorem suum, magis si ad Generalem, taliter properat: quia mẽs est Sacri Concilii, ne Regulares contra suam vocationem, cum detrimento salutis animarum suarum, vagentur per Orbem. Secùs tamen dicendum de pergente ad majorem Superiorem, si constet manifestè, iniquè ac injustè gravari à suo immediato Superiore. Vide *infrà, d.* 2. *ser.* 4. *sect.* 5. *num.* 12.

Casy in quibus Episcopi possunt Regulares censurîs punire.

Profugos.

6. Vel sunt de licentia sui Prælati? Tunc vel brevi tempore extra Conventum morantur, v.g. causâ prædicationis, vel confessionis, vel eleemosynæ, vel alicujus rei? Hi, nec conveniri coram Ordinariis, nec ab eisdem puniri possunt: quia Concil. Trident. Ordinariis locorum dat potestatem puniendi Regulares, *degentes* extra Monasterium, ùt statim videbimus; *degere* autem, denotat existentiam permanentem & diuturnam, non brevem aut transeuntem: inquit Lezan. *verb. Episcopus, num.* 24. cum Peyrin. *tom.* 1. *Privil. Minim. in Constit.* 2. *Sixti IV. n.* 22. Vel longo tempore? De his quidem Trident. *de Reform. sess.* 6. *c.* 3. hæc habet: *nemo Regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii prætextu, tutus censeatur; quominùs si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à sede Apostolica delegato, secundùm Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.* DD. tamen, quo sensu hoc Decretum accipi debeat, non conveniunt. Multi enim asserunt, hoc De-

cretum

Non profugos degētes extra Conventum.

cretum intelligi tantùm de Regularibus, degentibus extra Conventum absque licentia Prælati sui, aut non sub potestate & jurisdictione ejus. Ratio eorum est: quia qui extra Monasterium degit cum licentia sui Prælati, dicitur esse in Monasterio. Hujus sententiæ sunt Abbas Author antiquus, Panormit. Angel. Syl. Navar. Henriq. Laurent. de Peyrin. Donat *de Exēpt.* Sanch. *tom.* 2. *Consil. moral. lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 3. *n.* 4. Econtra Lezan. *verb. Episcopus, num.* 24. (aliter nunc quàm antea), Piasecius *in Praxi nova Episcop. part.* 2. *cap.* 3. *num.*42. Barbos. *alleg.* 105. *num.* 16. & Novar. *in Lucerna Regular. verb. Delinquens, num* 10. dicunt: declaratum esse à Sacra Congregatione, quòd Regularis manens extra Claustrum de licentia sui Superioris; etiam in domo deputata ad erectionē Monasterii (nisi in dicta domo sit regularis observantia, aut saltem vivat sub Superiore conventualiter), si deliquerit, possit puniri ab Ordinario: idque ex Rota *decis.* 223. *num.* 5. refert Tambur. dicto *quæsitō* 7. *nū.* 7. Etiam causâ docendi doctrinam, degentes extra suum Conventum, potest Ordinarius loci visitare & punire: decisum à Sacra Congregatione, refert Novar. apud Lezan. *loc. cit.* Hæc sententia certior est, si dictæ declarationes monstrentur authenticæ; Si secùs, illa probabilior & tuta dicitur. Tum quia multæ declarationes adferuntur, quæ non sunt authenticæ: & nunc intimatæ, possunt & (ùt primæ sententiæ DD. asserunt) debent intelligi de illis Regularibus, qui ad longum tempus extrà degunt, ex aliquo speciali privilegio Papæ, & non subjiciuntur correctioni Prælatorum Regularium. Ita Peyrin. *tom.* 1. *Privil. Minim. in d.* 2. *Constit. Sixti IV.* §. 11. *n.* 22. Donat. *loc. cit. q.* 35. *n.* 5. Tum quia, in praxi & consuetudine immemorabili est, quòd non visitentur nec puniantur ab Ordinariis locorum, v.g. Capellani ad aulas existentes. Item Capellani & Confessarii Monialium: docent Abbas in *cap. Cùm illorum, de Sentent. excom.* Navar. *consil.* 73. *de Regul. n.* 8. Crucius & Donat. *loc. cit. q.* 42. & patet ex declarationibus immediatè positis, & *num. sequ.*

Secùs, si sub Superiore vivitur cōventualiter.

7. Additum est *suprà, nisi in dicta domo sit Regularis observantia* &c. nā idem Novar. *verb. Jesuitæ, num.* 32. refert, declaratum ab eadem Sacra Congreg. in una Liman. sub 10. Junii 1591. *Jesuitas, doctrinam Christianam extra Claustra docentes, si habeant in illis locis Superiores, qui curam ipsorum gerant, apud quos se recipiant, juxta Regulæ institutum viventes; non posse corrigi, aut visitari ab Ordinariis locorum,* inquit Lezan. *loc. cit.*

Aut in bonis Monasterii.

8. Quid dicendum de Regulari manente in bonis Conventûs? Conveniunt communiter DD. quòd si ille delinquat ibi, non ab Ordinario loci, sed à Superiore suo puniri debet: quia talia loca gaudent privilegiis Monasteriorum, quorum membra sunt: *cap. Recolentes,* §. *Cæterùm, de Statu Monachorum,* Barbos. *alleg.* 105. *n.* 17. Navar. *suprà, n.* 11. & 12. Lezan. *verb. Episcopus, n.* 24.

9. Regu-

9. Regulares intra Monasteria degentes, vel non constituunt numerum duodenarium? vel constituunt? Si primum? iterùm distinguendū est, vel illa Monasteria fundata sunt post annum 1625. non pro duodecim Regularibus, eò quòd ex redditibus & eleemosynis, tot sustentari non possint? Illa loci Ordinarii visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni, subjecta sunt. Sacra enim Congregatio *de Celebr. Miss.* ita declaravit & ordinavit per sequentia: *Deinceps verò, Monasterium, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum seu Regularium, nullibi recipiatur; nisi, præter alia ad id requisita, in singulis ejusmodi locis, duodecim saltem Fratres aut Monachi seu Religiosi degere, & ex redditibus & consuetis eleemosynis, detractis omnibus ùt suprà detrahendis, competenter sustentari valeant ad præscriptum Decreti Fel. record. Gregor. XV. hâc de re editi. Alioquin Monasteria, & loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi ùt suprà sustentari, atq; inhabitare non poterunt, & actu non habitaverint; Ordinarii loci visitationi, correctioni, omnimodæ jurisdictioni, subjecti esse intelligantur. Datū Romæ 12. Junii 1625. Visitationi, correctioni, atq; omnimodæ jurisdictioni, subjecta esse intelligantur,* solum quod attinet ad disciplinā Ecclesiasticā, nō quoad observantias Regulares, ùt dictum est *suprà. n.* 3. Lezan. *loc. cit. n.* 6. & 16. Et sicut non requiritur, ut continuò maneant duodecim in Monasterio, ne visitentur ab Ordinario loci; ita etiam numerari debent Quæstuarii, & illi, qui apud Benefactores ex justa causa ùt plurimùm morantur. Vel Monasteria sunt fundata ante dictum Decretum? aut quidem pòst, sed sufficienter pro sustentatione duodecim Regularium provisa; ex accidenti verò depauperata, quia redditus nimis diminuti sunt? Advertendum, utrùm vigeat ibi Regularis Observantia? aut non? Si non? Visitari, puniri, etiam censurîs Ecclesiasticis (si opus sit) Regulares, eorum alumni queunt, ab Ordinariis locorum: Secùs, si vigeat Regularis observantia. Ita de Alcolea *in Decis. novissimis Sacræ Rotæ Romanæ decis.* 58. *n.* 9. *pag.* 285. post tempora Gregor. XV. refert decisum ab eadem Sacra Rota, conformiter ad Concil. Trident. *ses.* 21. *c.* 8. prout sequitur:

DECISIO LVIII.

Sacræ Rotæ Romanæ coram R. P. D. Celso.

Gandaven. Exemptionis.

Veneris 10. Maji 1647.

10. §. 1. Existentibus Monasteriis tam Fratrum, quàm Monialium SS. Salvatoris Ordinis S. Birgittæ Teneramundanæ in pacifica quasi possessione exemptionis ab auctoritate, & po-

 testate

testate Episcopi Gandaven. Ordinarii contendentis eadem Monasteria, nec non personas, & bona illorum jurisdictioni suæ esse subjecta, fuit per signaturam Sāctissimi, commissa causa Eminentissimo Cardinali Panzirolo tunc Rotæ Auditori, in cujus locum suffectus dubitavi, an constaret de omnimoda exemptione, & libertate à jurisdictione Ordinarii: Et DD. in contumaciam Episcopi negligentis comparere, informantibus tantùm Monialibus, Fratribus, & Confessario, affirmativè responderunt. Moti ex amplissimis privilegiis, & indultis Summorum Pontificum Bonifacii IX. Joannis XXII. Pauli II. & Leonis X. datis in *Sum. n.* 2. 3. 4. & 5. Ex quibus apertissimè constat dicta Monasteria, Abbatissam, & Moniales, & Confessarium, nec non bona quæcumque tam præsentia, quàm futura, esse prorsùs exempta, & immunia ab omnimoda Ordinariorum, & aliorum quorumcumque jurisdictione, auctoritate, potestate, dominio, visitatione, & correctione, & sub jure, proprietate, ac protectione D. Petri, ejusque S. Sedis fuisse suscepta, ex cujus amplissimæ concessionis forma clarè resultat omnimoda, & totalis exemptio eorumdem Monasteriorum, à jurisdictione Ordinarii, juxta *tex. in cap. Si Papa*, & *in cap. Cùm personæ, de Privil. in* 6. Innoc. *in c. Veniens, n.* 7. *vers. libertate, de Verbor. signif.* Ang. *in Sum. verb. Exemptus, num.* 2. & *eod.* Tabien. *n.* 4. *Dec. cons.* 118. *n.* 6. *vers. & in isto privilegio*, & *n. sequ.* ubi ampliat, etiam si non fuerit facta mentio de jure Ordinarii. Quod etiam voluit Chokier *de Jurisd. Ord. in exempt. p.* 1. *q.* 11. *à n.* 5. *vers. nec erat necesse, usq; ad fin.* Mascard. *in Prob. conclus.* 713. *n.* 8. *vers. primò si dicatur*, & *n.* 2. Mar. Anton. *Var. resol. lib.* 3. *res.* 4. *n.* 1. Barbos. *de Potest. Episcopi alleg.* 123. *n.* 11. *vers. primò si Pontifex*, & *n. sequ.* Rota *in Brundusinâ jurisdictionis* 9. *Februar.* 1579. *coram Bubalo, & coram* Seraph. *dec.* 1025. *per tot.*

§. 2. Nec obstare visum fuit, quòd Abbatissa, & Moniales, necnon Fratres, & Confessarius renuntiaverint, privilegiis prædictis subjiciendo se, & bona jurisdictioni ejusdem Episcopi; nam ultra quod hujusmodi renuntiatio extorta sit per vim, & metum, ùt firmatum fuit in præsenti causa sub die 29. April. 1641. coram Eminentissimo Panzirolo, & propterea nullius est roboris & momenti *tot. titul. ff.* & *c. quod met. cau.* Bart. *in l.* 1. §. 2. *n.* 4. *ff. quar. rer. act. non datur, cons.* 1. *de Renunt.* Rol. *cons.* 100. *n.* 122. & *sequ. lib.* 4. & firmatum fuit in *Posuanien. Abbatiæ* 15. *Junii* 1646. *coram me.*

§. 3. Adhuc dicebant DD. renuntiationem prædictam non sustineri, ex quo non potest exemptus sine consensu Pontificis, cui immediatè subjectus est, renuntiare privilegiis Apostolicis, & jurisdictionem alterius prorogare, *tex. est expres. in c. Cum tempore, de Arbitr.* ibi. Cùm etsi spontè volueris de jure tamē nequiveris sine licētia Romani Pōtificis renūtiare &c.

& notat ibi Abb. *n.* 2. idem Abb. *in c. Significasti, n.* 8. *in fine, vers. concludè ergò*, & *n.* 9. *de Form. comp.* Castr. *cons.* 431. *n.* 3. *vers. quod autem, lib.* 1. Ferret. *cons.* 102. *n.* 17. & 28. Gail. *Pract. observ.* 40. *à n.* 1. *per tot. ubi n.* 5. reddit rationem, quia interest superioris ne subditus ab alio judicetur. Roderic. *Quæst. reg. tom.* 1. *quæst.* 36. *art.* 5. *col.* 1. *vers. præterea facit.* Mandos. *de sign. grat.* §. *exemptiones ab Episcopis, vers. exemptus à jurisdictione, fol. mihi* 121. Sanch. *super Decalog. lib.* 4. *c.* 39. *sub. n.*29. *vers. prima negat.* Modern. *de Jure Abbatiss. & Monial. disp.* 17. *quæst. n.* 2. & *seqq.* 9. in puncto firmavit Rota *dec.* 456. *num.* 10. 14. & *sequ. dec.* 461. *num.* 20. & *seqq. part.* 5. *in recent.*

§. 4. Et quàmvis *glos. fin. in d. c. Cum tempore, de Arbitr.* firmet, sustineri renuntiationem in præjudicium renuntiantis, licèt secùs in præjudicium superioris, nihilominùs quidquid sit de hujusmodi opinione, quam in terminis exemptionis reprobat Abb. *in eod. c. Cum tempore, n.* 7. ea ratione, quia privilegium exemptionis respicit non solum favorem exēpti, sed etiam eximentis, quorum jus est taliter conjunctum, & connexum, ut dividi, & separari non possit, & firmavit etiam Rota *d. dec.* 456. *num.* 11. & *tribus seqq.* & *dec.* 461. *à n.* 24. *part.* 5. *recent.*

§. 5. In omnem casum non procedit in exempto immediatè subjecto Sedi Apostolicæ, ùt advertit Felin. *in c. P. G. n.* 13. *vers. & intellige, de Offic. & potest. Jud. deleg.* Rota *coram Seraph. dec.* 595. *n.* 7. *vers. cùm enim isti, & coram san. mem. Greg. XV. dec.* 325. *n.* 23. *ibiq; Add. n.* 29.

§. 6. Exceptio verò præscriptionis in partibus aliàs deducta nullo modo merebatur allegari, tum quia illa non justificabitur in facto, prout necessariò esset justificanda, tum etiam quia dum in contrarium constat de quasi possessione exemptionis, quæsita per Fratres, & Moniales, cessat quæcumque præscriptio prætensa per Episcopum circa exercitium jurisdictionis, quæ in omnem casum non relevaret, cùm non possit præjudicare juribus Sedis Apostolicæ per *tex. in c. Ad audientiam, in fine, ibi* Abb. *n.* 12. & Felin. *n.* 17. *de Præscrip. auth. quas actiones, C. de Sacros. Ecc.* Rota *coram Seraph. dec.* 1025. *n.* 22. *vers. præter has*, & *num.* 23.

§. 7. Præsertim attento Decreto irritanti in præfatis indultis Apostolicis apposito, propter quod inficitur quidquid in contrarium gestū fuerit tam quoad titulum, quàm quoad possessionem, adeò ut per negligentiam, & non usum, nullum fuerit eisdem Monasteriis præjudicium illatum ùt post Archidiac. & alios probat Felin. *in cap. Cùm accessissent, n.* 30. *vers.* 4. *limita de Constit.* Rota *dec.* 3. *de Privil. in antiqu.* & *dec.* 240. *n.* 4. *part.* 4. *Diu. & coram Buratt. dec.* 704. *n.* 10. *vers. tertiò quia.* Et fortius vigore Constitut. San. mem. Urbani VIII. editæ

 sub

ſub die 5. Junii 1641. incipien. *Romanus Pontifex* in paragrapho Nec non reliqua omnia.

§. 8. Minùs relevat, quod juxta regul. ejuſdem Ordinis in cap. 26. conſtituatur Epiſcopus tam Sororum quàm Fratrum dictorum Monaſteriorum Pater ac Viſitator, necnon etiam Judex in omnibus cauſis, quia cùm poſtea ſupervenerint privilegia exemptionis à Bonifacio IX. de aliis Pontificibus conceſſa, per quæ omnis jurisdictio Ordinario competens in perſonas, & bona hujus Religionis ſublata fuit, ùtique dubitari non poteſt, quin fuerit derogatum diſpoſitioni ejuſdem reg. per *tex. in cap.* 1. *de Conſtit. in* 6. Rota *coram Greg. XV. dec.* 267. *n.* 9.

Monaſteria in quib9 quatuor aut quinq; Religioſi habitât; quando viſitari poſſunt ab Epiſcopis?

§. 9. Demùm ad id quod dicitur ex diſpoſitione Concilii Trid. competere Ordinario jus viſitandi Monaſteria, & loca exempta, placuit pronunc DD. reſponſio aliàs data in deciſione Em. Cardinalis Panziroli, nempe diſpoſitionem prædictam non habere locum in illis Eccleſiis, & Monaſteriis, in quibus Regularis obſervantia exercetur, ùt apparet ex verbis ejuſdem Concil. *ſeſſ.* 21. *cap.* 8. *de Refor.* ibi, propterea commandata Monaſteria &c. in quibus non viget Regularis Obſervantia &c. exempta ab Epiſcopis, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, annis ſingulis viſitentur &c. Notat Roderic. *Quæſt. regul. tom.* 1. *quæſt.* 36. *col.* 3. *verſ. ſed his quæ diximus.* Et ita &c.

11. Ex his colligitur Monaſteria fundata poſt Conc. Trid. in quibus quinque aut quatuor Religioſi habitant, poſſe ab Ordinario loci viſitari, ſi in eis non vigeat diſciplina Monaſtica, ſive obſervantia præſcripta: ſecùs, non.

12. Caſus in quibus Ordinarii locorum, tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegati, Regulares exemptos, intra Clauſtra, Conventus &c. degentes, punire, etiam cenſurîs Eccleſiaſticis valent. Sunt primò, ratione clauſuræ Monialium: nam Trident. *ſeſ.* 25. *c.* 5. *Univerſis Epiſcopis, ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit: ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis, ordinariâ; in aliis verò, Sedis Apoſtolicæ authoritate, clauſuram Sancti-Monialium ubi violata fuerit, diligenter reſtitui; & ubi inviolata eſt, conſervari maximè procurent: inobedientes atq; contradictores, per cenſuras Eccleſiaſticas aliasq; pœnas, quacunq; appellatione poſtpoſita, compeſcentes.*

13. Unde poteſt Epiſcopus ob cuſtodiendam clauſuram in Monaſteriis Regularibus ſubjectarum Monialium, pœnam excommunicationis latæ ſententiæ imponere, & ſibi reſervare, circa apertionem oſtii clauſuræ, extra caſus indigentiæ. Et quòd dicta excommunicatio, nedum Regulares accedentes, verùm etiam Moniales liget, facta de eis mentione, adeò ut Superior Regularis ab eadem excōmunicatione abſolvere nequeat

in foro

in foro fori: inquit Lezan. cùm habeatur pro hoc Declaratio Sacræ Congreg. in una Veterbien. 16. Junii Anno 1626. Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Episcopus quoad Regulares*, *n.* 7. Et hæc Declaratio habetur authenticè, inquit Lezan. *loc. cit.*

14. Et quia, sicut extat declaratio Sacræ Congregationis de die 4. April. 1587. Regulares adeuntes Monasteria Monialium sine licentia Episcopi, incidere in excommunicationem, quam ipse Episcopus imposuit, nisi habeant speciale privilegium, quòd nequeant excommunicari ab eo (g); ita habetur Declaratio sacræ Congregationis, quòd licentia adeundi ad colloquium cum Monialibus, Regularibus subjectis, spectet ad ipsos Superiores Regulares, nisi ex consuetudine ad Episcopos pertineat (h). Sequitur ergò, quando Episcopus fert censuram contra Regulares colloquentes cum Monialibus, non comprehendi in ea sententia Moniales, Regularibus subjectas; & cum eis, de licentia superioris, colloquentes Regulares. Sed quidquid sit, Regularis non incurrit excòmmunicationem dictam, colloquens cum ipsa Abbatissa, sine licentia excommunicantis (i): quia sicut nomine Monachorum, in odiosis non venit Abbas (ùt notat Glossa in *cap. final. de Simonia* & Pannormitan. ibi *n.* 2. Cardin. *in Clementin.* 1. *n.* 7. *in* 6. *opposit. de Regular.*); ita nomine Monialium, in iis, non debet venire Abbatissa.

(g) Lezan. tom. 1. c. 25. n. 35.

(h) Quarāt. verb. Monaster. Moni-al. Gavant. verb. Moni-al.

(i) Dian. de Excom. re-sol. 84. n. 3. cōtra Graff. de Censur. lib. 2. c. 5. n. 31.

Prælati Regulares dare licentiā intrandi, extraneis; non exeūdi Monialib9, possunt.

15. Et quàmvis Regulares prælati, possint urgente necessitate, independenter ab Episcopo, concedere licentiam extraneis, sive mulieribus sive viris, ingrediendi Monasteria Sancti-Monialium sibi subjecta; nequeunt tamen suis Monialibus sibi subjectis, concedere facultatem exeundi: nisi accedat consensus Ordinarii loci. Sic enim loquitur Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. *Nemini autem Sancti-Monialium, liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breve tempus, quocunq; prætextu; nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda: indultis quibuscunq; non obstantibus. Ingrediendi autem intra septa Monasterii, nemini liceat, cujuscunq; generis aut conditionis, sexûs vel ætatis, fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipsô factô incurrenda. Dare autem tantùm Episcopus vel Superior licentiam debet, in casibus necessariis: neq; alius ullô modô possit, etiam vigore cujuscunq; facultatis vel indulti, hactenùs concessi, vel in posterum concedendi.* Quare in contra venientes huic Decreto, Ordinarii locorum, tam in Moniales quæ exirent sine eorum licentia, quàm in ipsos Superiores Regulares qui talem consensum præberent; possent mediantibus censuris Ecclesiasticis, agere: prout declaratum à Sacra Congregatione esse, dicit Lezana *tom.* 1. *c.* 25. *n.* 21.

 16. Extant

16. Extant quidem duæ Declarationes Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium, una die 3. Febr. 1634. altera de die 16. Novembr. 1635. quòd nequeant Prælati Regulares concedere facultatem ingrediendi Monasteria Monialium sibi subjectarum, absque consensu Episcopi; sed intelligi debet, *juxta consuetudinem*, si de consuetudine ad Episcopum spectet, dare eam licentiam intrandi Monasteria, Regularibus subjecta: patet inde, quòd (ùt vidit P. Lezan.) ab alia Sacra Congregatione declaratum sit, per verba sequentia: *licentias ingredi intra septa Monialium, ex vera tantùm necessitate concedendas, quoad Monasteria Regularibus subjecta, pertinere tantùm ad ipsos Superiores Regulares* (k).

(k) Tábur. de Jur. Abb. d. 23. q. 1. Lezá. verb. Clausura, n. 24.

Concionatores in aliena Ecclesia cõcionem habentes possunt censurari.

17. Item possunt Ordinarii locorum ferre censuras in Regulares, si nolint Novitio quem ejiciunt, restituere ea, quæ restituere expulso tenentur: quia Concil. Trident. *sess.* 25. c. 16. sic ordinavit: *ut abeuntibus omnia restituantur, quæ sua erant. Quod ut rectè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat: excepto victu & vestitu Novitii vel Novitiæ, illius temporis quô in probatione est.*

18. Item possunt Ordinarii locorum procedere per censuras contra Regulares, qui in aliena Ecclesia sine licentia, aut in sua sine benedictione eorum, aut contradicentibus eis, auderent concionari: cùm hoc, decretum sit in Bulla Gregor. XV. quæ incipit: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei*, §. 6. per sequentia: *Ac demùm habeat Episcopus, tanquam dictæ sedis Delegatus, authoritatem coërcendi ac puniendi quoscunq; exemptos, tam Sæculares quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absq; Episcopi licentia; & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum: non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint: ita ut Episcopi in suprà scriptis casibus, in prænominatas personas, in præmissis omnibus & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas aliasq; pœnas, ùti ejusdem Sedis Delegati, procedere, omnemq; jurisdictionem exercere liberè & licitè valeant.*

Sæculares exempt.

Regularis suspectus de hæresi, non Generalis Ordinis potest judicari ab Episcopo.

19. Item in causis spectantibus ad Sanctam fidem, possunt procedere per censuras contra dictos Regulares: quia Regulares in causa hæresis, subduntur Episcopo, per Constitutionem Pauli V. quæ incipit, *Romanus Pontifex ea interdum*, edita Anno 1606. die 1. Septembr. vide Bullar. Carm. *part.* 2. *pag.* 347. editionis Elisei Monsignani, & vide *de Ordine suprà, num.* 58. *ser.* 4. *inferente casus.* At si Regularis, esset Generalis Ordinis, suspectus de hæresi, non minùs quàm Abbas aut Episcopus talis, spectaret ad Inquisitores supremos: quia causæ graviores contra prælatos & Episcopos, Sedi Apostolicæ reservantur: ex *cap.* 5. Concil. Trident. *sess.* 24. *de Reform.* docent Pegna. *cõment.* 77. in fine

fine. Rodriq. *tom.* 2. *q.* 81. *a.* 1. Donat. *de Exempt. Religiosor. tr.* 13. *q.* 31. *n.* 4.

20. Item si degens intra claustra, delinquat extra ea notoriè & scandalosè, & Prælatus ejus instante Ordinario loci, intra tempus ab eo præfixum, non puniat delinquentem; tunc Ordinarius loci, delinquentem, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, punire, etiam censurîs (si opus est) potest. Probatur per Concil. Trident. in quo *ses.* 25. *cap.* 14. sequentia sunt: *Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra degit, & extra ea ita notoriè deliquerit ut populo scandalo sit; Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniatur, ac de punitione, Episcopum certiorem faciat: sin minùs; à suo Superiore officiô privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.* Plura de hoc in Bulla Clementis VIII. quæ incipit, *Suscepti muneris ratio postulat*, quæ ponitur id fine hujus libri. Si extra Claustra Regularis delinquat.

21. Circa hæc notanda, 1. requiri ex parte delinquentis, ut sit delictum commissum extra claustra. 2. ut sit notorium. 3. ut sit scandalosum. Ex parte Ordinarii, ut instet apud Prælatum Regularem delinquentis (l): quia Concil. Trident. utitur his verbîs, *Episcopo instante:* & declaratum est à Sacra Congregatione, *satis esse, ut Episcopus semel instet Superiori Regulari, eiq; tempus præfigat.* Ex parte Superioris Regularis requiritur, non tantùm ut Episcopum certiorem faciat, de Decreto lato super delinquentem; sed maximè de punitione delinquentis. Ita declaratum est à Sacra Congregatione, referentibus Barbosa & Novar. Quod tamen limitandum videtur (inquit Lezan.): ùt si Religiosus, per illud delictum damnatus esset, ad disciplinam recipiendã per annum: tunc sufficeret de sententia, & qualiter incepta est. Et si prælatus Regularis, non posset intra tempus ab Episcopo præfixum, punire delinquentem, ob justè excusantem causam; termini prorogationem, ab eo postulare obligaretur, & Episcopus concedere: quia terminus competens concedi debet: *cap.* 1. *de Dilat. cap.* 2. *Requiritur*, §. 1. *de Appellat.* & *cap. Legitima, de Appellat.*

(l) Peyrin. tom. 1. Privil. Minim. in Constit. 2. Sixti IV. Donat. loc. cit. q. 47. Lezan. verb. Delinq. nũ. 3.

22. Notandum, Superiorem Regularem delinquentis, nullam pœnam per hoc incurrere, quòd eum transmittat in alium locum, in pœnam delicti, & ut decentiùs ibi puniatur. Rodriq. *tom.* 2. *Quæst. Regul.* 2. *a.* 6. Peyrin. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 16. *n.* 27.

23. Et si puniendum Superior remitteret ad majorem Superiorem, non eô ipsô Episcopus posset contra delinquentem procedere, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus: nam Sacra Congregatio Episcoporũ & Regularium 17. Aug. 1635. ordinavit Illustrissimo Nuntio Neapolitano: ne procederet contra quendam Religiosum, sub prætextu quòd Notandum.

extra

extra clauſtra deliquiſſet; quandoquidem Reverendiſſimus Generalis Ordinis, contra ipſum procedere volebat. Lezan. *verb. Delinquens*, *nū.* 6.

An poſſit Regularis exemptus ab Epiſcopo incarcerari.

24. Utrùm Epiſcopus poſſit Regularem exemptum, extra clauſtra notoriè delinquentem, incarcerare; & incarceratum detinere? Diſputant de hoc Theologi. Ego admittens poſſe ſolùm in caſu, quô timeret Epiſcopus fugam illius Religioſi (m), cenſeo Ordinarium loci eſſe obligatum, ad ſtatim remittendum delinquentem ſuo Superiori: nam ad hanc difficultatem in Sacra Congregatione propoſitam taliter, *quando Regularis extra clauſtra notoriè delinquit, an detinendus ſit in carceribus ab Epiſcopo, donec proceſſus in Curia Epiſcopali conficiatur, eôq; compilato, inſtante Superiore, remittendus ſit ad Superiorem, unà cum his probationibus quæ habentur?* Sacra Congregatio reſpondit: *ſtatim remittendum eſſe, etiam poſito quòd Superior nullam inſtantiam faceret.* Refert Barboſ. *in d. cap.* 14. *ſeſ.* 25. *de Regul. num.* 2. & Marcellus Vulpes *in Praxi judiciali fori Eccleſiæ cap.* 42. *num.* 23. Aliter dicendum de profugis: vide *infrà*, *d.* 2. *ſer.* 4. *ſect.* 5. *n.* 12.

(m) Lezā. verb. Delinquēs, n. 2. Novar. num. 5.

25. Ex hac declaratione Sacræ Congregationis patet, non poſſe Epiſcopum formare juridicum proceſſum, contra dictum Regularem delinquētem: & inde, quòd non habeat poteſtatem delegatam, judicialiter cōtra eum agendi; niſi præmiſſis, inſtantiâ ejus & negligentiâ Superioris Regularis. Ita Dian. 3. *part. reſol.* 132. Bordon. *reſol.* 7. *q.* 10. Donat. *loc. cit. q.* 53. *n.* 8. *pag.* 313. Poteſt tamen informationem facti, ſummatim à teſtibus capere, eamque Superiori delinquentis mittere, ad hoc, ut hic facti informationem habens, poſſit contra ſuum ſubditum juridicè procedere. Docent Hieron. Rodriq. Peyrin. Donat. *loc. cit.* & alii apud eum.

Regularis delinquens in Eccleſia ſui Ord.

26. Quid ſi Regularis delinquat notoriè & ſcandaloſè, intra Eccleſiam ſui Ordinis? Barboſ. in *cap. final. de Statu Monach. n.* 5. teſtatur ſe vidiſſe Originale Sacræ Congreg. Emin. Cardin. interpretum declarationis affirmativæ, editæ ſub die 19. Septembr. Anno 1625. Quare dicit Lezana, *acquieſcendum deciſioni Sacræ Congregationis, ſi de ea authenticè cōſtet, niſi fortè dicatur, & congruentiùs debet intelligi de alia Eccleſia ſui Ordinis, extra propriam ſui Monaſterii:* & ſequitur Ceſpedes *de Exemp. Regul. cap.* 16. *dub.* 239. *num.* 4.

27. Utrùm poſſit Epiſcopus Regularem non ſubditum, declarare incidiſſe in excommunicationem, inflictam à Jure, aut ab Apoſtolica Cōſtitutione, ad hoc, ut evitetur? Controvertunt DD. Affirmativam ſententiam tenent Quarant. *in Sum. Bullar. verb. Monaſter.* Barboſ. *alleg.* 105. *in caſu* 35. *n.* 73. & *in Collectan. ad cap.* 14. *ſeſ.* 25 *Concil. Trident. de Regul. num.* 11. Rodriq. *tom.* 2. *q.* 63. *a.* 11. qui ambo ultimi, loquuntur

ibi

ibi de notoriis. Maria Novar. *in sua Lucerna Regul. verb. Excommunicare, num.* 6. Bordon. *resol.* 7. *q.* 7. Tamburin. *de Jure Abbatum tom.* 1. *d.* 15. *q.* 7. *in casu* 29. *n.* 37. Negativam tuentur Navar. 2. *part. de Sentent. excom. consil.* 3. Portel. *verb. Episcopus, n.* 9. Jacobus Graffius *Decision. aur. part.* 1. *lib.* 2. *de Explic. can. cap.* 49. *n.* 68. Sorb. *in Annotat. ad compend.* Casarub. *verb. Exemptio,* Peyrin. *tom.* 1. *Privil. constitut.* 2. *Sixti IV.* §. 10. *n.* 13. & 14. Donat. *de Exempt. Religiosor. tr.* 13. *q.* 26. Lezan. *n.* 9. quia præ-requiritur citatio. Certum tamen est apud omnes, quòd Episcopus possit Regularem exemptum, excommunicatum, vitandum denuntiare suis subditis: hocque sensu accipienda est Sacra Congregatio in una Limanen. 29. *Januar.* 1633. quam refert Barbos. *in Collectan. Bullar. verb. Episcopus*, in qua habetur: Episcopum, posse Regularem exemptum, qui ob notorium delictum in censuras incidit, denuntiare pro publico excommunicato, ut talis ab omnibus vitetur: talique etiam sensu intelligendi sunt Barbos. *suprà, alleg.* 105. *n.* 73. & Tambur. asserente Lezan. *loc. cit.*

28. Utrùm Regulares degentes intra septa, in causis civilibus mercedum; & miserabilium personarum, possint conveniri coram Episcopis; consequenter ab eis censurîs stringi ad satisfaciendum? Trident. *sess.* 7. c. 14. declarat & ordinat per sequentia: *in exemptorum causis, Constitutio Innocentii IV. quæ incipit*, Volentes, *in generali Concil. Lugdun. edita, servetur; quam, eadem Sacrosancta Synodus innovandam censuit, & innovat. Addendo insuper, quòd in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarũ, Clerici Sæculares, aut Regulares extra Monasteriũ degẽtes, quomodolibet exẽpti, etiamsi certum Judicem à Sede Apostolica delegatum in partibus habeant; in aliis verò, si ipsum Judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam ad hoc ab ipsa Sede Apostolica Delegatis, conveniri, & Jure medio ad solvendum debitum, cogi & compelli possint: privilegiîs, exemptionibûs, conservatorum deputationibûs, & eorum inhibitionibûs, adversùs præmissa, nequaquam valituris.*

29. Miserabiles personæ de quibus in *hoc cap.* loquitur Concil. sunt viduæ, pupilli, orphani, senes decrepiti, diuturno morbô fatigati, puellæ pauperes nobiles, peregrini, advenæ, cæci, mutilati membrîs, atque similes. Ita Rodriq. *tom.* 1. *Quæst. Regul. q.* 65. *a.* 3. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 10. Personæ miserabiles.

30. Oppositum nihilominùs est dicendum, tam de Regularibus intra septa, quàm extra ea degentibus: quia Paulus V. in Bulla quæ incipit, *Religiosorum sub suavi Religionis* (quæ habetur *tom.* 3. *Bullar. n.* 34. inter Bullas huius Pontificis, & in Bullar. Ord. Carm. *part.* 2. *pag.* 356.) approbat Decretum Sacræ Congregationis, in quo ad instantiam Procuratoris Gene-

Reconciliatio Trid. nũ. 26. cum Declaratione num. 28. suprà.

Generalis nostri Ordinis, ab eadem S. Congregatione declaratur: *neque Constitutione in generali Concilio edita, quæ incipit, Volentes; neq; Decretô Concilii Trident. sess. 14. cap. 7. comprehendi Regulares: ideoq; eos, juxta eorum privilegia, coram suis Superioribus vel Conservatoribus, esse conveniendos.* Probat Sanch. *Opusc. moral. lib. 6. cap. 9. dub. 1. n. 25.* dictum Decretum *cap. Volentes*, solùm loqui de exemptis ratione loci, non de exemptis habentibus personalem exemptionem. Lezan. *tom. 1. loc. cit.* & *verb. Causa judicialis, n.* 6. Gavant. in *Manual. Episcopor. verb. Jura Regular. n.* 55. Consonat Declaratio alia à S. Congregatione anno 1573. in hæc verba: *Dubitandum fuit, an Regulares possint civiliter coram Episcopo à Creditoribus suis conveniri.* Et fuit *responsum, quòd possint conveniri, si non sint sub Regulari Observantia; at si sint sub Regulari observantia, non possunt conveniri coram Episcopo.* Navar. *comm. 2. de Regular. num.* 63. Rodriq. *tom. 2. Quæst. Regul. q. 2. a. 8.* Peyrin. *tom. 1. Privil. Minim. in Constit. 2. Sixti IV.* §. 11. *n.* 30. Dixi, *tam de Regularibus degentibus extra claustra:* quia Declarationes præfatæ Congregationum, indefinitè & generaliter, *de Regularibus*, dicunt. Lezan. *loc. cit.*

Vide Bul. in fine libri hujus quartâ.

Carmelitæ habent conservatorem, Protectorẽ sui Ordinis.

31. Quàmvis per Constitutionem Gregor. XV. quæ incipit, *Sanctissimus in Christo Pater*, ordinatum sit, ut Regulares non aliter eligant Conservatores, quàm in ea sit præscriptum, cassenturque omnes aliter factæ & faciendæ electiones Conservatorum à Regularibus; non tamen per eam Constitutionem annihilantur privilegia, à Sede Apostolica concessa Cardinalibus Protectoribus Carmelitarum, quòd habeant facultatẽ circa publicationem privilegiorum ejusdem Ordinis, & defensionem eorundem Fratrum in quibuscumque causis, & contra quoscumque quantumcumque qualificatos: ùt patet ex verbis Bullæ Sixti IV. *Dum attenta - - & nihilominùs Protectori* &c. (apud Lezan. *de Dominis Card. Protectoribus pag.* 190. *n.* 13). Quia cùm Cardinalis Protector, persona sit specialissima notâ digna; cùm agitur de limitanda ipsius authoritate, specialis de ipso mentio fieri debet: quæ non fit in præmissis, Decreto & Constitutionibus. Imò in Constitutione Gregor. XV. pœna suspensionis ponitur conservatoribus, limites suæ authoritatis excedentibus: quam tamen, non incurrere Cardinales, nisi de ipsis specialis mentio fiat, tradunt Cardinalis Alban. *de Cardinalatu q. 2. ex Joan. Andr.* Azor. *tom. 2. Instit. Moral. lib. 4. cap. 3. q.* 20. Hucusque Lezan. *loc. cit.* Et addit, quod quàmvis prædicta facultas solùm Protectori Carmelitarum concedatur, nec similis reperiatur in aliis Litteris, seu Bullis *Mare Magnum* appellatis aliorum Mendicantium; nihilominùs etiam Protectores aliorum Ordinum Mendicantium, propter communicationem privilegiorum, dicta facultate uti possunt. Et sic Regulares

res Mendicantes, habemus Conservatores, Cardinales Protectores Ordinum.

32. Possunt insuper Episcopi excommunicare Regulares, Sacramenta Eucharistiæ ùt viaticum, Extremæ unctionis, ministrantes, aut excommunicatos in certis causis, absolventes: juxta Clementin. 1. *de Privileg.* & *cap. Volentes*, §. *In eos autem*, *in fin. de Privil. in* 6. Peyrin. *tom.* 1. *Privil. Minim. in Constit.* 2. *Sixti IV.* §. 10. *n.* 13. Lezan. *n.* 9. Donat. *q.* 78. *n.* 1. *de Exempt.* Non addo cum aliis immediatè citatis, quòd Episcopus possit Regularem matrimoniò sine licentia Parochi Sponsos conjungentem, excommunicare; quia Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de Matrimonio*, mitiorem pœnam ipsô factô talibus imponit, nempè suspensionem, ùt videre est ibi: atqui, quando lege nova imponitur mitior pœna, quàm erat imposita lege antiquiori, cessat antiqua; ergò quia à Concil. imponitur pœna mitior contra Regulares solemnizantes matrimonium, cessat pœna excommunicationis contra Regulares matrimonia solemnizantes, lata in Clementin. 1. *de Privileg.* quòd declaravit S. Congregatio Cardinalium, inquit Diana *part.* 5. *tr.* 10. *resol.* 33. & Martin. de Alcolea Carthusianus *de Suspensione tr.* 3. *resol.* 42. *n.* 3. cum eo Sanch. *tom.* 1. *lib.* 3. *d.* 48. *num.* 4. Possunt etiam & in aliis casibus, in quibus expresse eis conceditur facultas procedendi per censuras, contra Regulares exemptos & privilegiatos, cum abrogatione privilegiorum.

33. Alii sunt casus, in quibus eis conceditur expressè facultas puniendi Regulares, nullam mentionem faciendo de censuris ferendis: ùt sunt v.g. sequentia, proposita & declarata à S. Congregatione: *An Regularis, absq; legitima licētia accedens ad Monasteriū Monialiū, Regularibus subjectarum, ibiq; in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquens; à Diœcesano Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, coërceri & puniri possit? Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, censuit: posse. Quam Congregationis sententiam Sanctissimus D. N. Vrbanus VIII. ad se relatam, approbavit. An liceat Episcopo, in vim Constitutionis Sanct. mem. Gregor. XV. de Exemptorum privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt, ante tempus ipsi ab Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenùs prænuntiata? Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, respondit: Regulares ex eadem Constitutione, ita demùm teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumq; ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expressè declaraverit se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumq; electionibus per se vel per alium interesse, ac præsidere. Post eam verò declarationem, licere Episcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænuntiata, ad Abbatissæ electionem procedunt.* In Bullar. Ord. Carm.

 p. 2.

 p. 2. pag. 401. Similiter in aliis, conceditur Episcopis, ut *Regulares cōpellant, puniant*; & non additur *censuris:* ut in Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.*13.

34. Quæstio est inter Theologos, utrùm in talibus casibus, Ordinarii locorum, possint etiam censurîs punire Regulares? Affirmativam sententiam tenent, Marius Antonius Genuensis *resol.* 112. Gratian. *decis.* 23. *n.* 12. Barbos. *de Potestat. Episc. alleg.* 105. *n.* 13. Ciarlin. *Controv. forens. cap* 50. *n.* 20. Portel. *in* 1. *p. Respons. cas.* 9. *n.* 1 & alii apud Donat. *de Exempt. Relig. tr.* 13. *q.* 78. per totum. Lezana verò Consultor Sacræ Congregationis sic dicit *tom.* 1. *cap.* 11. *n.* 14. *In prædictis autem casibus, in quibus Religiosi etiam exempti subduntur Episcopis à Concil. Trident. probabile est, non posse compelli excommunicationis, suspensionis* &c. *nisi fortè hoc concedatur ab ipso Concilio. Ratio est primò: quia quoties Cōcilium voluit dare hanc authoritatem Episcopis, procedendi per censuras contra Religiosos exemptos, id explicuit: ut in sess.* 25. *cap.* 16. *contra dantes aut recipientes aliquid pro ingressu Novitiorum, & cap.* 5 *ejusdem sess. pro restituenda & conservanda clausura Sanctimonialium, & sess.* 22. *in Decreto de Observandis & vitandis in celebr. Miss. Ergò signum est, in aliis locis & casibus, in quibus non explicuit talem authoritatem concedi Episcopis supra Religiosos exemptos, noluisse illam habere. Sanch. lib.* 7. *de Matrim. d.* 33. *n.* 12. *& lib.* 6. *in Decalog. cap.* 1. *n.* 14. *Secundò propter multa privilegia quæ ad id habent Mendicantes, præsertim Carmelitæ à Sixio IV. & Societas Jesu à Paulo III. anno* 1549. *ut videre est in Compend. privil. n.* 23. & 24. A Sixto IV. in Bulla *Dum attenta* (in Bullar. Ord. Carm. *part.* 2. *pag.* 334. *n.* 34.) *districtiùs inhibemus: ne quisquam absq; Sedis Apostolicæ speciali commissione & authoritate, de hujusmodi, & aliorum Prædecessorum nostrorum, non in genere, sed de verbo ad verbum specialem faciente mentionē, in personas, domos, & loca, aut alia dictorum FF. Beatissimæ Dei Genitricis MARIÆ de monte Carmelo bona, utpote prorsùs exempta, aliquas excommunicationis, interdicti, & suspensionis sententias, specialiter vel generaliter promulgare - - - præsumat.*

35. Ex his & aliis colligitur, quòd si in sententia lata ferente excommunicationem, non exprimantur nominatim Regulares, minimè in ea comprehendūtur: nam Nicolaus V. declaravit, noluitque *Fratres ligari aliqua censurâ excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, Juris & hominis; nisi nominatim fiat mentio de illis: nec sufficit, si dicatur in sententia generaliter, ut proinde valeat ac si essent expressè nominati* &c. Hæc Declaratio habetur in Bibliotheca Vaticana ùt dicitur in Compend. Soc. Jesu *verb. Excom.* & refert Rodriq. *tom.* 2. *q.* 59. *a.* 5. inquit Donatus *loc. cit. q.* 25. *pag.* 303.

36. Regularis Parochus, jussu Superioris degens extra Monasterium, in domo

in domo Parœciæ ſuo Monaſterio unitæ, ſi delinquat, à quo eſt puniendus? *Reſp.* Vel ille Regularis commiſit delictum concernens curam animarum & Sacramentorum adminiſtrationem? Poteſt puniri ab Epiſcopo, ſecundùm formam Concilii Trid. *ſeſ.* 6. *c.* 3. nam Gregor. XV. in Conſtit. quæ incipit, *Inſcrutabili Dei providentia*, *in* §. 9. ſic dicit: *quòd Epiſcopus poſſit toties & quādo opus fuerit, etiam extra viſitationem, contra delinquentes in tali cura, procedere.* Vel deliquit extra officium, in eo ſcilicet, ad quod non fuit deputatus ab Epiſcopo? Debet puniri à ſuo Superiore Regulari: cùm ita ſit declaratum à S. Congregatione ſub die 14. Februar. 1585. & 1601. teſtante Aldano *in Compend. Canon. reſol. lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 3. & Barboſ. *in d. Collectan. ad d. cap.* 3. Trident. *ſeſ.* 6. *de Reform. n.* 7. & in *cap.* 14. *ſeſ.* 7. *de Reform. n.* 1. ubi ponit duas Declarationes, quarum unâ declaratur, Regulares de licentia ſuorum Prælatorum, inſervientes beneficiis ſimplicibus, quæ ſunt membra Monaſterii; non poſſe ab Epiſcopis puniri: alterâ, quòd Regulares ex ordinatione ſuorum Superiorum deſervientes Eccleſiis Parochialibus, ſuis Monaſteriis unitis; extra Officium Parochiale, nequeant puniri ab Epiſcopis. Donat. *loc. cit. q.* 41.

Parochus Regularis à quo puniendus.

§. V.

An Epiſcopus poſſit in ſua Diœceſi punire cenſurîs ſubditum alterius Epiſcopi, ſi delinquat in ejus Diœceſi?

I. R*Eſp.* Circa hoc eſſe aliquot ſententias. Bonac. docet, quòd ſicut ligantur legibûs Territorii advenæ majori parte anni, aut tali intentione advenientes; ita & cenſurîs ſtringuntur, brevi tempore morantes. Verani verò cum aliis vult, ſubditos alterius Diœceſis, poſſe ligari cenſurîs permodum ſtatuti latis: deducit ex *final. de Foro competente.* Ratio ejus eſt: quia ratione delicti ſortitur quis forum, & fit ſubditus illius, in cujus Territorio deliquit. Confirmat per hoc, quia *cap.* 2. *de Conſtit. in* 6. ſtatutum eſt, qui in alieno Epiſcopatu trāsgreditur ſui proprii Epiſcopi mandatum, non incurrit cenſuram ejus: ergò incurrit cenſuram ejus, in cujus Diœceſi deliquit.

Epiſcopus alienæ Diœceſis quali cenſura punire poſſit.

2. Econtra aliter videtur ſentire Bonæ Sp. cum Leſſio & Laym. quòd advenæ, ſicut non ſtringuntur legibûs Territorii, niſi eîs quæ ſunt etiam latæ pro advenis, ùt ſunt quæ juſtum telonium ſolvunt, quæ pretium juſtum mercium ſtatuunt, item quæ materiam & formam contractuum præſcribunt, præterea quæ prohibent ne certæ merces aſportentur, denique

denique quæ agunt de pœnis delictorum, scandalorum, perturbationis Reipublicæ &c; ita non incurrunt censuras, nisi ob transgressiones harum legum: quid à me dicendum? Patet *de Legibus*. Quid de Regularibus? Tempus deest: videantur propria Statuta.

§. VI.

An post latam sententiam, sit necessaria censuræ denuntiatio?

I. R*Esp.* quòd necessaria, ut jam incursa censura divulgetur: habetur hoc in *cap. Curæ*, 11. *q.* 3. *cap. Pervenit*, 1. *cap. Pastoralis*, *de Sentent. excom.* Ratio est: tum ut qui censurâ ligatur, rubore perfusus citiùs resipiscat; tum ut excommunicationis causa omnibus auferatur, & ipsis excommunicatis ubique occludatur aditus Ecclesiasticus: ut colligitur ex *cap. Pervenit*, 1. & *cap. Pastoralis*, & Clementin. *de Censibus*.

A quo denuntiatio fieri debet.

2. Et si quæras, à quo potest fieri denuntiatio? *Resp.* Si censura incursa, sit lata ab homine; ab eo etiam fieri debet denuntiatio: *cap.* 1. *de Raptoribus*. Si autem lata sit à Jure communi; denuntiatio debet fieri ab Ordinario loci: *Clementin.* 1. *de Privil.*

3. Est ne casus, quò Judex obligatur non denuntiare latam censuram? *Resp.* Si executori evidenter constet, sententiam censuræ esse nullam; tunc non potest licitè, eam denuntiare: *cap.* 2. *de Crim. falsf.* ubi laudatur executor, eò quòd sententiam, authoritate falsarum litterarum latam, noluerit executioni mandare; quia talis sententia nulla erat.

4. Ad hæc, nota duo: primum est, quòd post latam à Judice censuram, contrahatur excommunicatio (a). Secundum est, quòd non obstante appellatione, potest Judex progredi ad denuntiationem; secùs si eam admiserit: cùm sit ita decisum *cap. Pastoralis*, §. *Verùm*, *de Appellat.* & *cap. Cùm contingat*, *de Offic. deleg.* & *cap. Is qui*, *de Sentent. excom. in* 6.

(a) Verani.

SERIES IV.

De Causis.

QUia in duplici differentia considerantur causæ, nam quæri potest, vel de causa ob quam ferri censura potest in aliquem, cùm ex mero placito ferri nequit, sed ex rationabili causa, alioqui censura

esset non in ædificationem sed in destructionem Fidelium, vel de causa ob quam excusatur quis à censura; Sit itaque

SECTIO I.

Causa quænam potest esse sufficiens ad validè ferendam censuram in aliquem?

1. **R**Esp. breviter & dico: Imprimis cùm censura sit pœna, causa esse debet culpa (a): nam pœna est effectus culpæ, juxta communem assensum Theologorum.

(a) Lezan. Cornejo.

2. Inde est, quòd debeat proportionari culpæ: *cap. Sacro, de Sent. excom.* (b) aliàs sub nullitate actûs fertur gravis censura pro levi culpa (c): tum quia est contra justitiam; tum quia in pœnis non est facienda extensio, sed potiùs restrictio.

(b) Bonac. Veran. Lez.
(c) Verani.

3. Unde excommunicatio minor, & suspensio levis (si detur, de hoc *infrà*), imponi debet pro culpa levi (b); non verò excommunicatio major: nisi pro culpa lethali. Et sicut, non pro quocunque peccato veniali v. g. pro verbo otioso, aut levi mendacio, potest censura levis imponi; ita non pro quocunque mortali, quæcunque censura gravis, maximè excommunicatio: cùm sit pœna maxima. Quare quàmvis possit propter alienam culpam ferri suspensio, aut interdictum (d); excommunicari tamen nemo potest nisi propter propriam: *cap. Si habet*, 24. *q.* 3. Aug. *Epist.* 25.

Censura proportionatā culpam supponit.
Et non pro omni imponenda est.
(d) Lezan.

4. Ob quale autem peccatum potest quis excommunicari? *Respondet* Doct. Resol. *in* 4. *d.* 18. *q.* 1. *a.* 1. & Lezan. *loc. cit.* quòd debeat esse inobedientiæ, & contumaciæ: juxta illud *Math.* 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus* &c. *Contumacia autem multiplex dicitur*, inquit Doct. Resol. *Est enim contumax, qui citatus, non venit; qui veniens, non respondit; qui veniens & respondens, illicentiatus recedit; qui latet, vel qui se absentat, vel procurat ne citatio ad ipsum perveniat; qui non satisfacit pro debito; qui non pœnitet de peccato; qui Superiori non obedit*, & plura ibi, adducens *cap. Nemo*, & *cap. Nullus*.

Contumacia quotuplex.

5. Sed hæc simpliciter accepta, absque considerandis circumstantiis, non sufficiunt ad ferendam excommunicationem: cùm magnæ prudentiæ Judicis committitur ferenda, ut omnes circumstantias circumspiciat; ut potius utilitas Reipublicæ Ecclesiasticæ, non pernicies, ex lata eveniat: docet D. Aug. *lib. de Correct. & gratia, cap.* 15. & refert in *cap. Corripiantur*, 24. *q.* 3. *de Excom.* Si aliter potest debitor ad bonam frugem

Excōmunicatio ferenda magnæ prudentiæ cōmittitur.

frugem reduci, abſtinendum à cenſuris: juxta Concil. Trident. *ſeſ.* 25. *cap.* 3. *de Reform.* Tum quia hoc ſtatutum eſt in Concil. Melden. *c.* 56. *Nemo Epiſcoporum*, 11. *q.* 3. ùt habet Doct. Reſol. *loc. cit. anathema nonniſi pro mortali debet imponi crimine*, *& illis*, *qui aliter non poterunt corrigi.* Rationem dat: *quia nolle corrigi*, *eſt contumacia.* Vel quando eſt ſpes reſipiſcentiæ, poteſt prudenter Judex minorem cenſuram imponere; non ſtatim majorem, quam promeruit peccator: nam & Eccleſia S. piiſſima Mater, ita ferre conſuevit, ùt colligitur ex *cap. Præſenti*, 5. *q.* 2. & ex *cap. Veritatis*, *de Dolo & contumacia.* Et ſic in Sacerdotibus, ſuſpenſionem; in Laicis, interdictum, excommunicationi præmittere poteſt Judex (c). Secùs, ſi aut gravitas negotii aliud exigat, aut Judex prudenter judicat non eſſe ſpem fructûs, in præmittendo cenſuram minorem; tunc poteſt immediatè imponere majorem cenſuram.

Cēſura propter peccatū internū.

6. Utrùm poteſt cenſura ferri, propter peccatum internum? Triplex circa hoc eſt ſententia. Prima, ſicut admittit Eccleſiæ eſſe jurisdictionem in actus purè internos; ita poſſe ab ea eos præcipi vel prohiberi ſub cenſura. Ita Gloſſ. in *cap. Cogitationis*, *de Pœnitentia*, *d.* 1. in Clement. 1. *de Hæret.* §. *Verùm*, *verb. Eô ipsô incurrat*, S. Antonin. 3. *p. tit.* 24. *cap.* 7. Panormitan. in *cap. Extirpandæ*, §. *Qui verbo*, Major *in* 4. *d.* 12. *q.* 7. §. *Contra primam*. Rolella *verb. Abſolutio*, *num.* 28. Albertus Piglius *lib.* 6. *de Eccleſ. Hierarch. cap.* 16. Corduba *lib.* 4. *Quæſt. Theolog. q.* 13. Medin. *de Pœnitent.* & *in tr. de Orat.* Fundamentum ipſorum eſt primò, quia Eccleſia diſpenſat in voto purè interno. Secundo, quia Eccleſia præcipit & prohibet actus purè internos: *cap. Dolentes*, *de celebr. Miſſ.* ubi Eccleſia præcipit attentionem & devotionem. Tertiò, in Concil. Toletan. *qui dixerit aut crediderit*, *mundum hunc non eſſe à Deo omnipotente factum; anathema ſit.* Nec obeſt quòd requiratur manifeſtatio: cùm ea ſe habeat tantùm, tanquam conditio ſine qua non; deinde non ſemper requiritur: nam poteſt Eccleſia irritare antecedēter, vota purè mentalia.

7. Secunda ſententia abſolutè negat, docens: Eccleſiam circa purè interna, poteſtatem non habere. Ita Lezan. Cornej. Cornex. & alii.

Cenſura niſi pro peccato externo imponitur.

8. Tertia eſt diſtinguens: quòd Eccleſia non habeat directè poteſtatem & directionem in actus purè internos; benè tamen indirectè attingit eos: quatenùs actus externus, qui immediatè & directè eſt ſub jurisdictione Eccleſiaſtica, non poteſt perfectè exerceri ſine actu interno: ſic v.g. confeſſio Sacramentalis, nequit eſſe debita, ſine vero dolore. Et ſic inquantum neceſſariò nectuntur, attingens unum Eccleſia, attingit per accidens & ſecundum; præceptô, prohibitione, & cenſurâ. Certum tamen eſt, quòd non imponātur cenſuræ, niſi pro peccato externo.

9. Sed

9. Sed quæritur, utrùm debeat esse consummatum? *Resp.* de hoc non esse dubium, quòd sub censuris possit prohiberi inchoatio actûs (e); cùm de hoc omnes DD. conveniant. Ratio est: quia censura est pœna medicinalis, potest eâ impediri etiam inchoatio actûs: sed sensus est generalis, quando non additur in censura quidquam de inchoatione aut consummatione actûs, utrùm tunc ad incurrendam censuram requiratur consummatio actûs? *Resp.* quòd sic: quia censura est pœna, consequenter odiosa; & sic restringenda (e). Unde si Cajus intendat occidere Joannem, eum vulneret letaliter ad mortem, & ille etiamsi Divinitùs non moriatur, non incurrit censuram latam contra homicidas, sicut nec est homicida: colligitur ex *cap. Perpetuo, de Eccles. in* 6. ubi dicitur: ferens suffragium pro indigno, si non sequatur, hoc est si non eligatur, non incurrit censuras latas contra eligentes indignum (c).

(e) Lezan. Veran. Suar.

10. Ex quo colligunt alii, quòd si in censura exprimantur perpetrantes, & non mandantes, consilium dantes; hi latas censuras non incurrunt. Sed notandum quod addit Donat. intellige hanc Regulam esse veram, dummodo ex hujusmodi limitatione, censura lata non fiat inutilis, aut elusoria; vel exinde sequatur aliquod absurdum: quia in tali casu, comprehendit mandantes & consulentes, etiam non expressos. Quare Portel. *in Dub. Regul. in Addit. verb. Clausura*, in principio retractat quod dixerat *suprà*, *eod. verb. n.* 8. ibique allegat Sanch. *lib.* 6. *Decal. cap.* 17. *n.* 35. Ita ille hucusque *tom.* 4. *de Clausura tr.* 5. *q.* 6. *pag.* 65. Et notandum, si principaliter feratur censura contra occidentes, & accessoriè contra mandantes, consulentes; non secuta morte, neque mãdantes neque consulentes incurrunt censuram. Si verò principaliter in mandantes, consulentes; tunc non secuta morte, mandantes incurrunt eam censuram.

Quòd si exprimantur mandantes non consulentes, jurãtes.

Mandantes quando incurrunt cẽsur.

11. Quid dicendum de casu, quô Cajus Titium vulneraret malitiosè, sed manifestè non ad mortem; sequeretur tamen mors, eò quòd vulneratus sibi esset causa mortis, v.g. non curando, aut curando periculose; incurreret ne tunc censuram latam contra homicidas? Videtur quòd non; nisi in dubio, quòd actio erat sufficiens. Ratio est: quia posuit actionem insufficientem ad causandam mortem; quòd autem sequatur mors, aliunde hoc provenit. *Resp.* quòd incurreret: tum quia, quamvis sit actio v.g. vulneratio sufficiens ad mortem, si aliunde v.g. Divinitùs non sequatur mors, vulnerans non incurrit censuram latam cõtra homicidas; ergò etiam, quàmvis sit actio insufficiens ad causandam mortem, si mors sequatur, incurrit censuram dictam: tum quia, qui est causa causæ, est causa causati: Cajus est causa vulneris; ergò &

Casus.

 mortis:

mortis: tum quia similis casus *cap. Tua nos, de Homicidio*, ab Innoc. III. ita est declaratus. Vid. *de Ord. ser.* 4. *n.* 10. *pag.* 420.

Cẽsura propter peccatũ purè præteritum non fertur.

12. Utrùm possit censura ferri propter peccatum purè præteritum? *Resp.* quòd non; nisi includat ordinem ad aliquid futurum: scilicet resipiscentiam, satisfactionem, vel pœnitentiam &c. Ita docent D. Thom. *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *a.* 1. *quæst.* 3. Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *a.* 2. & *lib.* 5. *de Instit. q.* 6. *a.* 2. Castro *lib.* 2. *de Leg. pœnal.* Veran. Lezan. *de Censuris*. Ratio est: tum quia ad censuram requiritur monitio, quæ est superflua ad purè præteritum; gratis enim est aliquem monere, qui jam totaliter se correxit: tum quia censura non est purè vindicta, sed medicina præservans à peccato; ergò includit ordinem ad futura. Puniuntur tamen peccata purè præterita aliis pœnis: ùt sunt privatio officiorum, dignitatis &c.

SECTIO II.

§. I.

Utrùm ignorantia, & quæ excuset ab incurrendis censuris?

Ignorantia multiplex.

1. Resolutioni præmittere oportet, quòd sit ignorantia alia Juris, alia facti, alia pœnæ. Ignorantia *Juris* est, quâ ignoratur Jus, sive lex, sive præceptum, sive sententia Judicis: sic v.g. percutit quis Clericum, quia ignorat prohibitum. *Facti* ignorantia est, quâ ignoratur ipsum opus, aut circumstantia: v.g. scit percutiens esse prohibitum percutere Clericum; sed hunc ignorat esse Clericum. Ignorantia *pœnæ* est, quando percutiens scit esse prohibitum percutere Clericum, & hunc scit esse Clericum; sed ignorat esse latam pœnam excommunicationis, contra percussores Clericorum.

2. Et alia est ignorantia Juris communis, alia Juris particularis. Illa est, quâ ignoratur Canon, à Pontifice vel Concilio Generali statutus; hæc est, quâ ignoratur statutum, sententia, Ordinarii, aut Judicis particularis in eo territorio (a).

Ignorantia vincibilis. Requisitum ad excusationem ignorantiæ.

3. Alia est vincibilis, alia invincibilis. *Vincibilis* est, quæ vinci potuit & debuit ab ignorante, si adhibuisset sufficientem diligentiam, juxta qualitatem negotii, prout tenebatur vi officii, vel aliter scire: ùt colligitur *de Leg.* (b) *Aquil.* §. *Præterea*, ubi habetur: imperitiam in re, ad proprium officium pertinente, non excusare. Ad quod tamẽ semper addere est necesse, si ei occurrerit aliqua cogitatio, aut advertẽtia, aut dubitatio, vel scrupulus de obligatione id sciendi aut inquirendi, & negle-

(a) Tolet. lib. 1. cap. 8. n. 5. Steph. à S. Paul. de Cẽsur. dub. 4.

(b) Bonac.

neglexit inquirere veritatem. Ita ſentiunt Alexand. S. Bonav. Albertus Magnus, S. Antonin. Henriq. Gerſon, Angel. Sylv. Cajet. Armil. Bonac. Dian. *part.* 11. *tr.* 4. *reſol.* 4. circa finem. Clarificat inſtantia: Si quis nec eſſet in concione, nec quæreret ex aliis utrùm ſit aliquod feſtum hac hebdomada, aut jejunium; talis ignoraret vincibiliter: quia ſi in concione fuiſſet, aut ex aliis quæſiviſſet; reſciviſſet.

4. *Invincibilis* eſt, quæ aut vinci non debuit ab ignorante, quia ſcire non tenebatur (c), & ſic ab eo non erat vincibilis, ſeu erat invincibilis; aut vinci ab eo debuit, ſed non potuit, adhibita ſufficienti diligentia (d), ſecundùm S. Thom. *q.* 76. *ar.* 2. eſt, *quæ ſtudiò ſuperari non poteſt*, id eſt quæ eſt alicujus rei, quæ vel non venit in mentem, vel ſi venit, non potuit fieri diligentia ad habendum cognitionem illius; vel ſi adhibita eſt talis diligentia, non potuit veritas cognoſci: inquit Pater Lezana *tract* 5. *de Peccatis diſp.* 9. *q.* 3. cum eo Monteſinos, Granadus & alii.

Invincibilis

(c) Tolet. loc. cit. Octav. interrog. 731. p. 404. Veran. n. 15. loc. cit.

(d) Cōmuniter.

5. Illa *vincibilis*, quam quis potuit & debuit deponere, dicitur aliter culpabilis & improbabilis; hæc ſtrictè invincibilis, ex debito quam tenetur, ſed vincere nequivit, aliter inculpabilis & probabilis.

6. Iterùm alia dicitur vincibilis affectata, alia craſſa, & ſupina. *Affectata* eſt, quâ quis affectat non ſcire præceptum, ut liberiùs non obſervet; idcircò non adhibet ſufficientem diligentiam ad reſciendum. *Craſſa* eſt, quæ oritur ex pura, ſive nimia negligentia ſciendi, quæ quis ſcire tenetur. *Supina* provenit ex nimia ſolicitudine ad alia negotia, impedientia debitum ſtudium ea ſciendi, quæ oportet.

Affectata.

Craſſa.

Supina.

7. Ultrà exdividitur in antecedentem, concomitantem, & ſubſequentem. Prima eſt juxta communem Theologorum explicationem, quæ ſi non eſſet, actus non poneretur: ſic ſi Titius ſciviſſet Petrum eſſe Clericum, eum non percuſſiſſet. Secunda eſt, quæ ſi non eſſet, actus poſitus eſſet: v.g. Paulus ſagittam jecit in Cajum, putans eum eſſe feram; quod tamen ſi ſciviſſet, feciſſet: cùm eum occidere intendebat. Ignorantia *conſequens* eſt, quæ quôvis modô ſumpta, eſt voluntaria (e). Hîs præmiſſis,

Antecedēs.

Cōcomitās.

Subſequens.

(e) Bonac. Veran.

8. Dico 1. Invincibilis ignorantia Juris, ſive communis ſive particularis; ſive ſit antecedens ſive concomitans; excuſat à cenſura annexa Juri. Ita communiter DD. ob *cap.* 2. *de Conſtit. in* 6. ubi declaratur, ſtatuta Epiſcoporum, non ligare ignorantes, quorum ignorantia nec eſt craſſa nec ſupina. Et ratio eſt: quia ignorantia invincibilis juxta communem ſenſum Theologorum, excuſat à culpa; ergò & à pœna: nam ubi non eſt culpa, nec pœna eſſe debet.

Ignorantia Iuris excuſat à cenſuris.

9. Quoad antecedentem ignorantiam, concordant Theologi; quoad concomitantem, contrarium ſentiunt Sayr. *lib.* 1. *cap.* 18. Ugolin. *tab.*

tab. 1. *de Censur. cap.* 9. *n.* 8. objiciuntque S. Thomam 1. 2. *q.* 76. *a.* 3. ubi docet: ignorantiam concomitantem, non facere actum involuntarium, neque excusare à censura; quod aliunde probant: quia ex ignorantia concomitante faciens aliquid, habet voluntatem interpretativam id faciendi, etiamsi non esset talis ignorantia; patet ex definitione *suprà* data, & ex exemplo: si quis invincibiliter ignoraret praeceptum jejunandi tali die, & esset taliter dispositus, ut non obstante notitia obligationis, comederet; talis defactò haberet voluntatem comedendi, supposita ignorantia concomitante. *Resp.* ad 1. ibi docet S.Thō. ignorantiam concomitantem, non excusare à culpa interiori pravi affectûs, existentis in voluntate operantis; non asserit verò ibi, hanc ignorantiam non excusare à peccato, ipsum actum exteriorem afficiente: quia ab illo pravo voluntatis affectu, non operatur. Ita communiter explicant S. Thomam Thomistae, teste Verani. Ad 2. *Resp.* & dico: ex ignorantia concomitante faciens aliquid, habet voluntatem interpretativam id faciendi, etiamsi non esset talis ignorantia; distinguo: habet voluntatem in habitu & praeparatione animi, concedo; habet voluntatem proximè & in actu, nego: jam verò ad incurrendam censuram non sufficit voluntas in habitu, seu praeparatio animi; sed requiritur voluntas in actu, cum effectu secuto: ùt dixi *suprà*. Inde ad exemplum dico: non obstante ignorantia comederet, accedente voluntate in actum; non autem secùs: tunc etiam poenam latam incurreret, si actu vellet; cùm eum non excusaret ignorantia.

Item facti.

10. Dico 2. Ignorantia facti invincibilis, sive liciti sive illiciti; sive concomitans, excusat ab incurrenda censura. Ita docent Lezan *loc. cit.* Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *a.* 2. Veran. *d.* 39. *sect.* 7. Bonac. & alii apud eū. Ratio est *suprà* data. Unde qui invincibiliter ignorat esse consanguineam, non incurrit poenam latam contra incestuosos. Dixi, *sive facti liciti sive illiciti*: nam hoc colligitur ex *cap. Si verò aliquis*, 2. *de Sent. excom.* ubi excusatur ab excommunicatione occidens Clericum, quem ignorabat esse Clericum. Bonac. In Corp. Jur. Can *p.* 270.

Nō vincibilis, crassa, & supina: nisi addatur, praesūpserit, vel quid simile.

11. Utrùm ignorantia vincibilis, tam Juris quàm facti, excuset ab incurrenda poena tali? *Resp.* imprimis, ignorantia vincibilis crassa & supina, Juris aut facti, non excusat à censura; nisi addatur in Decreto, *si praesumpserint, praesumant, praesument* &c. vel similia: prout tenent Lezan. Avil. Bonac. & alii apud eos.

12. Primum probatur *cap.* 2. *Ut animarum*, *de Constit. in* 6. ubi declaratur statuta Episcoporum non ligare ignorantes, quorum ignorantia, nec est crassa nec supina. Ratio secundi est: quia quando lex exigit scientiam, & dicit: *si scienter praesumpserit*, *si ausus fuerit*; ipsa

lex

lex moderat pœnam, neque vult eam incurri, nisi quando peccatum factum contra legem, tali sit circumstantiâ affectum: tum quia pœnæ, ùt dicitur in Jure, leniendæ potius sunt, quàm exaggerandæ: *cap. Pœnæ, de Pœnit. d.* 1. & *leg pœn. ff. de Pœnis*.

13. De affectata dicit Suar. apud Bonac. *loc. cit.* quòd etiamsi in sententia censuræ, contineantur hæc verba: *qui scienter hoc fecerit*, vel *temerè*, vel *consultò*, vel *qui præsumpserit*, vel *qui contempserit*, vel *qui temerarius violator extiterit; sit excommunicatus, suspensus* &c. non tamen ab illa censura ignorantia culpabilis vincibilis excusat: quod tamen non admitto cum Bonac. & Lezan. propter rationem datam immediatè. Non excusat autem, quando prædicta verba non apponuntur: tum cùm sit major crassâ & supinâ: tum quia in tali ignorantia, reperitur contumacia: tum quia ignorantia affectata non minuit, sed auget culpam. — De affectata ignorantia.

14. Et quid dicendum de ignorantia culpabili vincibili, quæ nec est crassa, nec supina, nec affectata? *Resp.* tenent aliqui cum Veran. & noster Lezan. videtur idem cum eis sentire, quòd non excuset; sed incomparabiliter plures apud Sanch. Navar. Castropal. Octav. docent, quòd excuset. Fundamentum eorum est: quia *cap.* dicto, *Vt animarum*, generaliter asseritur, ignorantiam quæ non est crassa nec supina, excusare ab omnibus sententiis Ordinariorum. — Ignorantia culpabilis excusat à censura.

15. Dico 3. Invincibilis ignorantia censuræ latæ à Jure, absolutè; latæ verò ab homine, nisi in casu quô non erat præmissa monitio, excusat ab ea incurrenda; etiamsi non ignoretur Jus & factum. Quoad 1. p. Resolutionis omnes DD. concordant, demptô Covar. in *cap. Alma mater*, 1. *p.* §. 10. Rationibûs iisdem probatur, quibus anteriores Resolutiones. Unde prohibitus ne percutiat gaudentem privilegiô Canonis, si invincibiliter ignorans censuram contra talem latam aut ferendam, percutiat eum; non incurrit censuram eam. Bonac. *d* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *prop.* 3. *n.* 15. Quoad 2. p. discordant. Bonac. universaliter affirmativam tenet sententiam: econtra latæ censuræ ab homine ignorantiam, excusare ab ea incurrenda, negant communiter alii: sicque Gloss. *cap. Apostolicæ*, Navar. *tom.* 2. *consil.* 3. *n.* 3. *de Sentent. excom. lib.* 5. Covar. in *cap. Alma mater*, *p.* 1. §. 10. *n.* 7. Ugolin. *cap.* 9. §. 8. adducentes pro sua sententia *cap. Cùm sit Romana*, §. *Præterea de Appellat.* Ego verò eam ignorantiam considero, esse vel in casu, quô ignorãs nõ est antecedẽter sufficiẽter monit⁹, de censura aliàs ferenda; tunc eum ab incurrenda excusat: quia censura non incurritur, nisi præcedat monitio sub conditione illius censuræ: ùt dixi *suprà*. Vel in casu quô sufficienter est antecedenter monitus, de ea aliàs ferenda, — Ignorantia invincibilis censuræ à Iure

casu quô se non corrigeret, tunc contra eum absentem (ùt dixi *suprà*), potest ferri sententia, per eamque censura, & is illâ ligari: cùm sit contumax, inquantum posita admonitione, se non correxerit. Excusatur tamen talis à trasgressione ejusdem censuræ, antequam resciat esse latam: sic v.g. si talis Sacerdos, antequam deveniret ad eum notitia censuræ latæ, celebraret, non incurreret irregularitatem (f). Ratio est: quia non magis censura obligat ignorantem, quàm præceptum: atqui invincibiliter ignorans præceptum, excusatur à trasgressione præcepti; ergò & ignorans taliter censuram, quæ est contra eum lata, excusatur à transgressione censuræ.

(f) Verani.

16. Quid si is, in alio territorio existens, immediatè ante latam contra eum sententiam, resipisceret, obediretque mandatis? *Resp.* in casu hoc non excusaretur à lata censura: quia quàmvis se correxerit, nec jam est coram Deo contumax; nihilominùs in foro Ecclesiastico, contentioso, censetur adhuc esse talis, donec comparuerit coram Judice.

Ignorantia pœnæ purè vindicativæ non excusat: secùs pœnæ censuræ.

17. Contra 1. p. Resolutionis dices, & probabis quòd non excuset ignorantia censuræ: nam ignorantia pœnæ, non excusat à pœna: censura est pœna; ergò ignorantia censuræ non excusat à censura. Quòd ignorantia pœnæ non excuset, patet de fure, homicida, & aliis, qui puniuntur talibus pœnis, quas non sciebant ferendas contra se. *Resp.* disparitatem esse inter censuras, & pœnas latas contra furem, homicidam &c. quia pœnæ latæ contra fures &c. sunt pœnæ vindicativæ; jam verò censuræ, sunt pœnæ medicinales, quæ ordinantur ad inducendam resipiscentiam, præsupponuntque monitionem.

§. II.

Vtrùm metus excuset à censuris?

Metus gravis à censura excusat, quando excusat à culpa.

1. RESP. Metus gravis cadens in constantem virum, quando excusat à trasgressione præcepti Ecclesiastici, excusat etiam à censura incurrenda.

2. Explicatur & probatur. *Quando excusat à trãsgressione præcepti excusat à censura:* quia censura prout est pœna, præsupponit culpam. Unde si Paulùs sub pœna excommunicationis cogeretur ad restitutionem, & ex alia parte alioqui esset periculum mortis propter restitutionem; tunc nec peccaret, nec censuram incurreret, non restituendo: non peccaret, quia pia Mater Ecclesia, non obligat cum tanto dispendio. Dixi, *quando excusat à trasgressione præcepti Ecclesiastici:* nam quando talis

talis metus incutitur directè in contemptum fidei, aut potestatis Ecclesiasticæ; tunc metus sicut non excusat à peccato, ita & à censura: quia in tali casu, Ecclesia obligat *cap. Cum discrimine vitæ*, ad non faciendum: sicque & peccatum & contumacia est, in faciendo. *Præcepti Ecclesiastici:* ad differentiam trasgressionis legis naturalis, ob cujus transgressionem, non incurritur talis censura: cum neque à Deo est lata, neque à natura fertur contra peccantes contra legem naturalem. Potest ergò esse ut quis ob metum talem, excusetur à transgressione præcepti Ecclesiastici, cùm non obliget cum tanto discrimine; & non excusetur à transgressione legis naturæ, cùm sit malum intrinsecè, talis actus: v. g. si quis ex metu gravi cadente in virum constantem, adulteret; talis contra legem naturæ peccat, non peccat verò contra legem Ecclesiasticam (a), ob rationem datam immediatè: consequenter si est lata censura contra adulterantes, eam non incurrit. Ratio est: cùm hæc censura non incurratur propter inobedientiam ad legem Divinam, sed ob violationem præcepti Ecclesiastici, inquit Verani. Quapropter si est lata censura, & adulterium prohibitum ratione legis Divinæ; tunc sicut non excusatur à peccato contra legem Ecclesiasticam, ita & à censura. Quòd autem Ecclesia subditos suos ratione legis Divinæ, seu Juris naturalis, possit obligare cum dispendio vitæ; probat Lezan. *verb. Leges.*

(a) Bonac. loc. cit. p. 3. Navar. & alii.

3. Ex his collige, si quis metu mortis contraheret matrimonium cum consanguinea sua, aut affine, in gradu prohibito; non incurreret excommunicationem latam contra contrahentes cum consanguineis: nam vel haberet intentionem non consummandi matrimonium? Sic nullū peccatum committeret; Vel haberet intentionem consummandi? Sic peccaret contra legem Divinam, naturalem, habendo intentionem accedendi ad non suam; non peccaret tamen contra legem Ecclesiasticam, cùm dicta lex censurans, sit de contrahentibus secluso metu tali: lex enim humana respicit casus ordinarios, non eos qui contingere rarissimè possunt.

Ex metu gravi contrahēs matrimon. cum cōsāg. non incurrit censur.

§. III.

Quæ præterea excusent?

1. **R**Esp. & dico: Omnia quæ excusant à peccato mortali, excusant à censura: ùt dixi *suprà*. Et sic excusat parvitas materiæ, indeliberatio, inadvertentia, impotentia &c. Quare si censura est lata contra innocentem, eò quòd juxta allegata & probata probatus

(a) cā. Quod igitur, & cap. Nemo condemnat.

batus est nocens; tunc quamvis illa sententia in foro externo teneat, ita ut ei censuratus obedire obligetur (a) propter Ecclesiæ reverentiam, vitanda scandala & alia inconvenientia (b); in foro tamen interno, ad Deum, nullius momenti est, ùt deducit Doct. Resol *in* 4. *d.* 18. *q.* 1. *a.* 3. ubi probat per D. August. 11. *q.* 3. *cap. Qui justus*, ibi dicentem: *Qui justus est, & injustè maledicitur, præmium illi redditur: etsi non teneatur ligatus apud Deum, sententiæ tamen parere debet, ne superbiâ ligetur, qui priùs ex puritate conscientiæ absolutus tenebatur.*

(b) D. R. Bonac. Navar. Sayr. Avil.

2. Inde est, quòd talis non privetur suffragiîs Ecclesiæ (b), nec in foro conscientiæ stringitur continere se à consortio hominum, aut se gerere ùti excommunicatum; modò non adsit scandalum, aut non præsumatur contemptor censurarum (b). Et potest celebrare in occulto, aut secluso omni scandalô, coram eis tantùm qui seum sciunt certò innocentem, aut ignorant excommunicatum. Ita Doct. Resol. *loc. cit.* dicit: *Et sine præjudicio videtur distinguendum. Aut excommunicatio sua nota est hominibus, & tunc nullô modô celebret in præsentia eorum, sed humiliter propter meritum suum obediat; & ne contemptor judicetur clavium Ecclesiæ: ùt habetur cap. Quod igitur, & cap. Nemo contemnat,* 11. *q.* 3. *& de foro Ecclesiæ: nam Ecclesiæ est de manifestis judicare, sicut loquitur cap. Nemo, ait enim: nemo contemnat vincula Ecclesiastica* &c. *Aut sua excommunicatio occulta est, soli Deo & sibi manifesta, & tunc non metuat Domino ministrare: nam in foro Dei, talis sententia est nulla: quia per Augustinum ùt suprà probatum est, Spiritus S. habitans in Sanctis, non permittit eis immeritam ingeri pœnam.*

Innocenter excômunicatus nô incurrit irregularitatem celebrans.

3. Nec celebrando incurrit irregularitatem: nam ut continuat ultrà Doct. Resol. *In casibus Juris ubi sententia nulla est, secundùm Canones Ecclesiæ, in Ecclesia permittuntur hujusmodi excommunicati ministrare: igitur in foro Dei permittuntur.* Et ratio suffragatur tali, quia irregularitas tunc contrahitur, quando revera violatur censura: in dicto casu non violatur, quia nulla est; ergò. Idem sentiunt Suar. Sayr. Vasq. cum Bonac. apud eum. Ultra sequitur; qui certò scit talem esse innocentem, potest cum eo communicare sine ullo peccato, v.g. servire Missæ ejus: seclusô tamen scandalô, semper additur.

Dubius an incurrerit censurâ, pro tali se habere debet in foro interno.

4. Et quid quando dubitat an valida sit aut non, censura? *Resp.* quòd debeat in tali casu se gerere, tanquàm ligatum censurâ: colligitur hoc ex multis Decretalibus *suprà de Sacram. Ord.* allegatis. Ratio est: quia in periculo animæ, tutior & certior est via eligenda: tum quia in dubio, standum est judicio Superioris, illique obediendum. Ita communiter DD. apud Bonac.

SERI-

SERIES V.

Quodnam ſit ſubjectum cenſuræ?

SECTIO I.

An in mortuum cenſura ferri queat?

I. RESP. quòd non (a). Ratio eſt *cap. Ligatur*, 24. *q.* 2. quia Eccleſia non habet juriſdictionem in mortuos: quod ibi Gelaſius Papa deducit ex verbis *Matth.* 16. *quodcunq; ligaveris ſuper terram.*

2. Dices: Eccleſia ſolet mortuos excommunicare: ſic hæreticos poſt mortem anathematizat Eccleſia: ùt colligitur ex *cap. final.* 24. *q.* 2. *Reſp.* Eccleſia ſolet mortuos excommunicare, directè, Nego ob rationem datam in Reſolutione; indirectè, hoc eſt privat eorum corpora ſepulturâ in loco ſacro, & ſuffragiîs Fidelium, concedo: aut ſolet Eccleſia declarare quòd incurrerint excommunicationem, & hoc in terrorem aliis: ùt fit in ſacris Inquiſitionibus. Ita Covar. 1. *Releɛt.* §. 11. *n.* 8. Valent. *tom.* 4. *d.* 7. *punɛt.* 4. *n.* 2. Bonac.

3. Inſtabis: Poteſt Eccleſia excommunicare, & quidem directè, pro tali cauſa quæ finitur eîs mortuis; ergò poteſt directè excommunicare mortuos. Antecedens probatur: poteſt enim excommunicare decedentes cum finali impœnitentia, & defactò excommunicat eos, qui ſibi necem inferunt: prout colligitur ex *cap. Placuit*, 23. *q.* 5. Item excommunicat eos, qui hæreticum in hæredem inſtituunt: ùt habetur in *cap. final.* 24. *q.* 2. & *cap. Si quis Epiſcopus*, *de Hæred.* Item mandans Clericum occidere, non priùs incurrit excommunicationem quàm ſecuto effectu, nempe percuſſione Clerici; ergò ſi citiùs mandans moriatur quàm Clericus, poſt mortem incurrit excommunicationem. *Reſp.* Nego antecedens: imponit mortuis in dicto caſu Eccleſia, potiùs quaſdam pœnas permodum cenſuræ, non verò cenſuram, cùm cenſura ſit pœna medicinalis, in, ſeu ad emendationem; mortui autem nec ſe emendare valent, nec ſub juriſdictione ſunt Eccleſiæ militantis. Vel potiùs dicendum, quòd excommunicentur indirectè, nempe prohibentur eorum corpora in loco ſacro ſepeliri, & ſuffragia pro eis offerri.

4. Superinſtabis: Utique poteſt mortuus poſt mortem abſolvi à cenſura, ùt colligitur ex *cap. A nobis*, 2. & *cap. Sacris*, *de Sentent. excom.* ergò & puniri cenſurâ: cùm æquè ad abſolutionem, ſicut ad punitionem requiratur juriſdictio. *Reſp.* Poteſt mortuus poſt mortem à cenſura abſolvi, indirectè, quoad ſepulturam ut ſepeliatur in loco ſacro, & quo-

(a) Communiter Canoniſtæ.

Pro diſcurſu & ſolutione.

Quomodo Eccleſia excommunicat mortuos.

& quoad suffragia ut Fideles orent pro eo; non possunt autem directè absolvi, ob rationem datam in Resolutione, quòd anima sit extra jurisdictionem Ecclesiæ militantis: cùm jam sit in termino, extra hanc viam in qua nos sumus adhuc. Nec dicas: Ecclesia potest concedere mortuo indulgentias; ergò & absolvere eum. Non dicas inquam: quia indulgentias concedit non permodum absolutionis, ad quod requiritur jurisdictio; sed permodum suffragii, mortuis applicando thesaurum meritorum Christi & Sanctorum, ut moveatur Deus ad remittendam defunctis pœnam: ùt dixi *de Indulgentiis*.

5. Potest ferri censura in locum, prout defactò fertur interdictum; ergò etiam in mortuum potest ferri censura. *Resp.* Potest, & defactò fertur interdictum in locum, ita ut locus ligetur, nego, cùm non sit capax; potest, & defactò fertur in locum, propter homines, ùt homines in eo ligentur *cap. Si civitas*, concedo. Ergò potest ferri censura in mortuos, Nego consequ.

SECTIO II.

Quæ conditiones requirantur ut subjectum sit capax censuræ Ecclesiasticæ?

1. RESP. Prima est, ut sit viator, baptizatus: quia Ecclesia non habet jurisdictionem supra non baptizatos, juxta illud Pauli, 1. *Corinth.* 5. *de iis qui foris sunt, nihil ad nos: quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?*

2. Secunda, ut sit adultus, in est doli capax. Quibus autem censuris impubes, hoc est masculus ante annum 14. puella ante 12. doli capax, potest ligari; dixi *de Sacrament. pœnit. d. 7. ser. 4. sect. 6. n. 2.*

Pro discursu & solutione.

3. Unde quia debet esse doli capax, sive habens usum rationis; quid dicendum de amentibus? *Resp.* Vel est sermo de amentibus qui nunquam habuerunt usum rationis? Tales nunquam incurrunt censuras: cùm sint incapaces. Vel est sermo de amentibus qui habuerunt usum rationis? Tales aliquando in sua amentia incurrunt censuras Ecclesiasticas: ùt si Dominus jubeat servum suum, ut Clericum occidat; & interim antequam servus exequatur ejus mandatum, fiat amens: incidit in excommunicationem eo tempore, quò ejus mandatum effectum sortitur. Ratio est: quia per amentiam non revocatur mandatum causans mortem, quod positum est sub existente usu rationis. Idem dicendum de dormiente, si antecedenter jusserit percutere Clericum: & de ebrio, in ebrietate percutiente eum; si effectum hunc secutu-

Amentes & ebrii incurrunt excommunicationem.

ſecuturum præviderit, & tamen ſe inebriavit: cùm ſic circumſtantiata percuſſio, ſit peccaminoſa.

4. Quid ſi illius mandātis amentia, fiat perpetua? Dices fortè, illũ non incurrrere cenſuram, quia lex imponit cenſuram propter emendationem; tunc autem ſuperfluè tali fine eam imponeret. *Reſp.* Nego quòd ſuperfluè tunc eam imponeret cenſuram: quia ſi miraculosè, non abſolutus à cenſura, rediret ad ſe, deberet abſolvi. Notãdum tamen, quòd talis deberet ſtatim abſolvi à cenſura (a), quamprimum declararetur à judicio, quòd ſit perpetua ea amentia.

(a) Verani. Perpetuò amens abſolvi debet à cenſura.

5. Tertia conditio eſt, ut ſit ſubditus ille in quem ferenda eſt cenſura; par enim in parem, à fortiori in ſuperiorem, non habet jurisdictionem. Lezan. & alii communiter.

Subditus.

6. Conditio quarta eſt, quòd reſpectu excommunicationis debeat eſſe ſubjectum homo determinatus, aut homines determinati. Sic poteſt in totum Capitulum, aut Collegium, aut Civitatem, ferri cenſura ſuſpenſionis & interdicti, *cap. Si ſententia*, *de Senten. excom. in* 6. & *cap. Ne ſede vacante*; non poteſt autem totum Capitulum, aut Collegium, aut totus Conventus, aut tota Civitas excommunicari: *cap. Romana*, *de Sentent. excom. in* 6. Ratio eſt: quia hæc maxima eſt pœna. Sed de his *infrà*.

Determinatus.

Poteſt communitas ſuſpẽdi, interdici; nõ autem excommunicari.

7. Quid dicendum de caſu, quo deſperatur emendatio; utrùm tunc ferenda eſt an non, cenſura? *Reſp.* Nec ad eſſe validi, nec ad eſſe liciti, ferendæ ſententiæ, requiritur ſpes emendationis (b). Non requiritur ad eſſe validi: nam ut ſit cenſura pœna medicinalis, ſufficit quòd ex natura ſua ſit talis. Ad eſſe liciti non requiritur; cùm nulla lex requirat.

Caſu quô deſperatur emendatio.

(b) Covar. cap. Alma mater, 1. p. n. 10. Verã. & alii Canoniſtæ.

8. Dices: Qui probabiliter credit, peccatorem ex fraterna correctione pejorari, debet à tali correctione & denuntiatione abſtinere, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 33. *a.* 6. ergò etiam Judex à tali cenſura. *Reſp.* Concedo Antecedens, Nego Conſeq. diſparitas eſt: quia correctio fraterna ordinatur præcisè ad bonum particulare delinquentis; jam verò cenſura, præter utilitatem delinquentis, extenditur in bonum commune Eccleſiæ, ùt docet S. Thom. *loc. cit.* quod promovendum eſt ut alii terreantur.

9. Inſtabis: Qui excommunicatione ſit deterior, talis debet abſolvi à cenſura, & aliô modô corrigi juxta D Thom. *in Addit. in* 3. *p. q.* 24. *a.* 2. *ad* 2. Ratio eſt: ne ſit excommunicatio in ruinam; ergò etiam quando hoc prævidet Judex, debet non ferre cenſuram, ſed aliô modô delinquentem corrigere. *Rdet* Panormitan. in *cap. Ab excommunicatione*, *num.* 20. Antecedens eſſe verum in hoc caſu, quo proba-

 biliter

biliter ſperatur emendatio per aliud remedium, ſublata excommunicatione; non verò ſi deſit ſpes. Sic etiam quando antecedenter eſt ſpes, quòd aliô modô, imò citiùs emendari poſſit, poteſt non cenſurari; ſed ad hoc non obligatur Judex: quia præ oculis habet etiam aliud motivum, ac commune bonum, ut alii terrore arceantur à malo.

SERIES VI.

De abſolutione cenſuratorum à cenſuris.

CUm cenſura nec tollatur per mortem ferentis, *cap. Epiſcopus*, 11. *q.* 3. nec totaliter per mortem ejus qui contraxit: nam privatur Eccleſiæ ſuffragiîs & ſepulturâ *cap. A nobis*, 2. *de Sentent. excom.* & *cap. Is cui;* nec per pœnam illius peccati, cujus causâ incuſſa eſt *cap. A nobis*, 2. & *cap. Cùm deſideres:* ſed ipſa abſolutione diſſolvitur, prout ratio omnium eſt: quia cenſura eſt ligamen, quod non tollitur niſi ſolvatur; ſit itaque

SECTIO I.

Qui poſſint & quomodo abſolvere à cenſuris?

Periculum mortis dicitur articulus mortis.

1. ANte Reſolutionem præmittere oportet, quòd aliud ſit abſolvere in articulo mortis, aliud extra articulū mortis. Item quòd periculum mortis, dicatur articulus mortis *cap. Eos qui, de Sentent. excom.* & non ſolùm eſt, quando ex infirmitate, ſed etiam quando ex aliis cauſis, mortis periculum probabile imminet. Ita Innoc. & Panormit. *cap. Quòd de his, de Sentent. excom.* Vide *ſuprà, d.* 6. *ſer.* 7. *de Neceſſitate confeſſionis*, *ſect.* 1. *n.* 13. Hinc eſt, quòd articulus mortis, aut ſit præſumptus, aut verus: ille, in quo ſecundùm exiſtimationem humanam, judicium medicorum, moriturus eſt, non tamen moritur; iſte eſt, in quo verè moritur (b). Hîs præmiſſis

Artic. mortis alius eſt præſumpt9, alius verus.

In articulo mortis quilibet Sacerdos abſolvit à cenſur.

2. Dico 1. in articulo ſive periculo mortis exiſtentem ligatum cenſurâ Eccleſiaſtica, quæcunque ſit, ſervatis ſervandis, poteſt quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, irregularis, degradatus, hæreticus, abſolvere ab ea.

3. Explicatur & probatur. Dico *quæcunq; ſit*, ſive non reſervata, ſive reſervata ei, qui eam tulit; cùm ſine reſtrictione Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. dicat: *In eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo*

(b) Stratius.

articulo mortis. Et Doct. Reſol. *in* 4. *d.* 15. *q.* 1. *a.* 3. adducit Innoc. ſuper *cap. Si nobis*, idem eòdem modò dicens.

4. Docent quidem Sanch. *in Summ. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 10. Sambran. Bonac. & alii, Sacerdotem ſimplicem poſſe moribundos abſolvere tantùm à cenſuris quæ impediunt ſuſceptionem Sacramentorum, quales ſunt, excommunicatio, interdictum perſonale, ſuſpenſio à receptione Sacramentorum, & Eccleſiaſtica ſepultura, in quo omnes cõveniunt propter Concilii Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. motivum, *ne pereant*; nõ autem ùt ſunt ſuſpenſio ab Ordine, officio, vel beneficio: quia Concilium præbet cuicunque Sacerdoti authoritatem abſolvendi à cenſuris moribundos, ne aliquis pereat; per privationem autem ab Ordine, officio, vel beneficio, moribundus non perit. Sed notandum, quòd dicat Concilium Trid. *loc. cit. In eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis*; ergò non eſt reſervatio ſuſpenſionis ab Ordine, officio &c. Et quia ſubjungit: *Adeòq; omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt;* Sicut à quibusvis peccatis, ita à quibusvis cenſuris abſolvere valent: cùm Concilium Trid. conjunctivè dicat, & favores ſint ampliandi. Hujus ſentimenti ſunt Ugolin. *de Cenſur. tab.* 1. *cap.* 4. §. 1. *n.* 2. de Alcolea *de Excom. reſol.* 205. Dian. *p.* 7. *tr.* 10. & *Miſcellan.* 1. *reſol.* 11. Ludovicus Caſpenſis *in Curſu Theol. tom.* 2. *tr.* 25. *d.* 2. *ſect.* 13. *n.* 139.

In articulo mortis nulla reſervatio.

5. Aſſerunt aliqui DD. quòd degradatus & excommunicatus vitandus, ùt eſt v. g. publicus percuſſor Clerici qui publicè eum percuſſit (c), & hæreticus, abſolvere etiam in tali caſu nequeat; ſed plures cum Bonacin. oppoſitum tenent; & ratio ipſa dictat: tum quia Concilium irreſtrictè dicit, poſſe Sacerdotes abſolvere: tum quia idem ſtat pro omnibus etiam excommunicatis & degradatis Sacerdotibus, motivum Concilii Trid. *Ne hac ipſa occaſione aliquis pereat*, ùt habetur *ſuprà*.

(c) Panormitã. Præpoſit. apud Tolet. lib. 1. cap. 15.

6. *Servatis ſervandis tamen*: hæc enim ſervanda ſunt: primò ſi ab ea ſine detrimento ullo periclitantis, poſſit obtineri à cenſurante aut ejus delegato, abſolutio; in tali caſu ab eo eſt obtinenda. Ita Innoc. *c.* 1. & *cap. Nuper*, *de Senten. excom.* Et probari poteſt ex *cap. Eos*, *cod. tit.* (d): quia in tali caſu non videtur adeſſe neceſſitas talis ut abſolvatur à ſimplici Sacerdote quocunque.

Servanda.

(d) Ugolin. Sanch. Bonac. contra Sa verb. Abſolutio, & Rodriq.

7. Objicies quidem Tridentinum dixiſſe ſine ulla reſtrictione; ſed facilè ſolvitur objectio per hoc, quòd in dicto loco, Tridentinum non ſtatuit aliquid novi, ſed confirmavit veterem Eccleſiæ conſuetudinem, quæ erat ut quilibet Sacerdos abſolveret in articulo mortis, quando

non aderat copia Superioris, vel proprii Sacerdotis, vel destinati ad absolvendum: ùt colligitur ex Concil. Carthag. III. *can.* 32. & *cap. Presbyter,* 26. *q.* 6. Bonac. *loc. cit. punct.* 3. *prop.* 2. Vide *suprà, de Sacrā. d.* 6. *ser.* 8. *n.* 15. & 16.

Sacerdos simplex quali censurato approbato cedere debeat?

8. Secundò servari debet, quòd quàmvis Sacerdos Sæcularis simplex, hoc est non approbatus ad absolvendum sæcularem, nulla censurâ innodatus, excommunicato vitando cedere non debeat, cùm sit ille vitandus, hic verò per Tridentinum licentiatus; secùs tamen excommunicato tolerato, ad confessiones audiendas approbato: quia hic si sit rogatus, validè & licitè; si non rogatus, validè licèt illicitè, præsente simplici, hoc est non approbato Sacerdote, absolvere valet, ob privilegium Constantien. ùt dixi *suprà, de Confessione ser.* 8. *n.* 17. & 22.

Cōfessio inchoata corā simplici Sacerdote jurisdictionē radicat.

Si tamen inchoavit confessionem coram simplici Sacerdote periclitans, adveniente Sacerdote approbato ad confessiones audiendas aut Parocho, non est opus ut confessio incepta rumpatur: quia usu jam radicata est jurisdictio: Jura enim favent rei inceptæ. Et sic potest eum non tantùm à peccatis absolvere, sed à censuris. Vide *de Confess. loc. cit. n.* 15. & 16. Hujus sententiæ sunt Bonac. *loc. cit.* Henriq. *lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 8. & alii.

Casus.

9. Quid si tempore confessionis adveniret Superior, qui censuram tulit? *Resp.* quòd debeat ab ipso peti absolutio à censuris: quia obligatus est pœnitens se ei præsentare, si potest. Si verò nolit eum absolvere, nisi ejus audiat confessionem; potest continuare confessionem coram simplici, & ab eo absolvi: quia satisfecit suæ obligationi; nec erat obligatus ad confitendum ei, ùt patebit ex *infrà* dicendis: & Sacerdos simplex habet potestatem absolvendi, in articulo mortis existentem. Ita docet Bonac. *loc. cit.*

10. Item potiùs à suspenso aut irregulari, quàm excommunicato vitando (e); ab approbato in alia Diœcesi, quàm à nullibi tali, absolvendus est periclitans, à censuris dictis (f). Ratio primi est: quia prohibetur communicatio cum excommunicato vitando. Ratio secundi est: quia majus jus habet ad audiendas confessiones qui alibi est approbatus, quàm ille qui nullibi.

(e) Bonac. loc. cit.

(f) Suar. de Pœnit. d. 26. sect. 4. n. 6. Bonac. loc. cit.

11. Addidi, *simplex sæcularis Sacerdos respectu pœnitentis sæcularis:* nā econtra, si Regulari periclitanti, innodato censurâ, adesset approbatus Sæcularis, & simplex Regularis; hic potiùs non ille, ipsum absolvere à peccatis & à censuris deberet. Vide *de Sacram. pœnit. d.* 6. *loc. cit. n.* 15 & *d.* 7. *ser.* 1. *sect.* 2. *n.* 14.

12. Observandum quartò, quòd in tali casu Sacerdos non debet priùs à censuris absolvere pœnitentem, quàm præmissa satisfactione: juxta

juxta Clementin. *de Hæred.* quod si commodè fieri nequeat, obligatur non aliter absolvere, quàm cum cautione, secundùm Gloss. ejusdem Clementin. §. *Verùm.* Cautio autem illa fieri debet, vel per fide-jussores, vel per juramentum, modò non sit puer (e); vel modô quô meliori effici potest (g). Si verò jam est sensibûs destitutus, absolvi debet à censuris (h) si expressè petierit, aut signa doloris dederit quibûs significavit se à contumacia recessisse, & ad obedientiam Ecclesiæ rediisse (g): & tunc hæredes pro defuncto ad satisfactionem obligantur.

Non priùs absolvendus quàm facta satisfactione & quomodo.

(g) Lezan. Verâ. Bon.

(h) Sayr. Navar. Avil.

13. Sed quid, si moribundus jam sit sensibûs destitutus, & nullum signum contritionis dederit; possit ne talis absolvi à censuris? *Resp.* affirmativè (l) cum Bossio Caspensi, & de Alcolea *loc. cit.* cùm possit absens & invitus absolvi, ùt *inferiùs* dicam; ergò etiam in tali casu præsens & non invitus.

(l) Contra Navar. in Manu. cap. 27. n. 272. Ugolin. de Censur. p. 3. c. 3. §. 2. n. 2.

14. Observandum quintò, quòd Confessarius teneatur pœnitentem (si nondum sit destitutus sensibûs) monere, ut casu quô convaluerit, se quamprimum poterit, præsentet Superiori cui erat reservata censura (i). Quod si non fecerit; reincidit in eandem (i): prout habetur *cap. Eos, de Sentent. excom. lib.* 6. Addit Cajet. *verb. Excom. cap.* 69. satis esse, ut per procuratorem se præsentet.

(i) Vide de Pœnit. d. 7. ser. 4. sect. 6. n. 38.

15. Utrùm extorquendum sit juramentum à periclitante, in ordine ad se præsentandum? Docent quòd sic, Bonac. *loc. cit. punct.* 4. *prop.* 5. Suar. *tom.* 5. *d.* 7. *sect.* 8. *n.* 25. Sayr. *lib.* 3. *cap.* 25. Avil. verò 2. *p. cap.* 7. *d.* 3. *dub.* 4. admittit tantùm in casu percussionis Clerici, non autem in aliis casibus. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 15. admonitionem solam exigit. Plura in margine (i).

16. Quid si confiteri jam non possit, nec Sacramentum Eucharistiæ sumere? *Resp.* Dāda est ei extrema-unctio, præmissa absolutione à censuris & à peccatis, si dederit signa doloris.

Quid si nec cōfiteri nec Euchar. sumere potest.

17. Quid si moribundum non obligaverit Confessarius, ut se præsentet ei à quo est v.g. excommunicatus? *Resp.* in tali casu fuisse validam absolutionem; cùm nullibi sit lex, aliter factam irritans. Gondon. *tom.* 2. *lib.* 7. *q.* 12. *cap.* 9. §. 3. *n.* 75. de Alcolea *resol.* 185.

18. Quid dicendum de eo, qui vî alicujus privilegii, v.g. dati Cōfratribus sacri Scapularis (ùt dixi suprà *de Indulgentiis*), vel Bullæ Cruciatæ, vel ab eo qui extra articulum mortis facultatem absolvendi habet, absolutus est à censuris; utrùm teneatur se præsentare elapso mortis periculô? *Respondent* Sanch. *loc. cit.* Suar. *de Pœnit. d.* 30. *sect.* 1. *lib.* 1. *n.* 62. Bonac. Sa, Cœlestin. de Alcolea & alii, quòd non: quia hujusmodi potestatem absolvendi, absolvens habuit; & lex jubet

Absolut9 in iubilæo, an se præsentare teneatur.

tantùm

tantùm eos se præsentare, qui sunt in mortis periculo absoluti à simplici Sacerdote, hoc est non habente potestatem absolvendi absolutè.

Absolutus privatim ab excom. potest sepeliri in loco sacro.

19. Notandum, quòd ab excommunicatione absolutus in articulo mortis à simplici Sacerdote, debeat sepeliri in loco sacro; quàmvis absolutus non sit ab eo, cui reservata erat ea excommunicatio: hoc enim habetur *cap. Parochiano*, *de Sepult.* Quòd etiam intelligitur de hæretico, qui propter instantem necessitatem non est solemniter reconciliatus. Ita habet Innoc. *cap. A nobis*, 2. *de Excom.* & Ostien. *lib.* 3. *tit. de Sepult.* §. *Quibus interdicatur.* Et si non potuit in articulo mortis ei dari absolutio, quam petiit saltem per signa doloris, ea ostendendo; potest post mortem à censura v.g. excommunicatione absolvi: nō à Confessario (à quo jam dari non potest sacramentalis ei absolutio), sed ab eo cui erat reservata: prout habetur *cap. A nobis*, 2. *de Sentent. excom.* (k). Quòd autem signa dederit, sufficit probare per unum testem fide dignum: docent Henriq. Boic. eodem *cap. A nobis*, *in* 6. & Ostien. *lib.* 5. *tit.* 16.

(k) Innoc. Panormit.

Casus.

20. Et quid, si mortuus est post absolutionem peccatorum, ante absolutionem à censura? Talis sepeliri in loco sacro non potest, antequam absolvatur ab excommunicatione, sive interdicto personali, etiamsi cum signis contritionis mortuus fuerit: definitur allegato *cap. A nobis.* Dicendum etiam de hæretico, qui revocare volens, contritè mortuus est, quòd sit post mortem absolvendus à censura, & in loco sacro sepeliendus: nam ita Innoc. definivit in dicto *cap. A nobis.* Ratio est: quia coram Deo jam est absolutus.

21. Utrùm Laicus aut Clericus absente Sacerdote, possit existentem in articulo aut periculo mortis, absolvere à censuris? Disputant de hoc Theologi. Joan. de La Cruz Dominicanus *in Directorio conscientiæ p.* 2. *de Excom. dub.* 5. *conclus.* 1. Sylv. *verb. Absolutio*, *n.* 8. & 9. Angel. *ibid.* Ledesm. *cap.* 8. *de Excom.* tenent, quòd quicumque baptizat⁹ Laic⁹ etiā hæretic⁹; alii verò, quòd quilibet primā tonsurā habēs, ùt sunt de Alcolea *de Excom.* Armil. *verb. Absolutio.* Alii cum Præposito docent, quòd omnis Clericus, moribundum à censuris (sicut quilibet Sacerdos à peccatis), absolvere possit. Contra quos. *Dico*: quòd quàmvis de licentia Papæ posset Laicus, non tamen defactò potest absolvere moribundum à censuris. Idem præstare Clericus nequit, nisi id habeat sibi commissum: ùt si sit Episcopus, aut Parochus. Ita sentiunt Bonac. *de Censur. d.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *n.* 1. Suar. *de Censur. d.* 7. *sect.* 7. *n.* 3. & 6. Octav. *in Repertorio morali n.* 751. *pag.* 249. Covaruv. in *cap. Alma Mater*, Soto *d.* 18. *q.* 4. *a.* 4. & alii. Probatur: quia nulla lex eis hoc concedit, prout concedit Sacerdotibus Concilium Trident.

Trident. *ſeſ.* 14. *c.* 7. quoſcunque poſſe abſolvere à quibusvis peccatis & cenſuris.

22. Caſus eſt. Laicus qui audivit Theologos de hoc diſputantes, tãquam probabilem ſententiam ſequens, abſolvit moribundum à cenſuris, & curavit eum in loco ſacro ſepeliri; quæritur, an ille & alii ſepelientes, incurrerint excommunicationem? *Rdet* de Alcolea quòd non: quia Eccleſiaſtica ſepultura deneganda eſt tantùm in caſu claro & manifeſto. Quando verò dubitatur an cadaver ſit ſepeliendum nec ne, tunc ſepeliri debet in loco ſacro: nam in partem favorabilem & meliorem eſt inclinandum, ùt patet ex *cap. Sacris, de Sepult.* & ex *cap. Non æſtimemus*, 23. *q.* 2. at in propoſito caſu dubium eſt, an ſepeliendum ſit tale cadaver, cùm ſit ſententia Sylv. Tabien. Joannis de La Cruz, Baunii & aliorum, docentium eſſe validam abſolutionem à cenſuris per Laicum factam, in articulo mortis cenſurati. Ita ille *tr.* 1. *de Excom. reſol.* 214. *p.* 122.

Sepultura negatur in caſu claro non in dubio.

23. Dico 2. Extra articulum mortis, à cenſuris Jure communi, aut ab homine per ſententiam generaliter latis, nulli reſervatis, poſſunt abſolvere, non tantùm Epiſcopi à Papalibus & Vicarii Generales ab Epiſcopalibus, ſed & Confeſſarii, quicumque habent poteſtatem abſolvendi à peccatis; ſive ſit minor, ſive major excommunicatio aut quæcumque alia cenſura: non aliter tamen quàm in foro interno. Ita S. Thom. *in* 4. *d* 18. *q.* 2. *a.* 5. S. Bonav. *in* 4. *d.* 18. *q. ult.* Innoc. in *cap. Nuper,* D. Reſol. *in* 4. *d.* 15. *q.* 2. *a.* 3. Cornejo *in* 3. *p. tr.* 5. *de Excom. d.* 11. *dub.* 1. Lezan. *verb. Cenſura, n.* 13. Sylv. *verb. Abſolutio, n.*4. contra Suar. *d.* 7. *ſect.* 2. *n.* 23. colliguntque hoc ex *cap.* dicto *Nuper, de Sentent. excom.* & *cap. Si Clerici, de Judice* (m). Ratio eſt: quia quæ ſpecialiter non reſervantur Jure, conceſſa cenſentur. Unde non gratìs, Confeſſarius abſolvendo præmittit, *ego te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis* &c. quia quàmvis non poſſit abſolvere à cenſuris reſervatis, poteſt tamen à non reſervatis.

Extra peric. mortis quis abſolvere poteſt à cẽſur. nemini reſerv.

(m) Vide ſuprà, d. 7. ſer. 5. n. 1.

24. Addidi, *non aliter tamen Confeſſarii, quàm in foro interno*: quia abſolvere in foro externo non ſpectat ad Confeſſarium, ſed ad Epiſcopum, Prælatum, Superiorem, vel Judicem, & alios habentes juriſdictionem. Lezan. *n.* 14. *verb. Cenſura,* Bonac. *prop.* 3. *n.* 10.

Iure cõmuni aut ab homine reſervatis.

25. Dico 3. A cenſuris Jure communi, aut ab homine per ſententiam generalem latis, reſervatis, extra articulum mortis, Jure communi, ordinariè qui eas tulit, aut Superior eſt, aut ſucceſſor, aut delegatus (n); Jure verò ſpeciali, illi quibus aliquod privilegium hac in re favet, abſolvere poſſunt.

(n) cap. Per tuas, & cap. Sacro, de Sẽtent. excõ.

26. Explicatur & probatur. *Jure communi & ſententia generali, ſuprà* expli-

explicatis. Dico, *qui eas tulit, aut Superior:* nam si est lata excommunicatio ab Archidiacono, aut Parocho habente ex consuetudine vel Jure aliquo jus excommunicandi; à tali excommunicatione, horum Episcopus; & à lata à Priore, Provincialis absolvere potest: *cap. Cùm Episcopus, de Offic. Ordinar. lib.* 6. Non tamen potest irrequisito excommunicatore (si ex officio processit) absolvere, ùt habet Abbas in *cap. Per tuas, n.* 13. *de Sentent. excom.* Nec etiam absque citata parte, si ad instantiam ejus lata est excommunicatio, ùt dicit idem Abbas *ibi.* Et notant DD. in *cap. Qua fronte, de Appellat.* nisi periculum sit in mora secundùm Abbatem in dicto *cap. Per tuas, n.* 13. Si secùs faceret, teneret quidem sententia etiam non præmissa satisfactione; sed perperàm tali modô ageret: quia suis subditis jurisdictionem non servaret, ùt notat Innoc. *cap. Cùm ab Ecclesia, n.* 6. At, si esset consuetudo talis, quòd Episcopus absolvere non posset excommunicatos à suis Inferioribus; tunc facta ab eo absolutio, esset nulla: juxta Innoc. *suprà,* & *cap. Dilecto, de Offic. Archiepisc.*

Iustè excõmunicatus à Superiore absolvi non potest.

27. Hîc notandum, quando excommunicatus appellat ad Episcopum, & ei evidenter constat sententiam excommunicationis esse justam; tenetur eum remittere ad excommunicatorem, nisi requisitus malitiosè neget absolutionem: *cap. Per tuas, in fin.* & ibi Abbas *n.* 10. *de Sentent. excom.* Si verò constet esse injustam, absolvere eum Episcopus obligatur: *cap. Venerabilibus, §. Sanè, de Excom. lib.* 6.

28. *Successor aut delegatus:* cùm ille, eandem quam antecessor; hic verò, delegatam potestatem habeat.

Ab excommunicante absolvi non potest excõmunicatus.

29. Addo tò *ordinariè:* nam casus sunt, in quibus id præstare nequeunt. Primus casus est, quô ille qui censuram tulit, absolvere ab ea non valet: *si authoritas sua labatur.* Doctor Resolutus *loc. cit.* & Ostiensis. Secundus, si inciderit in excommunicationem: *can. Audivimus.* Doct. Resol. Ostiensis *suprà:* quod intelligi debet de excommunicatione majori & publica: quia si inciderit in minorem, potest absolvere, juxta *cap. Si celebrat, de Clerico excom.* Tertius casus est in incendiario, quem Ordinarius excommunicare potest, post denuntiationem absolvere nequit, sed solus Papa, ùt habetur *cap. Tua, de Sentent. excom.* Tolet. *lib.* 1. *cap.* 16. Ad quod animadvertere necesse est, quòd incendiarius Ecclesiæ vel loci Religiosi, ipso Jure est excommunicatus, prout habent Gloss. *cap. In litteris, de Rapt. & incendiar.* item Gloss. in *cap. Cùm devotissima, vers. Si verò,* 12. *q.* 2. Quartus casus est, quando Episcopus denuntiat excommunicatum, spoliatorem Ecclesiæ cum fractione; tunc à Papa est absolvendus, ùt habetur *cap. Conquesti, de Sentent. excom.* Quintus casus est, quòd si excommunicatus à dele-

gato

gato Papæ, per annum in ea permanserit, talis ab eo post annum absolvi nequeat, prout habetur *cap. Quærenti, de Offic. deleg.* Ubi Panormitanus hoc idem extendit ad quoscumque alios delegatos. Sextus casus est, si delegatus esset, tantùm executor, latæ à Papa aut alio, sententiæ; talis absolvere eundem non posset: *cap. fin. de Offic. deleg.* Secùs si cognitionem causæ demandatam haberet. Ostien. *cap. Cùm inferior*, Joannes Andreas, Tolet. *loc. cit.*

30. Quid si Successor v.g. Episcopus, nondum sit Sacerdos, sed Clericus? *Resp.* Potest ex integro in foro externo absolvere à censura, sicuti & ferre eam.

31. *Jure verò speciali* &c. nam à reservatis censuris Papæ, contentis in Bulla Cœnæ Domini, quando sunt casus occulti, & Episcopus suos subditos, & Prælatus Regularis suos Inferiores, in foro conscientiæ tantùm, absolvere potest: ostendi *sub absolutione Sacramentali ser* 4. *sect.* 2. *n.* 3.

32. Censura Jure Papali lata, quàmvis probari possit, dummodo nõ sit notoria ratione delicti, potest ab ea absolvere Episcopus: asserentibûs Henriq. *lib.* 4. *cap.* 22. *n.* 4. Avil. 2. *p. cap.* 2. *d.* 2. *dub.* 11. *conclus.* 1. Bonac. *loc. cit.* A reservatis censur. Papæ quando Episcopus absolvere potest.

33. Quid si crimen erat deductum ad forum externum, reus verò nõ est convictus, sed potiùs se purgavit, & defendit falsis Testibûs, aut viâ injusta; utrùm in tali casu possit eum Episcopus absolvere? *Rdet* affirmativè Henriq. Bonac. & alii apud eum. Ratio est: quia in hoc casu cessat ratio, ob quam crimen dicatur deductum ad forum contentiosum: perinde est, ac si non fuisset deductum. Quid si crimen deducatur ad forum externum.

34. Quid debeat facere lapsus in hæresim, dum est casus occultus? Respondi *suprà loc. cit. n.* 11. quòd possit Sæcularis ab Episcopo, Regularis à Provinciali absolvi.

35. A quinque casibus Papalibus extra Bullam Cœnæ Domini positis, ubi Regulares absolvere valent, ibi *sect.* 3. *n.* 3. habes.

36. Quis & quomodo, ab excommunicatione ob percussionem & qualem Clerici, queat absolvere? Deduxi per longum ibi *sect.* 6. à *n.* 9. usque ad *n.* 28. Et plura ad propositum ibi dixi.

37. Dico 4. A censura lata ab homine per sententiam particularem, extra articulum mortis solùm is qui eam tulit, aut ejus Superior, aut successor, aut delegatus, absolvere valet: quia hæc censetur reservata ei qui eam tulit, vel ejus Superiori, aut successori, vel delegato; ne perturbetur ordo judicandi, & jurisdictio Prælati talem sententiam ferentis: quod fieret, si aliquis se intromitteret in absolvendo eum, quẽ

ille per sententiam specialem censurâ ligavit. Bonac. *loc. cit. prop.* 2.*n*.6. Valent. *tom*. 4. *d*. 7. *q*. 17. *punct*. 8. Avil. & alii.

38. Utrùm possit Episcopus absolvere suum subditum à censura, quã in alio Territorio incurrit? Dixi *de Sacramentali absolutione loc. cit. n.* 34. quòd non possit, si censura sit lata per sententiam particularem. Ratio est ibi data. Secùs si lata est per statutum aut sententiam generalem: patet ex dictis *suprà*, *ser*. 3. *sect*. 3. §. 3.

Incurrens censur. in alio Territor. an possit à suo absolvi Episcopo.

39. Qui ab excommunicatione Papæ reservata ob casum contentum in Bulla Cœnæ Domini, aut ob duellum, vel Clerici percussionem, aut à reservato casu Episcopo, ausus fuerit absolvere, per quod incurrit excommunicationem soli Papæ reservatam, potest ne absolvi ab inferiore, Papâ, ab incursa hac excommunicatione? *Resp*. Vel est Sæcularis Sacerdos, vel Regularis? Ille potest absolvi ab Episcopo, (prout est excommunicatio occulta) ob privilegium concessum Episcopis à Trident. *sess*. 24. *de Reform. cap*. 6. ubi conceditur eis, quòd per se aut per Vicarium hoc est deputatum, possint absolvere ab occultis, Papæ reservatis casibus ac excommunicationibus. Ita tenent Beja, Homob. Suar. Peregrin. Dian. *p*. 3. *tr*. 4. *resol*. 73. Regularis verò talis, potest absolvi à suo Superiore, ob privilegium Pii V. per Bullam quæ incipit, *Romani Pontificis* (o). Uterque solùm in foro interno id præstare valet. Sed potestne absolvi à Confessore Regulari privilegiato, qui à Papalibus absolvit? *Resp*. Vel dictus delinquens absolvit ab excommunicatione ob duellum aut percussionem Clerici, à qua absolvere non potuit? Potest extra Italiam absolvi à Confessore Regulari privilegiato, ab incursa excommunicatione: nam Regulares privilegiati extra Italiam existentes, possunt duellantes & percussores absolvere, ùt dictum est, prout monstrat index hujus libri; ergò potest & ab excommunicatione absolvere eum, qui quia absolvere non potuit, talem excommunicationem incurrit. Vel dictus delinquens absolvit intra Italiam ab excommunicatione incursa propter absolutionem à casu reservato Papæ, contento in Bulla Cœnæ Domini, vel absolvit à reservato casu Ordinario loci? Non potest absolvi à Confessore Regulari privilegiato: quia per Decretum Sacræ Congreg. de Mandato Clementis VIII. absolutiones ab hac utraque excommunicatione, redduntur nullæ, per sequentia: *Præterea noverint pœnitentes, absolutionem si quam obtinebunt contra hujusmodi probibitionem, esse nullam, nulliusq; roboris & momenti. Et ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casuum competit, plurium quàm opus sit reservatione, subditis aut Confessariis, in animarum salute procuranda cooperatoribus, sint onerosi; monentur omnes, ut paucos cosq; tantùm, quos ad Christianã*

Absolvens ab excom. cõtracta ob absolutionẽ à casu cõtẽto Bul. Cœn. Dom. incurrit excom. Papæ reserv.

(o) Vide suprà, d. 7. ser. 2. sect. 2. n. 3.

An possit Episcopo multos reservare casus.

discipli-

disciplinam retinendam , animarumq́; sibi creditarum salutem, pro cujusvis Diœcesis statu & qualitate, necessariò servandos esse judicaverint, servent. In quorum fidem &c. *Datum Romæ die* 9. *Mensis Januar. anno* 1601. In Bullar. Ordinis Carm. *p.* 2. *pag.* 312.

40. Sed quid, si is de quo nunc sermo, absolveret à dicta excommunicatione ex inadvertentia, aut ignorantia Juris aut pœnæ? *Resp.* talem non incurrisse excommunicationem absolvendo: nam dictum est *d.* 7. *de Sacram. Pœnit. ser.* 4. *sect.* 2. *n.* 10. quòd non quilibet incurrat dictam excommunicationem, sed qui temerè audet, præsumit, absolvere; cùm ita exprimatur in Decreto: & in pœnalibus non est facienda extensio. Plura de hoc ibi.

41. An possint Prælati Regulares exempti seu privilegiati, suos subditos Regulares, absolvere à censuris, à Papa aut Episcopis latis? *Resp.* & dico: Prælati Regulares, Generales & Provinciales (p), possunt suos subditos Regulares, à quibusvis censuris à Jure aut Judice generaliter latis & promulgatis, etiam Papæ reservatis, absolvere: quia id imprimis Sixtus IV. in Bulla, *Dum attenta*, Carmelitis; & in Bulla quæ est, *Mare magnum Prædicatorum*, concessit Generali eorumdem, & ab eo deputatis. Quod privilegium Prædicatoribus concessum Greg. XI. confirmans, eam concessit Prioribus Provincialibus & Conventualibus ac eorum Vicariis facultatem, absolvendi Fratres ejusdem Ordinis, ab excessibus & censuris quibusvis; *nisi talia forent, propter quæ essent ad sedem Apostolicam meritò destinandi.* Qui autem sunt tales? Declarat Sixtus IV. in dicta Bulla *n.* 25. per sequentia: *Declaramus Hæreticos relapsos, Schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad Infideles prohibita detulissent; dumtaxat esse ad sedem Apostolicam meritò destinandos. Reliquis verò omnibus, etiam simoniæ pravitate qualitercumque irretitis, posse per illos quibus inibi conceditur, absolutionis beneficium, & dispensationis gratiam, juxta casuum exigentiam impartiri* (q). Ex ly *relapsos* colligitur, posse dictos Prælatos absolvere Inferiores suos, ab excommunicatione incursa propter hæresim. Postea Gregor. XIV. cōcessit Religioni Ministrantium infirmis, ut Generalis per se vel per suos deputatos, omnes & singulos ejusdem Congregationis socios & personas, sub ejus obedientia, disciplina, & correctione pro tempore degentes, *ab omnibus & singulis eorum peccatis, ante vel post ingressum in dictam Congregationem per eos commissis, nec non à quibuscumq́; excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq́; Ecclesiasticis & Sæcularibus sententiis, censuris & pœnis, à Jure vel abhomine (non tamen nominatim) quomodolibet latis*, absolvere valeat in foro conscientiæ (r).

42. Dixi, *etiam à reservatis Papæ*: quia dicta privilegia generalissimè

Prælati Regular. possūt suos subdit. à quibusvis cēsur. absolvere dēptis nonnullis.

(p) Imò & Priores Cōventuales.

In quib9 Regulares debent recurrere ad Papam.

(q) In Bullar. Ord. Carmelit. p. 332.

Prælati ab omnibus cēsur. absolvere possūt suos Inferior. etiā cōmissis ante ingressum Relig.

(r) Lezan. tō. 1. c. 18. n. 35.

sonant, consequenter se extendunt etiam ad censuras reservatas Papæ.

43. Imò multùm probabile est, posse Generales per se aut suos delegatos, absolvere à censuris particulariter talibus, seu nominatim latis ab Episcopis. Tum quia Eugenius IV. concessit, & Sixtus IV. confirmavit citata Bullâ, privilegium Generali Carmelitarum vel ab eo deputatis, tale, quale habebant minores Pœnitentiarii Papæ, degentes in Romana Curia; nempe suos dicti Ordinis Fratres ab omnibus absolvendi excessibus, censuris, & pœnis: *nisi talia forent, propter quæ meritò essent ad sedem Apostolicam destinandi*: ùt vidimus *suprà*. Tum quia Paulus III. in Bul. *Licèt debitum*, inter Bullas hujus Pontificis *n.* 48. concessit Generali Soc. JESU ut per se, vel per alios ad id deputatos, possit Socios absolvere à quibusvis & sæcularibus sententiis, censuris, & pœnis, à Jure vel ab homine *quomodolibet latis*, & promulgatis. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 36. & 37. Rodriq. *tom.* 1. *Quæst. Regul. q.* 20. *a.* 4. Suar. *tom. de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 25. qui addit, hoc intelligi debere etiam quando aliquis Religiosus, nominatim denuntiatus esset; *ibid. n.* 5.

Generalis potest absolvere à censuris ab Episcopo latis.

44. Dicunt quidem, Armil. *in Summ. verb. Excom. n.* 6. Abbas *in cap. Significasti, de Reform. competen. n.* 11. Piasec. *in Praxi Episcop. p.* 2. *cap.* 3. *de Visit. Regular. verb. Ad externum*, & Peyrin. *tom.* 1. *Privileg. constit.* 2. *Sixti IV.* §. 10. *n.* 13. quòd in dicto casu Regularis debeat absolvi à suis Prælatis, non ab Episcopis. Nihilominùs pro fundamento habens dictas authoritates, Dico: quòd in proposito casu Regularis nisi in foro interno & conscientioso, potest absolvi à suis Prælatis ab excommunicatione aliisque censuris; in foro verò externo & contentioso, absolvi debet ab Episcopo: nam excommunicatus per sententiam ab homine, non potest absolvi nisi ab excommunicante, aut Superiore excommunicantis, vel successore ejus; alioquin magnum præjudicium fieret excommunicanti Episcopo, & inutilis authoritas delegati esset. Ita Bordon. *resol.* 3. *q.* 7. Donat. *de Exemp. Relig. tr.* 13. *q.* 28. *p.* 305. Secùs autem dicendum de Generali Ordinis: nam sicut Episcopus est delegatus à Sede Apostolica in certis casibus, ad corrigendum & puniendum Regulares; ita Generalis Ordinis, habet privilegium & authoritatem à Sede Apostolica (ùt vidimus), eos absolvendi.

Imò & Provincialis.

45. Utrùm Provinciales, ex alia Provincia sui Ordinis Fratres, absolvere queant à censuris quibusvis? *Resp.* Declaratio est & privilegium Sixti IV. in Bulla, *Dum attenta, n.* 17. quòd *Generalis in toto Ordine, liberè, & singuli Provinciales in eorum & de suis Provinciis prædictis Fratribus constitutis ibidem, nec non & Fratribus aliis ejusdem Ordinis*

Provincialis suos Fratres alterius Provinciæ absolvere potest à cēsur.

interdùm

interdùm ad eos declinantibus undecumq́, absolutione & dispensatione indigentibus, sive priusquam intraverint Ordinem sive pòst in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrant sententias, à Jure vel Judice generaliter promulgatas, & hujusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto Divina Officia celebrantes, vel suscipientes Ordines sic ligati notam irregularitatis incurrant; absolutionis & dispensationis beneficium valeant impartiri: nisi in casibus, in præsentibus litteris exceptis.

Et ab irregularitate etiã ante ingressum cõtracta.

46. Casus autem in quibus non possunt à censuris absolvere Prælati Regulares suos inferiores, sunt expressi *hîc n.* 41. In quibus verò dispensare in irregularitate non valent, sunt: si quis sit irregularis propter homicidium voluntarium, aut bigamiam, aut propter mutilationem membrorum.

Cas9 in quibus Prælati absolvere & dispensare nequeunt.

47. Utrùm Prælati Regulares possint postulantes habitum absolvere à censuris, & quomodo? Dixi *de Ord. ser.* 4. *n.* 50. 51. 52. & 53.

48. Quæritur, utrùm non Prælatus Confessarius Regularis, queat postulantem habitum, statimque ingressurum Religionem, absolvere à censuris reservatis Episcopo? *Rdent* affirmativè Bartholom. de Vechis *in Praxi novit. d.* 4. *dub.* 7. *n.* 5. Dian. *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 6. & *p.* 11. *tr.* 4. *resol.* 16. Octav. *in.* 2. *p. Repertorii n.* 534. *pag.* 44. Ratio eorum est: quia immediatè ingressurus Religionem, jam non comprehenditur inter Sæculares; consequenter à reservatis Episcopo, absolvi potest à Regulari Confessore, ùt de mente Clementis VIII. declaratum est à Cardinali quodam, teste dicto Bartholom. Quod admitti potest de censuris generaliter latis, non de nominatim talibus: ùt videre est locis in citatis *hîc n.* 47.

An Confessarius valeat postulantem à reservatis Episcopo absolvere.

SECTIO II.

Quæ sint observanda in conferenda absolutione?

§. I.

An forma aliqua, & qualis, in danda absolutione à censuris, servanda sit?

I. Dico: Nullo Jure Ecclesiastico, una determinata forma ab omnibus servanda statuitur, prout communiter DD. asserunt; sed aliqua exprimenda est, talis, quâ ligatus solvi sufficienter signifi-

In absolutione quæ exprimenda?

ſignificetur. Perſona abſolvenda, exprimenda eſt, ut declaretur quisnam abſolvatur. Et perſona abſolvens aliquomodo exprimi debet, ut exprimatur actus abſolutionis, & ut ſciatur quis abſolvit.

2. Ut autem exprimatur cauſa, ob quam abſolvendus contraxit cenſuram hanc, v.g. dicendo, *ego te abſolvo à vinculo excommunicationis quam incurriſti Clericum percutiendo;* non eſt neceſſe ad valorem abſolutionis, cùm nulla lege hoc præſcribatur; ſed expedit, ſi abſolvens velit ab una non ab altera abſolvere. Secùs ſi aut ligatus peteret ab hac non altera abſolvi; colligitur ex *cap. Cùm pro cauſa*, & *cap. Officii, de Sentent. excom.* aut abſolvens, ab illa non hac poteſtatem habeat abſolvendi: in hoc caſu abſolutio teneret. Sed quando ſunt plures cenſuræ, v.g. excommunicationes, ob cauſas diverſas; ut ſciatur à qua eſt abſolutus, oportet cauſam exprimere: v. g. *ego te abſolvo ab excommunicatione quam incurriſti ob cauſam N.* &c.

3. Si pœnitens non recuſat ab aliis cenſuris abſolutionem, & abſolvens intendat ab omnibus generaliter abſolvere; abſolvit ab omnibus. Bonac. Lezan. *de Cenſuris.*

An nomen cenſuræ exprimi debeat.

4. Utrùm neceſſe ſit exprimere nomen cenſuræ, à qua abſolvitur cenſurâ ligatus? Circa hoc ſunt tres ſententiæ. Prima eſt Ugolin. *tab.* 1. *cap.* 23. & aliorum dicentium, minimè eſſe hoc neceſſarium: quia ambiguitas verbi *abſolvo*, ſufficienter determinatur per intentionem abſolventis. Secunda eſt Sylv. *verb. Abſolutio* 2. §. *Quantùm eſt*, tenentis abſolutionem abſque additione nominis in ſpecie cenſuræ, eſſe nullam: quia verbum *abſolvo*, non minùs ſignificat abſolutionem à peccatis, quàm à cenſura aut alia pœna: nec ſufficit intentio (inquit), quia determinatio debet eſſe ſenſibilis. Tertia eſt Verani, ſub diſtinctione: quando ligatus petit abſolvi à tali, non eſt neceſſe exprimere cenſuram à qua abſolvitur; ſed ſufficit, *ego te abſolvo*: quia tunc ratione petitionis extrinſecæ & ſenſibilis, ſufficienter determinatur intentio, & ſignificatio illius verbi *abſolvo.* Si verò non petenti detur, ùt contingit in Sacramentali abſolutione ante abſolutionem à peccatis; neceſſe eſt exprimere nomen cenſuræ, v.g. excommunicationis ſi in ea ſit, aut ſuſpenſionis &c. alioquin non determinaretur ſignificatio verbi *abſolvo*, ad effectum determinatum. Cui cum Lezan. ſubſcribo, cum hac tamen additione: *pro tutiori*, *abſolvo à cenſura;* vel ſi plures, *à cenſuris.* Item ſi pœnitens deſideret abſolvi ab omnibus cenſuris, & abſolvens habeat abſolvendi intentionem; abſolvitur ab omnibus, etiam per eadem verba *te abſolvo*, per quæ ſimiliter abſolvitur à peccatis. Ita docent Lezan. Bonac. *loc. cit.* Navar. *de Pœnit. dub.* 6. *cap.* 1. Henriq. *lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 3.

Per abſolutionē à peccatis, abſolvitur à cenſuris.

5. Unde

5. Unde valet abſolutio à cenſuris, quâ Confeſſarius habens poteſtatem abſolvendi ab hæreſi, abſolvit pœnitentem à peccatis aliis, & hæreſi, per hæc verba, *ego te abſolvo à peccatis tuis*: maximè quia præmiſit abſolutionem ab excommunicatione, tunc intendendo abſolvere ab hæreſi. Abſolutio à cenſur. per abſolutionē à peccatis.

6. Verbîs ne an ſcripturâ, ferenda ſit abſolutio? *Reſp.* Ad valorem abſolutionis perinde eſt, ſive voce, ſive ſcripturâ, ſive per ſigna eam exprimentia, feratur (a): patet inde, quòd ſi Romanus Pontifex declaret ſe velle, ſuo factô, aut communicatione abſolvere; factum tenet: prout in Clementin. *Vult, de Sentent. excom.* Et ſic in tali caſu, ſi excommunicatus peteret à Summo Pontifice, an vellet ipſum abſolvere ab excommunicatione, & Summus Pontifex ſola capitis inclinatione annuat; tunc hoc ſignum exterius, erit ſufficiens ad tollendam cenſuram. Expedit tamen, ut per verba ore prolata, aut ſcrptô fiat dicta abſolutio: quia quàmvis per nutus ſignaque externa, humano modô reſpectivè jurisdictio exerceatur; non tamen ita poteſt exprimi totum, prout per vocalia aut ſcriptô exarata verba exprimitur. Quod & Epiſcopi ob *cap. Cùm deſideres, de Sentent. excom.* facere tenentur; licèt non Summus Pontifex; cùm ille habeat ſupremam poteſtatem tollendi cenſuras, independenter à Jure. Qualiter ferenda abſolutio.

(a) Bonac. Veran. Valent. Lezan.

7. Licetſi non ſint ab Eccleſia inſtituta verba ab omnibus ſervanda, ſicut verba abſolutionis ſacramentalis, & ſufficiat dicere, *abſolvo te, reconcilio te Eccleſiæ*, vel *reſtituo te priſtinæ communioni & uſui Sacramentorum*; invaluit tamen conſuetudo Eccleſiæ, ut in foro externo ſervetur forma cuiuscumque Epiſcopatus: in foro verò interno, ab excommunicatione, *ego te abſolvo à vinculo excommunicationis, quam incurriſti ob percuſſionem Clerici* (vel propter N. ſi ob aliam cauſam in eum lata ſit), *& reſtituo te Sanctis Sacramentis & communioni fidelium, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Forma abſolutionis à cenſura: *Ego te abſolvo à vinculo ſuſpenſionis, quam incurriſti propter N. & reſtituo te executioni Ordinum, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Forma abſolutionis ab excom. A cenſura.

8. Si cenſura ſit dubia, hæc vel ſimilia ſolent adhiberi: *Si teneris aliquô vinculô excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti; abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, inquantum poſſum & tu indiges, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Dubia.

§. II.

Quæ eſt differentia inter abſolutionem in foro pœnitentiæ, conſcientiæ, & foro externo?

Forũ internum.

1. FOrum internum ſeu animæ, eſt quoad Deum. Hocce, complectitur forum Sacramenti pœnitentiæ, & forum conſcientiæ. Forum Sacramenti pœnitentiæ, eſt intra Sacramentum pœnitẽtiæ; forum conſcientiæ, eſt latius: nam etiam eſt extra Sacramentum pœnitentiæ, quoad Deum.

2. In foro Sacramenti pœnitentiæ abſolvitur quis, dum abſolvitur in Sacramento pœnitentiæ; in foro verò conſcientiæ, dum conceditur abſolutio, vel diſpenſatur extra Sacramentum pœnitentiæ, etiam coram aliquibus, ſed non cum ſtrepitu judicii. Ita docent Peyrin. *tom.* 1. *Privil. Minim. in Conſtit. Pyrhi n.* 43. Lezan. *verb. Abſolutio*, & *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 45. Henriq. *lib.* 3. *de Indult. cap.* 3. *lit. Roman.* Miranda *in Manual.* 2. *tom.* 2. *q.* 35. *a.* 2.

Parochꝰ poteſt abſolvere ab excõ. remittendo cum peccatis ad Regularem.

3. Et ſic etiamſi addatur in privilegio particula *tantùm*, v.g. conceditur in foro conſcientiæ tantùm; tunc non tantùm Confeſſarius, data in Sacramento pœnitentiæ abſolutione à peccatis, poteſt dare abſolutionem extra Sacramentum à cenſura; ſed etiam Parochus, cui ratione officii conceditur poteſtas abſolvendi à cenſuris, poteſt id præſtare ſuis Subditis, extra Sacramentum pœnitentiæ in foro conſcientiæ, nondum exiſtens Sacerdos: & alius habens facultatem à cenſuris abſolvendi in foro conſcientiæ, abſolvere ab his poteſt, remittendo abſolutum, cum peccatis ad Confeſſarium. Hoc tenent Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. d.* 34. *n.* 2. Genuenſis *in Praxi Neapolitana cap.* 66. *n.* 18. Avil. *de Cenſur.* 1. *p. cap.* 7. *d.* 3. *dub.* 13. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 2. Bonac. & alii apud eum. Ratio eſt: quia verba hæc, *in foro conſcientiæ tantùm*, denotant abſolutionem talem prodeſſe ſuſcipienti, ſolùm quoad Deum & ſalutem animæ, non quoad Eccleſiam: forum enim externum, eſt quoad Eccleſiam.

Forũ externum.

4. Unde in foro externo abſolvitur, quando abſolvitur judiciosè, ſive quoad Eccleſiam; taliter, quòd in eo foro, ab ea cenſura non indigeat abſolutione, ſed publicè, cenſurâ prohibitum exercere poteſt.

Abſolutio in foro pœnit. an proſit quoad forum externum.

5. In hoc differentiam faciunt DD. quomodo data in foro Sacramentali ſive Sacramenti pœnitentiæ, aut foro conſcientiæ, proſit quoad forum externum. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 14. dicit: etiam præmiſſa ſatisfactione, data abſolutio in foro conſcientiæ, non prodeſt in foro exteriori. Et *inferiùs*: facultates quæ per Romanum Pontificem dantur, per Jubilæum aut Bullas, Confeſſariis, abſolvendi à quibusvis cenſuris; non concernunt forum externum, ſed tantùm ea quæ ad pœnitentiæ forum, & conſcientiæ purgationem ſpectant. Citat pro hac ſententia Covar. in *cap. Alma Mater, prior. p. Relect.* §. 11. *n.* 15. *verſ.* 3. Ratio eorum eſt: quia detraheretur jurisdictioni Eccleſiaſticæ, ſi ex-

commu-

communicatus secretè absolutus, posset se ingerere Divinis. Et sic juxta illos, deberet se præsentare absolutus Superiori: quàmvis tempore Jubilæi sit absolutus à Confessario, cui hæc potestas à Papa est commissa. Econtra Bonac. *loc. cit.* cum Suar. Sanch. A nobis verò sub distinctione dicendum, quomodo non prodest, & quomodo prodest. *Resp.* Absolutio in foro conscientiæ, foro pœnitentiæ, data, non prodest quoad judicium forense: nam potest à Judice sive Superiore, citari si denuntietur; & puniri, obligari ad satisfaciendum parti læsæ si quæ fuit; & iterùm absolvi seu declarari absolutus, adhibito etiam testimoniô illius qui eum absolvit in foro conscientiæ &c. vel Confessarii id de licentia pœnitentis testificantis. Ratio est: quia absolvi aliquem in foro conscientiæ, est absolvi eum salvo jure Judicis vel Superioris, ad faciendum ea quæ debet (a). Prodest verò, quia potest Judex aut Superior, hujusmodi absolutionem acceptare pro foro externo, & eum non turbare (b). Non prodest etiam quoad illos, qui nesciunt esse absolutum: quare quoad eos, debet se gerere, ac si adhuc esset non absolutus à censura, & hoc propter scandalum vitandum. Prodest quoad illos, qui vel ignorant eum incurrisse censuram, vel sciunt esse absolutum: coram talibus, potest exercere actus censurâ prohibitos (a): ùt si est excommunicatus, celebrare, communicare &c. (a). Ratio est: quia taliter absolutus, est quoad Deum & illos, à censura liberatus.

6. Sed unde cognoscere debemus facultatem, restrictam ad forum conscientiæ aut pœnitentiæ? *Resp.* quòd ex ipsis verbis indulti, si irrestrictè concedatur potestas absolvendi; tales delegati, sicut & delegantes: possunt in omni dictorum *suprà* foro absolvere (c), modò satisfactum sit parti, juxta Motum Pii V. Ratio pro delegantibus est: quia nullo Jure stringuntur, ut non aliter quàm in Sacramento pœnitentiæ absolvere concedant. Pro habentibus potestatem delegatam irrestrictè, ratio: quia sine limitatione eis potestas conceditur. Vel additur clausula, *in foro conscientiæ tantùm?* Tunc quàmvis Navar. *in Manual. cap.* 26. *n.* 31. & Suar. 5. *tom. in* 3. *p. d.* 7. *sect.* 5. *n.* 35. dicant, non posse aliter absolvi quàm in Sacramento pœnitentiæ; valdè tamen probabile est per alios, posse extra Sacramentum pœnitentiæ, ùt dixi *suprà*. Quando autem additur, *in Sacramentali confessione audita*, vel simili modo, v.g. *in foro pœnitentiæ*; tunc nisi in Sacramento pœnitẽtiæ, potest ille absolvere, cui sub tali clausula, potestas absolvendi conceditur. Verum quidem est, quòd Suar. *lib.* 8. *de Legibus, cap.* 6. *n.* 16. & Bonac. *de Censur. d.* 1. *q.* 3. *punct.* 6. *n.* 8. & 9. per verba dicta, *in foro pœnitentiæ*, datam facultatem, extendant extra Sacramen-

(a) Lezan. verb. Absolut. n. 7. Bonac. de Censur. pũct. to. d. 1. q. 3. Mirand. in Man. Prælat. tom. 1. q. 46. a. 7. & alii apud Bonac.

(b) Laym. lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 7. n. 7.

(c) Lez. l. c. Navar. c. 27. n. 278. Bonac.

tum pœnitentiæ, assignata salutari pœnitentia; *immeritò tamen ita sentiunt* (inquit Lezan.): *forum enim pœnitentiæ nihil aliud est, nisi Sacramentum pœnitentiæ: & quoties Pontifex, vel alii Prælati Superiores volunt, quòd pœnitens non absolvatur nisi imposita pœnitentiâ; id exprimunt aliis verbîs, videlicet, injunctâ pœnitentiâ, peractâ pœnitentiâ* &c. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 61. *a.* 10. Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. d.* 34. *n.* 29.

Differentia inter absolutionē in foro interno & externo dandam.

7. Differentia, inter formam in foro interno & externo dandam, quòd in absolutione ab excommunicatione danda in foro externo, adhibeantur aliquæ solemnitates (d), quæ non adhibentur, in danda in foro interno: nempe præmittitur psalmus *Miserere mei Deus*, ad cujus singulos versus, humeri denudati, virgâ aut flagellô leviter percutiuntur, nisi oppositum communi usu receptum fuerit, aut fœmina sit; postmodum dictô *Gloria Patri, Kyrie eleison* &c. *Pater noster* &c. vers. *Salvum fac servum tuum* &c. *Domine exaudi orationem meam* &c. *Dominus vobiscum* &c. dicatur oratio: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere* &c. Deinde subjungatur: *authoritate qua fungor, absolvo te à vinculo excommunicationis, quod incurristi propter N. causam, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni Fidelium, in nomine Patris &c.* Panorm. *cap. final. de Restit.* Innoc. *cap. Cùm delicta, de Rescript.* Lezan. *loc. cit.* Hæc forma quidem non est de essentia absolutionis, omitti tamen sine culpa non potest, ubi opposita praxis non servatur.

(d) cap. A nobis, de Sentent. excō.

Hoc est de excommunicato publicè, nominatim tali.

Quæ præcedunt formā absolutionis ab excōmunicatione.

8. Hæc omnia, præcedere debet satisfactio parti læsæ, sive in fortuna sive in honore, si potest & quantum potest: Si non potest in præsenti sed in futuro, adhibenda est cautio pignoratitia; & si non potest, tunc fidejussoria; quòd si nec talis esse potest, saltem dari debet cautio juratoria, de prædicta satisfactione præstanda. Colligitur id ex *cap. Parochian. de Sentent. excom.* Et si impossibilitas etiā pro futuro stat, petat veniam.

Et quid si error esset.

9. Quid si errore non præmitteretur satisfactio, quæ fieri potuit? *Resp.* Vel hoc fecit absolvens, habens jurisdictionem non delegatam? Aut delegatam, sed non restrictam? Valet absolutio (e); peccaret tamen, ille contra justitiam, hic contra charitatem, si voluntariè omitteret eam (f). Vel hoc fecit potestate delegata, limitata ad absolvendum facta satisfactione? Tunc absolutio nulla: nam jurisdictio limitata, non extenditur ultra limites præscriptos; tantum valet quātum sonat. Ita Nald. *in Summ. verb. Absolutio à censuris*, Bonac. *loc. cit.*

(e) Navar. c. 27. n. 37. Lezan. l. c.

(f) Hēriq. l. 13. c. 28. Bonac. de Cēsur. q. 3. p. 9. n. 1.

10. Quid si post præstitam cautionem, absolutus negligeret satisfacere; incideret ne in eamdem excommunicationem? *Resp.* quòd non; cùm id Jure cautum non est. Poterit tamen iterùm à Judice excommunicari: *cap. Ad reprimendam, de Offic. Ordinar.* Lezan.

11. Præ-

11. Præmitti etiam debet juramentum de non perpetrando ampliùs tali crimine (g); quod obſervari debet, tantùm in abſolutione ab excommunicatione ob magna crimina (h): prout abſolvuntur incendiarii, Clericorum percuſſores &c. cùm nihil aliud ex Jure colligi poſſit, inquit Lezan.

12. Quando mortuus abſolvitur, non corpus ſed ſepulchrum aut tumba, virgâ percuti debet. Vide Rituale Rom. niſi hoc expediret fieri ex ordinatione judicii, in terrorem incutiendum aliis.

13. In abſolutione verò danda in foro Sacramentali ſeu conſcientiæ, non tantùm præfatæ ſolemnitates non ſunt adhibendæ, ſed etiam ſufficit quòd pœnitens proponat ſatisfacere quamprimùm potuerit: creditur ei hoc, in hoc foro, ùt colligit Nald. *ſuprà* ex Rituali Rom. juſſu Pauli V. edito.

(g) Suar. t. 5. de Cenſur. d. 19. §. 2. n. 10. Lezan. l. c.

(h) Cajetā. Summ. verb. Abſolutio, c. pen. Lezan. l. c.

In foro exteriori abſolutionē præcedere debet ſatisfactio; in foro verò pœnitentiæ ſuf. promiſſio vera.

§. III.

Vtrùm poteſt dari abſolutio ſub conditione; & utrùm cenſurâ lata ſub conditione, donec ſat ſfeceris, *impletaq; conditione, cenſuratus indigeat abſolutione?*

1. RESP. ad 1. quòd detur à cenſuris abſolutio conditionata de præterito & præſenti, patet & ex abſolutione tali à peccatis, & ex praxi peritorum Confeſſariorum, quòd eam, in cautelam & reverentiam Sacramenti, conferant ſub conditione: *ego te abſolvo ſi indiges, à vinculo excommunicationis;* vel, *ego te abſolvo à cenſura ſi quam contraxiſti.* Imò prudentes Confeſſarii, ordinariè hac intentione addunt conditionem.

Conditionata abſolutio dari poteſt.

2. Quòd de futuro collata, valida & licita ſit, ùt ſi dicatur, *ſi ſatisfeceris, reſtitueris* &c. (i): patet inde, quòd quia cenſura poteſt ferri ſub conditione de futuro; ergò & abſolutio à cenſura.

(i) Covar. in c. Alma Mater, p. 1. §. 11. Sayr. l. 2. c. 16. n. 7. Lezan.

3. Quòd nequeat dari Sacramentalis abſolutio ſub conditione de futuro; ratio eſt: quia non eſt in poteſtate Confeſſarii ſuſpendere effectum Sacramenti; eſt verò in poteſtate abſolventis à cenſuris, abſolutionem & ejus effectum ſuſpendere; cùm id Eccleſia admittat & praxi teneat.

4. Ad 2. dico: Quàmvis multi requirant novam abſolutionem ferēdam; prout ſunt D. Anton. 3. *p. tit.* 24. *cap.* 77. §. 1. Sylv. *verb. Abſolutio* 3. & *verb. Excommunicatio* 1. *n.* 19. Gloſſa *in Clementin.* 1. *de Decimis, verb. Donec*, Abbas *in cap. de Judiciis, notat.* 6. Nihilominùs dicendū,

Abſolutio à cenſuris ſub conditione data eâ impletâ tollitur.

cendum, quòd talis censura non indigeat novâ absolutione, sed ipsô factô, adimpleta conditione, v.g. satisfactione, tollitur. Ita Lezan. *verb. Censura*, Veran. & alii communiter DD. Ratio est: quia cum illa censura, data est simul absolutio sub conditione, quæ quamdiu non est impleta, non operatur; positâ verò eâ, statim operatur. Quare non est opus alia nova absolutione.

Si excōmunicatus sit necessarius pro dādo testimonio modus pro hoc assignatur.

5. Probatur 2. Quando datur absolutio in reincidentiam, transactô terminô pro quo erat absolutus, statim absque nova sententia reincidit in eamdem excommunicationem; ergò etiam censura imposita, sub hac conditione, *donec satisfeceris*, impleta conditione, tollitur, ex vi præcedentis absolutionis, quâ ferens taliter censuram, implicitè, hoc est sub adimplenda conditione, absolvit. Quòd autem possit conferri absolutio ad reincidentiã, hoc est ad certũ tempus, ut interea intra hoc tẽpus obtineatur id quod censura vetat, v.g. testimoniũ præstare condignũ in judicio, cui fides danda sit, quo tempore elapso, in eamdem censuram nempe excommunicationem reincidit; habetur hoc in *cap. Veniens*, & *cap. 2. de Testibus*, & *cap. Apostolica*, *de Except.* Et iste modus est usitatus & frequens (dicit Verani), & fuit introductus ex eo, quia censura non suspenditur sed operatur suum effectum, ùt Juristæ docent cum Gloss. in *cap. Præsenti*, *verb. Declaramus, de Senten. excom. in 6.* Et sic ad tempus, aliquando ad cautelam, quando dubitatur de censura, aut propter tutiùs, ne sit ea; aliquando ex certa scientia præexistentis censuræ conceditur ad tempus certum absolutio, ut interea possit beneficium validè obtinere, vel testimonium in judicio ferre, ùt dixi. Ita Covar. *tr. in cap. Alma Mater*, §. 11. *n.* 6. & alii communiter Canonistæ. Sequitur, quod intra hoc tempus celebrare, & cum aliis in Divinis communicare possit.

Objectio solvitur.

6. Sed difficultas est, vel qui ita absolvitur recessit à contumacia? Debet absolvi absolutè, non ad tempus; vel non recessit? Non videtur absolvendus etiam ad tempus. *Resp.* Potest etiam contumax ad tempus absolvi, propter bonum Ecclesiæ aut tertii, ex benignitate Ecclesiæ, ut ferat v.g. testimonium in judicio in favorem innocentis; nihil enim est inconvenientiæ: si contumax est, propter ipsum non est relaxatio, sed censura elapso terminô assignato.

7. Si quæras, quomodo redit censura, sine nova contumacia? *Resp.* quòd incurratur ex vi prioris sententiæ.

§. IV.

An ab-

I. **R**Esp. ad 1. negativè: quia hujusmodi absolutio, irritatur à Jure, *c. unico, de Iis quæ vî metusve causâ fiunt, in* 6. Cajet. *verb. Excommunicatio, casu* 41. Cornex. Lezan. *loc. cit.* Et taliter extorquens absolutionem, novam excommunicationem incurrit (a); sed hæc nemini est reservata.

Absolutio extorta non valet, & taliter extorquens incurrit excom.

2. Ad. 2. *Resp.* quàmvis Sacramentaliter nequeat absolvi quis, nisi volens; potest tamen à censuris invitus (b). Ratio est: quia potest ferri censura in invitum; ergò & absolutio dari invito.

3. Et quàmvis non possit absens, Sacramentaliter absolvi, propter declarationem Clem. VIII. ùt dixi *suprà de Sacrament. pœnitentiæ;* potest tamen à censura, absolutione liberari, propter usum talem Ecclesiæ. Et ratio iterùm redit: quia potest ferri censura in absentem, & eum ligare; ergò & absolutio absentem, ab ea liberare. Avil. Lezan.

(a) Sayr. l. 2. c. 12. Cornex. & alii.

(b) S. Thõ. in 4. d. 18. q. 2. a. 5. Sayr. l. 2. c. 21. n. 5. Lezã. l. c.

4. Unde Prælatus, in capitulis vel visitationibus aut certis festivitatibus, absolvendo præsentes à censuris, potest absolvere & absentes. Lezan. *verb. Absolutio, n.* 16. Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 6. *n.* 9. Avil. & alii.

Prælatus in visitatione absolvit absentes.

DISTINCTIO II.

Ideas censuræ excommunicationis distinguens, & eas demonstrans differre ab aliis censuris.

SERIES I.

Quid, & quotuplex excommunicatio?

I. **R**Esp. Excommunicatio quoad nominis ethymologiam, idem est, ac quod erat communicatio, modò non est communicatio, seu à communione separatio. Vocari solet *anathema:* sed si strictè velimus sumere *anathema,* addit solemnitates, quas non adhibet excommunicatio: scilicet, quòd dum anathema fertur in aliquem, *cap. Debent,* 11. *q.* 3. debent duodecim Presbyteri Episcopum circumstare, & intortitia seu faculas vel candelas accensas in manibus tenere, quas post latam anathematis sententiam in terram projiciunt, pedibûs-

Excõmunicatio est à communione separatio.

Anathema addit solemnitates.

pedibûsque conculcant, & extinguunt; cui ceremoniæ, adduntur & aliquæ maledictiones ac execrationes verbales. Quapropter *cap. Cùm nõ ab homine, de Júdic.* Clericus depositus incorrigibilis, primùm excommunicari, postea crescente contumacia, anathematizari jubetur.

Quoad rem excõmunicatio.

2. Quoad rem de qua nunc, ùt sic sumpta, est censura Ecclesiastica, quâ baptizatus quispiam, separatur ab Ecclesiastica communione Fidelium: aliter, est censura Ecclesiastica, quâ quis privatur communione Fidelium.

Quoad speciem.

(a) Tol. l. 1. c. 5. Covar. c. Alma Mater 1. p. § 8. n. 5. Bonac.

Excõmunicatio latasimpliciter, est excõmunicatio major.

3. Quoad speciem, alia est major, alia minor; correlativè ad se, respectivè tales dicuntur. Illa, simpliciter excommunicatio dicitur; nam quando in sententia absque ullo additamento exprimitur, illa nõ minor intelligitur (a); hæc, cum additamento *minor*: decisio enim est Gregor. IX. per sequentia: *si quem sub hac forma verborum, illum excommunico, vel simili, à Judice suo excommunicari contingat; dicendum est, eum non minori quæ à perceptione Sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione quæ à communione Fidelium separat, esse ligatum.* In Corp. Jur. Can. *de Verborum signific. p.* 278. Illa est, quæ privat pluribus bonîs, videlicet Sacramentîs, suffragiîs Ecclesiæ, & communione humana, nec non sepultura in loco sacro; hæc verò privat solùm communione passiva Sacramentorum, *cap. Si celebrat, de Cler. excom. ministr.*

Excõmunicationis majoris effectg. Minoris.

Excõmunicatus vitandus.

4. Excommunicatus excommunicatione majori, vel est non toleratus sed vitandus, quem vitare tenentur Fideles; vel non vitandus, sed potiùs tolerandus, quem Fideles tolerare non tenentur. *Vitandus*, ex declaratione Concilii Constan. (b) est, qui aut nominatim excõmunicatus publicè denuntiatus est, aut publicus percussor Clerici nullo Jure à censura excusandus. Verum quidem est, quòd dicta Extravagans, correcta fuerit in Concilio Basilien. *sess.* 20. ubi quicumque excommunicati notorii, vitandi dicuntur; sed hoc Concilium approbatum nõn est quoad hoc: & consuetudine Ecclesiæ, receptum est oppositum, dicunt Lezan. *loc. cit.* Suar. & alii. Et sic in Polonia, non tenemur vitare hæreticos; cùm non sint nominatim excommunicati, & publicè taliter denuntiati. Rotarius.

Solvitur objectio.

(b) Vide de Sacram. in gen. ser. 7. de Sacram. pœnit. d. 7. ser. 3. n. 1. 3.

Quare in Polonia nõ sũt vitandi hæretici.

Non vitandus.

5. Dico, *publicus*: nam occultus non est vitandus, decisum est ab Urbano III. *cap. Cùm non ab homine*, ubi sic habetur: *nisi forte id tibi soli pateret: in quo casu, ipsum privatim tantummodo evitabis, quamdiu ab Ecclesia toleratur; ut saltem verecundiæ rubore suffusus, pro latenti excessu satisfacere compellatur.* In Corp. Jur. Can. *de Sent. excom. p.* 271. Quòd ex benignitate Ecclesiæ potest ad plures extendi: ut quàmvis percussor ab eis sit visus, injiciens sacrilegè manum in Clericum, vitandus

tandus

tandus non fit. Ex declaratione enim Concilii Constantien. (b) requiritur, ut illa percussio sit notoria notorietate facti, ut ponit Bonac. *de Censur. d. 2. q. 2. punct.* 1. §. 1. nam si est notoria tantùm notorietate famæ, requiritur à Judice declaratio delicti, propter *cap. Cùm secundùm leges*. Debet se tamen ille, in foro interno habere pro excommunicato, ùt dixi *de Sacram. pœnit. d. 7. ser. 6. n. 27. Et si Clerici invicem* &c. Si verò notorietate facti, est notoria multis, eò quòd viderint eum percutientem Clericum, nec ullo Jure potest excusari; tunc ante denuntiationem vitandus est; quia in dicto *cap. Cùm non ab homine*, ita habetur: *licèt denuntiatus non sit, debes abstinere.*

6. Quot requirantur Testes oculati, ut percussor Clerici sit vitandus ante sententiam declaratoriam? In hoc casu quòd nullo Jure sit excusandus? *Resp.* Nec DD. de hoc conveniunt, nec nos determinare possumus; cùm plures ad majorem communitatem requirantur, pauciores ad minorem sufficiant. Ita Ugolin. Avil. Bonac. & alii. Unde etsi respectu communitatis parvæ sufficerent homines decem; non sufficiunt tamen, respectu magnæ Civitatis. Quare quàmvis Varsaviæ decem homines, præsentes essent, quando Cajus percuteret Clericum, non esset eô ipsô vitandus. Ita immediatè citati. Secùs si in parvo Conventu viderent tres, in eo talis percussor esset vitandus, ante sententiam declarativam delicti.

Quot requirãtur vidẽtes ut sit percussor Clerici ex cõmunicatꝰ vitandus.

7. Esset ne vitandus ante sententiam declarativam, eô ipsô, quòd in judicio coram multis fateretur se percussisse Clericum injuriosè & graviter? *Rdet* Bonac. *loc. cit.* quòd non: quia ut sit vitandus ante denuntiationem & sententiam Judicis, debet ex declaratione Concilii Constan. esse notorius notorietate facti: non sufficit notorietas Juris, qualis est, si reus fateatur factum.

Qui in judicio fatetur se percussisse Clericũ, non eô ipsô est vitãdus.

8. Addidi, *nullo Jure excusandus*: nam si eum aut ignorantia facti quòd sit Clericus, aut necessaria defensio excuset; etiamsi in multorũ præsentia, v.g. triginta aut quadraginta virorum percuteret, vitandus non est. Alexander enim III. *cap. Si verò*, declaravit: *si aliquis in Clericum nutrientem comam manus injiceret violentas; propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari* (c): *dummodo ipsum Clericum ignoraverit: vel si hoc dubium fuerit, propria manu dumtaxat præstiterit juramentum, quòd eum esse Clericum ignorasset.* In Corp. Jur. Can. *de Sent. excom. cap.* 4. p. 270.

Ignorantia facti excusat.

(c) *nodari*, in recẽtioribus libris.

SERIES II.

De excommunicatione minore.

 Ob quam

Ob quam causam incurratur, quis effectus ejus, & à quo tollatur?

Effect9 primus excommunicationis minoris.

I. RESP. & dico 1. Excommunicationis minoris duo sunt effectus: unus est, privare usu & participatione passiva Sacramentorum, *cap. Si celebrat*, & *cap. Nobis*.

2. Hinc est, quòd ligatus excommunicatione minori, peccet mortaliter Sacramenta suscipiendo (a): colligitur ex *cap. Si celebrat*, & *cap. ult. de Cler. excom.* ubi dicitur, graviter peccare eum, qui ligatus minori excommunicatione celebrat: quare? Quia tunc Sacramentum suscipit. Non tamen incurrit irregularitatem, aut aliam censuram: citatis capitibus. Ratio est: quia nullo Jure hoc cavetur. Idem dicendum de administrante, tali, Sacramenta; nisi excusetur ratione ignorantiæ, scandali, aut alterius mali vitandi: cùm sic cooperetur peccato illius (b). Quàmvis non peccaret contra præceptum Ecclesiæ, quia illa jubet vitare tantùm vitandos excommunicatos; peccat tamen contra Jus naturale, quô abstinere tenemur, ab administrandis Sacramentis indignis. Alterius *cap.* 3. *dub.* 3. Bonac. Verani.

(a) N. Beetz. in Præc. Decal. præc. 3. exposit.

In excommunicatione minori recipiens Sacramēta nō incurrit irregularitatē sed peccat mortaliter.

(b) Lezan. Bonac.

Quæ Sacramenta excōmunicat9 validè recipit.

3. Valore suo tamen non carent, talibus Sacramenta collata: quia per excommunicationem minorem, non redduntur incapaces ad ea recipienda; solùm usus illorum licitus negatur, prout communiter asserunt Theologi. Excipi tamen debet Sacramentum pœnitentiæ: nam in quantum mortaliter peccant illud recipiendo, in tantum nullum recipiunt, proter suam indispositionem & incapacitatem. Cornex. Bonac. Lezan. Secùs si petat priùs absolutionem censuræ, aut speret eam sibi dandam in Sacramento pœnitentiæ, idcirco ad id accedit. Potest tamen absque peccato ullo, recipere Sacramenta, quando id ei est necessarium, ad vitandum scandalum, infamiam &c.

An excommunicat9 excommunicatione minori possit administrare Sacramenta.

4. Si quæras, utrùm minori excommunicatione ligatus, possit administrare Sacramenta? *Resp.* Tres circa hoc esse sententias. Sylv. *verb. Excommunicatio* & alii censent, tunc illum peccare mortaliter; alii venialiter; prout sunt Soto *d.* 22. *q.* 2. *n.* 3. Avil. *c.* 6. *dub.* 12. alii nullo modo, cum Bonac. *loc. cit.* Cui subscribo: alioqui dici deberet hoc, quòd excommunicatio minor, non tantùm privet participatione Sacramentorum passiva, hoc est receptione; sed & activa, nempe administratione eorum: quod nemo docet. Unde celebrans in excommunicatione minori, unum non duo peccata cōmittit, inquantum recipit Sacramentum.

Objectio solvitur.

5. Si objicias Gregorium IX. asserere, excommunicatos excommunicatione minori, peccare mortaliter administrando Sacramenta; *Resp.* verum

verum esse hoc, dum administrando Sacramenta, ea suscipiunt; secùs quando aliis solùm conferunt. Sic celebrans Missam, & ordinans in Sacerdotem; inquantum se communicat existens in excommunicatione minori, peccat mortaliter: secùs si confirmet, aut baptizet. Lezan. Bonac. Covar. aliique Canonistæ.

6. Secundus effectus est minoris excommunicationis, quòd scienter, licitè eligi aut ad dignitatem Ecclesiasticam promoveri nequeat; quàmvis eligere, & suam jurisdictionem exercere licitè possit. — Secundo effectus excō-municationis minoris.

7. Explicatur & probatur. *Scienter eligi nequit:* nam habetur *cap. Si celebrat*, sic: *Si scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda, pro eo quòd ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à SS. PP. est privatus.* Quare si ignorabatur excommunicatio, sive ignorantia se tenente ex parte utriusque, sive ex parte electorum, sive ex parte electi; electio non tantùm non est irritanda, sed & licita: quia textus dicit, *si scienter* (a). Idem dicendum de collatione beneficii; cùm collatio talis, est virtualis quædam electio, inquantum est acceptio unius præ multis. — Non potest eligi.

8. Potest autem *eligere & jurisdictionem suam exercere:* quia *cap. ult. de Cleric. excom.* habetur, *ei qui sic excommunicatus est, non esse prohibitum eligere, vel quæ jurisdictionis sunt exercere.* Potest ergò excommunicatum excommunicatione minori, ab ea absolvere; cùm id Innoc. III. *cap. Duobus*, declaravit, casum solvendo: *Duobus collata potestas, ut à minori excommunicatione si in ipsam inciderint, invicem se absolvant, utroq; ligato vinculô excommunicationis hujusmodi, non expiratô.* In Corp. Jur. Can. *de Sentent. excom. Decretal. Greg. IX. lib. V. tit.* 39. *p.* 277. Potest & à majori excommunicatione, alium absolvere; cùm non privetur jurisdictione, & usu ejus. Ugolin. *tab.* 3. *cap.* 12. Sayr. Veran. Bonac. — Excommunicatus minori excommunicatione potest absolvere aliū à majori.

9. Dico 2. Excommunicatio minor quàmvis imponi posset ab homine, sive per sententiam generalem sive particularem, habente potestatem imponendi majorem (d); vix tamen imponitur (e): & Jure communi his temporibûs, solùm propter culpabilem communicationem aut participationem indebitam cum excommunicato excommunicatione majori, vitando, sive vivo sive mortuo (f), incurritur, ùt colligitur ex *cap. Nuper, de Sent. excom.* & *cap. Statuimus, eod. tit. in* 6. & *cap. Cùm desideres.*

10. Explicatur & probatur. *Propter culpabilem;* cùm excommunicatio sit pœna, culpam ante se commissam habere debet; sive sit illa culpa mortalis, ùt contingit in participatione Divinorum; sive venialis, ùt accidit communicando in humanis (f), nisi adsit contēpt⁹.

(d) Verani.

(e) Lezan. verb. Excō. n. 5. Navar. in Mā. c. 27. n. 24.

(f) Veran. Lezan. Bonac.

Non omnis tamen culpa venialis sufficit ad incurrendam eam, ex defectu enim advertentiæ, aut deliberationis, non incurritur (g): quia in tali culpa, non reperitur inobedientia aut contumacia, quæ ad incurrendã censuram est necessaria.

(g) Suar. t. 5. in 3. p. d. 24. sect. 2. n. 18. Lezan.

11. Addo, *indebitam:* nam debita in re, excipitur, ùt videbitur *infrà.*

12. *Cum excommunicato excommunicatione majori, vitando:* quia licetsi olim, sufficiebat communicatio cum quocumque excommunicato publico publicè, cum occulto occultè, juxta *cap. Cùm non ab homine;* nunc tamen post Concil. Constan. sicut solùm vitandum excommunicatum vitare tenemur, ita communicando indebitè cum eo, incurritur excommunicatio minor, non autem cum alio. Lezan. *loc. cit.*

Lavans caput excommunicato, incurrit excõmunicationem.

13. *Sive vivo sive mortuo:* v.g. si lavet quis caput mortui excommunicati, aut eum investiat, aut eum comitetur ad sepulturam, qui cum eo vivo communicare non potuit tam in Divinis quàm in humanis, incurrit excommunicationem minorem. Ita Gloss. in *cap. Ad hæc,* Panormit. in *cap. Sacris, de Sepult.* Marius, Alterius *lib.* 1. *d.* 13. *c.* 1. & *d.* 14. *c.* 1. Bonac. *de Excom. d.* 2. *q.* 3. *prop.* 2.

14. Dico 3. Si excommunicatio minor esset lata ab homine per sententiam particularem, ab ipsomet tantùm (h), quia ejusdem est solvere cujus fuit ligare, vel à Successore ejus, vel à Superiore, aut delegato, tolli posset, non ab alio, dempto articulô mortis. Jure verò lata, à quocumque Confessario amoveri potest (f): quia *cap. Nuper, de Sent. excom.* conceditur proprio Sacerdoti, ut à minore excommunicatione absolvat: atqui quilibet Confessarius, est per delegationem proprius Sacerdos, ùt docent Bonac. *loc. cit.* Sayr. & alii communiter, quod firmatur per *cap. Omnis utriusq; sexûs, de Pœnit. & remiss.*

(h) Ostien. l. 5. de Excõ. vers. 14.

Proprius Sacerdos est Confessarius.

15. Si quæras utrùm Parochus nondum Sacerdos possit à tali excommunicatione absolvere; patet ex dictis & dicendis, quòd possit.

SERIES III.

De effectibus excommunicationis majoris.

SECTIO I.

Quis primus, & quid de eo dicendum?

Excõmunicationis maj. effectus primus est privatio administrationis Sacrament.

1. RESP. Sit primus, privatio administrationis activæ Sacramentorum: sive enim sit vitandus, sive non vitandus excommunicatus, respectivè prohibetur administrare Sacramenta: *cap. Apostolicæ,* & *cap. Si celebrat.*

2. Ex-

2. Explicatur & probatur. *Respectivè prohibetur:* ita ut vitandus absolutè nequeat ea administrare, demptis casibûs sequentibus: si non sit alius Minister legitimus, qui velit moribundo administrare Sacramentum necessitatis (a): imò in tali casu, tenetur ex charitate ei succurrere; cùm Ecclesia concedat excommunicatis vitandis, ut moribundis in extrema necessitate existentibus, succurrant absolutione Sacerdotes excommunicati, ùt vidimus *suprà de Pœnitentia.*

(a) D. Aug. in cap. Siquē fortè, 24. q. 1. Lezan. & alii communiter.

3. Nec obest, quòd possit moribundus salvari per actum contritionis; administrandum tamen est Sacramentum pœnitentiæ: quia aliquādo difficilis actus contritionis, & facilior actus attritionis est in Sacramento pœnitentiæ. Et quod dictum est de Sacramento pœnitentiæ, idē dicendum de Sacramento baptismi, cùm sit æquè necessarium: cum hac tamen limitatione, ut ab excommunicato non detur solemniter, in vestibus sacris, & cum cæremoniis, baptismus.

Excipitur articulo mortis pro Sacramēto pœnit. & bapt.

4. Potest etiam in tali casu ab excommunicato vitando dari Sacramentum Eucharistiæ (b). Ratio est: quia moribundus potest se existimare contritum, & esse tantùm attritus; tunc in tali casu juxta cōmunem sententiam Theologorum, per Sacramentum Eucharistiæ, ex attrito fieret contritus, & sic salvaretur. Quare etiam se ipsum communicare in articulo mortis ob hanc rationem potest excommunicatus vitandus (c), sive ex præconsecratis hostiis, sive etiam celebrando. De extrema-unctione à pari sequitur.

(b) Verani.

(c) Cornex tr. 5. de Excō. d. 1. Lezan. verb. Euchar. n. 15. Verani.

5. Item extra casum dictum, ac necessitatem moribundi, potest excommunicatus vitandus conferre Sacramenta aliis, ubi ignoratur talis; quando sibi id, est necessarium ad evitandum mortis periculum, infamiam aut aliud grande malum avertendum. Ratio est: tum quia Sacerdos excommunicatus charactere non caret; tum quia Ecclesia id prohibens, non obligat cum tanto dispendio: nisi adesset scandalum, aut talis administratio extorqueretur in odium vel contemptum Ecclesiæ: quia tunc deberet præferre bonum commune Ecclesiæ, & mortem subire (d), ita communiter. Sacramentum tamen pœnitentiæ administrare in tali casu non valet, quia ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur jurisdictio, quâ excommunicatus vitandus caret (d).

Et vitandū mortis periculum infamiam vel aliud grande malum.

(d) Lezan. Veran. Cornex.

6. Toleratus excommunicatus verò, etiam extra periculum moribundi & proprium, potest administrare Sacramenta, unà cum Sacramento pœnitentiæ; non aliter tamen, quàm rogatus: quia in Extravag. dicta, *Ad evitanda*, non conceditur excommunicato tolerato, ut se ingerat; sed conceditur Fidelibus, ut cum toleratis communicent, & ab eis Sacramenta recipiant (d). Quare non tantùm ignorantes tales sed etiam scientes, ab eis petere possunt.

Toleratꝰ excōmunicatꝰ potest administrare Sacramēta quādocumqꝫ.

7. Unde poſſunt Parochiani petere ſuum Parochum excommunicatū toleratum, ut eis Miſſam die feſto celebret; & is ſatisfacere deſideriis eorum. Docent Suar. *d.* 11. *ſect.* 4. *n.* 13. Julius *tr.* 12. *c.* 3. *q.* 7. *n.* 73. Bonac. *loc. cit.* Ratio eſt: quia cùm Eccleſia Fidelibus concedat, ut cum excommunicato tolerato in Divinis communicent; concedit tolerato in tali caſu communicationem cum eis, ſine ullo peccato.

8. Quid ſi paratus ſit Sacerdos excommunicatus toleratus ex ſua parte, non rogatus, celebrare; poſſunt ne audire Sacrum ejus non excommunicati? *Rdet* Bonac. quòd poſſint: quia non eſt cooperari peccato alterius, aliàs parati.

9. Ex his collige 1. tam vitandum quàm non vitandum excommunicatum peccare mortaliter, conferendo Sacramenta in caſibus quibus lex prohibet eis: & neceſſitas excuſans à culpa non ſuffragatur (e): quia in re valdè gravi violant præceptum. Econtra in caſibus in quibus lex concedit, neceſſitas à culpa excuſat, minimè peccant, niſi aliunde ſint in mortali.

(e) Cornex. Lezan. l. c.

10. Sed incurrunt ne irregularitatem, in dictis caſibus adminiſtrando Sacramenta? *Reſp.* Alia ſunt ad quorum adminiſtrationem requiritur Ordo, ùt ſunt Sacramenta Ordinis, Confirmationis, Euchariſtiæ, Extremæ-unctionis; alia ad quæ non requiritur, ùt ſunt Matrimonium, Baptiſmus. Primo modô dicta Sacramenta adminiſtrando, in caſibus nō permiſſis, excommunicati ſive vitandi ſive tolerati, non rogati, incurrunt irregularitatem: *cap. Si quis Epiſcopus*, & *cap. Is cui*, Lezan. *verb. Irregularitas*, *n.* 55. Non verò ſecundo modô ſumpta privatim adminiſtrando, v.g. baptiſmum ſine veſtibus ſacris. Ita docent Veran. Lezan. Bonac. Sylv. Sayr. & alii.

Excõmunicati adminiſtrando Sacraměta incurrunt irregular.

11. Collige 2. Sacramenta ab excommunicato quocumque ſive licitè ſive illicitè adminiſtrata, eſſe valida; dēpto ſolo Sacramētô pœnitētiæ, extra caſum extremæ neceſſitatis, ſeu periculi mortis (f). Ratio primæ partis eſt: quia valor Sacramentorum pendet ab intentione Miniſtri, à forma & materia; plus non requirit. Ratio ſecundi: quia excommunicatus vitandus, caret jurisdictione extra caſum neceſſitatis.

(f) Bonac. l. c. Lezan.

12. Collige 3. petentem & recipientem Sacramentum ab excommunicato vitando extra neceſſitatem, peccare mortaliter: quia communicat cum eo in Divinis, in caſu, quô prohibetur communicatio.

SECTIO II.

Effectus ſecundarius excommunicationis majoris, quòd nequeat excommunicatus recipere Eccleſiaſtica Sacramēta; quid dicendum de hoc?

1. *Reſp.*

1. RESP. & dico 1. Excommunicatus excommunicatione majori, sive sit vitandus sive non vitandus, mortaliter peccat Sacramenta recipiendo, demptis casibûs *infrà* positis.

2. Explicatur & probatur. *Sive vitandus, cap. Illorum*, & *cap. Siquidem, de Sentent. excom. cap. Si celebrat, de Cleric. excom.* (a); *sive non vitandus:* quia in Extravag. *Ad evitanda*, nullus favor ei conceditur quoad hoc (b).

(a) Lezan. verb. Excõmunicatio, n. 9. Navar. c. 27. n. 18. Cornex.

3. *Mortaliter peccat:* quia id expresſè eſt prohibitum in locis citatis: & hoc peccatum, eſt ſacrilegii; ſiquidem eſt contra reverentiam Sacramenti.

(b) Lezan. l. c.

Caſus quib9 excõmunicatus vitandus Sacramenta licitè recipere poteſt.

4. *Demptis casibûs:* nam caſus ſunt, quibus excommunicatus etiam non toleratus, excuſatur ab omni culpa recipiendo Sacramenta: ſi eũ excuſet ignorantia, aut inadvertentia excommunicationis, vel neceſſitas ob vitandam infamiam, vel ſcandalum, vel mortis periculum quod aliter vitare nequit (c): quia Eccleſia non obligat cum tanto incommodo. Et ſive licitè ſive illicitè recipiat ea, non incurrit irregularitatem, quodcumque Sacramentum recipiendo (d); cùm in nullo Jure ſit præſcripta hæc pœna, dicit Lezan. Incurrit tamen ſuſpenſionẽ, recipiendo Ordinem Sacrum. Vide *de Ordine ſer. 4. n.* 13.

(c) Sot. Bonac. Lezan.

(d) Diã. Lezan. contra Suar. Henriq. Valent.

5. Dico 2. Sacramenta, ſive à tolerato ſive à non tolerato excommunicato recepta illicitè, caſibûs non permiſſis ab Eccleſia, valida ſunt omnia, dempto Sacramentô pœnitentiæ.

Et validè.

6. Explicatur & probatur. *Valida ſunt:* quia eorum valor ab intentione, materia debita, & forma, pendet; non ab aliis prætereà. De Sacramento pœnitentiæ dicendum, quòd demptis caſibûs ſequentibus, receptum ab excommunicato recipiente, eſt nullum, propter indiſpoſitionem ſubjecti.

Abſolutio à peccatis, ſimul à cenſuris.

7. Caſus verò quibûs Sacramentum pœnitentiæ receptum ab excõmunicato etiam vitando eſt validum, ſunt: primò in mortis periculo, ſi non adeſſet tempus abſolvendi eum priùs ab excommunicatione, & putaret Confeſſarius non poſſe, per eadem verba, *te abſolvo*, abſolvere ſimul à cenſuris & à peccatis, ſive hoc faceret bona ſive mala fide; tunc abſolutio à peccatis ſolis data, & ab excommunicato recepta, eſſet valida & fructuoſa (e). Secundò extra articulum mortis, quando pœnitens ſuæ excommunicationis invincibiliter oblitus, aut ignorans, integrè confeſſus, à peccatis abſolvitur non præmiſſa abſolutione ab excommunicatione. Tertiò quando pœnitens in confeſſione excommunicationem Confeſſario manifeſtat, ſed Confeſſarius inculpabiliter, vel etiam malitiosè, pœnitentem ſolùm à peccatis abſolvit. Quartò quando pœnitens inculpabiliter judicaret ſe priùs abſolvendum

Caſus.

(e) Veran. Bonac.

vendum

vendum à peccatis quàm cenſuris, diceret ſua peccata, & ab eis abſolutionem reciperet validè: quia nec intentio, nec materia aut forma deeſſet; nec obeſt indiſpoſitio ſubjecti. Ita docent Sayr. Bonac. *loc. cit.* Veran. & NN. Joan. Beetz. *in* 3. *p. Decal. expoſit.* 4. *cap.* 5. Lezan. *verb. Excommunicatio*, *n.* 9.

(f) Verā. Lezā. Bonac.

Adminiſtrare Sacramētum excōmunicatotolerato, eſt peccatū cōtra Ius naturale & Divinum.

8. An peccet mortaliter Miniſter non excommunicatus, Sacramentum miniſtrans excommunicato; & quam pœnam incurrat? *Reſp.* Excommunicatus, vel eſt toleratus vel non toleratus? Si toleratus? Ei adminiſtrans Sacramentum, non peccat quidem contra jus humanum Eccleſiaſticum ex vi cenſuræ, quia Concilium Conſtan. in Extravag. Martini V. *Ad evitanda*, non prohibet in Divinis & Sacramentis communicationem cum excommunicatis toleratis (f), ſed potiùs prohibitivam legem antiquam ſuſtulit; peccat nihilominùs contra Jus naturale & Divinum, quia miniſtrat Sacramentum indigno. Inſtantia clarificat; quòd vî voti paupertatis, prohibeatur Regulari recipere dona absque licentia Prælati, non prohibetur tamen laicis, dona ſine licētia Prælati dare ei; ſic etiam in propoſito, prohibetur excommunicato tolerato ſuſceptio, non prohibetur verò adminiſtratio. Si excommunicatus eſt non toleratus? Tunc Sacerdos ei adminiſtrando Sacramentum, præter hoc, quòd peccet contra Jus naturale (ut dixi), peccat ex vi cenſuræ contra Jus Eccleſiaſticum: quia Eccleſia Jure antiquo *cap. Significavit*, & *cap. Cùm deſideres, de Sentent. excom.* prohibet communionem cum excommunicatis non toleratis, nihil circa hoc in dicta Extravag. innovando.

Excommunicatus non toleratꝰquas pœnas incurrit.

9. Quoad pœnas notandum, quòd excommunicatus toleratus, illicitè recipiens Sacramentum, nullam cenſuram aut pœnam incurrat (d), quia nulla in Jure expreſſa eſt; excommunicatus verò non toleratus, incurrit ipſo Jure interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, ut habetur *cap. Epiſcoporum, de Privileg. in* 6. Item incurrit depoſitionem ab officio & dignitate, non tantùm Jure latam, ſed etiam ferendam (e). Idem dicendum de illis, qui fautoribus hæreticorum adminiſtrant Sacramenta: patet ex *cap. Excommunicatus, de Hæret.* Adde ex *cap. Significavit, de Sentent. excom.* ſi Sacerdos ſcienter, ſpontè, Sacramenta daret non tolerato excommunicatione Papali, incurreret excommunicationem majorem Papæ reſervatam (d): ita enim ibi habetur: *Verùm Clericos, qui ſcienter & ſpontè participaverunt excommunicatis à nobis, & ipſos in officiis receperunt; eâdem excommunicationis ſententiâ, cum ipſis non dubitamus involvi: quos etiam pro beneficio abſolutionis habendo, ad nos volumus cum litterarum tuarum inſinuatione remitti.* In Corp. Jur. Can. Decretal. Greg. IX. *lib.* 1. *tit.* 39. *fol.* 272.

10. Ad

10. Ad hanc excommunicationem ut incurratur, requiruntur à Doctoribus conditiones sequentes: prima, quòd admittens ad participationem in Divinis, Clericus sit; secunda, ut sit participatio in Divinis; tertia, ut scienter; quarta, quòd spontè; quinta, quòd sic excommunicatus sit à Papa per sententiam specialem vel generalem (g), non sufficit esse excommunicatum sententiâ Canonis generalis, inquit Lezan. *loc. cit.* Idem cum eo sentiunt Cajet. *verb. Excommunicatio*, Bonac. Avil. & alii. Requisita.

(g) Thesaur. verb. Absolvens, c. 7. §. 2.

11. Sunt autem casus quibûs Minister ministrando Sacramentum excommunicato tolerato, aut non tolerato, sicut nullum peccatum cō-mittit, ita nullam pœnam incurrit. Primò, si inculpabiliter ignoret excommunicationem illius, cui Sacramentum confert. Secundò, quoties excommunicatus licitè petit Sacramentum; dempta circumstantiâ, si excommunicatus ignoret se excommunicatum, aut ex inadvertentia petat, & administraturus, excommunicatum sciat; tunc enim peccaret Minister, ei conferendo Sacramentum (h): quia in re gravi faceret contra prohibitionem Ecclesiæ.

(h) Bonac.

12. Quid si administraret Sacramentum excommunicato vitando, ex metu gravi cadente in virum constantem? *Resp.* In tali casu non peccaret quidem contra Jus Ecclesiasticum, quia Ecclesia non obligat cum tanto discrimine; peccaret tamen contra Jus naturale & divinum, inquantum daret Sacramentum indigno: id enim intrinsecè malum est, nec potest ullo eventu honestari.

SECTIO III.

Effectus tertius excommunicationis, est carentia participationis suffragiorum, & orationum Ecclesiæ. De his

1. PRæmitto: Hujusmodi suffragia omnia, esse quædam auxilia spiritualia, quæ à Clericis veluti Ministris Ecclesiæ offeruntur pro fidelibus: qualia sunt, Sacrificia Missæ ea ratione qua offeruntur à Sacerdotibus nomine Ecclesiæ, Horæ canonicæ, publicæ supplicationes sive processiones &c. (a), indulgentiæ quæ ex communi Ecclesiæ thesauro fidelibus applicantur (b). Privata, esse orationes privatas, jejunia, eleemosynas, & quæcumque bona opera quæ offeruntur à persona ut privata. His præmissis

(a) Sot. Cornex. Bonac. apud Lezā.

(b) Laym. c. 2. n. 2.

2. Dico: Quicumque excommunicatus, non tantùm vitandus, sed etiam non vitandus (c), ita privatur omnibus Ecclesiæ suffragiîs communibus, ut nec specialiter pro eo, nec generaliter pro omnibus, ab

(c) Contra Laym.

aliquo absque lapsu in peccatum mortale offerri possint (d): *cap. A nobis*, & *cap. Sacris, de Sent. excom.* Ratio est: quia hi expelluntur à communibus suffragiis velut Ethnici; tum quia *Timoth.* 1. excommunicati dicuntur tradi Sathanæ, quia ut ait Augustinus: *Extra Ecclesiam diabolus est, ac pro hoc quasi diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur.* In Corp. Jur. Can. Decret. *p.* 2. *cauf.* 11. *q.* 3. *fol.* 225.

(d) S.Thō. Covaruv. cap. Alma Mater.

Pro discursu & solutione.

3. Dices: Petrus faciens Officium die Parasceves, nomine Ecclesiæ obtulit communionem pro suo affine excommunicato, inde motus, quòd Ecclesia hac die offerat orationem pro Hæreticis, qui sunt excōmunicati; & tamen sicut non peccavit applicando orationes nomine Ecclesiæ pro Hæreticis qui sunt excommunicati die præcedenti coram Papa, ita non peccavit applicando communionem pro suo affine excommunicato; ergò non peccat mortaliter Catholicus, applicando nomine Ecclesiæ, suffragia communia Ecclesiæ. *Resp.* Communio non offertur nomine Ecclesiæ: & si? Feriâ sexta in Parasceve Ecclesia ipsa dispensat, ut oret Sacerdos nomine ipsius pro omnibus etiam excommunicatis, ad imitationem Christi, qui ea die pro omnibus oravit, & pro omnibus applicuit suam mortem quoad sufficientiam. Ita Sot. *in* 4. *d.* 11. *q.* 2. *a.* 7. *ad* 2. & *d.* 22. *q.* 1. *a.* 1. Cornex. & alii.

4. Urgebis: Idem Petrus etiam sequenti die Sabbati Sancti pro eodem affine obtulit Sacrificium Missæ. *Resp.* Vel obtulit in Persona Christi? Prodest quidem ipsi (e), quia solùm redditur incapax Missæ prout offertur nomine Ecclesiæ; peccavit tamen mortaliter: secundùm alios quomodocumque sit excommunicatus ille affinis, secundùm alios tunc solùm, quando ille pro quo applicat est vitandus. Ita Sayr. *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 6. Henriq. Lezan. Vel obtulit nomine Ecclesiæ? Tunc applicatio nihil profuit illi affini; & præter peccatum mortale, quod commisit agendo in re gravi contra prohibitionem Ecclesiæ, incurrit excommunicationem minorem, inquantum communicavit cum excommunicato.

5. Promovebis discursum: Sed ille affinis excommunicatus, erat sufficienter contritus. *Resp.* etiamsi: quia per contritionem non est ablata excommunicatio, *cap. A nobis* (e). Oppositum tamen tenent Navar. *in Manual. c.* 27. & alii.

(e) Lezan. l. c. Suar. d. 9. f. 4. Cornex.

6. Et quid si ille affinis excommunicatus Sacerdos, pro se celebrās, privatim offerret Sacrum; an saltem ipsemet etiam nomine Ecclesiæ sibi prodesset? *Resp.* Vel hoc faceret ex ignorantia inculpabili, aut necessitate, v.g. moribundus ut se communicaret (ùt dixi *suprà*), quia non esset alius qui ei Eucharistiam administraret? In tali circumstantia,

tia, omnimodè de fructu facrificii communicaret. Vel feclufis hîs, hoc præftaret? Peccaret graviffimè, nullumque fructum ex Sacrificio Miffæ reciperet. Lezan. *loc. cit.*

7. Dixi *suprà* in Refolutione, *privatur fuffragiîs communibus*: nam nõ privatur fuffragiîs privatis fidelium, poffumus enim privatas orationes etiam in Ecclefia, & bona opera, pro excommunicatis offerre; imò & in Miffa in Memento mentaliter orare: quia hæc nomine Ecclefiæ non offeruntur. Quare excommunicatus, infcriptus in confraternitatẽ Sacri Scapularis aut Rofarii, non privatur fuffragiîs Ordinis.

Excõmunicat9 nõ privatur fuffragiîs privatis fideliũ.

8. Dices: Non licet cum excommunicatis vitandis communicare; offerre verò pro ipfis fuas fatisfactiones, eft magis cum illis communicare, quàm eos falutare, vel cum illis loqui. *Refp.* Offerre pro illis bona opera, non eft cum illis in bonis fpiritualibus communicare, fed eleemofynam fpiritualem eis exhibere, quæ non minùs licita eft, quàm eleemofyna corporalis, excommunicato vel infideli data: imò ex Bellarm. *lib.* 2. *de Miffa c.* 6. in fine, & Lezan. *loc. cit. n.* 12. notare poffumus, laudabilem effe praxim aliquorum Sacerdotum offerendi Sacrificium pro converfione Hæreticorum, nec ulla reprehenfione dignam: quia (ùt ait Lezan.) fic non tam pro Hæreticis, quàm pro deftructione hærefis offeruntur; quod eft licitum, & conforme ufui Ecclefiæ, quæ non rarò in Collectis orat pro extirpatione Hæreticorum.

SECTIO IV.

Quartus effectus excommunicationis, eft privatio communicationis in Divinis officiis. De hoc,

1. IMprimis præmitto: Nomine Divinorum officiorum, venire non folum Sacrificium Miffæ, & exercitium cujufcumque Ordinis etiam minoris, fed etiam horas Canonicas quæ in choro perfolvuntur, orationem publicam, proceffiones publicas ad quas homines concurrunt, benedictionem folemnem aquæ, candelarum, aut ramorum, olei, fepulturæ, aliasque fimiles cæremonias; confecrationes Ecclefiarũ, altarium, chrifmatis, virginum &c. quæ folemniter fiunt ex inftitutione Chrifti vel Ecclefiæ. Navar. *in Manual. c.* 27. *n.* 36. §. *Ad quintum*, Lezan. *loc. cit. n.* 14. Hîs præmiffis,

Nomine Divinorum Officiorũ quid veniat.

2. Dico: Excommunicatus excommunicatione majori, five vitandus five toleratus Sacerdos, nec celebrare poteft: *cap. Si quis Epifcopus*, 1. & 2. 11. *q.* 3. *cap. Clerici, cap. Latores, cap. Fraternitati tuæ, de Clerico*

excom. celebr. (a), eſtque hoc peccatum mortale, cùm ſit in re gravi legis Eccleſiaſticæ transgreſſio; niſi dictum exercentem actum Ordinis, excuſet ignorantia invincibilis, inadvertentia, vel evitandum ſcandalum, aut extrema neceſſitas, ùt dixi *ſuprà:* hîs ſecluſis, præter mortale peccatum in quod labitur, incurrit irregularitatem, etiamſi occultus toleratus ſit (b), niſi rogatus: quia *ſuprà* adducta Extravag. *Ad evitanda*, favorem ipſi nullum præſtat, niſi inquantum rogatus ſit; cùm fidelibus favorem præſtando, concedat communicare cum excommunicatis toleratis.

(a) Ugolin. tab. 2. c. 8. Bonac. de Irregular. d. 7. q. 3. p. 5. Lezan. verb. Excõ. n. 13.

(b) cap. Si quis, cap. Is cui, Lezan. de Irreg. n. 55. & verb. Excõ. n. 14.

Excommunicatꝰ exercens actum Ord. quãdo incurrit irregular.

3. At juvat advertere, quòd non incurrat irregularttatem etiam vitãdus, niſi talem actum Ordinis ſolemniter faciat, id eſt cum illis cæremoniis & veſtibus, quæ ei competunt ex officio & Ordine. Ita Sylv. *in Summ. verb. Irregularitas, n.* 16. Cornex. Lezan.

4. Quapropter excommunicati, Subdiaconus ad altare cantans ſine manipulo Epiſtolam; Sacerdos ſine veſtibus ſacris baptizans more laicorum, non incurrunt irregularitatem (c); cùm hæc laici exercere ſoleant taliter: primum in Eccleſia Græca Nobiles, ſecundum ubique quicunque. Secùs eſt, ſi Sacerdos exerceat ea, quæ à ſolis Presbyteris fieri poſſunt: ùt ſunt conſecrare, abſolvere, infirmo extremam unctionem dare.

(c) Lezan. l. c.

Excommunicatus non poteſt adeſſe Divino officio.

5. Dico 2. Excommunicatus Clericus, ſive vitandus ſive toleratus, non poteſt adeſſe Divino officio, *cap.* 15. *de Sentent. excom.* ſed privatim recitare illud tenetur (d); aliàs commodum reportaret ex ſuo delicto. Non debet tamen tunc dicere, *Dominus vobiſcum,* quia hoc denotat dicere Officium nomine Eccleſiæ, quod eſt prohibitum excommunicato; quare dicere obligatur *Domine exaudi orationem meam.* Non incurrit tamen irregularitatem, dicendo, *Dominus vobiſcum,* quidquid dicat Laym. nam non incurritur ea, niſi propter mortale, à quo parvitas excuſat.

(d) Abbas in c. 2. de Cler. excõ. n. 8. Veran.

6. Si quæras, utrùm ſocium adhibere poteſt, & cum eo dicere Divinum officium? *Reſp.* quòd non (e), excepto caſu ſequenti: tum quia ei omnis communicatio eſt interdicta; tum quia hoc idem colligitur ex *cap. Excommunicatos,* 11. *q.* 3. ubi habetur: *nec cum eis in oratione communicent:* imò *cap. ſequenti* habetur: *qui communicaverit cum excommunicato, ſi laicus eſt, excommunicetur.* At excuſant eum à mortali Lezã. Veran. Bonac. Ugolin. & alii.

(e) Navar. de Horis Canonicis, c. 7. n. 16. Covaruv. c. Alma Mater.

7. Caſus autem eſt quô à veniali excuſatur, ſi eſt Prælatus, poteſt cum ſuo Capellano aut Secretario recitare Officium: quia talis, eſt veluti famulus ipſius, dicit Lezan. cum Bonac.

Excommunicatus non poteſt intereſſe Miſſæ ſacrif.

8. Dico 3. Excommunicatus, ſive vitandus ſive toleratus, non poteſt intereſſe Sacrificio Miſſæ: quia prohibetur in pœnam delicti, *cap. Epi-*

ſcoporũ,

ſcoporum, *de Privil. in* 6. *cap. Is qui*, & *cap. Alma Mater*, Sylv. Ugolin. Lezan. Unde ſi adſit, graviter peccat. Poteſt tamen excommunicatus toleratus adduci ad hoc, ut inſerviat Miſſæ, ſi alius non eſt (f): quia Eccleſia in Extravag. *Ad evitanda*, concedit fidelibus, ut pro ſua utilitate poſſint communicare etiam in Divinis, cum excommunicatis toleratis.

Excommunicatus toleratus poteſt adhiberi ad ſervitiũ Miſſæ.

(f) Veran. Lezan.

9. Ad caſum, ſi tempore Miſſæ intret Eccleſiam excommunicatus vitandus aut interdictus, quid faciendum? *Reſpondi d.* 5. *ſer.* 7. *n.* 45. & ultrà. Hîc addo, quòd audiens Sacrum, non communicet cum excommunicato, ſi ad aliud altare illud inchoatum audit, & ad aliud excõmunicatus (g). Etſi idem cum eo Sacrum audiat, & parvitas eum à mortali excuſet, nempe quòd tantùm ad Evangelium (g); non videtur incurrere excommunicationem.

Caſus.

(g) Rotar.

10. Et quàmvis excommunicatus, nequeat licitè cum aliis ſimul, pſalmum voce clara pſallere; poteſt tamen dicere Salutationem Angelicam: quia licèt ſignum ſit publicum, oratio tamen uniuſcujusque privata eſt (e). Ita etiam poteſt privatim benedicere menſam, non in refectorio ſimul cum aliis. Neque à fortiori poteſt exercere officium Hebdomadarii (c). Addit Doctor Reſolutus *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *a.* 2. *dicit Oſtienſis: ſi ingerat ſe, audiendo Divina officia ex quadam ſimplici devotione, vel aliter, non contemnendo; tunc non eſt irregularis: & ſic intelligas, quòd prædictum eſt per Innocentium: aut contemnendo, & faciendo celebrari Divina, ſive auctoritatem præbendo; & tunc irregularitatem incurrit, ùt in præcedenti cap. Tanta*, & *cap. Illud*, §. *Vel.*

Quomodo cum aliis orare poteſt excõmunicatus.

Simplex devotio excõmunicatum excuſat ab irregularitate.

11. Non privatur rebûs ſacris; poteſt enim intrare Eccleſiam, & ibi privatim orare: nec per ſuam orationem impedit alios, cùm non dicat eamdem ſimul cum eis. Cajet. *verb Excommunicatio*, Suar. *d.* 12. *n.* 19. Bonac. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 3. §. 2. *n.* 8. Poteſt uti imaginibûs, reliquiîs Sãctorum; non poteſt autem uti aquâ benedicta (h): quia eſt quoddã Sacramentale ex inſtitutione Eccleſiæ, ſuffragans ex meritis ejus; excommunicatus autem, privatur Eccleſiæ meritis & ſuffragiîs.

Non privatur rebûs ſacris, & privatim in Eccleſia orare poteſt.

(h) Ugolin. Lezan. Bonac. Sayr.

12. Dico 4. Excommunicatus toleratus, & vitandus, intereſſe poſſunt Concioni; concionari vitandus nequit: toleratus ſolùm rogatus.

Quid de excõmunicatis quoad Concionem.

13. Explicatur & probatur. *Concioni intereſſe poſſunt*: tum quia nomine Divini Officii, à quibus arcentur excommunicati non venit Cõcio; tum quia eis conceditur *cap. Reſponſo*, *de Sentent. excom.* & in Concil. Carthag. 4. *cap.* 84. ubi ſtatutum eſt, ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam & audire verbum Dei; ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum &c.

14. Concionari vitandus nequit: propter vitãdum ſcandalum, quod

inde oriri poſſet. Veran. Lezan. Toleratus etiam cavere debet, ne ex Cõcione ſequatur ſcandalum, cùm ſcandala vitanda ſunt; rogatus tamen concionari poteſt: quia Eccleſia in utilitatem fidelium, concedit eis communicationem cum excommunicatis toleratis; ergò & Concionem eorum audire. Vel ſi populus exigat, ut eis ex vi ſui officii concionetur; concionari non prohibetur: cùm ſic, eſt virtualis petitio & eſt in utilitatem eorum: quapropter neque excommunicatus, neque Auditores peccant. Etſi non exigant, & ipſe ſe ſpontè ingerat; ſic ipſe peccat, non tamen audientes Concionem ejus; cùm non teneantur excommunicatum toleratum vitare.

15. Utrùm autem ſaltem vitandus, concionando incurrat irregularitatem? Affirmant Navar. *in Sum. c. 27. n. 163.* Veran. quando ſolemniter & ex officio id facit; negant verò Rodriq. *in Sum. t. 2. c. 24. concluſ. 7.* Peyrin. *de Subdito q. 1. c. 22.* Bonac. *ſuprà*, §. 2. *n.* 11. Suar. *n.* 4. Ratio eſt: quia prædicare, non eſt alicujus Ordinis; ſed eſt actus, qui etiam laico in neceſſitate committi poteſt. Bonac.

SECTIO V.

Effectus quintus quis, excommunicationis majoris?

Effectꝰ quintus excõmunicationis, eſt multiplex.

I. DIco: Excommunicationis majoris quintus effectus eſt, quòd nec collatio, nec præſentatio beneficii facta excommunicato, nec electio ejus ad aliquam dignitatem Eccleſiaſticam aut ſæcularem, valeat; ſive vitandus, ſive toleratus ſit: nec beneficium cõferre aut ad aliud præſentare, nec eligere aut actum propriæ jurisdictionis exercere poſſit validè, ſi ſit vitandus; æquè toleratus, ſi contra eum excipiatur; ſin ſecùs, validè poteſt, ſed licitè nequit ſe ingerere non rogatus.

(a) Garzias de Benef. p. 1. c. 13. Lezan. Bonac. l. c.

2. Explicatur & probatur. Quòd nec collatio, nec præſentatio beneficii valeat ei, habetur *cap. Poſtulaſtis*, & *cap. ult. de Cler. excom.* (a).

Papa conferens beneficium, abſolvit à cenſur.

3. Excipe tamen, ſi Papa conferat beneficium aut aliquam dignitatẽ excommunicato; tunc enim cenſetur eum abſolvere: imò ordinariè abſolvit: nam ordinariè conferendo aliquod beneficium, in litteris ſuis præmittit adſolutionem ab omni excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto; ut litteræ ejus ſortiantur ſuum effectum, & non ſint fruſtraneæ (b): ſubintellige, ſi in quavis excommunicatione *ſcienter per annum non ſteterit, aut ſi ſcienter non manſit excommunicatus per quatuor menſes in his excommunicationibus; ſcilicet quia non paret rei judicatæ, vel quia incendiarius, vel quia Eccleſiarum violator, vel quia falſificans*

(b) Lezan. Bonac. Tolet. loc. cit.

Dēptis hîs.

cans vel falsificari procurans litteras Apostolicas & supplicationes, vel quia litteris falsis scienter utitur, vel quia est receptor & fautor falsificantium, vel quia res vetitas ad infideles defert, vel quia est violator Ecclesiasticæ libertatis, vel quia non obtemperat mandato Apostolico, vel quia impedit Nuntios vel executores Apostolicæ Sedis, vel ejus Officialium commissa exequentes. His enim excommunicatis, non suffragatur addita clausula à Papa, *ab omni excommunicatione.* Ita statuerunt Julius III. ùt annotat Regula Cancellariæ 78. & Sixtus V. De hoc videndi sunt Quarant. *in Sum. Bullar. verb. Regulæ Cancellariæ*, Naldus *in Sum. verb. Excōmunicatio n.*40. Rebuffus *in Prax. benefic. tit. de Declar. provisionis.*

4. Item quando aliquis ex testamento aut jure hæreditario, acquirit aliquam dignitatem vel dominium temporale (prout opponitur spirituali): quia Jura non irritant acquisitionem dominii temporalis, consequenter nec jurisdictionem illi annexam; dummodo non exerceat eam intra tempus censuræ. Bonac. Lezan. *loc. cit.*

Quid facere tenetur excōmunicatus quando ei cōfertur dignitas aliqua.

5. His demptis casibûs: si se offerat casus quo excommunicato confertur beneficium aut dignitas, se excusare tenetur quantùm commodè potest; & si necesse est, declarare suam excommunicationem, si talis est ut ex ea non sequatur infamia vel scandalum, vel si sequatur & cogitur acceptare, potest id facere ad ea vitanda, intentione tamen obtinendi quàm citiùs dispensationem. Sic Lezan. Bonac. *de Excom. loc. cit.* Unde graviter peccat, qui excommunicato aliquod beneficium, officium, dignitatem confert, siquidem confert indigno & incapaci, & incurrit pœnam suspensionis à beneficiorum collatione.

Aliàs peccat graviter.

Non valet electio excommunicati.

6. *Nec electio ad aliquam dignitatem*, ùt sunt Legati Apostolici, Inquisitoris, Episcopalis, Generalatûs, Provincialatûs, Prioratûs &c. valet: quia cùm excommunicato prohibitum sit exercitium cujuslibet Ecclesiastici muneris, vel dignitatis ùt videbimus statim, consequenter prohibita est ei collatio, seu institutio illius. Ita Abbas *in cap. ult. de Cler. excom.* Lezan. *loc. cit.*

7. Quòd verò extendatur hæc pœna ad temporalem dignitatem Imperatoris, Regis, Ducis &c. (c); habetur *cap. Venerabilem, de Elect.* ubi Pontifex prohibet recognosci in Regem Romanum excommunicatum electum.

(c) Ugolin. tab. 2. c. 13. §. 3. Sayr. p. 7. n. 4. Lezā. Tolet. l. 1. c. 13. n. 4. contra Suar.

8. *Sive toleratus*; cùm nullum privilegium ei concedatur per Extravagantem, *Ad evitanda*; notante Lezana *verb. Excom. n.* 24.

9. Excommunicatus vitandus, beneficia conferre, pro beneficio præsentare, eligere, aut propriæ jurisdictionis actum exercere, validè nequit: quia ei omnis usus jurisdictionis prohibetur, *cap. Audivimus,* 24. *q.* 1. ubi propterea habetur, quòd excommunicatus, excommuni-

care

care non poteſt: item *cap. Ad probandum, de Re judicata, cap. Romana, de Supplend. negligent. Prælat. in 6. cap. Si is cui, de Offic. deleg. eod. lib.* & *cap. Romana, de Offic. Vicarii, eod. lib.*

10. Dixi, *æquè toleratus, ſi contra eum non excipiatur:* nam excommunicati tolerati, tamdiu validè agere poſſunt, quamdiu per oppoſitã exceptionem, non repellantur, ùt notant Veran. *de Effectu excommunicationis d.* 35. *ſect.* 5. Bonac. *loc. cit.* & alii communiter. Ratio eſt: quia licitum eſt fidelibus communicare in omnibus cum excommunicatis toleratis, quandoquidem licet eis & in Divinis; ergò ſemper acta per excõmunicatos toleratos, ſunt invalida: alioquin nõ ſemper caveretur periculũ animarũ,ùt intendit dicta Extravagans. *Si contra eũ excipiatur,* acta ejus non valent, propter Jus exceptivum; ſi non excipiatur, acta per eum valent, ſed illicita: quia quoad hoc ut ſe ingerat, Extravagans, *Ad evitanda*, ei non ſuffragatur, ùt dixi *ſuprà.* Si rogetur ſaltem interpretativè, tunc & licita ſunt.

Pro diſcurſu & ſolutione.

11. Petrus poſtquam excommunicatus erat, beneficium & dignitatẽ acceptavit; quæritur an valda ſit acceptatio? *Reſp.* Vel collatio beneficii, dignitatis, anteceſſit excommunicationem Petri? Acceptatio ejus in excommunicatione facta, valida eſt: quia Jura non irritant acceptationem, ſed electionem, collationem &c. Ita docent Ugolin. *tab.* 2. *cap.* 13. §. 1. *n.* 2. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 11. Covaruv. *cap. Alma Mater,* 1.*p.* §. 7. *n.* 4. Lezan. Bonac. *loc. cit.* contra Suar. *d.* 13. *ſect.* 1. *n.* 7. & *d.* 14. *ſect.* 2. *n.* 34. Vel collatio beneficii, electio ad dignitatem, peracta eſt, dum Petrus jam erat excommunicatus? Tunc ſicut collatio beneficii, electio Petri ad dignitatem, eſt nulla, ita & acceptatio ejus. Immediatè citati.

12. Dices: Sed Petrus ignorabat excommunicationem contra ſe latã, niſi poſtquam acceptaverit beneficium, dignitatem, eam reſcivit. *Reſp.* Conatur quidem juvare Petrum in hoc caſu Navar. *cap. Fratres, de Pœnit. d.* 5. *n.* 4. aſſerens, validam eſſe dictam acceptationem; ſed probabiliùs dicendum cum communi in hac difficultate DD. ſententia, Lezanæ, Ugolini, Leſſii, Sayri, Bonacinæ, aliorumque apud eum *loc. cit.* ignorantiam minimè ſuffragari Petro: quia licèt ignorantia excuſet à nova culpa, pœna, cenſura; non tamen facit habilem, eum qui eſt inhabilis: *cap. Apoſtolicæ, de Cler. excom.*

13. Promovebis Petrum ultrà: Quia priùs eſt abſolutus ab excõmunicatione, quàm acceptavit dictam collationem beneficii, dignitatis; ergò poteſt beneficium, dignitatem acceptare. *Reſp.* quòd non poſſit, ſecundùm probabiliorem ſententiam (d): quia deeſt titulus validitatis ad retinendum: cùm ea electio, præſentatio, collatio, invalida

(d) Leſ. c. 34. d. 22. n. 11. Bonac. Lezan. l. c.

fuerit;

fuerit; quia electus, præsentatus &c. erat incapax. Probabile tamen est oppositum, sub conditionibus sequentibus: si electores, præsentatores &c. permaneant in sua prima voluntate: ratione enim talis permanentiæ, prior electio, præsentatio, collatio, videtur ratificari & probari, supposita absolutione; dummodo non fiat acceptatio, cum præjudicio tertii: quod contingeret in casu, quo esset tribuendum illud beneficium alteri, qui pauciora quàm ipse, & plura quàm alii, haberet vota, si per electionem esset provisum beneficium ad alterum (e). Et si non esset absolutus, suggerit ei modum Lezana *verb. Beneficium*, *n.* 10. ut procuret absolutionem ab illa censura, seu dispensationem in illa irregularitate & intrusione, per quam erat inhabilis ad beneficium; & secretè iterùm acceptet beneficium, quod ex vi prioris provisionis convalescit. Cui subscribit Dian. *p.* 5. *tr.* 9. *de Excom.* Hæc sententia est probabilis, sed prima probabilior & tutior, dicit Lezan. Quare si velit Petrus aut alius quicumque, secundùm primam sententiam procedere; tenetur novam electionem beneficii, dignitatis, à Prælato obtinere, ad quem spectat eam conferre. Et si quoad Canoniam est mensis Papalis, nequit conferre Episcopus: vel si per electionem tale beneficium, dignitas, conferatur, de novo electio est facienda: nisi aliud in propriis Statutis habeatur, quòd Prælatus dispensare possit; cùm dispensatio, sit virtualis collatio. Lezan. *loc. cit.*

(e) Henriq. c. 13. de Excom. Covar. & alii apud Sanch. l. 8. de Matrim. d. 7. n. 12.

14. Sed consideremus, utrùm dictus Petrus teneatur ob præfatum casum procurare de novo fieri collationem beneficii, sive electionem ad dignitatem dictam sibi collatam: nam tunc quando est excommunicatus denuntiatus ab Officiali, ac Vicario Generali, Episcopus ejus (de quo ipse Vicarius Generalis non scivit) excommunicatus est antecedenter. *Resp.* quòd non: patet inde, quòd in tali casu non debeat petere absolutionem: quia sententia Vicarii Generalis in hoc casu, per quam lata est censura, est nulla. Ratio est: tum quia in *cap.* 1. *de Offic. Vicarii, in* 6. ordinatum est, quòd vices gerens Superioris excommunicati, non possit munera illius officii exercere, eò quia jurisdictio est suspensa in principali, à quo derivatur ad eum qui vices ejus gerit. Et hac de causa in *cap. Si is cui, de Offic. deleg. in* 6. statuitur, quòd quando delegatus est excommunicatus, caret subdelegatus jurisdictionis usu; adeò, ut non ad ipsum, sed ad Sedem Apostolicam tūc sit appellandum (f). Tum quia jurisdictio Vicarii Generalis, est eadem cum jurisdictione Episcopi; adeò, ut à Vicario ad Episcopum, non habeatur appellatio: patet ex *cap.* 1. *de Consuetud. in* 6. Quare cùm sit eadem jurisdictio Vicarii cum illa Episcopi; sublata ergò illâ, aut impeditâ eâ in Episcopo, tollitur aut impeditur in Vicario. Argumentum

Excōmunicato delegāte suspenditur delegati jurisdictionis usus.

(f) Verani.

Jurisdictio Vicarii Generalis est eadem cū jurisd. Episc.

tum Regulâ *Acceſſorium*, *de Regul. Jur. in* 6. ob hanc enim rationem mortuo Epiſcopô, ceſſat jurisdictio Vicarii, quæ trasfertur ad Capitulum, ùt habetur in *cap. Epiſcopus*. Et ſi ipſe Vicarius Generalis, alibi eo tempore excommunicaretur & denuntiaretur, de quo non ſciret; excommunicatio ab eo lata, eſſet nullius valoris. Ita communiter DD. cum Bonac. Unde quia Petri excommunicatio erat nulla, cōſequenter collatio beneficii, dignitatis &c. valida.

Caſus de electione.

15. Caſus adhuc eſt. Quando Petrus electus eſt ad hancce dignitatem quam habet, unus Electorum ſcivit eum eſſe excommunicatum, alter non ſcivit ſed ipſe erat excommunicatus; valetne electio præfata Petri ad dictam dignitatem, in ſuppoſito quòd ſit aliunde excommunicatus? *Reſp.* Qui ſcivit eum eſſe excommunicatum occultum, tunc ſi electio erat per ſuffragia publica, eum diffamare non poterat, niſi haberet notitiam aliam ex publico, ſed dare pro alio votum ſtringebatur; ſi verò per vota ſecreta, tunc denegare affirmativum obligatur. Lezan. *loc. cit.* Cornex. & alii: & ſic in utroque caſu ex hac parte valida eſt electio. Ad 2. Dico: Vel ille erat excommunicatus toleratus? Valida eſt electio: tum quia ùt dixi *ſuprà hîc n.* 1. & ultrà, excommunicati tolerati acta ſunt valida; tum quia licetſi Extravagans, *Ad vitanda*, nullum ei intendat favorem præſtare quoad perſonam ipſius; intendit tamen in favorem non excommunicatorum, ſervitium ejus: atqui electio eſt in favorem non excommunicati; Ergò. Ita Peyrin. *tom.* 2. *de Prælat. q.* 2. *c.* 5. *n.* 14. Lezan. *loc. cit. n.* 31. Quod addendum, atiamſi alii Electores ſcirent eſſe talem: quia quàmvis poſſint illum alii Electores repellere poſita exceptione, *cap. Exceptionem*, *de Except.* & *cap.* 1. *eod. in* 6. (e); Si tamen eum permittunt, ejus acta valida ſunt: quia licetſi quoad ſe privatus ſit facultate, conſequenter peccet mortaliter ſe ingerendo, juxta dicta *ſuprà*; quamdiu tamen non repellitur ſed toleratur, Eccleſia ſupplet, ſeu confert ei poteſtatem ad talem actum. Ita Peyrin. *loc. cit. n.* 13. Lezan. *cap.* 1. *n.* 31. Vel erat vitandus? & ſi occultus? Suô votô non vitiavit electionem, mortaliter tamen peccavit. Ita Abbas in *cap. Probandum*, *n.* 15. Lezan. *tom.* 2. *cap.* 12. *n.* 29. Vel Electoribus erat notus? & erat in majori parte illius communitatis aut Præſidis, poſſe abſolvere talem à cenſura? Electio valida eſt: quia cenſetur virtualiter cum eo eſſe diſpenſatum. Idem dicendum de alio quocumque Prælato, in cujus eſt poteſtate abſolvere ſubditum à cenſura; ſi cenſurato, ſcienter conferat beneficium. Lezan. Vel non erat in poteſtate eorum, nec Præſidis, abſolvere eum à cenſura? Si non poterant illum repellere, debebant in aliud tempus electionem reſervare, & illum non vocare, aut proteſtationem facere quòd

(e) Laym.

quòd illum tamquam legitimum Electorem admittere nolint; alioquin electio nulla: *cap. Illa, n.* 3. Lezan. *loc. cit.* Ugolin. Veran. Henriq. Sayrus & alii: quidquid dicant alii minùs probabile, quòd si non præscribatur numerus Electorum: apud Bonac. *p.* 5. *n.* 5. Idem facere debent, quando res est dubia, an quis debeat repelli ab electione, an admitti; admittendus est cum protestatione: cùm in dubiis juvet possessio; & favendum potiùs sit reo, quàm actori. Panormit. in *cap. Humana, de Elect.* Sylv. *in Sum. verb. Electio* 1. *q.* 15. Peyrin. *tom.* 1. *de Subdit. q.* 1. *de Obedientia, cap.* 31. §. 6. *concl.* 2. Addit ultrà Lezan. *tom.* 2. *c.* 12. *n.* 30. *idem dicendum, quando inhabilitas objecta, est certa, sed est scandalum, si ejiciatur talis inhabilis; tunc enim admitti potest, cum simili protestatione: ùt habent præfati Authores, non tamen sine illa.*

16. Casus adhuc est. Ille Elector qui erat declaratus excommunicatus vitandus secundùm allegata & probata, in rei veritate erat innocens; invalidavitne suo votô electionem? & possetne aliquis taliter excommunicatus, validè acceptare beneficium, & quamcumque dignitatem, seclusis aliis impedimentîs? *Resp.* ad 1. negativè. Ad 2. affirmativè: quia in re ipsa non est excommunicatus, ùt dixi *suprà, n.* 14. Videndi sunt pro hoc Bonac. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 4. §. 41. *n.* 1. Suar. *t.* 5. *d.* 4. *s.* 6. Alterius *col.* 11. *vers. Quæret aliquis*, Ugolinus & alii. In foro tamen externo cogi potest ut beneficium reddat, dignitateque privari; cùm Judices, secundùm allegata judicent, & inferior eis obedire tenetur.

An posset validè acceptare beneficium injustè excõmunicatus.

17. Ex his collige 1. quòd quàmvis excommunicatus toleratus Episcopus, aut alius Prælatus (ad quem spectat), conferre possit suo Inferiori beneficium, dignitatem, validè, cùm acta per ipsum teneant, ùt dixi *suprà*; vitandus tamen, nec licitè nec validè, hæc præstare valet: quia licetsi non privetur officiô propter excommunicationem talem (g), quia nullus textus id suadet; suspenditur tamen ab officio & dignitate, & privatur usu jurisdictionis (h): *cap. Pastoralis*, §. *fin. de Appellat.*

Beneficia toleratꝰ non vitandꝰ conferre licitè potest.

(g) Garc. de Benefic. p. 7. c. 13. Peyrin. l. c. n. 11.

18. Collige 2. quòd inferior tenetur obedire Prælato suo excommunicato tolerato: quia tales, in sua jurisdictione tolerantur ab Ecclesia (h); estò ipse Prælatus peccet, eâ utens. Econtra Prælato suo excommunicato vitando, ita non obedire obligatur, ut si obediret, mortaliter peccaret, nisi levitas materiæ à mortali excusaret. Ratio est: quia recognosceret in illo potestatem jurisdictionis contra mentem Ecclesiæ, & communicaret cum illo, quod non licet. Cornex. 2. *tom. in* 3. *p. d.* 10. *de Excom.* §. 5. *dub.* 1. Lezan. *t.* 1. *c.* 4. *n.* 34.

(h) Ugolin. tab. 2. c. 11. n. 2. Cornex. Lezan.

Excommunicato vitando Inferior absq; peccato obedire nequit.

19. Quid verò dicendum de Confessario excommunicato, dixi *dist.* 6. *ser.* 8. *num.* 22. & ultrà.

20. Collige 3. quòd licetsi nullus valeat beneficium resignare aut commutare, quod tempore excommunicationis ei est collatum, quia sicut collatio ei facta est nulla, ita jus habet nullum ad hoc beneficium; potest tamen excommunicatus etiam vitandus resignare illud alteri, quod ante excommunicationem obtinuit: quia habet jus in illo, & resignatio ejus, non est actus jurisdictionis; cùm resignans, nec præsentet, nec eligat, nec conferat, sed indicet propriam voluntatem suo Superiori, ut ille hoc beneficium, juxta mentem excommunicati, conferat alteri. Bonac. *loc. cit.* Oppositum sentientibûs Covaruv. Filliuc. apud eum, & aliis.

SECTIO VI.

De cæteris effectibus excommunicationis majoris.

(a) Panormit. in c. fin. n. 11. de Procur. Verau. Lezan. Bonac. l. c.

1. SExtus effectus majoris excommunicationis est: quòd rescriptum Sedis Apostolicæ super alio articulo quàm excommunicationis, ab excommunicato obtentum, est ipso Jure nullum & irritum, nisi apponatur in eo ab excommunicatione absolutio, ùt dixi *sect.* 5. *n.* 2. (a): colligitur ex *cap.* 1. *de Rescript. in* 6.

Quodquod obtinet excommunicatus rescriptũ à Papa est nullum nisi prius ab excommunicatione obtineat absol.

(b) Bonac. Dominicus Iosonus cõtra Panormit. Alter.

2. Explicatur & probatur. *Sedis Apostolicæ rescriptum*: nam textus citatus, de rescripto Sedis Apostolicæ, non de Episcopali, aut Prælato Religionis, dicit. *Super alio articulo quàm excommunicationis*: quia si excommunicatus appellet ad Sedem Apostolicam, & rescriptum ab ea obtineat, valet; patet ex dicto capite. *Ab excommunicato*: sive sit vitandus sive toleratus, cùm textus generaliter loquatur, nec Extravagans, *Ad evitanda*, aliquem favorem tribuat tolerato. Secùs dicendum, si excommunicatus v. g. Procurator, pro suo Principali non excommunicato impetraret rescriptum (b): quia tunc illud rescriptum, principaliter obtineretur à non excommunicato.

3. Septimus effectus est, privatio forensis communicationis. Sic excommunicatus etiam toleratus non potest eligi in Judicem, sive Ecclesiasticum sive Civilem: patet ex dictis *hîc n.* 1. 7. & 10. maximè ex *cap. Venerabilem*, ubi negatur excommunicato dignitas, habens annexã jurisdictionem.

Iudicare nec validè vitãdus nec licitè toleratus excõmunicatus potest.

4. Nec vitandus validè, nec toleratus licitè, nisi partes velint coram tolerato causam agere, tunc judicare potest.

5. Explicatur & probatur. *Vitandus validè* non potest: patet ex *cap. Pia, de Except. in* 6. *cap. Tanta*, *cap. Ad probandum*, *de Sent. & re judicata*, ubi sententia à multis Judicibus lata, quia inter eos erat unus excõmuni-

municatione innodatus, declarata est cassa, & denuntiata irrita: ùt notavit Gloss. *ibi.*

6. *Nec toleratus licitè:* propter dicta *hîc n.* 1. *Nisi partes velint coram tolerato&c.* quia fideles, possunt cum excommunicato tolerato communicare licitè; ergò tunc & excommunicatus toleratus, cum eis taliter communicare valet.

7. Ex his collige 1. Quia acta per Judicem vitandum sunt nulla, præter hoc quod labatur in mortale, Judex tenetur ad restitutionē faciendam reo quem condemnavit, vel hæredibus, dicit Lezan. Idem dicendum de Arbitro, nisi à partibus constituatur, non ùt Arbiter sed ùt vir prudens. Cornex. Sayr. Lezan.

Acta per Iudicem excōmunicatū vitandum sūt nulla, & tenetur ad restitutionem.

8. Collige 2. quòd excommunicatus toleratus Judex, si non rogatus judicet causas partium, peccat mortaliter juxta Bonac. & alios; secundùm Henriq. & Avil. venialiter.

Toleratọ Iudex judicādo quando& quomodo peccat.

9. Item, tam vitandus quàm toleratus excommunicatus, non potest esse Actor, tam per se quàm per Procuratorem (c). Ratio est: quia *cap. Decernimus*, generaliter de excommunicatis absque ulla distinctione ordinatum est, ut se non immisceant causis judicandis. Potest tamen uterque se, & per se si velit, non per Procuratorem defendere: & sic potest excommunicatus appellare à sententia contra se lata, eamque nulliter latam probare, aut injustè denegatam absolutionem demonstrare, excommunicationem accusato Testi objicere, dummodo ei intra octo dies eam probet, alioquin damnandus esset in expensis. Ita docent Ugolin. *tab.* 2. *cap.* 15. Henriq. *lib.* 13. *c.* 7. *n.* 4. Sayr. *lib.* 2. *c.* 7. *n.* 3. & 20. Avil. *d.* 7. Bonac. *d.* 2. *q.* 2. *punct.* 7. *n.* 7. Lezan. *n.* 37. Item potest suum debitorem coram Judice convenire, si rationabiliter dubitet de fuga ejus. Ratio est: quia in hoc casu, est potiùs se defendere, & Judicis officium ad sui defensionem implorare. His casibûs demptis, si se spontè in Actoratum ingerat, sive vitandus sive toleratus sit, peccat mortaliter aut venialiter, pro qualitate materiæ: aut ùt docet Bonac. si sæpiùs hoc faciat, mortaliter; si semel aut bis, venialiter. Attamen, sive sit toleratus sive vitandus, si hoc sæpiùs & sæpiùs non repulsus agat, gesta per eum facta in judicio, non sunt invalida: *cap.* 1. *de Except. in* 6. Ratio est: quia Jus non irritat ipsius gesta. Avil. Filliuc. Bonac. *n.* 10. Lezan. *loc. cit.* Licèt ex vi officii sui Judex, debeat repellere à judicio excommunicatum vitandum, ùt patet ex *cap. dict. de Except. in* 6. non tamen toleratum, nisi contra eum excipiatur, objiciendo ei excommunicationem, ùt liquet ex *cap. de Except. in* 6.

Excommunicatus nequit esse Actor.

His dēptis.

(c) Veran. Lezan. Bonac.

Alioquin peccat.

Gesta tamē per eum nō sunt invalida.

10. Denique, excommunicatus sive vitandus sive toleratus, non potest

Nec potest esse Advocatus, Procurator.

test esse Patronus, Procurator, propter specialem prohibitionem *cap. Decernimus, de Sent. excom. in 6.* (c). Gesta ab ipso, si non sit repulsus, valida sunt (c). Hinc collige, matrimonium initum per Procuratorem excommunicatum vitandum, validum esse.

Nec licitè dare testimonium.

Secùs toleratus.

11. Nec potest licitè ferre testimonium vitandus excommunicatus, propter prohibitionem *cap. Decernimus* factam, excepta causâ hæresis: *cap. In fidei favorem, de Hæret. in 6.* Similiter dicendum de excommunicato tolerato, nisi sit ad dandum testimonium rogatus: sic enim licitè illud perhibere potest, ùt patet ex *suprà* dictis. Attamen etiam vitandi excommunicati, tam in judicio quàm testamento aliquo, in alio actu si non est repulsus, valet datum testimonium (c). Ita Bonac. Lezan. *loc. cit.* Opponit quidem Verani, quòd non sit danda fides; sed ei respondendum: ergò non est adhibendus in causa fidei, quod est contra *cap. In fidei favorem.*

Nec licitè Scriba.

12. Item etiam toleratus, nequit licitè exercere officium Tabellionis, seu Secretarii, Notarii, propter prohibitionem, mutuam communicationem cum aliis sine qua tale munus exerceri non potest (d): Scripturæ tamen per ipsum factæ, non carent suo valore (e). Ratio est: quia nullum Jus expressè hujusmodi scripturas irritat.

(d) Lezan.

(e) Bonac. Avil. Henriq.

Privatur cōmunione fidelium.

13. Privatur etiam tam vitandus quàm toleratus excommunicatus, omni civili & politica communione fidelium, contenta in illo versu:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur:

ex *cap. Cum excommunicato, 11. q. 3. cap. Nuper, cap. Si aliquando, de Sent. excom. cap. 2. de Except.* Raymund. *lib. 3. de Sent. excom.* Doctor Resolutus *in 4. d. 18. q. 4. a. 1.* Lezan. *verb. Excommunicatio, n. 42.*

Declaratur.

14. Per *os*, intelliguntur colloquia etiam secreta; sive per verba sive per nutus seu signa, sive per litteras aut per nuntios: item oscula, & alia signa amicitiæ, amplexus, munerum donatio vel receptio (c).

15. Per *orare*, intelligitur omnis communicatio in Sacramentis, Divinis officiis, & aliis orationibus: sive intra Ecclesiam, sive extra eam (c).

16. Per *vale*, salutationes, resalutationes, honoris exhibitiones, quales sunt excommunicato assurgere, detegere caput, locum dare in sedili (f); dempto casu, quô esset Episcopus, vel Religionis Prælatus, excommunicatus vitandus. Ita Alterius *cap. 1.* Bonac. *loc. cit.* & alii apud eum *n. 4.* Et hoc ideo, quia Inferior, timet grande futurum sibi imminere periculum: hodie enim Superior ejus est excommunicatus, post cras absolvetur.

(f) Lezan. Ugolin. t. 2. c. 2. §. 1. n. 10 Bonac. p. 6 §. 2. n. 4.

17. Ad excommunicatos scribendo, locò salutationis, scribendum: *Spiritum sanioris consilii* &c. colligit ex D. Antonino Cornex. Ex-

communicatos toleratos tantùm, salutare possumus; cùm nobis concedatur communicatio cum eis.

18. Per verbum *communio*, intelligitur communicátio in societate, aut aliquo negotio (e). Unde nemo fidelium, cum excommunicato vitando, potest licitè inire contractum emptionis, venditionis, locationis, donationis, mutui (e), quàmvis validè (g). Et quàmvis non excommunicatus, nequeat cohabitare in uno eodemque hypocausto cum excommunicato, per modum ejusdem societatis aut familiæ, neque idem opus simul cum eo in eodem loco perficere; potest tamen cum illo, in eodem hypocausto cohabitare & dormire, si diversæ familiæ aut societatis ratio, inter eos mediet: ùt si diversi Patresfamilias sint in eodem hypocausto, unum angulum unus cum sua familia, alter secundun tenens; tunc potest de illa familia excōmunicatus in sua parte hypocausti, & in altera sua parte non excommunicatus (h). Imò penes se in diversorio, dum alius locus commodus pro quiete, haberi non potest: tunc enim necessitas non excommunicatum excusat.

Quando excōmunicatǫ cum non excōmunicato communicare potest.

(g) Sylv. v. Excom. Lezan. Ugolin. l. c. c. 2. Sayr. l. 2. c. 13. n. 10.

(h) Bonac. l. c. Reginald. Filliuc. apud Lezan.

19. Per *mensam*, intelligitur communicatio in cibo & potu, in eadem mensa formaliter (c). Quapropter potest non excommunicatus cum excommunicato vitando, in diversorio in eadem mensa comedere, dummodo quisque habeat suum cibum, nec comedat permodū convictûs (i); econtra non potest in refectorio non excommunicatus comedere, si ibi simul cum aliis comedat excommunicatus vitādus, etiamsi alias portiones habeat, quas non habeant excommunicati; sed exire tenetur (i): quia quàmvis sint mensæ distinctæ materialiter, formaliter tamen ac Theologicè, secundùm æstimationem prudentum, censetur una: & etiamsi habeat diversum cibum excommunicatus, communicat tamen cum aliis in cibo, cùm permodum societatis, eum (ac si eumdem quem alii) comedat, participando in benedictione mensæ, lectione, & aliis.

(i) Sayr. n. 15. Avil. Bonac.

20. Quid si in diversis hypocaustis invitati tractentur, & inter eos unus recipiatur excommunicatus vitandus; incurrunt ne censuram in omnibus cubiculis hospites commensales? *Rdet* Verani quòd sic: quia communicant in eodem convivio. Negant verò Avil. Henriq. Sayr. Ugolin. Bonac. *loc. cit.* quia non communicant in eadem formaliter mensa in eo convivio, nam in diverso convictu.

Excōmunicatus in uno hypocausto in altero nō excōmunicatus an excōmunicationem incurrant sic comedendo.

21. Hæ omnes communicationes numeratæ, prohibentur non excōmunicatis, cum excommunicatis vitandis: nam in Extravag. *Ad evitā-da*, conceditur non excommunicatis, communicatio etiam in Divinis cum excommunicatis toleratis; econtra excommunicatis etiam toleratis,

tis, cum non excommunicatis, interdicuntur dictæ communicationes, *cap. Nuper*, & *cap. Si aliquando*, *de Sent. excom*. Et sic etiam tolerati excommunicati, communicando cum non excommunicatis, ordinariè peccant (k) venialiter (l). Dixi, *ordinariè*: quia si communicet ex necessitate, excusatur etiam à veniali; si autem ex contemptu, mortaliter delinquit. Non excommunicati verò, eum excommunicato vitando communicantes in Divinis, peccant mortaliter, cùm sit trãsgressio in re gravi, & contemptus formalis semper parit peccatum mortale; in civilibus verò, (secluso contemptu) peccant solùm venialiter (m), incurrunt tamen excommunicationem minorem. Ad quod animadvertere juvat, quando excommunicatio contra communicantes, ab homine fertur, tunc communicans cum excommunicato, peccat mortaliter; & præmissa monitione Canonica, excommunicationem majorem incurrit: *cap. Statuimus*, *de Sentent. excom. in* 6. Sotus *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *a.* 4. Lezan. *loc. cit.* Item quando quis communicat in crimine criminoso cum excommunicato: id est, quando cooperatur crimini vel contumaciæ ejus, tunc etiam peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem majorem: *cap. Si concubinæ*, & *cap. Nuper*, *de Sentent. excom.* At, ut hæc excommunicatio incurratur, requiruntur aliquot conditiones.

(k) Victor. Ledesm. Bonac. Lezan. Sylv.
(l) Lezan. Avil. Cornex. Bonac. contra Filliuc. oppositũ de vitando sentientem.
(m) Lezan. Bonac. Sayr. Ugolin.

Ut in communicatione incurratur excõmunicatio, requirũtur cõditiones hæ.

22. Prima est, quòd talis excommunicatus, sit vitandus. Secunda, ut communicatio fiat, postquam criminosus excommunicationem contraxerit. Tertia, ut fiat communicatio in eodem crimine, cooperando crimini vel contumaciæ, præbendo ei auxilium, favorem, vel consilium &c. Quarta, ut sciat eum esse excommunicatum propter tale crimen. Quinta, ut communicatio non sit ita levis, ut pro nihilo reputetur. Ita Lezan. Bonac. & alii apud eos.

23. Sunt tamen aliqui casus, in quibus, communicando cum excommunicato vitando, nullam pœnam incurrimus, nec ullum peccatum committimus, ùt deciditur à Gregor. VII. in Concil. Rom. *cap. Quoniam multos*, 11. *q.* 3. Quos cum Doctore Resoluto *in* 4. *d.* 18. *a.* 3. communiter DD. comprehendunt hoc versiculo:

Utile, *lex*, *humile*, *res ignorata*, *necesse*.

24. Per *utile*, intelligitur utilitas, sive spiritualis excommunicati, vel participantis cum illo. Ita communiter.

25. Explicatur. *Utilitas excommunicati*: possumus enim talibus consulere, ut resipiscant & recedant ad meliorem frugem, *cap. Cum voluntate*. Doctor Resolutus *loc. cit.* etiamsi alia verba intermisceantur, interponantur (o): *cap. cit.* immediatè. Imò licitum est exhibere signa reverentiæ ad captandam benevolentiam, sive dicendo sive scribẽdo (o), ut

(o) D. R. Lezã. Verani.

(o), ut efficaciùs persuadeamus pœnitentiam: & sic salutatione ordinaria & titulo intrà apponere, si est spes correctionis; alioqui si non speratur correctio, non sunt tanta signa reverentiæ exhibenda. Potest etiam admitti ad Concionem, quia ad salutem ejus pertinet: ob corporalem utilitatem excommunicati vitandi, possumus v.g. ipsius avertere infamiam dum est in potestate nostra; cùm hoc exigat charitas. Possumus etiam dare ei eleemosynam si ita est indigens: idque desumitur ex *cap. Quoniam multos*, 11. *q.* 3. Et ipse potest privatim exigere à suo debitore debitum, ut ei restituat: per excommunicationem enim, ipse non privatur suo debitô; Et debitor de Jure naturæ restituere obligatur, cùm reddendū sit cuique quod suū est. Addo, *privatim:* quia in judicio ùt Actor non admittitur, *cap. Quia, de Exempt. in* 6. excepto dicto casu *suprà.* Vel est utilitas participantis; quia excommunicatio illius non est lata in nostrum nocumentum; sic ergò possumus petere ab excommunicato vitando consilium, implorare eleemosynam, Doctorem talem ad infirmum vocare, si alius non est &c. (o): *cap. Si verè.*

Excommunicatus admittitur ad Concionem.

26. Per verbum, *lex*, intelligitur lex matrimonii: *nam* (ùt ait Doctor Resolutus *loc. cit.*) *propter legem matrimonii, excusatur uxor, ut communicet cum viro excommunicato:* 11. *q.* 3. *cap. Quoniam multos:* Intellige in familiaribus, in mensa, & in iis quæ pertinent ad domûs gubernationem.

27. Excipe tamen casus aliquos. Quorum primus est, si excommunicatio lata sit causâ matrimonii, eò quòd hoc (ùt objicitur) non fuit legitimè contractum; tunc uxor tenetur abstinere à communione cum marito, donec causa finiatur in Consistorio. Ugolin. Veran. Alter. Bonac. Secundus est, si conjuges essent divortiô separati: quia tunc ratione divortii uxor esset libera ab obsequiis mariti; posset tamen cum eo conciliari durante excommunicatione, & cum eo cohabitare. Tertius casus est, si vir sit excommunicatus ob hæresim: *cap. Decrevit, de Hæretic. in* 6. Utrùm verò uxor cum marito excōmunicato, queat in Divinis communicare? Negant communiter DD. apud Bonac. *loc. cit.*

Casus in quibus tempore exōmunicationis cōjux non tenetur reddere debitum.

28. An maritus non excommunicatus, cum uxore excommunicata, possit in familiaribus, præter casus immediatè recensitos, & in eis quæ spectant ad matrimonium, communicare? *Resp.* duplicem esse hac in difficultate sententiam. Affirmativa est Ugolin. Bonac. Veran. Sayr. & aliorum communiter. Ratio illorum est: quia æqualitas mutua habetur quoad hoc inter illos, ùt colligitur ex *cap. Gaudemus, de Divortio.* Negativam sententiam proponit Doctor Resolutus *in* 4. *d.* 18.

Fœmina excōmunicato marito reddere debet debitum, nō verò vir uxori excommunicatæ.

q. 4. a. 3. per sequentia verba: *Nota tamen secundùm Raymundum, quòd non debet vir communicare cum uxore excommunicata, quia Jus, fœminas subditas esse voluit, & ideo cùm vir posset eam cogere ad satisfactionem petendam, imputatur sibi ad pœnam si ei communicet.* Utraque sententia, in fundamentis Doctoris Resoluti reconciliari potest per medium, si probabiliter judicat maritus per negationem communicationis uxorem ad pœnitentiam reduci posse, eam denegare tenetur; Si secùs, potest cum ea communicare; imò quoad debitum conjugale obligatur. Rotarius.

29. Verbum, *humile*, significat omnem subjectum posse communicare cum suo Superiore, communicatione ordinaria (p): *cap. Quoniam*, 11. *q.* 3. Sunt autem tales. Primò filii nondum emancipati: ita enim dicit Doct. Resol. *hoc intelligas de his, qui sunt in potestate Parentum, non de emancipatis: suprà*; cui subscribunt Veran. Bonac. Avil. & alii. Tenentur tamen filii emancipati præstare omnem reverentiam ubique Parentibus: Jus enim naturale hoc exigit; quàmvis in aliis cum eo communicare, v. g. cohabitare nequeant (p). Nomine verò filiorum in hoc privilegio, veniunt non tantùm filii adoptivi, aut carnales illegitimi, aut filiæ; sed etiam nepotes & pronepotes, imò gener, nuri, privigni vel privignæ; eò quòd beneficium Principis, latissimè explicandum sit, *cap. Cùm dilecti, de Donationibus*, & *cap. Olim, de Verb. signific.* Et nomine Patris, Avus, Proavus; præterea Mater, Avia, Noverca, Socrus &c. & Curatores, Tutores, non verò Patres cum quibus habent cognationem spititualem ratione baptismi. Ratio est: quia Jura non loquuntur de hujusmodi filiatione. Ita Bonac. *n.* 34. & alii apud eum. Secundò, per hoc verbum, *humile*, denotantur servi, sive ante sive intra excommunicationem Domini, servitium inchoantes (q): quia Gregor. in *cap. Quoniam multos*, absolutè sine restrictione loquitur de servis & filiis. Item ancillæ, rustici, saltem quoad culturam: *cap. Quoniam multos*, 11. *q.* 3. Idem intelligas (dicunt D.R. & Ostiensis) de nutritiis, consanguineis, & similibus; qui si à Domino recederent, non haberent unde viverent.

(p) S.Thō. in 4.d. 18.q. 1. a. 4.

(q) Bonac.

Qui communicare possunt.

30. Addidi, *communicatione ordinaria*: nam excipitur communicatio in crimine criminoso, aut si sit causa ut excommunicatus permaneat in excommunicatione, ùt dicit Doctor Resolutus *loc. cit. dum tamen eorum consiliō scelera non perpetrentur*, 11. *q.* 3. *cap. d. Quoniam multos*: tales enim participationes prohibentur omnibus, *suprà* recensitis subjectis.

31. Inde colligitur, quòd prædicti servi, cum suis Dominis; filii existentes sub potestate Parentum, cum eis; Capellani, cum suis Prælatis; in Divinis participare possunt. Et famuli excommunicati vitandi, licetsi.

licetsi nequeant secum communicare ordinariè; possunt tamen, quando in eodem opere, suo Domino inservire tenentur. Ita Ugolin. Filliuc. Bonac. & alii apud eum.

32. De Religiosis respectu Prælati eorum excommunicati vitandi, aliter dicendum; cùm ei tunc non sint subjecti, ùt dixi *suprà*. Idem dicendum de Clericis respectu Episcopi: quia in Episcopo excommunicato, tollitur, sive suspenditur jurisdictio; ergò etiam in Clericis tollitur sive suspenditur subjectio (r): & habetur hoc *cap. Miratus, d.* 93. & *cap. ult. de Except.* Utrùm vero Vasalli, cum suis Dominis communicare possint? Dicendum quòd non: nam hoc patet *cap. Nos Sanctorum*, 15. *q.* 6. Excipe casum, quantùm ad solutionem tributorum; cùm sit de Jure naturæ, reddere cuilibet quod suum est. Ugolin. Sayr. Bonac. *suprà*.

(r) Sylv. Bonac. Veran. contra Rotar.

33. Non tamen Parentes possunt communicare cum filiis excommunicatis; cùm ipsos corrigere possint & debeant, consequenter ad petendam & obtinendam absolutionem stringere. Nec Domini communicare debent cum mercenariis suis excommunicatis, si sine magno incommodo suo, possunt eos vitare; aliàs communicabunt (*infrà* ibi relatum): quia aliter, in fraudem possent mercenarii committere, quare excommunicarentur, ut à debito servitio se subtraherent. Doct. Resol. & Ostien. *loc. cit.*

34. Per verba, *res ignorata*, denotatur hoc, quòd ignorantia invincibilis & inadvertentia, excusent à culpa & censura participantem cũ excommunicato vitando. Nec sufficit notitia qualiscumque: nam imprimis notitiâ confessionis, extra confessionem uti non possumus: quapropter Confessarius, suum pœnitentem, etiam privatim vitare non potest, ùt patet ex dictis *de Sigillo confessionis*. Neque sufficit levis fama: vel quòd adversarius excommunicati, dicat illum esse excommunicatum (s), aut famâ publica, *cap. Cùm desideres*, aut ùt ab aliquibus fide dignis (t), vel aliqua persona valdè æstimanda cui meritò credendum est (u), aut ab ipso excommunicato (v) audivit. Nec satìs est scire ipsum esse excommunicatum, sed opus est insuper, ut innotescat ejus publica denuntiatio (x). Similiter non teneor percussorem Clerici vitare, de quo fama publica volat, quòd sit percussor Clerici; nisi sit publica, quòd publicè & notoriè Clericum percusserit (y): quia in Extravagante Martini V. *Ad evitanda*, requiritur quòd sit notorius Clerici percussor. Inde est, quòd si quis coram Joanne & Jacobo percussisset Clericum, & postea id divulgatum esset per Civitatem, ita fama publica esset, non tenerentur dicti Joannes & Jacobus percussorem præfatum vitare. Si verò audirent Prælatum, denuntiantem dictum percussorem esse excommunicatum, ubi hæc denuntiatio esset ignota,

(s) D. R. l. c. Veran. Bonac.

(t) D. R. Bonac. Marius contra Verã. Sãch. & alios.

Fama non facit vitandum.

(u) D. R. l. c.

(v) Sylv. Bonac.

(x) Verani.

(y) Veran. Bonac. Avil. l. c.

Modus vitãdi excõmunicatum.

ignota, privatim dictum percussorem vitare obligarentur. Itá enim D. R. *loc. cit.* & Ostien. *de Qualit.* dicit: *quòd notoriè excommunicatus, publicè debet vitari, & occultus, occultè; quòd intelligit non solùm in occulto, sed in publico:* quibus subscribunt Avil. Rotar. contra Bonac. Ultrà dicit Ostien. (apud D. R. *loc. cit.*): *quòd si Sacerdos videat talem in Ecclesia, debet monere secretè eum & cautè, ne alii percipiant, ut exeat.* Et addit generaliter: *quòd si is qui hoc scit, cautè exiret, ut excommunicatus rubore confusus ad absolutionem habendam moveretur, non reprobaretur.*

35. Per verbum, *necessè*, denotatur necessitas notabilis, sive spiritualis sive corporalis, sive excommunicati sive communicãtis. Sed de hoc dixi sub particula, *utile.*

36. Præterea effectus excommunicationis majoris est, quòd si quis in ea per annum insordescat, tamquam de hæresii suspectus, citari ad Sacram Inquisitionem potest, juxta *cap. Gravem, de Pœnis*, & Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. Et quòd si citatus ad se purgandum de tali suspicione, non se purgaverit, tunc ab illa iterùm excommunicatur: & si per annum insordescit, reputatur ùt hæreticus, *cap. Cùm contumacia, de Hæret. in* 6. privatur beneficiis. Abbas & alii Doctores in *cap. Cùm bonæ, de Ætat. & qualit.* habetur etiam *cap. Rursùs & ea quæcumque*, 11. *q.* 3. De his videndus est Lezan. *loc. cit. n.* 52.

Quid de sepultura excõmunicati.

37. Ultimatus effectus excommunicationis majoris est, quòd si excõmunicatus vitandus, ante absolutionem ab ea moriatur, non potest sepeliri in loco sacro, hoc est in Ecclesia vel cœmeterio, vel alio loco ad sepulturam vel Divina officia peragenda, legitima authoritate destinato: liquet ex *cap. Sacris, de Sepult.* & Clementin. *eod. tit.* Ratio est Pontificis ibi: quibus non communicamus vivis, neque mortuis communicemus. De his,

38. Notandum primò, si dictus excommunicatus dederit signa contritionis in articulo mortis, non tantùm si fuerit à quocumque Sacerdote absolutus, *cap. ult. de Sepult.* (z); sed etiam si non fuerit absolutus, potest post mortẽ absolvi & sepeliri in loco sacro & frui suffragiis Ecclesiæ: *cap. A nobis*, 2. *cap. Sacris, de Sentent. excom.* Declaratio enim est Sacræ Congregationis apud Barbos. *in Compend. Bul. verb. Excommunicatio*, quòd si excommunicatus in mortis articulo dixit confessionem &c. Ecclesiasticæ sepulturæ tradi debet. Secundò, quòd sepelientes excommunicatum vitandum in loco sacro, non tantùm peccant mortaliter, & incurrunt excommunicationem minorem, quam communiter communicantes incurrunt; sed insuper, scienter hoc præsumentes, incurrunt excommunicationem majorem, à qua absolvi non possunt,

(z) Ugolin. Lezan.

Sepelientes excõmunicatum incurrunt excom.

poſſunt, donec ad arbitrium Epiſcopi Diœceſani ſatisfaciant eis quibus irrogata eſt injuria. Ita habetur in Clementina 1. *de Sepult.* Ugolin. Lezan. Veran. Bonac. & alii apud eos. Incurrunt inſuper pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ: colligitur ex *cap. Epiſcoporum, de Privil. in* 6. Et excommunicati cadaver, vel oſſa ſi diſcerni poſſint ab aliis, debent ejici, & ſepeliri in loco non ſacro: neque interim alii fideles in hoc loco ſepeliri, aut Divina officia celebrari: & poſt exhumationem, locus reconciliari debet, *cap. Conſuluiſti, de Conſecrat. Eccleſ.* quia per ſepulturam excommunicati, locus ſacer polluitur. Plura *ſuprà, d.* 5. *ſer.* 5. *ſect.* 2. *n.* 9. 10.

39. Ad hanc Sectionem pertinet propoſitio damnata, *Ab Alexandro VII.* 44. Reô correcto ejusque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

SERIES IV.

De variis ob varias cauſas excommunicationibus.

SECTIO I.

De excommunicatione incurſa propter violentam injectionem manuum in Clericum, vel Monachum.

1. QVi nomine Clericorum veniunt, dixi *ſuprà, d.* 7. *de Pœnit. ſer.* 3. *n.* 7. 8. & *d.* 9. *de Sacram. Ord. ſer.* 1. *ſect.* 1. *n.* 3. 4. Nomine Monachi veniunt omnes Religioſi (a) utriusque ſexûs, etiam Converſi & Converſæ, Novitii & Novitiæ. Hi omnes modò dicti, gaudent privilegiô Canonis, quod eſt ab Innoc. II. *cap. Si quis ſuadente diabolo, hujus ſacrilegii vitium vel crimen incurrerit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit; anathematis vinculo ſubjaceat: & nullus Epiſcoporum, illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.*

(a) Bonac. d.2.q.4.p.3. Lezan. v. Cler. Veran. n.37. p.794.

Privilegium Canonis.

2. Gratiâ explicationis hujus privilegii, notanda ſunt aliqua. Primò, quòd per particulam *ſi quis*, intelligatur etiam fœmina, prout ex Gloſſa & Archidiacono probat Sylveſter *verb. Excommunicatio in* 6. *n.* 1.

Declaratur

3. Et quàmvis dicta particula, *ſi quis*, in hoc Canone, comprehendat offendentes Clericos aut Monachos; lata tamen excommunicatio hoc Canone, ad mandantes, conſulentes, conſentientes, & non impedientes quibus vî officii ſeu ex juſtitia incumbit impedire, item ratam habentes percuſſionem nomine ſuo factam, extenditur *cap. Mulieres,*

eres §. *ult.* & *cap. Quantæ, de Sentent. excom.* & *cap. Cùm quis, eod. tit. in* 6. (b). Et sic Monialis percutiens alteram, vel Conversum, vel Conversam, aut Clericum, incurrit excommunicationem: sed non est opus ut pro absolutione recurrat ad Sedem Apostolicam; cùm ita declaraverit Innoc. III. *cap. de Monialibus*, per sequentia: *super hoc igitur, tuæ consultationi taliter respondemus: ut per Episcopum in cujus Diœcesi Monasteria fuerint, absolvantur.* In Corp. Jur. Can. *lib.* 5. *tit.* 39. *Decretal. Gregor. fol.* 274. Notandum, quòd per hanc Bullam non revocentur privilegia, habentium potestatem absolvendi à Papalibus; cùm nulla particula irritans privilegia apponatur. Imò hæc Bulla antecedit privilegia de quibus *suprà*.

(b) Lezan. v. Cler. n. 8. Bonac. Navar. Veran.

4. Per injectionem violentarum manuum in Clericum vel Monachū, juxta communem sensum Theologorum (c), intelligitur quæcumque actio immediatè vel mediatè attingens Clericum aut Monachum, ei, aut Ecclesiæ, vel Religioni injuriosa.

(c) Sylv. Cajet. v. Excō. c. 10. Lezan. v. Cler. n. 7. Bonac. q. 4. p. 1. §. 1.

5. Qualis autem illa actio esse debeat, ut excommunicatio incurratur; dixi *d.* 7. *de Sacram. pœnit. ser.* 3. *n.* 9. Et quæ excusant à tali excommunicatione, seu qui sunt casus, in quibus percussor Clerici non incurrit excommunicationem; in eadem Serie, ex Apostolicis decisionibus deduxi.

Quæ actio venit nomine percussionis Clerici.

6. Ex his omnibus aliqua addendo, collige 1. quòd non tantùm ille incurrat dictam excommunicationem, qui percutit Clericum manu; sed etiam ille qui pede. Et ratio est præter sensum communem; cùm sit actio ipsi magis injuriosa dum pede percutitur, quàm si manu. Imò & tunc, quando ei aliquid è manibus vî eripit, aut è corpore ejus (d): tunc enim mediante tali re ei unita, attingit ipsum Clericum. Idem dicendum, si equum vulneret aut percutiat cui insidet Clericus, aut malitiosè frenô apprehenso detineat (d). Item non tantùm tunc quando spuit in Clericum, sed etiam quando aquâ aut pulvere, injuriosè conspergit eum (e); aut in terrorem, sclopetum explodit in Clericum, & ille ex solo timore cadat, & moriatur (f): quia talis actio est violenta, & Clerico injuriosa.

(d) Lezan. v. Cler. n. 7. Tolet. l. 1. c. 31. Bonac. Sylv. Cajet. l. c.

(e) Tol. Lezan. l. c. & alii apud eos.

7. Collige 2. licetsi insequens Clericum non incurrat dictam excōmunicationem, eò quòd Clericus fugiens, cecidit ex equo, quia hoc ei per accidens contigit; secùs tamen dicendum si hoc præviderit (g), aut malitiosè abscidit cingulum ephippii, aut insequendo eum coëgit Clericum quòd se præcipitem in flumen dederit, aut in foveam: aut eum in custodia etiamsi sine ulla læsione physica detinet, sive publicè sive privatim, sive sit persona privata sive Judex. Ita enim ab Innoc. III. *cap. Nuper*, ordinatum est per sequentia: *Nos igitur requisitioni*

(f) Filliuc. Bonac.

(g) Bonac. Verā. Sylv.

tuæ

tuæ respondemus: quòd non credimus laicos, pœnam excommunicationis evadere, quàmvis per eorum factum, corporalis læsio non fuerit subsecuta.

8. Tertiò, etsi non incurrat dictam excommunicationem fur, qui furaretur Sacerdotis dormientis vestes omnes, propter quod cogeretur non exire domô, aut ejus vestes malitiosè dilaceraret (g), ut communiter docetur; incurreret tamen, si eas ei adhærentes dilaceraret (g): quia tunc actio injuriosa attingeret ipsum Clericum.

9. Quartò, quòd Clericus, factus bigamus bigamia reali amittrit privilegium Canonis (h); non verò Clericus bigamus bigamiâ similitudinaria: cùm de tali, hoc non exprimant Jura. Glossa in *cap. Unico*, Bonac. & alii.

(h) cap. Cler. d. 21. & cap. Cùm cōtingat, de Ætat. & cap. unico, de Cler. cognat.

10. Neque bigamus bigamia reali Clericus, aut laicus Religiosus, privatur hocce privilegiô (i): quia nullo Jure privatur privilegiô Religionis (i).

(i) Sylv. v. Bigam. q. 8. Sayr. l. 3. c. 27. n. 32. Bonac. & alii cōmuniter.

11. Quintò, quòd Tertiarii & Tertiariæ, intra septa Conventuum viventes sub regula Religionum, gaudeant privilegiô præfato Canonis, quamdiu perseverant in suo statu intra septa Conventuum, non minùs quàm Novitii. Secùs de eis est dicendum, si in domibus suis maneant. Ita docent Carolus de Graffis, Alterius, Filliuc. & alii cum Bonac. *de Excom. d. 2. q. 4. p. 3. n. 10. fol.* 472.

Clericum ùt laicum incedentem percutiens quã do incurrit excom.

12. Sextò, quàmvis aliquis non incurreret dictam excommunicationem, si percuteret Clericum inhonestè viventem, qui post trinam monitionem Episcopalem incederet ùt laicus, absque habitu Clericali; incurreret autem, si ante tertiam monitionem hoc fecisset: quia Jura Ecclesiastica, non privant tales privilegiô Canonis, nisi post tertiam monitionem, prout decisum à Clemente III. legitur, *cap. Indulgentia nostra*: ubi propositum est Pontifici, utrùm Clerici, qui arma militaria relicto habitu Clericali gestare nullatenùs erubescunt, si eis fuerit injuria corporalis illata, illâ Clericorum debeant immunitate gaudere, quâ, pro temeraria manuum injectione facta in Clericum, excommunicatus quis ipso Jure notatur? *Rdet* Pontifex, quòd hujusmodi Clerici, si à Prælatis suis tertiò commoniti, militaria noluerit arma deponere; de privilegio Clericorum, subsidium aliquod habere non debent. In Corp. Jur. Can. *lib.* 5. *tit.* 39. *Decretal. Greg. IX. caus.* 25. *fol.* 272. Et *cap. Contingit* (k), ubi de Clericis more laicorum incedentibus, inhonestè viventibus, idem Pontifex sic dicit: *volumus & mandamus, ut tales si tertiò moniti, se ipsos contempserint emendare, illius efficiantur immunitatis exortes, quæ pro Clericorum tutela, & laicorum violētia coërcenda, dignoscitur instituta.* In Corp. Jur. Can. *loc. cit. fol.* 276.

(k) Clemēs de Vita & honest. Cleri cor.

13. Septimò, etiamsi Clericus consentiat percussioni; percutiens violenter eum, non excusatur à dicta excommunicatione: quia quàmvis

vis non fit illa percuffio injuriofa Clerico, eft tamen injuriofa ftatui Clericali & Ecclefiaftico (l); excommunicatio autem non folùm incurritur quando eft percuffio injuriofa Clerico, fed etiam quando eft talis ftatui Ecclefiaftico, ùt habetur in *cap. cit. Contingit.* Ob hanc rationem multi DD. apud Lezan. Bonac. dicunt, Clericum ex ira malitiosè fe graviter percutientem, incurrere excommunicationem.

(l) Lez. l. c. n. 7. Bonac. p. 2. n. 5.

An percutiens Apoftatam incurrit excom.

14. Percutiens Apoftatam in vefte fæculari, etiam fciens effe talem, incurrit excommunicationem: tenent de Leone *tr. de Cenfur. recoll.* 5. *n.* 37. de Alcolea *de Irregular. refol.* 39. Econtra etiam vulnerans eû, quem fcit manifeftè hæreticum, minimè cenfuram incurrit. Ita Portel. *in Dub. Regular. verb. Manus violenta*, *n.* 4. de Alcolea *tr.* 2. *de Cenfur. refol.* 39.

SECTIO II.

De excommunicatione ob hærefim & lectionem librorum vetitorum.

I. DE hærefi, excommunicatione propter eam, & abfolutione ab ea; dixi *de Pœnit. d.* 7. *fer.* 4. *fect.* 1. incipiendo à *n.* 23. ufque ad *n.* 30. item ibi *fect.* 2. à *n.* 2. ufque ad finem *numeri* 13. & *fect.* 3. *n.* 3. 4. Reftat dicendun de excommunicatione, ratione librorum. Quare

De prohibitione librorum.

2. Imprimis fciendum de prohibitione librorum, quòd fit duplex generalis; prætermiffis particularibûs quæ fieri folent ab Inquifitoribus & Epifcopis. Prima vocatur Iudicis, ex Bulla Pii IV. quæ incipit, *Dominici gregis*: & habetur in 2. *tom. Bullar. inter Conftitutiones ipfius n.* 77. ubi hæc: *Qui hæreticorum libros, vel cujusvis Authoris fcripta, propter hærefim vel falfi dogmatis fufpicionem damnata, atq; prohibita, legerit habueritve; ipfo Jure in excommunicationis pœnam incidat: eamq; ob caufam, in eum tamquam hærefi fufpectum, inquiri & procedi liceat; præter alias pœnas, fuper hoc ab Apoftolica Sede facrisq; Canonibus conftitutas. Qui autem libros alia de caufa prohibitos legerit, habueritve; præter peccati mortalis reatum, Epifcoporum arbitriô feverè fe noverit puniendum. Non obftantibûs* &c.

3. Secunda eft ex Bulla Cœnæ Domini, quâ excommunicamur, excommunicatione Papæ refervata, fequentibûs: *Eorumdem* (fcilicet hæreticorum) *libros hærefim continentes, vel de Religione tractantes, fine authoritate noftra & Sedis Apoftolicæ fcienter legentes, aut retinentes, feu quomodolibet defendentes, ex quavis caufa, publicè vel occultè, quovis ingenio vel colore* (a).

(a) Lezan. v. Liber, n. 15.

4. Unde

4. Unde differentia eſt & ſolutio caſuum, quòd quàmvis peccet mortaliter, & arbitriô Epiſcopi poſſit ſeverè puniri, ille qui legit aut retinet librum, alia de cauſa non ratione hæreſis prohibitum; neutram tamen dictarum excommunicationum incurrit. Qui verò librum propter falſi dogmatis ſuſpicionem damnatum atque prohibitum legit, aut retinet; incurrit excommunicationem à Pio IV. latam, à qua poteſt abſolvi à quocumque Confeſſario, cùm nulli ſit reſervata, ùt videre eſt in Bulla: à cujus incurſione excuſantur defendentes, eò quòd non exprimantur in Bulla dicta. At ſi ille liber contineat hæreſim, aut de hæreſi tractet, ſive ſit damnatus ſive non; nemo illum (ſine Sedis Apoſtolicæ licentia) legere, retinere valet: alioquin incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, in Bulla Cœnæ Domini latam, ùt patet ex *loc. cit.* & uſu eſt receptum: contra Graffium *n.* 40. Bonac. *n.* 20. Sive magnus ſive parvus (b), ſive typîs excuſſus ſive manu ſcriptus (c): quia eſt verè liber. Quapropter legens aut retinens litteram, aut concionem hæreſim continentem; non incurrit excommunicationem latam à Pio IV. niſi ſit prohibita propter hæreſim, ùt patet legenti eam Bullam: & etiamſi ſit propterea prohibita, non incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, reſervatam Papæ; cùm non ſit liber: quidquid dicant Ugolin. *de Caſibus Papæ reſervatis* 2. *p. cap.* 1. Dian. *p.* 1. *tr.* 11. *reſol.* 34. Ratio eſt: quia non eſt liber; & Bulla loquitur de libris. Ita ſentiunt Lezan. *verb. Liber, n.* 20. Sanch. Portel. Fagundez.

Retinens librum alia causâ damnatum.

Propter ſuſpicionem falſi dogmatis.

Si contineat hæreſim.

(b) Nald. v. Bulla Cœnæ, n. 8.

(c) Sancta rel. de Hæreſ. c. 13. n. 6. Suar. t. 5. in 3. p. d. 20. ſect. 2. n. 10. Lezan. v. Liber, n. 20.

5. Si dicas cum Caſtropalao *tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 4. *d.* 2. *punct.* 10. §. 1. *n.* 4. & Diana *loc. cit.* prohibitio librorum non eſt odioſa ſed favorabilis, quia eſt in favorem fidei & defenſionem Catholicorum. *Reſp.* quàmvis; Eccleſia tamen ùti Mater permittit, & in uſu retinet, in propoſito non ampliare ne ſequantur majora inconvenientia.

6. Libri de Religione tractantes dicuntur, qui de Sacra Scriptura, Theologia, cultu Dei & Sanctorum, Papa, Epiſcopis, Cardinalibus, Clericis, Monachis, moribus chriſtianis, & ſimilibus tractant; non qui de hiſtoria, chronographia, arithmetica, medicina, artibus liberalibus, & ſimilibus: illa enim non iſta, ad Religionem ſpectant. Ita Lezan. *loc. cit. n.* 22. Suar. & Ugolinus.

Libri de Religione.

7. Et ſicut, ùt libri dicantur hæreſim continentes, ſufficit, ut contineant unam hæreſim, cùm de eis verificentur verba Bullæ, ſcilicet *hæreſim continentes*; ſimiliter ob eamdem rationem ſufficit, ut dicantur tractantes de Religione, ſi aliquid habeant admixtum, contrarium fidei orthodoxæ. Et etiamſi non legat partem illam libri, in qua hæreſis continetur, ſed aliam in qua non continetur; incurrit cenſuram,

contra legentes libros hæresim continentes (d): quia reverà legit librum Hæretici, hæresim continentem.

(d) Dian. de Alcol. de Offic. resol. 145. n. 5.

Casus.

8. Quid si deleatur hæresis, aut folia continentia errorem extrahantur; incurritur ne tunc excommunicatio? Controvertunt DD. Et sunt pro negativa sententia Peuro & Crousons. Pro affirmativa Bonac. *p.* 4. *n.* 3. Dian. *de Potestat. Inquisitor.* de Alcolea *resol.* 146. Lezan. *loc. cit. n.* 20. Ego verò sic dico: Vel liber est Hæresiarchæ? Eum taliter emendatum legens, non habens licentiam neque authoritatam legendi, incurrit excommunicationem latam à Pio IV. nam in secunda Regula Indicis, omnes libri Hæresiarcharum, cujuscumque tituli, aut argumẽti damnantur; & quidem ratione hæresis: quapropter (ùt dictum est in Bulla *suprà*) legens, incurrit dictam excommunicationem. Vel est liber Hæretici, non Hæresiarchæ? Taliter emendatus liber, potest à quocumque legi: quia in ea Regula Indicis, libri Hæreticorum solùm ii prohibentur legi, qui de Religione ex professo tractant: & per Bullã Cœnæ Domini, prohibentur qui tractant aut continent hæresim. Et quàmvis in secunda Regula Indicis permittantur illi legi, qui non tractant de Religione, si à Theologis Catholicis, jussu Episcoporum & Inquisitorum sunt examinati & approbati; non tamen ibi dicitur, quòd alioquin incurrant censuram legentes: nec in Regula octava, ea intimatur cẽsura. Qui ob aliud motivum non ob hæresim legi prohibẽtur, nõ prohibẽtur sub pœna excõmunicationis sed sub peccato mortali & pœnis Episcoporum arbitriò impositis, ùt videre est in *cit.* Bulla 1. *suprà.* Lezan. *loc. cit. n.* 23. contra Bonac. *d.* 2. *q.* 5. *prop.* 2. *n.* 20.

Ad incurrẽdam excom. in legendo quid requiritur.

9. Ex utraque Bulla *cit.* ad incurrendam dictam excommunicationem, requiritur ut sit liber Hæretici: proinde legens aut retinens librum alicujus Gentilis, aut Hæbræi, aut Machometani, etiam continentem hæresim; non incurrit aliquam ex dictis excommunicationem: quia isti non sunt Hæretici, & textus loquitur solùm de Hæreticis. Docẽt Ugolin. *loc. cit.* Portel. *in Dub. Regular. verb. Libri, in addition. n.* 5. Sanch. *loc. cit.* Idem dicendum ob eamdem rationem, de legente aut retinente librum Catholici alicujus, in quo sunt insertæ hæreses Hæreticorum (d); etiamsi intendat legens, scire errores Hæreticorum: quia talis liber non est Hæretici, sed Catholici: nec prohibitus, sed potiùs approbatus, ùt supponitur. Idem dicendum de legente aut retinente libros Catholicorum, elucidatos per breves annotationes seu scholia Hæreticorum, secundùm Lezan. *loc. cit. n.* 19. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 21. *sect.* 2. *n.* 11. Dixi, *per breves:* nam si ita sint copiosæ, ut videatur esse liber Hæretici; secùs putant dicendum. At oppositum tenent Bonac. *n.* 19. Dian. *p.* 1. *tr.* 14. *resol.* 32. Ratio est eorum: quia liber Authoris

(d) Nald. Azor. Lezan.

thoris

thoris Catholici, licèt commentarios copiosos alicujus Hæretici habeat; non est tamen liber Hæretici, sed Catholici: sicut D. Thomæ, nō appellamus librum Cajetani; quàmvis majori ex parte, constet ex cōmentariis illis à Cajetano adjectis, ùt Sousa contra Suar. concludit.

10. Ut quis ratione libri incurrat censuram; conditiones quoad lectionem requiruntur: Primò, ut sciat librum esse prohibitum, & tamē consultò velit legere: nam ignorantia excusat ab excommunicatione, ùt dixi *suprà*. Secundò requiritur, ut intelligat quid legit. Ita probabiliùs docent Fagund. Sanctarel. Lezan. *loc. cit.* contra Valid. & Bonac. Ratio est: quia nullum periculum est in anima; dummodo non legat coram aliis, v.g. coram Polonis Germanus polonicè. Non tamen propter hanc rationem aliquis excusatur ab excommunicatione, quòd nullum timeat periculum: nam præterea est aliud motivum, ob quod Ecclesia prohibet lectionem librorum talium; scilicet ne communicemus formaliter cum Hæreticis, eorum libros aut scripta legendo (f); sive linguâ exprimat sive non, ea quæ in libro oculis percurrit: nam lectio non consistit in prolatione verborum. Ita Graff. 1. *p. Decis. lib.* 4. *c.* 18. *n.* 45. Ugolin. *hîc vers. Eorum libros,* Antonius de Sousa *d.* 13. *n.* 5. Bonac. *de Censur. in Bulla Cœnæ contentis d.* 1. *q.* 2. *punct.* 4. *prop.* 2. *n.* 12. Et sive per se sive per alium legat (g): quia qui facit per alium, per se facere censetur. Sed datur ne in proposito parvitas materiæ, excusans ab excommunicatione? Non conveniunt DD. Tolet. *lib.* 1. *c.* 19. *n.* 9. & Ugolin. *in Explic. Can. Bullæ Cœnæ*, negativam sententiam tenent: quare per ipsos, sufficit unam lineam, aut minùs legere, dummodo sensus lectione compleatur. At contra hos, pugnat ratio hæc: parvitas excusat à mortali; ergò debet & à censura, cùm censura præsupponat mortale. Lezan. *n.* 18. Alii econtra affirmativam: sed hi iterùm non concordant. Sousa *in Bul. Cœnæ cap.* 3. *d.* 13. *n.* 8. dicit, parvitatem materiæ esse pauca verba. Mendosa unam lineam vel alteram. Alii concedunt tres lineas: ùt sunt Monella, Pesantius *in* 2.2. *q.* 56. *a.* 2. *d.* 6. Graf. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 45. alii decem: ùt Sayr. *de Censur. lib.* 3. *tom.* 5. *n.* 22. Castrop. Alii, nempe Sanch. Durand. extendunt hanc parvitatē materiæ, usque ad integram paginam libri in folio impressi. At hæc opinio nimis laxa esse videtur, docet Lezan. *loc. cit. n.* 18. *Mihi tamen videtur dicendum, quòd quemadmodum in materia furti illa dicitur parva materia, in qua spectatis circumstantiis, non infertur nocumentum grave illi, cui res aufertur; sic in præsenti, ea dicetur parva materia, per cujus lectionem, inspectis circumstantiis, legentis &c. non timetur grave periculum perversionis ipsi legenti.* Ita Becan. Dian. *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 30. maximè *p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 42. Et cùm dicatur in Bul. Cœnæ,

Cōditiones.

(f) Lez. l. c. n. 20. Nald.

(g) Graff. Nald. n. 14. Lez. l. c. n. 21. contra Bonac. l. c. n. 11.

Parvitas materiæ in lectione.

sine authoritate nostra & Sedis Apostolicæ, patet non posse Episcopum dare licentiam legendi tales libros, nisi in casu magnæ necessitatis, quô non potest Papa aut Sacra Congregatio adiri: tali enim casu præsumitur Sedes Apostolica dare facultatem Episcopis, ùt communiter docent DD. cum Patre Lezan. & Bonac.

De audiēte. 11. De audiente, dicendum: si est authoritate vel mandatô causa, ut talis liber legatur, sic dominus si jubeat servum &c. talis incurrit excommunicationem, ob rationem datam.

12. Si verò est causa suadendo, monendo, petendo, consulendo; nō incurrit illam. Ratio est: quia dicta censura non imponitur audientibus, suadentibus &c. sed legentibus. Ugolin. Fagund. Lezan. *loc. cit.*

Deretinēte. 13. De retinente advertendum, quòd sive librum impressum sive scriptum, sive integrum sive partem aut paginam, sive apud se sive apud alium, sive curiositatis sive necessitatis causâ, v.g. ad obvolvendos caseos retineat; incurrit censuram latam contra retinentes (h): quia est verè retinens materiam, prohibitam sub tali censura. Excusat tamen eum parvitas temporis, dies una & altera, juxta Sanch. Reginald. Bonac. *loc. cit.* Nec debent Sæculares personæ propria authoritate dictos libros comburere, sed propter Constitutionem Julii III. reddere Inquisitori aut Ordinario loci: docent Lezan. *suprà*, *n.* 16. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *q.* 11. Quapropter excusaretur à censura, diutiùs retinens dictum librum, oportunitatem expectans, ut Ordinario eum reddat. Plures tamen asserunt, posse propria authoritate eos comburi à quocumque. Ita Diā. *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 37. Fagund. & alii.

(h) Ugolin. p. 2. cap. 1. Graff. Bonac. de Excom. d. 2. q. 5. n. 15.

De defendēte. 14. Circa particulam, *defendentes*, advertendum hoc, quòd non tantùm impediens, ne inveniantur ab Inquisitoribus, ne comburantur tales libri; sed etiam affirmantes eos non esse pravos, sed bonos aut utiles Reipublicæ, aut non esse subjiciendos igni, incurrunt latas cēsuras contra defendentes (i): cùm Bulla *suprà* dicat: *quomodolibet defendentes, ex qualibet causa*. Secùs dicendum, dum de illis, qui stylum aut ingenium ignorant laudarent: sic enim secundùm Bonac. & Lezan. non diceretur librum defendere.

(i) Lez. l. c. n. 27. Bonac. n. 18. Ugolin. cōtra Suar. de Fide d. 20. sect. 2. n. 25.

De imprimente. 15. Sub particula, *imprimentes*, expressa in Bulla Cœnæ Domini, comprehenduntur, Author libri, vel alius tradens librum ad imprimendum, Dominus typographiæ de cujus mandato imprimitur; item omnes concurrentes ad componendos simul characteres, ùt sunt qui chartam humectant, vel typîs excutiunt. Ita Ugolin. Filliuc. Durand. Graff. & alii.

Quid liber famosus. 16. De libello famoso notanda: Primò, quòd sit scriptura, vel signū infamiam continens alicujus, de crimine occulto, illud publicans, prout defi-

definiunt Sylv. *in Sum. verb. Libellus*, *n.* 4. Lezan. *loc. cit. n.* 31. Bonac. *de Contract. d.* 2. *q.* 4. *p.* 9. *n.* 1. Dicitur *Signum:* quia etiã figura, imago &c. exprimens aut publicans defectum occultum alicujus, venit nomine libelli famosi. Molina *tr.* 4. *de Instit. d.* 35. *n.* 4. Portel. *verb. Libellus famosus*. *De crimine occulto:* quia si crimen fuerit publicum, illud quomodocumque publicans, non erit reus libelli famosi, inquiunt Lezan. cum Bonac. & Portel. *suprà*. *Illud publicans*, scribens in littera alicui alterius defectus occultos, hancque litteram ei mittens, aut in aliquo loco imponens ut ab eo videatur; dummodo non intendat ut ab aliis reperiatur, non est reus hujus criminis: immediatè citati. De crimine occulto.

17. Secundò, quòd sint pœnæ, talium Authorum: pœna enim capitis puniuntur tales: *leg.* 1. *cod. de Libello famoso.* Item verberantur & excommunicantur, 5. *q.* 1. per varios Canones. Sunt etiam infames: *leg. Ob crimen, ff. de Testibus, cap. Si Testes*, 4. *q.* 3. Sayr. *in Clavi Reg. lib.* 12. *cap.* 4. *n.* 10. Thesaur. *in Praxi p.* 2. *verb. Libelli famosi, cap.* 1. Hæ pœnæ ex Constitutionibus Pii V. quæ incipit, *Romani Pontificis*, in Constitution. ipsius *n.* 147. & Gregor. XIII. quæ incipit, *Ea est rerum*. Extenduntur etiam ad cooperantes in hoc crimine, ùt sunt scribentes, imprimentes, defendentes, aut alio modo circa hanc materiam delinquentes. Ita Sayr. Portel. Lezan. *loc. cit.*

18. Tertiò, quicumque libellum famosum, in vulgari aut alio sermone, nec non cantilenas vel rythmos edere, vel detinere, vel publicare præsumunt in infamiam statûs Ordinis Prædicatorum, vel Minimorum; sunt excommunicati, excommunicatione Papæ reservata, ab Alexandro IV. in privil. *Ex alio.* Et in alio, *Non sine multa.* Lezan. *n.* 32. Cajet. *verb. Excommunicatio, cap.* 81. Sayr. Bonac. *suprà*. Idem dicẽdum de talibus contra alios Ordines, propter communicationem privilegiorum. Secùs verò si contra unum aut alterum Religiosum, talia scribantur: quia ea privilegia solùm loquuntur de facientibus illa contra statum eorum Religiosorum, non contra unum aut alterum, dicit Lezana *suprà*.

19. Circa impressionem librorum, consideranda & servanda sunt decreta sequentia. Primum extat Concilii Lateranen. sub Leone X. *sess.* 10. & habetur in Bulla ejusdem Leonis, inter Constitutiones ipsius *n.* 12. *in* 1. *tom. Bullarii*, ubi sic: *statuimus & ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibûs, nullus librum aliquem, seu aliam quamcumq; scripturam, tam in Vrbe nostra, quàm aliis quibuscumq; Civitatibus & Diœcesibus imprimere, seu imprimi facere præsumat; nisi priùs, in Vrbe per Vicarium nostrum & S. Palatii Magistrum, in aliis verò Civitatibus & Diœcesibus per Episcopum, vel alium habentem peritiam scientiæ libri, seu* Circa impressionem.

ſcripturæ hujusmodi imprimendæ, ab eodem Epiſcopo ad id deputandum, ac Inquiſitorem hæreticæ pravitatis Civitatis ſive Diœceſis in quibus librorum impreſſio hujusmodi fieret, diligenter examinetur, & per eorum manu propria ſubſcriptionem ſub excommunicationis ſententia, gratiâ, gratis, & ſine dilatione imponendam, approbentur. Qui autem ſecùs præſumpſerint, ultra librorum impreſſorum amiſſionem, & illorum publicam combuſtionem, ac centum ducatorum fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe ſine ſpe remiſſionis ſolutionem, ac anni continui exercitii impreſſionis ſuſpenſionem; excommunicationis ſententiâ innodatus exiſtat: ac demùm ingraveſcente contumacia, taliter per Epiſcopum ſuum vel Vicarium noſtrum reſpectivè per omnia Juris remedia caſtigetur, quòd alii ejus exemplô ſimilia minimè attentare præſumant. Secundum eſt Concilii Tridentini *ſeſſ.* 4. ubi ſic habetur: *nullique liceat imprimere, vel imprimi facere, quosvis libros de rebus ſacris ſine nomine Authoris, neque illos in futurum vendere, aut apud ſe retinere; niſi primùm examinati probatique fuerint ab Ordinario, ſub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Concilii noviſſimi Lateranenſis appoſita. Et ſi Regulares fuerint, ultra examinationem & probationem hujusmodi, licentiam quoque à ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam ſuarum ordinationum. Qui autem ſcriptô eos communicant vel evulgant, niſi antea examinati probatique fuerint, eisdem pœnis ſubjaceant, quibus impreſſores. Et qui eos habuerint vel legerint, niſi prodiderint Authores, pro Authoribus habeantur. Ipſa verò hujusmodi librorum probatio, in ſcriptis detur; atque ideo in fronte libri, vel ſcripti vel impreſſi, authenticè appareat. Idque totum, hoc eſt, & probatio & examen gratìs fiat, ut probanda probentur, & reprobentur improbanda.*

20. Aliqua etiam ſtatuta ſunt circa librorum impreſſionem, in Indice librorum prohibitorum, authoritate Pii IV. primùm edito, poſtea à Sixto V. aucto, & à Clemente VIII. recognito & publicato, ubi *Regul.* 10. ſic: *In librorum aliarumve ſcripturarum impreſſione, ſervetur quod in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ.* 10. *ſtatutum eſt. Quare ſi in Alma Vrbe Roma, liber aliquis ſit imprimendus, per Vicarium ſummi Pôtificis, & S. Palatii Magiſtrum, vel perſonas à Sanctiſſimo D. N. deputandas priùs examinetur; in aliis verò locis, ad Epiſcopum, vel alium habentem ſcientiam libri, vel ſcripturæ imprimendæ, ab eodem Epiſcopo deputandû, ac Inquiſitorem hæreticæ pravitatis, ejus Civitatis vel Diœceſis, in qua impreſſio fiat, ejus approbatio & examen pertineat, & per eorum manum propria ſubſcriptione, gratìs & ſine dilatione imponendam, ſub pœnis & cenſuris in eodem Decreto contentis approbetur. Hac lege, & conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, & manu Authoris ſubſcriptum, apud examinatorem remaneat. Eos verò qui libellos manu ſcriptos vulgant, niſi*

nisi antè examinati probatiq; fuerint iisdem pœnis subjici debere judicarūt Patres deputati, quibus impressores. Et qui eos habuerint & legerint, nisi Authores prodiderint, pro Authoribus habeantur. Ipsa verò hujusmodi librorū probatio, in scriptis detur, & in fronte libri, vel scripti vel impressi, authenticè appareat, probatioq; & examen, ac cætera gratis fiant.

21. Ad hæc animadvertere oportet primò: excommunicationem dictam Concilii Lateranen. & Trident. nulli esse reservatam (k); cùm ibi nulla sit mentio de reservatione. Secundò, quàmvis in Concilio Tridentino sermo sit de libro de rebus Sacris sine nomine Authoris; nihilominùs in Regula Indicis, generaliter prohibetur hoc. Lezan. *loc. cit.* Tertiò, quòd si Regularis absque licentia suorum Superiorum, de licentia Episcopi, librū à Cēsore approbatū imprimeret, in excōmunicationem latam per præfata Concilia, non incideret, ùt legenti patet; sed per Statuta propria Ordinis pœnas latas incurreret. Noster pœnam privationis ipso facto, officii, vocis & loci: *p.* 1. *Constit. cap.* 24. *n.* 15. Quintò, per nomen Authoris in Concilio Trident. impositum, in libris imponendum, intelligi potest nomen Collegii, Conventûs, Communitatis &c. Sextò, Author libri, post approbationem pauca nonnulla addens in libro, minimè peccat, consequenter censuram latam per lata *suprà* Decreta non incurrit. Bonac. *de Excom. in partic. extra Bul. Cœn. d.* 2. *q.* 2. *p.* 16. *n.* 8.

(k) Peyrin. t. 2. de Prælatq. 3. c. 9. n. 2. Lezan. v. Libri, n. 5.

22. Quoad impressionem librorum à Principibus aut Magistratu, servanda est consuetudo, dicit Lezan. *suprà, n.* 10. Plura quoad hæc, videnda sunt apud Lezan. Bonac. & alios.

SECTIO III.

De excommunicationibus contra cogentes fœminas ad Religionem, aut illas retrahentes à Religione.

I. SAcri Concilii Tridentini *sess.* 25. *cap.* 18. textus sic loquitur: *Anathemati Sancta Synodus subjicit omnes & singulas personas, cujuscumq; qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quàm laicos, Sæculares vel Regulares, atq; etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumq; coëgerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumq; mulierem invitam, præterquam in casibus in Jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumq; Religionis, vel ad emittendam professionem: quiq; consilium, auxilium, vel favorem dederint: quiq; scientes eam non spontè ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut*

professionem emittere; quoquo modo eidem adsui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoq; anathemati subjicit eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint. Eaq; omnia & singula, quæ ante professionem, vel in ipsa professione fieri oportet, serventur; nō solùm in Monasteriis subjectis Episcopo, sed & in aliis quibuscumq;. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ pœnitentes, aut convertitiæ appellantur: in quibus Constitutiones earum serventur.

2. Inde est, quòd non incurrat excommunicationem latam à Tridentino *loc.* nunc *cit.* cogens puerum, sive virum, ad Religionem, aut professionem (a): quia Tridentinum loquitur solùm de cogentibus fœminas. Neque cogens fœminam ad emittendum votum: cùm votum non sit de numero enumeratorum *suprà*. Neque cogens puellam impuberem, prout omnes conveniunt, aut puberem, non in ordine ad susceptionem habitûs, sed in Ordine ad bonam educationem capiendam, ùt docent Rodriq. *tom.* 2. *c.* 8. *n.* 9. Portel. *verb. Monialis*, *n.* 14. Donat. *tr.* 9. *de Recept. Monial. q.* 2. *n.* 10. (b): nam quàmvis ordinariè distinguere nō debeamus, ubi lex non distinguit, tamen ubi consuetudo (prout in proposito) distinguit, oportet ut & nos distinguamus; Sed cogens ad ingrediendum Monasterium, & indirectè vel directè ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel emittendam professionem: & adhuc demptis casibûs *infrà* positis; & excepta potestate Regis, Principis (c), quia hæ personæ supremæ sunt speciali nota dignæ, & non veniunt in generali locutione, nisi in specie exprimantur (c).

3. Animadvertere oportet, quòd si Parens suadeat, hortetur filiam, ut habitum Religionis suscipiat ob dotis defectum vel alias justas causas, v. g. quia in sæculo parem non habet cui possit condignè nubere, vel quia turpis est & monstrosa; non incidit in latam excommunicationem à Tridentino: cùm suasio, adhortatio, non est coactio. Secùs si adhibeat minas, victum, vestitum neget, verberibûs eam tractet; tunc quia incutit ipsi metum gravem, eamque verè cogit, incurrit dictam excommunicationem, quàmvis nulli reservatam.

4. Casus quibûs potest cogi fœmina ad intrandum Monasterium, & recipiendum habitum, sunt: Primus, quando fœmina publicè vel privatim fecit votum Religionis de quo constat publicè. Secundus, si Monialis post quinquennium dicat professionem suam esse nullam. Tertius est, si fœmina post duos menses conjugata, nolit matrimonium consummare, de Religione deliberans; potest vel ad matrimonium vel ad habitum cogi, ùt dixi *de Matrim.* Quartus est, si ob crimen sit damnata ad carcerem perpetuum, & liberatur sub hac conditione, ut Monialis fiat.

(a) Bonac. d. 2. q. 6. p. 2. n. 15. Filliuc. tr. 14. c. 6.

(b) Contra Bonac. Ledesm. Zerola, Barb. f. apud Bonac.

(c) Portel. v. Monial. n. 6. Bonac. de Censur. extra Bul. Cœn. d. 2. q. 2. p. 2. n. 13. Barbos. in Collect. ad c. Trid. n. 2.

5. Quo-

5. Quoad impedientes, habetur Constitutio Eugenii IV. incipiens, *Et si debito Ministerii Pastoralis*, in §. 14. per sequentia: *Prohibemus insuper, ne aliqui cujuspiam status, gradus, vel conditionis existant, personas quæ de Jure communi Religionem ingredi non prohibentur; ex sæculo fugientes, ad Congregationem hujusmodi Congregationis venire cupientes, verberibus, aut violentiis quibuscumq; impedire, vel prohibere, ut à Monasteriis, & locis ipsius Congregationis præsentibus & futuris, injuriam aliquam ingredi volentibus aut recipientibus irrogando, seu eos molestando, hujusmodi personas evellere, & extrahere audeant vel præsumant. Contrafacientes verò, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, dum tamen, cùm hoc præsens statutum fuerit eis ad notitiam deductum, non destiterint à prædictis, à qua non possint, præterquam in mortis articulo, nisi per Sedem Apostolicam absolutionis beneficium obtinere.* Hæc Constitutio tamen, non comprehendit impedientes ad Religionem inhabiles: quia inhabiles, ipso Jure repelluntur. Portel. *in Dub. Regular. verb. Novitius*, *in* 2. *Addit. n.* 2. & Peyrin. *tom.* 3. *Privil. Minim.* & *in Addit. ad Constit. Julii II. cap.* 3. *n.* 40. Item excusatur impediens, putans esse inhabilem: quia Papa pœnas posuit contra audentes & præsumentes. Donatus *de Recipiend. ad habitum tr.* 1. *q.* 15. *n.* 5.

SECTIO IV.

De excommunicatione ratione sepulturæ.

I. ORdinatio est *cap.* 1. *de Sepult. in* 6. Bonifacii VIII. his verbis: *Universis Religiosis & Sæcularibus Clericis, cujuscumq; status vel conditionis existant in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub intermi-natione maledictionis æternæ, districtissimè prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulteriùs non immutent. Nos enim si secùs actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitùs existere firmitatis: statuentes, ut hi qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias ullatenùs sepeliri, nec alibi (ne contra votum, juramentum, aut promissum hujusmodi à se factum materiam habeant veniendi) possint eligere sepulturam. Sed contradictione quacumq; cessante, sepeliantur omninò apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de Jure fuissent, si aliàs sepulturâ non electâ forsitan decessissent. Si verò iidem Religiosi vel Clerici, prædictos in suis Ecclesiis vel cœmeteriis præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum corporum si petantur, quàm etiam omnium quæ occasione sepulturæ illorum, pervenerint quomodolibet ad eosdem, intra decendium in-*

 tegra-

tegraliter faciendam, ipsos obligatos esse censemus: quam nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ apud quas sepulti fuerint, nec non & cœmeteria eadem, ex tunc, eô ipsô sint, & tamdiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plena omnium prædictorum. In Corp. Jur. Can. *l.* 3. *fol.* 322.

2. Item in Clementina, *Cupientes*, 3. *de Pœnis*, §. *Sanè*, ibi: *Sanè temerarios violatores Constitutionis illius, quæ Religiosis & Clericis Sæcularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant vel jam electam ulteriùs non immutent* &c.

3. Ad hæc animadvertenda: Primò, quòd hæc Decreta non comprehendant laicos, adducentes infirmos ad promittendum, ut in Ecclesia eorum velint sepeliri, sed solùm Clericos, tam Regulares quàm Sæculares (a); & hos non simpliciter inducentes ad prædicta (b), quia Constitutio solùm loquitur de inducentibus ad vovendum, jurandum, seu promittendum. Neque eos qui inducunt quidem ad vovendum, jurandum; ex simplicitate tamen & bona fide, ignorantes probabiliter Constitutionem & prohibitionem sub tali pœna; aut non ignorant, at inducunt ad eligendum sepulturam in aliena non in propria Ecclesia (b): quia Pontifices loquuntur solùm de propriis Ecclesiis. Sed comprehendunt temerarios (prout in 2. Bulla exprimitur), qui temerariè infirmum inducunt ad promittendum, jurandum, velle immutabiliter sepeliri in propria Ecclesia (c) (temeritas includit (d) scientiam & dolum): tales incurrunt dictas pœnas, inducendo dicto modô immediatè, etiam non secuto effectu sepulturæ, secuto votô, juramentô vel promissione (b), cùm inductionis talis effect⁹, sit promissio, votum, juramentum. Non incurreret tamen communitas propterea has pœnas, nisi inducens ipse sit Prælatus eorum, aut nomine communitatis hoc fine missus (b): injustum enim esset, omnes innocentes pro uno nocente excommunicari. Excusantur etiam à pœnis dictis, inducentes ad eligendam sepulturam in testamento: quia hoc non est votum, aut juramentum. Lezan. *loc. cit.* Thesaur. *in Praxi p.* 2. *verb. Sepultura*, *cap.* 3. Pasqualigus & alii.

(a) Donat. de Sepult. q. 27. n. 2.

(b) Rodriq. t. 4. c. 103. cõcl. 10. Portel. v. Sepult. n. 2. Lezan. v. Sepult. n 7.

(c) Cõmuniter.

(d) Donat. l. c.

Casus notãdi.

4. Dices, casus est. Religiosi N. induxerunt quamdam personam ad eligendam sepulturam in propria Ecclesia, postea PP. Carmelitæ induxerunt eamdem, ad eligendam sepulturam apud eos, & mortua est; quæritur ubi nam sepeliri debeat? *Resp.* Vel PP. Religiosi N. simplici persuasione induxerunt illam personam ad electionem sepulturæ apud eos, proponendo ei, quòd suffragia multa persolvantur apud eos pro eis, quorum corpora in Ecclesiis aut cœmeteriis eorum requiescunt, non

non intendendo obtinere promissionem irrevocabilem, firmatam votô aut juramentô, vel secùs? & Patres Carmelitæ modô prohibito dictis Decretis ut immediatè explicatum est, eam induxerunt? Apud Patres Carmelitas sepeliri nequit: quia tali modô electio extorta, & votô aut juramentô, vel secùs firmata, est nulla: *cap. Animarum, de Sepult. in* 6. ubi electionem talem, decernitur nullius penitùs existere firmitatis (e). Debet ergò sepeliri apud illos Religiosos dictos N. quia electio prior sepeliendi apud eos, non vitiatur per posteriorem invalidam, sed potiùs firmatur. Vel non induxerunt PP. Carmelitæ, modô dicto & explicato prohitito illam personam ad eligendam sepulturam apud eos? Sepeliri debet apud eos: quia posterior est electio sepulturæ apud eos. Vel PP. Religiosi N. modô prohibito nunc explicato induxerunt eam personam ad electionem sepulturæ apud eos, Patres verò Carmelitæ modo non prohibito? Tunc neque apud illos Religiosos N. neque apud Carmelitas, sepeliri hocce corpus potest, sed in Ecclesia Parochiali tumulari debet: quia sic ordinatum est *cap. Animarùm, de Sepult. in* 6. ubi sic habetur: *Statuentes, ut hi qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias ullatenùs sepeliri, nec alibi possint eligere sepulturam; contradictione quacumq. cessante, sepeliantur omninò apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de Jure fuissent, si aliàs sepulturâ non electâ forsitan decessissent* (d). Nota, *nec alibi*, in pœnam violati juramenti.

(e) Lez. l. c. Donat. ibi q. 29.

5. Dices ultrà: Sed illa persona induta est habitu illius Ord. jam verò induta habitu talis Ordinis, sepeliri non potest alibi, etiamsi eligeret ibi sepulturam: nam ordinatio est Papalis, prohibens sub pœna excommunicationis quibuscumque ne alibi illud corpus sepeliant. Sic enim in favorem Carmelitarum in Bulla Sixti IV. quæ incipit, *Dum attenta* (in Bullar. Ord. editionis Elisei Monsignani *p.* 1. *p.* 332. *n.* 29) dicitur: *Insuper cùm nonnulli ad Ordinem prædictum Gloriosissimæ Dei Genitricis MARIÆ de Monte Carmeli, specialem gerentes devotionis affectum, ordinent eorum cadavera cum habitu Fratrum dicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis MARIÆ de Monte Carmeli, aut Sororum prædictarum sepeliri, ne ex illorum corporum delatione ad alia loca, Ordini & Fratribus prædictis injuria irrogetur: Decernimus, tales apud Fratres ipsos esse sepeliendos, etiamsi alibi suam elegissent sepulturam, nec posse etiam in loco per eos electo cum habitu prædicto quomodolibet sepeliri, aut ad sepeliendum portari, absq. Fratrum dictæ domûs vel loci in quo tales decesserint expressa licentia & assensu. Contradictores verò excommunicamus. Resp.* Vel PP. Religiosi N. non petiti induerunt eam personam post mortem ejus? Non potest sepeliri apud Religiosos N. propter prohibitionem Bonifacii VIII. *cap. Animarum*, citato *suprà*, quæ per adductam Bullam Sixti IV. non cassatur: quia Sixtus IV. ùt

textus adductus sonat, loquitur de illis, qui ex devotione ordinant, ut eorum cadavera apud Fratres dicti Ordinis sepeliantur. Vel petenti habitum donârunt? Tunc sive antecedenter sive pòst, illa persona ad talem electionem dicto modô est inducta, sepeliri debet apud Religiosos N. quia quàmvis in pœnam inductionis, & talis electionis, non deberet sepeliri apud eos, propter prohibitionem Bonifacii VIII. *cap. Animarum, de Sepult. in* 6. tamen in favorem habitûs & Ordinis, potest & debet sepeliri illud corpus apud eos, propter Bullam Sixti IV. qui longè posteriùs vixit.

6. Dices adhuc: Si adducta Bulla Sixti IV. in proposito casu vim haberet, dicta persona sepeliri deberet apud Carmelitas, quia à Leone X. vivente post Sixtum IV. per Bullam, *Dum intra mentis*, iis datur facultas eligendi sibi sepulturam in aliis Ecclesiis, quibus ab aliis Pontificibus conceditur quòd possint sepeliri in habitu. Unde quàmvis tales non possint sepeliri nisi in eorum Ecclesiis in quorum habitu sepeliuntur, tamē eligere pro suo placito possunt alibi sepulturam. *Resp.* Vel sepeliendi in habitu, degunt in Conventu eorum quorum habitu sepeliri volunt? Tales eligere sibi sepulturam nequeunt, sed sepeliri apud eos debent. Vel degunt extrà in suis domibus? Tales possunt eligere alibi eam: quia in Bulla dicta *Dum intra mentis*, sic habetur: *Volentes quoq; sepeliri habitu eorumdem Fratrum, in Claustro non degentes, sed in propriis domibus habitātes, in eorum ultima voluntate est, quòd sepulturam sibi eligere possint.* De hoc Lezan. *verb. Habitus, n.* 5. Rodriq. *tom.* 2. *Quæst. Regular. q.* 76. *a.* 4. *n.* 10. Casarub. *in Compend. privil. Mendic. verb. Habitus, n.* 3.

7. Posset quidem objici ex Barbosa, quòd debeat esse præmonitus à Regulari habitum recipiens, quòd apud eos sepeliendus sit; nam extat declaratio Sacræ Congregationis apud Peyrin. *tom.* 3. *Privil. n.* 53. & apud Lezanam *verb. Sepultura, n.* 77. per sequentia: *Si tamen à Guardiano domûs loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore, vel altero cui id Superior committendum duxerit habitum receperint, ac prædicti, Guardianus vel alius Superior habitum hujusmodi suscipientes præmonuerit, eorum cadavera propter habitûs concessionem ac receptionem, penes ipsos Fratres quorum habitum gestant esse sepelienda.* Sed hæc declaratio, aut antiquior est Bullîs *suprà* citatis, aut non authentica, aut non addit, *non obstātibus quibûscumq;*; adeòque nullius roboris contra Bullas citatas. Interim recipientes habitum Ordinis alicujus monendi sunt, quòd tales, & de Authoritate Apostolica, & de consuetudine, sepeliuntur apud eos quorum habitu induti sunt.

8. Ad hæc animadversiones. Prima, quòd fideles habeant à Pontificibus facultatem in habitu Religioso sepeliri: Sicque in Hispania plurimi

mi magnæ notæ, cum habitu Carmelitarum ſepeliuntur, teſte Lezana. Secunda, quòd quàmvis contra impedientes eos ſepeliri apud eos in quorum habitu ſepeliendi ſunt, excommunicatio in Bulla Sixti, *Dum attenta*, nulli reſervetur; in Bulla tamen, *Apoſtolicæ manſuetudinis*, ejusdem Pontificis, ſoli Papæ reſervatur (f). Tertia, quòd Sæculares ſepeliendi in habitu Religioſorum, verè pœnitentes & confeſſi in articulo mortis, lucrentur omnes & ſingulas indulgentias & peccatorum remiſſiones, Fratribus ejus Ordinis cujus habitum ſuſcipiunt conceſſas: nam hæc conceſſio per Bullam Leonis X. & Adriani VI. extat pro Fratribus Ordinis SSS. Trinitatis, quam refert Caſarub. *in Compend. privil. Mendic. verb. Communicatio privilegiorum, n.* 39. Ex qua (inquit Lezan.) habetur, omnes & ſingulos Chriſti fideles, verè pœnitentes & confeſſos, qui in habitu dicti Ordinis deceſſerint, conſequi omnes & ſingulas indulgentias & peccatorum remiſſiones, Fratribus dicti Ordinis conceſſas. Hæc conceſſio communicatur Carmelitis per Bullam Clē. VII. quæ incipit, *Ex clementi Sedis Apoſtolicæ proviſione*, Ciſtercienſibus per Bullam Pii V. quæ incipit, *Pius V. ex ſupernæ diſpoſitionis:* Aliisque per Bullam ejusdem Pontificis cujus initium eſt, *Romanus Pontifex*. Hæ indulgentiæ quòd non ſint revocatæ, oſtendi *ſuprà* tractans *de Indulgentiis*, poſt Bullam poſitam Pauli V. Quarta, quòd non ſufficiat ad lucrādas dictas indulgentias ut induatur mortuus habitu Religioſo, ſed ut in eo moriatur, aut (quod ſufficere videtur dicit Lezan. *loc. cit.*) quòd ipſe habitus ponatur ſuper lectum hominis agonizantis: prout in Hiſpaniæ partibus obſervatur.

(f) Lezā. v. Habitus, n. 5.

In habitu Religioſorū moriens lucratur indulg.

9. Sepelientes ſcienter vel propria temeritate excommunicatos vitandos in Eccleſia vel cœmeteriis, ſunt ipſo Jure excommunicati: prout expreſsè habetur in Clementin. *Eos qui, lib.* 3. *tit.* 7. *de Sepult.* ubi ponitur ly *ſcienter*; &, *præſumant.* Nomine ſepelientium veniunt etiam mandantes; Gloſ. *dict.* Clementin. 1. *de Sepult.* in *verbo Sepeliri:* qui enim per alios facit, per ſe facere cenſetur. De concomitantibus, cantantibus, luminaria portantibus, controvertunt DD. Alii cum Donat. *loc. cit. q.* 39. *n.* 7. excuſant eos ab excommunicatione, cùm ſit materia pœnalis. Alii cum Bonac. excommunicatos eſſe aſſerunt. De ſepultura plura alibi ex profeſſo dixi. Quare ſit

SECTIO V.

Recedens à Conventu Regularis ſine licentia Superioris, quisnam incurrat excommunicationem, qualesq́ pœnas, & alii ratione ejus?

1. *R*Esp. Regularis recedens à Conventu sine licentia Superioris, si recessit cum animo recedendi à Religione, & ad illam ampliùs non redeundi, sive dimisso sive retento habitu, est rigorosè Apostata. Et quàmvis de Jure communi non incurrat excommunicationem, cùm in nullo Jure Canonico reperiatur id expressum (dicunt quidem aliqui eum incurrere excommunicationem per *cap. 2. Ne Clerici vel Monachi, in 6.* sed ibi solùm est sermo de illo, qui habitum suæ professionis temerè relinquit, aut accedit ad studia (a) sine licentia); De Jure tamen speciali, seu ex privilegiis summorum Pontificum, excommunicatus est: nam & in Ordine Prædicatorum *d. 1. cap. 1. de Apostatis* sic habetur: *Quicunq; apostataverit, ipso facto sit excommunicatus; quam sententiam ferimus ex nunc præsenti statutô.* Et Pius V. Gregor. XIV. Bullâ quæ incipit, *Ascendente Domino*, subjicit tales excommunicationi latæ sententiæ. Et Julius II. §. 27. excommunicatione reservata Sedi Apostolicæ punit deserentes Religionem Augustinianorum, qui intra octo dies mandante Generali ipsorum ad Conventum non redierint: ùt reperitur in *Compend. privil. verb. Apostata.* Quapropter quicumque Regularis Apostata, sua apostasiâ incurrit excommunicationem; propter communicationem privilegiorum Religionibus concessorum. Ita Lezan. *suprà, n.* 13. Casarub. in *Compend. privil. Mendic. verb. Apostata ab Ordine*, & alii.

(a) Suar. 4. tô. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 1. n. 9. Lez. tô. 1. c. 16. n. 11.

2. Nec dicas. In Constitutionibus strictioris observantiæ Carmelitarum nullam esse mentionem de hac excommunicatione; quia argumentum negativum nihil concludit.

3. Imò & detinentes, occultantes, defendentes Regulares Apostatas, aut eis favorem impendentes, præter mortale peccatum, quod committunt, ipsô factô sunt excommunicati, propter multa privilegia, signanter propter privilegium Pii V. in Bulla quæ incipit, *Quinq; Sacrorum*, edita Anno 1564. Lezan. *tom. 1. cap. 16. n. 14.* Casarub. in *Compend. privil. verb. Apostata ab Ordine*, Peyrinis *tom. 1. Privil. Minim. in Constit. 2. Julii II.* §. 13. *n.* 47. Idem dicendum de fugitivis, ex privilegio Innoc. VIII. ubi in *dict. Compend. eod. verb.* §. 4. *statuit & ordinavit, ut detinentes quoscumq; Minores Fratres, è suis Conventibus sine licentia suorum Prælatorum recedentes, sint ipsô factô excommunicati.* Quod privilegium extenditur ad alios, ob communicationem privilegiorum. Donat. *de Apostatis q.* 22. Mirand. *t.* 1. *Manual. q.* 51. *a.* 2. *concl.* 2.

4. Pœnæ præterea Apostatarum, præter ordinarias per Statuta latas, sunt: quòd suscipientes Ordines in apostasia, incurrant suspensionem à Divinis, *cap. fin. de Apostatis.* Item dimisso habitu suscipientes Ordines etiam minores, remanent perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum Jure communi, *cap. Cùm illorum, de Senten. excom.* Bonac. *de Sacr. Ord.* *punct.*

punct. 5. §. 1. *n.* 11. Item redduntur perpetuò inhabiles ad omnes gradus & beneficia, ex Bulla Pauli IV. & Pii V. Item durante apostasia, nō gaudent privilegiis suæ Religionis, juxta Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regul.* Quare possunt puniri ab Ordinariis locorum tamquam desertores, ùt dictum est; & incarcerari ùt dicetur.

5. Si absque licentia recesserit à Conventu, non animô recedendi à Religione, sed animô redeundi, non est Apostata, nisi lato modô; & propriè fugitivus, quia fugit; vagus, propter vagationem inutilem, nocivam animæ suæ & Religioni. Talis transiens ultra mare ad partē ubi pauci reperiuntur fideles, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, ex Extravag. *Ad nostrum, de Regul.* Lezan. *loc. cit. cap.* 9. *n* 32. & *cap.* 16. *n.* 11. Filliuc. *tom.* 1. *Quæst. moral. tr.* 16. *cap.* 8. Secùs, si ibi sit multitudo fidelium: Bonac. *de Clausura q.* 2. *punct.* 4. §. 4. Item si Monachus sine licentia sui Superioris accedat ad Curiam Principis, & per hoc, damnum aliquod suo Prælato aut Monasterio inferat, excommunicationis sententiam ipsô factô incurrit, per Clementin. *In agro, de Statu Monachorum.* Lezan. *loc. cit.* Mirand. 2. *tom. q.* 35. *a.* 18.

Fugitivus per suam fugam, nō incidit in excō. sed in alias pœnas.

6. Demptis his casibûs, non excommunicationem sed pœnas incurrit. Imprimis quòd perdat privilegium exemptionis, quòd possit non tantùm puniri ab Ordinariis locorum, ùt dixi *suprà, ser.* 3. *sect.* 3. §. 4. *n.* 5. Sed etiam incarcerari authoritate ipsorum, aut Officialium, ac Vicariorum Generalium, ùt patebit *infrà*; & sive absque habitu, sive in habitu reperiatur: quia ita declaratum est & ordinatum à Sacra Congreg. Concilii Decretô edito anno Domini 1624. habito in Decretis de Regularibus apostatis *Constit.* 26. inter Bullas Urbani VIII. §. 4. per sequentia: *Rursùs statuit, ut fugitivi & apostatæ, sive habitum Regularem deferant sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus consignari, secundùm Regularia statuta puniendi; utq; ipsi quoq; Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atq; efficere ut apprehendantur: Salva tamen in omnibus facultate, Ordinariis locorum attributa Decretô Concilii Trident. cap.* 3. *sess.* 6.

7. Et si nolint redire, ordinatio est *cap. Ne Religiosi, ult. de Regul.* ibi: *Patres, Abbates seu Priores, fugitivos suos, & ejectos de Ordine suo, requirant solicitè annuatim, qui si in Monasteriis recipi possint secundùm Ordinem Regularem, Abbates seu Priores eorum, monitione prævia, per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Ordinis disciplinâ. Quòd si hoc Regularis Ordo non patitur, authoritate nostra provideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absq; gravi scandalo fieri poterit; alioquin in aliis Religiosis domibus ejusdem Ordinis, ad agendam ibi pœnitentiam, talibus, vitæ necessaria ministrentur. Si verò hu-*

jusmodi

jusmodi fugitivos vel ejectos, inobedientes invenerint, eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publicè nuntiari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur. Hæc ibi.

8. Nec juvat fugitivos (à fortiori apostatas) prætextus fugiendi ad majorem Superiorem, Provincialem aut Generalem; sed pœnas eis, & recipientibus eos adfert: nam Sixtus V. suâ Constit. *Cùm de omnibus*, edita sexto Kalendas Decembris 1578. quam refert Stephanus Quarant. in *Sum. Bullar. verb. Monasteria & Conventus*, *fol.* 307. in ea Constit. §. *Sed quia*, sic ordinat & prohibet per sequentia: *Prohibemus eodem modo atq; interdicimus, ne quis Regularis ex una Provincia, ad aliam Provinciam sui Ordinis transeundo, etiam in itinere intra aliquod Monasterium, domum, vel locum alterius Provinciæ, ad habitandum, vel tamquam hospes recipi, aut ad modicum tempus divertere possit, nisi à Superiore ejus loci ubi resìdet, expressam licentiam discedendi in scriptis obtentam, seu litteras obedientiæ, vel commendatitias secum deferat, atq; exhibeat, vel nisi ita cognitus sit iis ad quos diverterit, ut de ejus persona nullus omninò dubitationi aut suspicioni locus relinquatur. Ideoq; præcipimus universis & singulis locorum Ordinariis, eorumq; Vicariis in Spiritualibus, ut per suos Officiales, Ministros vel Executores, curent ab omnibus personis Regulari habitu indutis, quas per suas Civitates vel Diœceses iter facere vel transire, & ad quæcumq; hospitia vel diversoria se recipere contigerit, diligenter perquiri, num hujusmodi litteras obedientiæ, seu commendatitias secum deferant; quòd si eos dictas litteras non habere, vel ignotos esse deprehenderint, possint contra ipsos etiam tamquam dictorum criminum suspectos procedere, & tamdiu illos sub custodia detinere, donec certa de eisdē notitia habeatur: & tamen volumus, ut ii qui etiam pietatis vel hospitalitatis prætextu, Regulares alterius Provinciæ ignotos, aut sine licentia vel litteris ùt suprà receperint, dictas pœnas privationis vocis activæ & passivæ, nec non officiorum, graduum, honorum ac dignitatum, obtentorum, atque inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant. Decernentes sic in præmissis omnibus per quoscumq; judicari debere. Nec non irritum & inane, si secùs à quoquam, quavis authoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.* Ad hæc ibi:

9. *Ne quis Regularis alterius Provinciæ, intra aliquod Monasterium, domum, vel locum alienæ Provinciæ, etiam tamquam hospes, & ad modicum tempus recipi possit, nisi à Superiore loci ubi residebat, & à quo discessit, licentiam expressam in scriptis exhibuerit, vel nisi cognitus sit, id observari volumus, non solùm in Religiosis itinerantibus de una in aliam Provinciam, sed in iis quoq; qui proficiscuntur de uno in aliud ejusdem Provinciæ Monasterium, tam sui quàm alterius Ordinis. Quòd si dicerent se ad*

Aposto-

Apostolicam Sedem confugere ob gravamina, à suis Superioribus licentiam & litteras obtinere non potuisse, non propterea ullo modo recipi valeant, nisi fide digno testimoniô de petita ab eis licentia, & per suos Superiores denegata, constiterit.

10. Nec sunt revocatæ per Constit. Gregorii XIV. quæ incipit, *Circumspecta:* quoniam hic Pontifex solùm moderavit Constitutionem Sixti V. quoad legitimos; nec per Bullam Clementis VIII. quæ incipit, *In suprema:* ille enim solùm eas moderavit quoad nullitatem professionum, in cæteris autem remanserunt in suo robore.

11. Secùs dicendum de fugitivis in Ordine Carmelitarum, à PP. Antiquæ Regularis Observantiæ ad Carmelitas Reformatos: nam per Bullam Callixti III. *Pro parte vestra,* liberantur ab omnibus pœnis. Nec in Decreto Sixti V. *suprà* citáto fit specialis nota: de quibus P. Lezana *in Mare Magnum Carmelitarum circa* §. 27. *n.* 241. sic dicit: Quia - - - sæpiùs in Ordine nostro fit memoria de quadam Bulla Callisti III. in favorem reformationis, data sub anno Incarnationis 1457. Idibus Aprilis, & ea non facilè reperitur, nisi in Conventu nostro Mechliniensi in vetusto libro scripto manu Joannis Palæonydori Ordinis Historiographi, unde novissimè ad me his diebus Dei speciali providentia à viro gravi nostræ Religionis est transmissa, aliqua in ipsa contenta ad intentum spectantia hoc loco transcribi decrevi in Reformatorum gratiã. *Pro parte vestra nobis exhibita petitio continebat, quòd aliàs, videlicet in proximo Capitulo Generali, per vos in Civitate Parisiensi celebrato pro statu prospero, & felici dicti Ordinis, & quiete vestra inter alia statuistis, & ordinãstis: quòd Fratres dicti vestri Ordinis, qui de Observantia appellantur, in domibus, quas de præsenti habere noscuntur, & in posterum, largiente Domino, poterunt adipisci, per Canonicam electionem Priores suos locales assumere possint, & debeant, ac eosdem Priores, ùt præfertur, electos, Provinciale Capitulum, vel Prior Provincialis secundùm morem dicti Ordinis pro tempore existens sine difficultate aliqua confirmare, ita quòd alios præter electos nequeant, iisdem Fratribus invitis, præficere in Priores; quòd nullus ex Fratribus Observantiæ dicti Ordinis per aliquem Provincialem Priorem à domibus, seu Conventibus hujusmodi amoveri, seu in eos, quovis modo intromitti valeat, nisi de Prioris, & Conventûs, domûs hujusmodi expresso consensu; ipsiq; Priores, & Conventus sub Regulari Observantia viventes quoscunq; dicti Ordinis Fratres conventuales, sive de laxiori vita ad hujusmodi Observantiam Regularem transire, & unà cum iisdem Observantibus Altissimo famulari cupientes, recipere, ac retinere possint, non obstante quacũq; pœna à dicto Ordine imposita, pro quocumq; delicto, è qua Observantia si recedant, sub dicta Regulari Observantia non perseverantes, eo ipso incidãt*

 in ean-

in eandem, nec non alia salubria, & honesta Ordinationes, & statuta favorem vitæ Regularis hujusmodi, augmentum divini cultûs, ac etiam animarum salutem concernentia edidistis. Quare pro vestra parte fuit nobis humiliter supplicatum, ut tam præmissis, quàm aliis quibuscunq; hujusmodi Ordinationibus, & statutis per vos in similibus Capitulis robur Apostolicæ confirmationis adjicere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaq; hujusmodi supplicationibus inclinati, Ordinationes, & statuta prædicta, dummodo rationabilia sint, & Canonica, authoritate Apostolica tenore præsentium ratificamus, confirmamus, & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Nulli ergò hominum liceat &c. Circa quod privilegium Callisti, præter notata in superioribus (inquit P. Lezana), ulteriùs animadvertendũ, ex eo haberi, quòd si Religiosi viventes in Conventibus non reformatis commisissent aliqua delicta, propter quæ pœnam aliquam ab Ordine impositam sustinere deberent, eo ipso, quòd transeunt ad Conventus Reformatos, talis pœna eis remittitur omninò: nisi fortè ab illis Conventibus Reformatis recedant, quia tunc incidunt de novo in eandem pœnam. Quod est magnum privilegium præfatorum Conventuum, quia videntur æstimari quasi asylus, & locus sacer, vel refugium delinquentium in Ordine. Hucusque Lezana. Addo, tales tamen profugos Religiosos non suscipi in nostra Congregatione Reformata, ob multas rationes, & in nostris Capitulis factas decisiones.

12. Item extat Decretum sacræ Congreg. per sequentia: *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studiô, sive dum imminentem admissorum criminum pœnam, ex suis Constitutionibus aut aliàs debitam sibi metuunt, falsa & commentitia gravamina causati non ad immediatè sui Ordinis Superiores, scilicet à gravamine Prioris ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cujuscumq; Religionis Constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam, absq; licentia sæpiùs fugiunt, potiùs, quàm recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi indices audaciores evadunt; Placuit S. Congregationi Regularium, ex ordine Sanctissimi, statuere, ut si quis Regularium, temerè, levive ex causa hanc Vrbem Romam, sive Curiam, absq; sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad eosdem Superiores sævio-ri pœna plectendus remittatur.*

13. In Ordine Carmelitarum latum est Decretum in Capitulo Generali Anno 1681. contra tales fugitivos, prout sequitur: *Quicumq; Sacerdos egressus fuerit ex sua Provincia sine licentia sui legitimi Superioris, aut testimonio authentico personarum fide dignarum, quòd fuerit necessitate compulsus discedere, antequam ad Generalem, vel Provincialem recurrere potuerit;*

In Decretis Tartagliæ n. 131.

rit; eò ipsò sit suspensus à Divinis, nec in ullo Conventu illi permittatur celebrare: Clerico autem, statim jussu Superioris primi Conventûs ad quem accedet, indispensabiliter abscindatur Corona, non restituenda ante tres annos: Et Converso auferatur caputium, cujus usu privabitur ad triennium: singulis verò istorum, tantum temporis demetur in ætate, seu primogenitura Religionis quoad præcedentiam, quantum manserit extra Provinciam. Si autem ille sic egressus ad hanc almam Vrbem se conferre intendat, & suum iter priùs scriptô non indicaverit suo Provinciali, aut Priori, statim expensis suæ Provinciæ incarceretur per Priorem Conventûs, ad quem primò diverteret: & si ad Vrbem pervenerit, non audiatur; sed alterutrâ supradictarum pœnarum, pro qualitate personæ impositâ, post carcerem trium dierum in pane & aqua, incunctanter remittatur ad suam Provinciam; ubi ultra prædictas pœnas, si sit Sacerdos aut Clericus, voce & loco duobus annis à suo regressu carebit, juxta Decretum fel. mem. Clementis VIII. & si sit laicus, utriusq; caputii usu privabitur, super quibus pœnis Reverendissimus Pater non poterit dispensare.

14. Ultrà in favorem nostræ strictioris Observantiæ, in eodem Capitulo Generali *Declaratum est, quòd Fratres nostri, qui professionem in Reformatione seu strictiori Observantia, secundùm Constitutiones à fel. mem. Vrbano VIII. & Innocentio X. confirmatas emiserunt, non possunt sine licentia Sanctæ Sedis, ad Conventus antiquæ Observantiæ Regularis transire, ùti dictus Vrbanus VIII. statuit & declaravit per litteras in forma Brevis datas* 18. *Januar.* 1636. & 24. *Februar.* 1644. & *consequenter inhibetur, ne ullus ejusmodi professorum à Conventibus Reformatis recedat, & quibuscumq; Superioribus Conventuum Observantiæ Regularis, ne illos recipiant, sub pœna ipsò factò incurrenda, tam ab ipso recedente, quàm à quibuscumq; Superioribus recipientibus, aut morari permittentibus, privationis vocis, ac loci, & Officii, ac inhabilitatis ad quodcumq; per sex annos, & insuper carceris ad annum ipsi recedenti indispensabiliter infligenda. Si autem sit Conversus, privationis utriusq; caputii ad tres annos, postquam dimissus fuerit extra carcerem.* In Decretis Tartagliæ n. 116.

15. Quid si propter intolerabilem vexam quam sustineret à suo Superiore, aut ob magnum gravamen, Regularis sine obedientialibus recederet è Conventu, ad majorem Superiorem pergendo? *Resp.* & dico: Quàmvis secundùm communissimam sententiam (quam tenent Dian. *p.* 3. *Moral. tr.* 2. *de Dub. Regular. resolut.* 56. & 115. Laurentius Peyrin. *tom.* 1. *de Subdito q.* 1. *cap.* 10. Barbosa multis relatis *in Collectan. DD. ad* 4. *cap. Tridentini sess.* 25. *de Regul. n.* 10. Donat. *de Fugitivis tr.* 7. *q.* 11. Lezan. *suprà, n.* 8. Regularis injustè & iniquè à suo Superiore vexatus, possit absque peccato mortali, imò juxta Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. d.* 37. *n.* 3. absque veniali fugere è Conventu ad suum Superiorem, nec ullam pœ-

nám incurrat in foro interno, si manifesta ei erat vexa iniqua; tamẽ secùs dicendum quoad forum externum: quia & ab Ordinariis locorum potest incarcerari, & puniri, juxta Decreta *suprà* citata, nisi eis manifestè constet; & de iniqua intolerabili vexa ac aggravamine, & de hoc quòd non poterat se aliter salvare (tunc enim Concilium Tridẽt. *suprà* citatum *sess.* 25. *de Regul. cap.* 4. non videtur extendi ad eum, & ad alios in simili casu & necessitate existentes (b): quia adire majorem Superiorem ob injustum gravamen, habet vim appellationis, ex *cap. De Priore, de Appellat.*) & juxta propria Statuta Religionis, puniendus est: Sic noster, prout in nostris *p.* 4. *cap.* 1. *de Apostatis & vagè discurrẽtibus n.* 4. habetur: *Districtè præcipimus, ut qui majorem Superiorem adire voluerit, petat priùs coram Discretis Conventûs licentiam à Superiore, suas rationes exponendo; quas si Superior & Discreti competentes judicaverint, illum cum socio & necessariis mittere Superior tenebitur ad majorem. Quòd si rationes allatas minùs idoneas repererint, & tamen licentiâ non habita sic exiverit, quàmvis ad majorem directè contendat, pœnæ Apostatarum & fugitivorum subjaccat; & insuper ad actus legitimos & officia Ordinis sit inhabilis, donec per Generalem aut Capitulum Provinciale fuerit cum eo dispensatum.*

(b) Lezan. l. c. Donat. q. 11.

16. Etiamsi possit licitè fugere ex carcere Regularis, quando constat pœnam hanc esse injustè inflictam, aut victus absolutè non subministratur, quia major est obligatio conservandi vitam, Sayr. Lezan. *loc. cit.* nihilominùs, si justè est incarceratus, licitè fugere non potest: quia Regularis tenetur obedire Prælatis quoad pœnas justè inflictas. Lezan. *loc. cit.* Ledesm. 2. *tom. Sum. tit.* 8. *cap.* 24. Sayr. *in Clavi Regia lib.* 12. *cap.* 18. *n.* 9. Etiamsi incarceratus esset usque ad mortem, dicit Lezan. *loc. cit.*

De absolutione Apostatarum & Fugitivorum.

17. Dico: Non tantùm à peccatis sed & ab excommunicatione lata per *cap.* 2. *Ne Clerici vel Monachi, in* 6. & ab aliis censuris virtute privilegiorum Regularium (c) à quovis Confessario approbato absolvi in foro interno possunt: in irregularitate verò contracta in apostasia quàmvis nequeant Jure communi propter *cap. Consultationi*, Superiores eorum; valent tamen de Jure speciali virtute privilegiorum dispensare cum eis, dempta irregularitate homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum (d), de quibus dixi tractans *de Ord.* & dicam *de Irregularitate.*

(c) Donat. l. c. q. 21.

(d) S. Antonin. in 3. p. tit. 28. c. 7. §. ult. Mirand. Casarub. apud Donat.

18. Hîc notare debent nostræ Observantiæ Confessores: primò, quòd quàmvis Sacerdotes nostri Apostatæ, per solam apostasiam non incur-

rant suspensionem à Divinis ipsô factô; fugitivi nihilominùs Alumni harum Provinciarum & Congregationum, in quibus acceptata sunt Decreta Tartagliæ Anno 1681. edita, Sacerdotes pergentes ad Generalem aut Provincialem sine licentia debita, aut testimonio authentico personarum fide dignarum quòd sic fuerint necessitate compulsi, eô ipsô sunt suspensi à Divinis, nec in ullo Conventu permittendi celebrare, prout habetur in dictis Decretis *n.* 131. Quapropter in Provinciis Poloniæ, Russiæ, & Nostra strictioris Observantiæ Congregatione, tales vagi impediendi sunt à celebratione; & reversi, per Confessarium directè & absolutè absolvendi non sunt à suspensione dicta. Secundò, quòd etiamsi queant (uti eis Ordo per Statuta ab Urb. VIII. approbata concedit) quoscumque apostatas reversos pœnitentes absolvere, in foro interno, ab omnibus peccatis & censuris, reservata semper quoad forum externum correctione Superioribus, ad quos spectat; non possunt tamen absolvere ab excommunicatione eum Apostatam, qui habitum Ordinis deposuit: quia Ordo, excommunicationem latam *citat. cap.* 2. *Ne Clerici*, propter dimissionem habitûs, reservat Provinciali, Statutorum *p.* 4. *cap.* 1. *de Apostatis n.* 12. ubi legitur: *Quicumq; dimiserit habitum, ipsô factô, de Jure, declaramus excommunicatum excommunicatione reservata Provinciali.* Circa quod

19. Notandum, quòd licetsi sufficiat ad dictam excommunicationem incurrendam, amissio etiam partis habitûs causâ vagandi, ne dignoscatur qualis sit Religionis (e), cùm ad vitandas vagationes lata sit excommunicatio *dict. cap.* 2. *Ne Clerici*, propter dimissionem habitûs; non omnis tamen dimissio, etiamsi sit totius habitus sufficit ad incurrendam, sed ea quæ est temeraria: quia in textu bis exprimitur hæc conditio in *cit. cap. temerè dimittat;* &, *si quis horum temerarius violator extiterit.*

(e) Bonac. de Excô. extra Bullam Cœn. d. 2, q. 8. p. 6. n. 9.

20. Unde Regularis timens mortem aut grande aliquod malum, occultans habitum, v.g. transiens per terras Turcarum vel Hæreticorum, etiam profugus, non incurrit excommunicationem latam (f). Secùs hoc faciens, juxta communiorem sententiam incurrit (f): quia est amissio formalis, licèt non materialis. Neque ille qui perpetuo carceri traditus est hanc excommunicationem incurrit, fugiens sine habitu: quia non ipse dimisit habitum, sed privatus est eo (g). Secùs dicendum de incarcerato ad tempus, si ex habitu faceret sibi vestem vulgò *župan.* Neque Dominicanus aut Carmelita antiquæ Regularis Observantiæ assumens habitum strictioris Observantiæ: quia non dimittit sui Ordinis habitum. Ita docent Bonac. *de Excom. in particulari extra Bul. Cœn.* citans pro se Sylv. *verb. Habitus, q.* 2. & Suar. *n.* 17. Sed vagantes in tali forma

(f) Bon. 2. 2. q. 12. de Apost. dub. 2. post Concil. Bonac. l. c. n. 15. & alii.

(g) Rodriq. Quæst. Regul. tom. 2. q. 22. a. 6. Navar. Bonac. n. 7. l. c.

forma habitûs, rigidiùs puniendi ſunt. Tertiò, ſi à Superiore non eſt reſeryata apoſtaſia, cùm ſit caſus reſervabilis, juxta dicta *ſuprà*.

SECTIO VI.

Additiones nonnullæ ex Iure Canonico, nec non ex Autboribus variis deſumptæ, & velut fragmenta huic Diſtinctioni adjectæ.

I. Qui poterat prohibere & non prohibuit, ſed potiùs doloſè permiſit percuti Clericum, an propterea incurrerit excommunicationem? *Reſp.* quòd ſic: nan Innoc. III. *cap. Quantæ præſumptionis*, dicit: *Ne autem ſolos violentiæ hujusmodi Authores, aliquorum præſumptio exiſtimet puniendos; facientes & conſentientes, pari pœna plectendos, Catholica condemnat Authoritas. Eos delinquentibus favere interpretamur, qui cùm poſſint, manifeſto facinori deſinunt obviare.*

2. An percutiens Clericum conſentientem, & volentem ſe percuti, incurrat excommunicationem? *Reſp.* Excommunicari debet: nam Innoc. III. *cap. Contingit*, ita ordinavit, dans ibi rationem, quòd *hujusmodi manûs injectio, etſi non violenta, tamen injurioſa videtur; cùm ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati quàm in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus: ideo & volumus & mandamus, ut id de cætero prohibeas attentari. Si quis autem Clericus poſt prohibitionem hujusmodi ſponte ſe ſubjecerit, excommunicetur.* In Corp. Jur. Can. *de Sent. excom. fol.* 275.

3. *Servus percuſſor Clerici, ſi ſine injuria & gravi damno Domini ſui (qui in culpa non fuit) ire nequeat ad Papam pro obtinenda abſolutione, abſolvi poteſt ab Epiſcopo, ſi læſio non ſit enormis: cap. Relatum eſt nobis.* In Corp. Jur. Can. *loc. cit.*

4. *Ligatus pluribus excommunicationibûs, ſublata unâ, non habetur pro abſoluto quoad aliam.* Innoc. III. *cap. Cùm pro cauſa.*

5. Quales pœnas incurrit, qui Clericum, Pauperem, vel Religioſum, ſpoliare præſumit? *Reſpondetur* & declaratur in Concil. Tolet. 1. c. 11. *de Potentibus: Si quis Clericum aut quemlibet pauperem aut Religioſum expoliaverit, & mandaverit eum ad ſe venire Epiſcopus ut audiatur, & contempſerit, invicem mox ſcripta percurrant per omnes Epiſcopos Provinciæ, & quoſcumq; adire potuerint, ut excommunicatus habeatur ipſe donec obediat, & reddat aliena.* In Corp. Jur. Can. *fol.* 341.

6. Ex Decretis Gregorii Papæ, *Quisquis (a) per dolum manum ſuam mittit in Chriſtum Domini, id eſt Epiſcopum vel Presbyterum, & ſi quis Eccleſi-*

(a) Burch. l. 10. c. 65. Ivo p. 12. c. 86. & p. 13. c. 65.

Ecclesiam Dei vastat aut impugnat aut incendit (quia hoc gravissimum est sacrilegium), placuit Sanctæ Synodo, ut imprimis omnia bona ejus proscriptione publicentur, deinde in uno loco id est im Monasterio inclusus pœniteat omnibus diebûs vitæ suæ In Corp. Jur. Can. *fol.* 341. sub titulo, *An pro peccato* &c.

7. Quales pœnas incurrunt, qui Oratores, & Ecclesias bonaque earum, & personas ibi servientes infestare præsumunt? *R.det* Urbanus Papa *cap. Paternarum traditionum*, sic dicens ac statuens: *Ecclesias cum Bonis suis, tam personis quàm possessionibus, Clericos videlicet ac Monachos, eorumq; Conversos; Oratores quoq; cum suis nihilominùs rebus quas ferunt, tutos, & sine molestia esse statuimus. Si quis autem contra hoc facere præsumpserit, & postquam facinus suum recognoverit, intrà dierum 30. spatium competenter non emendaverit, à liminibus Ecclesiæ arceatur, & anathematis gladiô feriatur.* In Corp. Jur. Can. *loc. cit.*

8. Quales pœnas merentur, qui defunctorum oblationes Ecclesiis negant? Responsum est & decisum in Concil. IV. Carthag. per sequentia: *Qui oblationes (b) defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut difficulter reddunt; tamquam egentium necatores excommunicentur.* In Corp. Jur. Can. sub titulo, *An præscriptione tempus, fol.* 249.

9. Casus quibûs hæresim externè proferens, non incurrit excommunicationem. Primus est, quando quis internam hæresim manifestat solùm ad petendum consilium, vel ad illam aperiendam Confessario (c): similiter si quis illam scribat inter sua peccata, ut manifestet Confessario; sic enim non est formaliter se manifestare hæreticum, sed quærere medicinam criminis omninò mentalis. Secundus casus est, quando omninò indeliberatè, & absque ulla advertentia exteriùs dicit hæresim; sic enim actus non est humanus, ac proinde nulla illius ratio habenda est ad incurrendam pœnam: imò addunt alii, & benè, non incurrere pœnas hæreticorum illum, qui exteriùs manifestaret hæresim cum deliberatione, quæ tantùm sufficeret ad peccatum veniale. Tertius, si quis jocosè tantùm & non assertivè, hæresim proferat. Ita Victor. Simaneas, de Alcolea & alii.

10. Excommunicatus vel interdictus pro contumacia vel offensa dubia, absolvitur cautione præstita de stando Juri. Si verò fuit excommunicatus pro manifesta offensa, tunc priùs debet satisfacere antequā absolvatur: *cap. Ex parte in Christo*, Innoc. III.

(b) Burch. l.3.c.142. Ivo p. 3. c. 108.

(c) Aragon. §. Sed debitū, Granad. in 2.2.D.Thō. de Alcol. tr. 8. de Hæres. resol. 5.

SECTIO VII.

Quænam excommunicationes, cui, aut non, reservatæ sint?

1. R*Esp.* Excommunicationes nulli reservatæ, sunt in communi personas attingentes. 1. In vexantes Ecclesiasticos, eò quòd nō elegerint eum pro quo fuerunt rogati. 2. In Directores Monialium, si foveant discordias in electione. 3. In extorquentes absolutionem à censura, per vim aut metum. 4. In compellentes Ecclesiasticos, ut laicis submittant Jura Ecclesiæ. 5. In docentes leges vel medicinam Religiosos qui dimiserunt habitum, vel eos retinentes in suis scholis. 6. In sepelientes mortuos tempore interdicti vel interdictos, vel excommunicatos non toleratos, vel manifestos usurarios. 7. In impedientes visitationes Monialium. 8. In contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus. 9. In edentes glossas in Tridentinum. 10. In imprimentes libros sine Superiorum licentia. 11. In præcipientes suis subditis, ne officia communia Reipublicæ exhibeant Ecclesiasticis, v.g. ne eis vendant, nec coquant panes. 12. In Doctores & Professores, non facientes professionem fidei, ubi recepta est Bulla Pii IV. 13. In negligentes administrare justitiam Ecclesiasticis. 14. In potestates foventes censuras. Plures Index libri ostendit.

2. Contra Clericos istæ usitatiores sunt. 1. In Clericos in dignitate constitutos, audientes publicè Jus aut medicinam. 2. In Sacerdotes recipientes præfecturas sæculares. 3. In Clericos minores Episcopīs, locātes domos usurariis. 4. In alienantes bona Ecclesiastica, vel locantes ultra triennium. 5. In impugnantes in concionibus montes pietatis. 6. In contrahentes matrimonium si sint in Sacris. 7. In fictè resignantes, vel permutantes beneficia Ecclesiastica. 8. In præsumentes à casibus Bullæ Cœnæ Domini absolvere.

3. Respicientes Religiosos sunt. 1. In audientes leges vel medicinam extra Claustra. 2. In temerè dimittentes habitum, vel matrimonium contrahentes. 3. In instituentes novum Ordinem. 4. In adeuntes curias Principum, ad nocendum suis Monasteriis vel Prælatis. 5. In tenentes arma sine licentia intra Claustra. 6. In non servantes interdictum, quādo servatur à Cathedrali Ecclesia (a).

(a) Filliuc. tō. 1. tr. 14. a. 15. & p. 4. Bonac. d. 3. p. 5. §. 1. n. 36.

4. *Suprà* dictis censuris sunt adjectæ à Tridentino sequentes, quæ ligāt, ubi est Tridentinum receptum. 1. In imprimentes, imprimi mandantes, apud se retinentes, vulgantes libros de rebus sacris sine nomine Authoris, & approbatione ab Ordinario obtenta. 2. In docentes non esse necessariam Confessionem, ante sumptionem Eucharistiæ. 3. In raptores mulierum, juvantes, foventes. 4. In cogentes contrahere matrimonia cum proscriptis. 5. In Magistratus, qui requisiti, non juvant Episcopos ad restituendam vel conservandam Clausuram Monialium. 6. In ingredientes, cujuscumque conditionis fuerint vel sexûs, Monasteria

Monia-

Monialium ſine licentia obtenta. 7. In cogentes mulierem ingredi Monaſterium, & profiteri Religionem. 8. In impedientes Sanctam voluntatem mulieris emittendi votum. 9. In Dominos temporales, concedentes in ſuis terris, locum pro duello.

5. Excommunicationes Epiſcopis reſervatæ ſunto. 1. Quæ contrahitur ex percuſſione levi Clerici, vel gravi ſi ſit mulier. 2. Qui abſoluti in articulo mortis à cenſura, vel peccato habente annexam cenſuram, à Sacerdote qui aliàs non poterat, non præſentant ſe Superiori poſtquã convaluerint. 3. In procurantes abortum fœtûs animati, effectu ſecuto. 4. In eos qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab Epiſcopo. Demùm omnes eæ, quas Epiſcopi ferunt per propria ſtatuta & ſibi reſervant.

6. Excommunicationes in Bulla Cœnæ contentæ, Papæ reſervatæ, ſunt *ſuprà* recenſitæ in Tractatu *de Sacram. pœnit.* ſub titulo, *Quinam caſus continentur in Bulla Cœnæ Domini.*

7. Excommunicationes reſervatæ Papæ extra Bullam Cœnæ (contra omnes) ſunt. 1. Contra incendiarios. 2. In habentes litteras Apoſtolicas falſas, & non eas deſtruentes: item in falſarios litterarum Apoſtolicarum. 3. In effringentes & ſpoliantes Eccleſias. 4. In communicantes in eodem crimine cum excommunicatis à Papa. 5. In vexantes eos, qui cenſuram tulerunt in alios. 6. In abſolventes eos ſub conditione & non implentes. 7. In violantes interdictum Papale. 8. In dantes & recipientes aliquid ex pacto, ob admiſſionem ad Religionem. 9. In ſimoniacos Regulares circa Ordinem vel beneficium. 10. In committentes ſimoniam confidentialem. 11. In impedientes executionem litterarum Sacræ Pœnitentiariæ. 12. In dantes & recipientes aliquid pro gratia, ac juſtitia apud ſedem Apoſtolicam. 13. In committentes duellum; & ad id cooperantes ſuadendo. 14. In mulieres ingredientes Monaſteria Regularium. 15. In impugnantes inſtitutum Soc. Jeſu. 16. Contra impedientes Reformationem Ordinis Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo, (Sedi Apoſtolicæ duntaxat, præterquam in mortis articulo reſervata, & hæc ipſo facto incurritur (b),) introducendam à Provinciali vel Generali, inquit Lezana (c). Addo, à fortiori quando ob decretum à Papa latum, introducenda eſt. 17. In facientes jurare illicita, & contraria Eccleſiaſticæ libertati. 18. In capientes bona Eccleſiaſtica: item in exigentes tributa ab Eccleſiaſticis. 19. In violantes libertatem Eccleſiaſticam quoad confugientes ad Eccleſiam. 20. In docentes poſſe fieri confeſſionem in abſentia. 21. In eos qui alterutram opinionem de conceptione B. MARIÆ Virginis damnant peccati mortalis, vel hæreſis: item in eos, qui in Concionibus, aliiſq; publicis actibus, ut lectionibus,

(b) Pius II. in Bulla incip. Pontificalis auctoritas, Paulus II. in Bul. Circa quorũlibet, Clemens VII. in Bulla quæ incipit, Pro ſtatu Religioſarum.

(c) Lezan. Conſult. 26. n. 16.

 con-

 conclusionibus, asserunt B. V. MARIAM conceptam in originali. 22. In percussores Clericorum.

8. Contra Clericos & Religiosos sunt hæ. 1. In participantes in Sacris cum excommunicatis à Papa. 2. In procurantes alienationem Ecclesiarum. 3. In Concionatores, qui sensum Scripturæ à Doctorum interpretatione alienum, circa tempus Antichristi, extremi judicii, aliaq; signa revelata prædicant. 4. In Parochos non adimplentes juramentũ de residentia factum. 5. In Mendicantes transeuntes ad alium Ordinem præter Carthusianum. 6. In Moniales exeuntes claustra sine licentia. 7. In Religiosos, qui sine privilegio, & speciali licentia Parochi Clericis aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ ut viaticum, aut extremæ Unctionis, ministrare præsumunt. Plures Index libri ostendit.

DISTINCTIO III.

Idearum censuræ suspensionis.

SERIES I.

Quid & quotuplex suspensio?

I. RESP. & dico 1. Suspensio est censura Ecclesiastica, privans personam Ecclesiasticam usu Ecclesiastici officii, aut beneficii. Ita Bonac. Sayr. Lezan. & alii communiter.

2. Explicatur & probatur. *Censura Ecclesiastica* locum generis tenet; hoc enim commune est excommunicationi & interdicto: & sicut vivens, seipsô inanimata; ita suspensio per suum genus, quod sit censura Ecclesiastica, excludit multa, nempe irregularitates quæ sunt purè inhabilitates, vel purè pœnæ (a): item prohibitionem celebrandi factam leproso, vel decrepito, vel alio modo inculpabiliter impedito; quia cùm hujusmodi suspensiones non præsupponant culpam, nequeunt habere rationẽ pœnæ, proinde neque censuræ: item excludit peccatum mortale à ratione censuræ, cùm id quàmvis privet Sacerdotem usu licito Ordinis Sacri, hoc tamen non facit potestate Ecclesiastica, sed Jure naturali, aut Divino; eò quòd per hoc reddatur indignus usu Ordinis (a): item excludit prohibitionem celebrandi impositam à Confessario, cùm sit in foro interno; censùra verò imponitur pro foro externo (b): item quascumque suspensiones, impositas non per modum medicinalis pœnæ, sed per modum puræ pœnæ (b).

(a) Veran. Lezan.

(b) Corn. Bonac. Lezan. Veran.

3. *Pri-*

3. *Privans usu:* nam officiô, Ordine, aut beneficiô ipso, non privat suspensio, sed depositio, aut quid aliud (c): *cap. A nobis, de Except.* (c) Tolet. Lezan.

4. *Personam Ecclesiasticam:* nam Laici non sunt capaces hujus suspensionis; & per hoc etiam distinguitur suspensio ab excommunicatione & interdicto, quorum subjectum potest esse Laicus.

5. *Usu Ecclesiastici officii:* intellige, aut officii ùt est quid latius, aut Ordinis. Nomen beneficii ab his distingue.

6. Dico 2. Suspensio ex parte rei à qua quis suspenditur, alia est ab officio, *cap. Sanè, de Offic. deleg. cap. 2. eod. tit. in 6.* Alia à beneficio tantùm, *cap. 1. Cùm in cunctis, §. fin.* Alia ab officio simul & beneficio, habeturq; in Clementin. 1. *de Decimis,* & *cap. Tuarum, de Privil.* Ex parte durationis, alia est ad tempus determinatum, v.g. ad mensem, annum: alia in perpetuum, quando non præfigitur tempus tamquam terminus ejus, sed potiùs imponitur particula, *in perpetuum;* tunc durat, donec imponatur absolutio (d). Ad has suspensiones reflectere opus est, differentiam esse, quòd suspensio lata ad determinatum tempus, in plerisq; Juribus non est censura, sed pura pœna. Ratio est: quia non fertur ut à contumacia recedatur, sed præcisè in pœnam delicti præteriti: itẽ quia suspensio ad tempus, imponi potest absque prævia monitione, præcisè tamquam pura pœna culpæ anteactæ; suspensio verò in perpetuum omninò præsupponit monitionem saltem conditionatam, v.g. in verbis illis, *si hoc feceris,* vel, *si hoc facies, subibis talem pœnam:* item quòd ea suspensio, quæ est ad tempus, v.g. ad duos Menses, transactis eis, tollitur absque alia absolutione; secùs quæ est in perpetuum lata. Suspensio ex parte imponentis, alia est à Jure, alia ab homine: ut patet ex antè dictis *de Censur. in communi,* & *de Excom.* Et alia est in totum alia in partem: in totum, quando quis suspenditur ab officio, sive sit officium Ordinis sive jurisdictionis, vel in totum suspenditur ab Ordine: in partem, quando suspenditur v.g. à confessionibus audiendis, aut celebrando.

(d) Veran. Lezan. Bonac.

SERIES II.

De causis suspensionis.

1. Resp. & dico 1. Causa materialis remota, est qui suspendi potest, persona Ecclesiastica, ùt dixi *Serie anteriori n. 1. & 4.* seu Minister Ecclesiasticus; & prout communiter Theologi exponunt, est ad minus prima tonsurâ initiatus (a). Unde suspensio, quam imponit Concilium Trident. *sess. 25. cap. 17.* contra Præfectum Monasterii, est lato modô censura, non strictè. Nomine personæ Ecclesiasticæ quæ potest suspendi, veniunt Capitulum, Communitas. Lezan. Suar. Cornexo.

(a) Sayr. Thesaur. in Prax. v. Monial. c. 2.

 2. Dico. 2.

2. Dico 2. Causa materialis proxima, est peccatum respectivè, hoc est respectu personæ particularis, quando sola seorsim suspenditur, debet esse peccatum proprium: quia pœna specialis, supponit itidem culpam specialem. Secùs verò quando simul suspenditur Collegium aut Communitas; tunc non requiritur culpa in singulis, sed sufficit culpa plurium, aut Superioris: nam potest Superior in Inferioribus, & Communitas in membris puniri, juxta ea quæ habentur in *cap. Si sententia*, *de Sen. excom. in* 6. Ita sentiunt S. Thom. *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 2. *a.* 2. Sylv. *verb. Suspensio*, *n.* 4. & N. Cornejo *in* 3. *p. tr.* 5. *de Suspens. d.* 3. *dub.* 2. *q.* 1. Item quòd pro veniali culpa, solùm levis suspensio imponenda est, qualis est v.g. suspensio à distributionibus unius horæ. Cajet. *in Sū. verb. Suspensio*, Tolet. Dian. *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 19. Suspensio verò gravis, qualis est suspensio ab Officio & Beneficio simul, vel ab alterutro, prærequirit omninò culpam mortalem (b): tum quia suspensio ab usu Ecclesiæ, est acerbior pœna quàm minor excommunicatio; tum quia licèt ex genere suo privet minoribus bonis, tamen difficiliùs tollitur; tum quia secum aliquam adfert infamiam, consequenter debet præsupponere graviorem culpam quàm excommunicatio minor.

Superior in Inferioribꝰ, Communitas in membris puniri potest.

(b) NN. Cornej. in 3. p. tr. 5. de Susp. d. 3. dub. 2. Lezan. l. c.

3. Causa verò finalis, est correctio delinquentis, ùt docetur communiter, & per se patet. Causa efficiens, juxta Regulam generalem est ille, qui excommunicare potest. Ita Lezan. Sylv. & alii Canonistæ.

4. Quæ autem sint servanda in ferenda suspensione; jam dixi *suprà dè Conditionibus*, quæ requiruntur ad ferendam sententiam: nunc tantùm nonnulla addo, scilicet: quòd ferenda suspensio pro contumacia, præsupponat necessariò monitionem; non verò lata in puram pœnam delicti præteriti: colligitur ex *cap. Tam litteris, de Testibus*. Ratio est: quia quoties pœna injungitur ob delictum, purè & simpliciter sustinenda est.

SERIES III.

De effectu suspensionis.

SECTIO I.

Quisnam sit effectus suspensionis?

1. Effectus suspensionis est, quòd suspensus nequeat sub peccato mortali exercere actum à quo est suspensus, si materia est gravis (a): *cap.* 2. *de Major. & obed.* Et si suspensus sit ab Ordine, exercens actum Ordinis, insuper incurrit irregularitatem Pontifici reservatam: pa-

(a) Navar. Lezan. Tolet.

patet utrumque ex *cap.* 1. *Cùm medicinalis, de Sent. excom. in* 6. & *cap.*1.*de Sent. & re judicata, in* 6. & *cap. Si quis Episcopus in consilio*, & *cap. Si quis Episcopus damnatus*, 11. *q.*3. Excusatur tamen ab irregularitate, qui & à culpa: nempe ut vel gravem infamiam, vel scandalum vitet &c. Ratio est: quia irregularitas pœnalis est; consequenter quando culpa non præcedit, ea non est. Videndi sunt Dian. *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 9. Martinus de Alcolea Carthusiensis *tr.* 3. *de Suspensione resol.* 1. Tanner. *tom.* 4. *d.* 6. *q.* 10. *dub.* 6. *n.* 136.

2. Quæritur, si suspensio feratur sub hac forma, *sit suspensus* (sicut solet ferri excommunicatio sub ea, *sit excommunicatus*); quid hæcce sententia operetur? an liget? & à quonam, an ab Ordine, vel beneficio, aut Officio, suspendat. *Resp.* quòd dicta sententia, censuratum suspendat tam ab Officio sive Ordinis sive jurisdictionis, quàm à beneficio (b). Probatur: quando fertur excommunicatio his verbis, *sit excommunicatus*, nomine excommunicationis, intelligitur excommunicatio major (c), quæ comprehendit in se minorem; ergò etiam quando fertur suspensio his verbis, *sit suspensus*, nomine suspensionis, intelligitur suspensio & ab officio sive Ordinis sive jurisdictionis, & à beneficio. Quòd verò taliter ferri queat suspensio, habemus fundamentum in Extravag. *Divina, de Privil.* & Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 17. Et quia suspensio, uti in species suas, dividitur in suspensionem ob officio, & in suspensionem à beneficio, ut clariùs de dictis speciebus, & contentis sub eis particularibus, tam suspensionibus quàm earum effectibus dicam; sit

(b) Lezan. v. Susp. n. 4. Dian. p. 5. tr. 10. ref. 14. de Alcol. l. c. ref. 4. Sylv. v. Susp.

(c) Vide suprà hîc d. 2. ser. 1. n. 3.

SECTIO II.

Qualenam sint effectus suspensionis ab officio?

1. ANtequam aliæ difficultates enucleentur, præmittendum: quòd suspensio ab officio, generaliter & absolutè lata, non includat suspensionem à beneficio (a): tum quia suspensio ab officio, specie distinguitur à suspensione à beneficio; tum quia in pœnalibus non est facienda extensio. At, debet suspensus à beneficio beneficiatus, per alium supplere onera sui beneficii, quæ per se non potest exercere; alioquin non potest fructus beneficii percipere, cùm dentur illi propter officium. Ita Bonac. *de Suspens. punct.* 2. *n.* 10. & Lezan. *suprà.*

2. Dices: Beneficium est accessorium ad Officium, cùm detur propter officium, ùt colligitur ex multiplici Jure, præsertim *cap. fin. de Rescript. in* 6. atqui sublato principali, tollitur etiam accessorum, *cap. Accessorium, de Reg. Jur. in* 6. Item excommunicatio privans usu officii, privat

(a) Lezan. l. c. n. 5. Cornej. in 3. p. tr. 5. de Susp. d. 2. dub. 1. q. 5. Veran. p. 823. de Alcol. & alii. Gratiâ discursûs.

& fructibûs; ergò &c. *Resp.* Tunc tantùm sublato principali tollitur accessorium, quando hæc duo sunt ita connexa, ut necessariò se sequātur; jam verò Officium & beneficium non ita se habent: siquidem plerumque officium sine beneficio reperitur, sunt enim plures Clerici qui carent beneficiô. Ad 2. instantiam dico: disparitas est, quia *cap. Pastoralis, de Appellat.* excommunicatus non solùm privatur officiô, verùm etiam fructu beneficii, quia ùt ibi loquitur Pontifex, indignum est, ut proventibûs Ecclesiasticis fruatur, qui est extra Ecclesiæ consortium per excommunicationem; jam verò quoties pœna suspensionis simpliciter imponitur, mentio nulla fit de privatione fructuum beneficii.

3. Utrùm validè & licitè possit conferri beneficium suspenso ab officio generaliter & absolutè? Utrumque negant DD. cum N. Lezan. *verb. Beneficium, n.* 6. & *verb. Suspensio, n.* 5. ubi Lezana probat per Regulam generalem *cap. fin. de Cleric. excommunic.* quòd quoties aliquis privatur aliquo munere vel actu, etiam est privatus receptione eorum, quæ ad talem actum vel munus ordinantur: cum eo idem probat Verani. Deducuntq; hoc *ex cap. Cùm dilectus.* Contra quos assurgit Carthusianus de Alcolea dicens: quòd sicut ex *cap. ult. de Cler. excom.* ita ex *cap. Cùm dilectus,* 8. & *cap. Quia diversitatem,* plus non colligitur, quàm tali collationem factam, esse irritandam; non verò irritam: & concludit cum Hurtad. *difficul.* 4. *de Suspensione n.* 8. esse licitam collationem factam tali: quod se deducere dicunt ex *cap. Vel non est compos,* 14. *de Tempore ordin.* Nihilominùs in *cap. Bonæ memoriæ,* 8. *de Ætate & qualit. & ordine præficiendorum,* decernitur collationem beneficii factam suspenso, per triennium in suspensione perseveranti, esse irritandam. Hæc habet de Alcolea Carthusianus *loc. cit. resol.* 17. Idem etiam dicendum, utrùm suspensus possit eligere; quòd juxta Lezan. *loc. cit.* & *tom.* 1. *cap.* 15. sicut eligi aut votum habere validum, ita validè eligere, nequit.

4. Hîs præmissis ultrà dicendum, quòd suspensio ab officio, generaliter lata privet Ordinis & jurisdictionis usu: hæc enim omnia important nomen officii, de quo hîc. Lezan. *suprà.*

5. Ultrà dicendum, simpliciter ab Ordine suspensum, esse privatum omni actu majoris & minoris Ordinis (b): tum quia *suspendo te ab Ordine,* est propositio indefinita, æquivalens huic *suspendo te ab omni Ordine.* Non tamen hæc suspensio ab Ordine, actum prohibet jurisdictionis, ùt docet S. Thom. *in Supplem.* 3. *p. q.* 22. *a.* 3. Ratio est: quia Ordo per se distinguitur à jurisdictione; & pœnalia non sunt extendenda. Excipitur illa jurisdictio, quæ ad exercitium Ordinis est necessaria, ùt in Sacramento pœnitentiæ: quapropter suspensus ab Ordine, non potest exercere jurisdictionem, in administrando Sacramentalem absolutionem in

(b) Bonac. Peyrin. Lezan.

foro

foro pœnitentiali; cùm nequeat exercere jurisdictionem hanc, quin simul exerceat actum Ordinis Sacerdotalis. Hinc est, quòd suspensi solùm ab Ordine, possint eligere (c); cùm jus eligendi pertineat ad jurisdictionem: hocq; pacto Moniales licèt Ordine careant, jus tamen habent eligendi: ùt habetur in *cap. In dignitatibus, de Elect. in* 6. Quinimò suspensus ab Ordine, non est suspensus à prima tonsura; cùm ea non sit Ordo.

(c) Verani.

6. Suspensus ab inferiori Ordine, utrùm licitè possit exercere superiorē? *Resp.* probabile est quòd possit eum in cujus exercitio non includitur Ordo minor: sic suspensus ab exercitio Diaconatûs, non potest celebrare quia deberet legere Evangelium, quod est actus Diaconatûs (d); potest autem solemniter baptizare, confessiones audire, Sacram Euchariстiam aut extremam Unctionem administrare. Sed probabiliùs dicendū quòd non possit: quia cui non licet minus, nec ei licere debet quod est majus (e): argumentnm *cap. Cùm illorum, de Sent. excom.* & *leg. Relegatorū*, §. *ult. digest. de Interdicto*. Hoc tamen certum esse videtur, quòd suspensus ab Ordine inferiori, exercens actum Superioris Ordinis, non annexum essentialiter exercitio inferioris Ordinis, ùt sunt audire confessiones, administrare Eucharistiam; non incurrat irregularitatem, quàmvis peccet (e). Quòd peccet, ratio suadet: quia indecens est, ut ineptus ad Ordinem inferiorem, exerceat digniorem Ordinem. Quòd non incurrat irregularitatem, inde est, quòd in nullo Jure pro tali casu indicetur irregularitas; jam verò ut censeatur quis incurrere irregularitatem, requiritur textus expressus: ùt colligitur ex *cap. Is cui, de Sent. excom. in* 6. (c). Deinde, quia talis non facit aliquid, directè sibi per censuram prohibitum, sed solùm per quamdam consecutionem, propter indecentiam: ùt advertit & notat Cornej. *in* 3. *p. tr.* 5. *de Suspensione d.* 2. *dub.* 2. *q.* 5. Econtra suspensus ab Ordine superiori, non eô ipsô prohibetur exercere Ordinem inferiorem: quia prohibitio majoris, non est prohibitio minoris, seorsivè sumpti (e). Et sic suspensus à celebratione Missarum, potest officium Subdiaconi exercere: ùt patet ex dictis *de Ordine suprà, dist.* 8.

(d) Sayr. Sa.

(e) Lezan. Veran. de Alcol.

7. Suspensio ab Ordine Pontificali, non prohibet actus jurisdictionis Episcopalis: patet inde, quòd Episcopus confirmatus, ante consecrationem sui, possit actus jurisdictionis Episcopalis exercere: ùt colligitur ex *cap. Transmissam*: v.g. Confessarios destinare, approbare &c. Veran. *loc. cit. n.* 19.

8. Suspensio à jurisdictione, solùm privat actibûs jurisdictionis: quales sunt, imponere censuras, absolvere ab illis, conferre beneficia, judicare &c. consequenter privat iis actibûs Ordinis, qui exerceri non pos-

ſunt ſine jurisdictione. Quapropter Parochus ſuſpenſus à jurisdictione, non poteſt adminiſtrare viaticum; quàmvis poſſit communionem Sacram, petentibus gratiâ devotionis, diſtribuere. Et ſi eſt ſuſpenſus ſolùm à judiſdictione temporali, non poteſt adminiſtrare bona temporalia; poteſt autem exercere jurisdictionem ſpiritualem, & quodcunque officium ſpirituale. Ita Lezan. Peyrin.

9. Suſpenſio à Divinis hunc effectum habet, quòd ſuſpenſus à Divinis, nequeat Officia Divina perſolvere ex officio; benè tamen, ùt privata perſona, ſeu tanquam Laicus. Unde ſuſpenſus quàmvis nequeat Miſſam celebrare; poteſt tamen ei ùt Laicus miniſtrare, & audire eam tenetur. Et licetſi, etiam minorem Ordinem, quà miniſter Eccleſiæ exercere licitè non poſſit; poteſt tamen absque veſtibus ùt Laicus, dicere, cantare Epiſtolam. Et non poteſt quidem Officium hebdomadarii facere, aut ùt Clericus in choro cantare; poteſt tamen ùt Laicus in choro cantare, & privatim Officium dicere tenetur. Item non poteſt Sacram Euchariſtiam adminiſtrare, poteſt tamen ipſe communicari. Ita Lezan. *ſuprà*, *n.* 10. Bonac. *n.* 16. Nald. Filliuc. Portel. & alii.

Suſpenſus ſimpliciter tam à majori quàm minori Ordine.

10. Circa dicta, Notanda: 1. Etſi aliquando nullum peccatum committat ſuſpenſus, exercens actum à quo eſt ſuſpenſus, ùt dixi *ſuprà* ſub tit. *Quæ excuſant à cenſura*, & ſtatim dicam, & aliquando ſolùm veniale, ob defectum plenæ advertentiæ, vel levitatem materiæ; hîs demptis tamen, & aliis à mortali excuſantibus (in quacumque materia hoc faciens), mortaliter peccat: ùt oſtendi in principio hujus *Sectionis*. Inſuper exercens quemcumque actum Ordinis, etiam minoris (f), ab exercitio ejus ſuſpenſus; incurrit irregularitatem, ùt nunc *loc. cit.* ex deciſ. Apoſt. deducitur: niſi excuſetur ratione neceſſitatis, vel ſcandali vitandi, ignorantiæ, inadvertentiæ vel oblivionis, dicit Lezan. *loc. cit. n.* 13. & *verb. Irregularitas*, *n.*55. & Cornejo *tom.* 2. *in* 3. *p. S. Thomæ tr.* 5. *de Excom. d.* 1. *dub.* 3. *n.* 1. & *d.* 2. *dub.* 2. Ratio eſt *ſuprà* data. Ultimæ partis: quia lex Eccleſiaſtica non obligat cum tanto diſpendio; niſi adeſſet grande ſcandalum, aut talis actûs exercitium extorqueretur in odium vel contemptum Eccleſiæ. Ad 1. partem adnota, eum incurrere dictam irregularitatem, etiam benedicendo aquam, ceras, fructus, nuptias, aut mulierem ſolemniter poſt partum: cùm ſint actus Ordinis Sacri. Bonac.

(f) Lezan. contra Bonac.

11. Dixi, *inſuper exercens actum Ordinis*: nam exercendo alium quemcumque actum, non incurrit irregularitatem; cùm in lege non ſit expreſſa: at puniendus eſt ad arbitrium Judicis. Verani. Unde quàmvis ſuſpenſus ab Officio prædicationis, peccet prædicando, & ipsô factô ſit excommunicatus ex Clementin. *Cupiens*, §. *Quibus*, circa fin. *de Pœn.* non

(g) Communiter.

ſit

fit tamen irregularis (g), etiam solemniter hoc præstando (h). Ratio est: quia prædicare non est actus Ordinis, sed jurisdictionis delegabilis, ùt decisum referunt Reginald. & alii apud Barbos. *in Collect. Bullar. verb. Prædicator, alleg.* 76. *n.* 45. & constat ex declaratione Sacræ Congreg. apud eumdem Barbos. *loc. cit.* potestque delegari etiam non Clerico. Lezan. *loc. cit. suprà*, & *verb. Concionari, n.* 4.

12. Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, celebrando in ea, præter mortale quod committit, incurrit irregularitatem, ùt habetur in *cap. Is cui, de Sent. excom. in* 6. audiendo verò Missam in ea, non incurrit irregularitatem, sed peccat mortaliter. Ita habet Gemin. in prædict. *cap. Is cui, n.* 4. Additum est, *in ea:* nam secùs dicendum, si extra Ecclesiam, in Territorio vel Oratorio privato, non designato in perpetuum ab Episcopo pro celebratione, id faciat: docent Geminian. in *cap. Is cui*, in fin. *de Sent. excom. in* 6. Majol. *lib.* 3. *de Irregul. cap.* 19. *n.* 4. Bonac. *suprà, punct.* 5. *prop.* 2. *n.* 6. Item quòd suspensus ab activa collatione Sacramentorum, conferens, fiat irregularis; non autem suscipiens, licèt peccet ùt statim dicetur. Ita Sylv. *verb. Suspensio*, §. 5. Tolet. *suprà:* quia suscipere, non est actum Ordinis exercere.

13. Notandum 2. quòd actus suspenso prohibiti, ad quos jurisdictio necessaria non est, validitate sua non careant; quare oppositum dicendū de absolutione Sacramentali. Actus verò jurisdictionem postulantes, vel exercentur à suspenso non tolerato? Non valent; cùm suspensus sit privatus actuali jurisdictione. Vel exercentur à suspenso occulto, ab Ecclesia tolerato? Valent, & Sacramentum pœnitentiæ: idem enim est dicendum de suspenso, quod de excommunicato.

14. Notandum 3. de vitatione suspensi: Nullo Jure Ecclesiastico, Fidelibus innocentibus, cum suspenso quocumque prohibetur communicatio (i): quapropter possunt cum eis etiam in actibus à quibus sunt suspensi, communicare (k); demptis casibûs in quibus communicatio, est cum eis in delicto suspensione prohibito cooperatio (k): nam tunc est peccatum contra legem naturalem & Divinam; siquidem cooperari peccato alterius, intrinsecè malum est. Tunc autem communicatio cum suspenso, est cooperatio in delicto suspensione prohibito, *quando* (ùt ait N. Lezana) *suspensum non toleratum, extra casum necessitatis extremæ, inducit ad usum actûs prohibiti; aut si toleratus sit, tamen sine ulla prorsùs necessitate aut utilitate, cùm aliàs non esset paratus, neq; ex officio aut dignitate obligatus, provocat illum ad talem usum vel ei ad exercitium actûs prohibiti inservit.* Unde non peccaret Felix audiendo sacrum Sacerdotis N. suspensi, nominatim denuntiati; modò non ministret altari: docent Cornej. *in* 3. *p. tr.* 5. *de Susp. d.* 2. *dub.* 1. Verani, Lezan. & Bonac. Neque teneretur

(h) Sylv. Arm. Dian. Lez. l. c. Contra Tolet. l. 1. c. 45. & Navar.

(i) Lezan. Veran. Bonac. Hériq. & alii loc. cit.

(k) Suar. Tāner. Lez. suprà, n. 5. contra Bonac. Navar.

relinquere Sacrum propterea, quòd suspensus publicè denuntiatus, idem Sacrum audire vellet, & audiret.

15. Et si quis malitiosè, suspenso in delicto suspensione prohibito cooperaretur; non propterea incurreret censuram aliquam: cùm in nullo Jure id declaretur. Suar. Veran. Lezan. & alii.

SECTIO III.

Quales sint effectus suspensionis à beneficio?

I. RESP. & dico: imprimis quòd suspensus à beneficio, non est eo ipso suspensus ab Officio; sed tenetur Officio suo satisfacere, in ea Ecclesia à cujus beneficio suspensus est: & sic tenetur celebrare, & alia Divina Officia exercere, ùt communiter DD. cum Gloss. in *cap. Cùm Vincionensis, de Elect.* & Abbate in *cap. Cùm dilectus, n.* 20. *de Elect.* Et si recuset Officium suum ministrare, potest compelli usque ad privationem beneficii: ùt constat *de Cler. non resident.* & *cap. penult. eod. tit.* & *cap. Provenit,* 2. *de Appellat.*

2. Probatur Resolutio: tum per hoc, quòd suspensio cùm sit pœna, relevare non debet ab onere; alioquin ita suspensus, ex sua malitia commodum reportaret: tum quia suspensus à beneficio, intelligitur solùm à perceptione fructuum, ac temporali administratione beneficii suspensus: quare illi OEconomus constituendus est: & si se ingerat beneficii interdictæ administrationi, ipso Jure privatur beneficiô: *cap. Cupiens,* §. *Cæterùm, de Elect. in* 6.

3. Hîc notanda duo: 1. quòd quomodocumque se ingerat administrationi beneficii, aut fructus quibûs privatur percipiat, irregularitatem non incurrit: cùm in Jure expressa non sit; quàmvis peccet mortaliter recipiendo, & ad restitutionem ante sententiam Judicis obligetur: dicit Verani Theatinus. 2. est, quòd nullo Jure prohibeatur recipere eleemosynam, datam propter anniversarium, aut onera personalia Clericorum: quia hæc emolumenta, non sunt fructus beneficii.

4. Difficultas est inter Theologos, utrùm possit suspensus à beneficio, fructus quatenùs necessarii sunt ad se & suos alendos recipere, maximè si est pauper? Circa hoc sunt aliquot sententiæ. Prima ei hoc concedit, quòd possit recipere proportionatos, moderatos: cujus sententiæ sunt Sayr. *de Censur. lib.* 4. *cap.* 6. Suar. *d.* 27. Bonac. *n.* 12. Ugolin. Avil. Lezan. *verb. Suspensio, n.* 8. & alii. Secunda Hurtadi *difficult.* 4. *n.* 10. negat. Tertia distinguit: Vel est suspensio lata in pœnam, vel pro contumacia? Si primum? Subveniendum est ei juxta arbitrium Superioris. Si secun-

Si ſecundum? Non eſt ſubveniendum de fructibus dictis beneficii: hujus ſententiæ ſunt Cornej. *in* 3. *p. tr.* 5. *de Suſpenſ. d.* 2. *dub.* 4. *q.* 1. Mercerus *de Sacrament. in* 3. *p. q.* 24. *dub.* 3. Gordon. *tom.* 2. *lib.* 7. *q.* 13. *cap.* 7. *n.* 76. Turian. *lib.* 4. *d.* 39. *dub.* 40. *n.* 2. His addo quartam ſententiam: vel eſt ſuſpenſus Jure, & ſuſpenſio eſt occulta? Tunc ante declarationẽ incurſionis, tuta conſcientiâ poteſt recipere fructus beneficii etiam diſtributiones, ſi Divino Officio publico interfuerit: docent de Alcolea Carthuſianus *tr.* 3. Joan. Præpoſit. *in* 3. *p. q.* 2. *de Suſp. dub.* 2. *n.* 22. Tanner. *tom.* 4. *d.* 6. *q.* 10. *dub.* 7. *n.* 137. Vel eſt ſuſpenſus ab homine, aut Jure, & eſt declaratus pœnam incurriſſe? Tunc ſi in pœnam aut remedium cõſideratur lata ſuſpenſio, ſubveniendum ei: ùt Cornej. cum aliis prætendunt. Vel pro contumacia? Libertati Superioris & gratiæ hoc relinquo.

5. Quæritur an ſuſpenſus à beneficio, ſit pariter ſuſpenſus à Jure collationis beneficii, electionis, confirmationis &c? *Reſp.* quòd non: tum quia electio, & collatio beneficii, ſunt actus Officii: ùt communiter cum Cornej. DD. tenent: tum quia id colligitur ex *cap. Cùm Vindonienſis*, apud Verani *de Cenſur. p.* 827.

SECTIO IV.
Vtrùm ſuſpenſio disjunctiva, nempe ab Officio vel beneficio, ſit valida?

VIdetur quòd non: tum quia qui faceret intentionem, *volo conſecrare hoſtiam hanc vel illam*, nihil faceret: tum quia non eſt ratio, cur potiùs eximatur à pœna hâc, quàm illâ; vel econtra. *Reſp.* affirmativè: cùm poſſit Confeſſarius pœnitenti injungere ut aliquo die jejunet, aut certam eleemoſynam det; & Judex in foro externo poteſt injungere reo, ut aut ſolvat quod ſurripuit, aut verbera ſuſtineat: cur etiam non poſſit Judex Eccleſiaſticus imponere ſuſpenſionem ab Officio vel beneficio. Diſparitas autem quòd non valeat conſecrare ſub hac intentione, *volo ut hæc vel illa ſit conſecrata*, per verba dicta conſecrativa: quia verbum *hoc*, aut *hic*, ſunt demonſtrativa, exigunt materiam determinatam; ſecùs ſuſpenſio ab aliquo, quàmvis etiam exigat ſubjectum determinatum: ùt dixi *ſuprà*.

SECTIO V.
Quænam ſint ſuſpenſiones particulares in Iure?
Contra Clericos in generali.

1. SIt prima ex *cap.* 1. *d.* 50. & *cap. ult. de Tempore ordinat.* tam cõtra Sæculares quàm Regulares, recipientes sacros Ordines ante legitimam ætatem: tales ipso facto ab executione Ordinum suspenduntur, usque ad legitimam ætatem: ex *cap. Vel non est compos, de Tempore ordinand.* De his dixi *de Ordine* (a). Addo ly *sacros*: cùm Trident. etiam addat, indicans suspensionem talium: quapropter recipientes minores Ordines, non suspenduntur; quàmvis recipiendo scienter, non excusentur à peccato, id probantibus Suar. *d.* 31. *n.* 23. & 29. Bonac. *d.* 3. *punct.* 5. §. 1.

(a) d. 9. ser. 3. sect. 2. n. 12. 13. & ultrà, pag. 407.

2. Secunda ex *cap. Sanctorum, d.* 70. contra recipientes Sacros Ordines per dolum quomodocumque & fraudem, ficto titulô beneficii, aut patrimonii &c. (b): quod ibi habetur, *decernimus ut sine titulo facta ordinatio, irrita habeatur.* Si verò quis absque titulo, sed sine dolo & fictione, quòd habeat beneficium aut patrimonium, tale, sufficiens &c. ordinatur ab Episcopo, sciente quòd non habeat, & volente eum ùt talem ordinare; non incurrit tunc suspensionem (c): quia in *cit. cap. Sanctorum,* & *cap. Neminem,* pœna inducta contra eum qui absolutè sine titulo ordinatur, sublata est ab Alexand. III. *cap. Episcopus:* & ab Innocent. III. *cap. Secundùm Apostolum,* statuitur: quòd Ordinarius vel ejus Successor alat ordinatum, donec promoveatur ad beneficium aliquod Ecclesiasticum. Quod tamen intelligendum est de ordinato, non præsentato ab aliquo Patrono; quia tunc ab hoc non ab Episcopo alendus esset: ùt declaratum est *cap. Si Episcopus, de Præbend. in* 6. Hæc in Corp. Jur. Can. *de Præbend. p.* 139. Additque Sayr. *de Censur. lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 6. dicens eorum sententiam esse falsam: *quia secundùm declarationem Congregationis Concilii, & usum pœnitentiariæ, ordinatus sine titulo, non est suspensus.* Neque Concilium Trid. renovat pœnas sublatas, sed non sublatas: neque citatâ a Doctoribus *sess.* 21. *cap.* 2. imponitur taliter ordinatis pœna suspensionis. Sed Donat. *de Privil. Novitior. tr.* 6. *q.* 26. & Lezan. *verb. Ordines sacri, n.* 17. dicunt esse latam pœnam suspensionis contra suscipientes sine titulo à Pio V. per Bullam quæ incipit, *Romanus Pontifex*: quæ videnda est. Et sic ex illa incurrunt dictam suspensionem.

(b) l. c. n. 7. 8. 9.

(c) Veran. l. c. Avil. de Censur. p. 3. d. 5 Dian. p. 2. tr. 16. & Misc. 2. tr. 5. de Alcol. contra Bonac. de Sacram. d. 8. q. unic. p. 5. n. 34. & alios.

3. Tertia ex Extravag. *Antiqua* Joan. XXII. *de Voto* contra eos, qui durante matrimonio rato nondum consummato, præsumerent suscipere Ordines. Additur, *qui præsumerent*: nam si bona fide susciperet Ordinem Sacrum, aut ex ignorantia crassa, vel supina hoc quis faceret, aut probabiliter putans uxorem esse mortuam, etiamsi esset consummatum matrimonium illorum. Talis quidem exercere non posset Ordinem Sacrum vivente uxore; at illa privatio non haberet rati-

onem

onem pœnæ, sed rationem prohibitionis simplicis: proinde illâ mortua, statim exercere Ordinem, ùti non suspensus ab eo, posset. Ita Dian. *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 59. & Martinus de Alcolea *tr.* 3. *resol.* 41. Bonac. *suprà*, *n.* 13. & 14.

4. Quarta ex *cap. penult. de Simon.* contra ineuntes pactum sub promissione, aut juramento, quòd ordinandus non petet ab ordinante, aut præsentante beneficium, aut alimenta, ipso acceptante, suspenditur per triennium à collatione; ordinatus verò ab Ordine suscepto, donec à Papa absolvatur: *cap. Tuas nobis*, 37. *eod. tit.* ad eum qui nesciebat id esse illicitum. Gordon. *tom.* 2. *lib.* 7. *q.* 15. §. 6. *cap.* 12. *n.* 13. Dian. *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 54. & 43.

5. Quinta ex *cap. Per tuas*, 32. & *cap. penult. de Simon.* & Extravag. 2. *de Simonia*, contra scienter recipientes per simoniam Ordines quoscumque. Veran. *sect.* 5. *n.* 2. Bonac. *suprà*, *n.* 9.

6. Sexta ex *cap. Cùm illorum*, *de Sent. excom.* contra recipientes Ordines in excommuni atione.

7. Septima ex *cap.* 1. & 2. *de Schism.* contra recipientes Ordines ab Episcopo nominatim excommunicato, aut suspenso (d).

(d) loc. cit. sect. 2. n. 12.

8. Octava ex *cap.* 1. *de Ordinat. ab Episc.* contra eos qui recipiunt Ordines Sacros, ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatui quoad locum & dignitatem, subsecuta acceptatione à Papa. De hoc dixi *suprà*, *de Ordine* (e).

(e) de Ord. l. c. n. 13.

9. Nona ex Extravag. Pii II. *Cùm hæc Sacrorum*, & Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. contra eos qui ab alio Episcopo sine licentia proprii, aut extra tempora, aut absque dimissoriis, aut cum falsis, suscipiunt Ordinem Sacrū; ipso facto incurrunt excommunicationem (f). Et ex Concilio Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. recipientes Ordines ab alio Episcopo, sine testimonio probitatis, incurrunt suspensionem ad arbitrium proprii Episcopi (g).

(f) Vide de Ord. ser 3. sect. 2. n. 32. p. 412.

(g) loc. cit. n. 23.

10. Decima ex *cap. Episcopum*, 9. *q.* 2. & Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. *de Reform.* & *sess.* 14. *cap.* 2. contra ordinatos à suis Episcopis in aliena Diœcesi, sine consensu Ordinarii loci.

11. Undecima ex *cap. unic. de Cler. per saltum promoto*, contra scienter suscipientes Ordines per saltum. Bonac. *loc. cit. n.* 6.

12. Duodecima ex Trident. *sess.* 7. *cap.* 10. *de Reform.* contra Sede vacante non arctatos occasione beneficii recepti aut recipiendi, intra annum, cum litteris dimissoriis à Capitulo receptis, recipientes sacros Ordines: tales enim ipso facto incurrunt suspensionem, ad benepla itum futuri Prælati; recipientes verò minores Ordines, privantur privilegiô Clericali, præsertim in criminalibus.

13. Decima tertia ex *cap. Litteras*, *de Tempore ordinat.* contra recipien-

 tes duos una die Ordines Sacros &c. Vide *de Ordine suprà, ser.* 4. *n.* 45. *p.* 437.

14. Decima quarta ex Clementin. 2. *de Vita & honest. Cler.* contra Clericos beneficiatos, non utentes vestibûs ad formam statutam: hi incurrunt suspensionem per menses sex, aut per annum, juxta qualitatem delicti; non verò illi qui carent beneficiô. Veran. Bonac.

15. Decima quinta ex *cap. Innocentiis*, §. *Clerici, de Elect.* indignum eligentes ad beneficium, quod habet annexam curam animarum, incurrunt suspensionem à beneficio ad triennium.

16. Decima sexta ex *cap. Nihil*, & *cap. Relatum, de Consecr.* celebrans, in Missa se non communicans, suspenditur per annum à communione. Excusant ab hac pœna, inadvertentia, necessitas inevitabilis: imò si saltem sub una specie persoluta est Missa. Bonac. *loc. cit. n.* 15. & 16.

17. Decima septima ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.* contra Parochos & Regulares conjũgentes in matrimonium, aut benedicentes absque licentia Sponsorum sive Sponsi, ùt dixi de præsentia Parochi *suprà:* tales suspenduntur ad arbitrium Ordinarii.

18. Decima octava ex *cap. ult. de Cohabit. Cler.* & ex *cap. Si qui sunt, d.* 81. & *cap. Nullus*, & *cap. Præter, d.* 32. contra publicos, notorios cõcubinarios, fornicarios: tales ipso facto suspensi sunt, donec pœnituerint. Ita docent Veran. *de Susp. sect.* 5. Sylv. *verb. Concubinatus*, §. 4. Alterius & alii contra Bonac. *loc. cit.* Tolet. *lib.* 1. *cap.* 47. Suar. *d.* 31. *sect.* 4. Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 14. minimè juvat secundam sententiam, & primam expugnat; quia ibi sermo est, non de publicis, notoriis concubinariis, fornicariis, sed de illis de quibus improbabilis aut probabilis suspicio mala esse potest, ùt patet ex verbis ibi: *Prohibet Sancta Synodus quibuscumq; Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin pœnis* &c.

Contra Religiosos.

19. Sit prima ex *cap. ult. de Apost.* contra recipientes Ordines Sacros in apostasia: ab eis receptis in ea, suspenduntur, donec dispensetur à Papa (h).

20. Secunda ex *cap. Non solùm*, & *cap. Constitutionem, de Regular. in* 6. contra Mendicantes, admittentes aliquem ad professionem, ante completum probationis annum.

21. Tertia ex Clementin. 1. *de Decimis*, contra Religiosos sibi applicãtes vel detrahentes decimas.

22. Quarta ex Clementin. *Cupientes, de Pœnis*, est contra Religiosos, scien-

(h) Lez. t. 1. c. 16. n. 12. Suar. t. 1. in 3. p. d. 31. sect. 6. Sãch. l. 6. Decal. c. 8. n. 21.

ſcienter & voluntariè non facientes conſcientiam ſuis pœnitentibus, de ſolvendis decimis. Videndus Lezana *tom.* 1. *cap.* 9. *n.* 26.

23. Quinta ex Pio V. contra Religioſos, promoventes ſuos Novitios ad Sacros Ordines, non ſervato Decretô Concilii Tridentini (i).

(i) Lez. t. 1. c. 4. n. 20.

24. Sexta ex Pio V. contra Religioſos admittentes fœminas in ſua Monaſteria: tales enim ipſo facto incurrunt ſuſpenſionem à Divinis, ſed non reſervatam Papæ, ùt colligitur ex eadem Pii Conſtitutione: conſequenter poſſunt abſolvi à quocumque legitimo Confeſſario, docent Theſaur. *verb. Clauſura* 1. *p.* 2. *in Prax. cap.* 1. & 2. Donat. *de Eligend. tr.* 5. *q.* 17. *n.* 9. *p.* 64.

25. Septima ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. contra Abbates & exemptos, qui litteras dimiſſorias aliis quàm ſuis ſubditis Regularibus concedunt. De abſolutione à ſuſpenſione, dixi *ſuprà de Cenſuris in communi.*

DISTINCTIO IV.

Referens dicenda in materia degradationis & depoſitionis.

SERIES unica.

§. I.

In quo conveniunt & diſconveniunt?

I. Depoſitio de qua hîc, (non de partiali, nempe depoſitione ab aliquo Officio, quæ ſolet à Jure aut ab homine imponi; ſed de totali, quæ aliàs communiter dicitur degradatio verbalis,) eſt perpetua ab altaris miniſterio & gradu Eccleſiaſtico remorio, ſine ſpe reſtitutionis, cum retentione tamen privilegii fori & Canonis. Lezan. *verb. Depoſitio, n.* 1. Sylv. in *Sum. verb. Degradatio, n.* 1. Alderete & alii. Degradatio verò actualis ſeu realis, eſt pœna Eccleſiaſtica, quâ Eccleſiaſtica perſona, realiter ac actualiter, privatur omni officiô, beneficiô, & privilegiô tam fori quàm Canonis, in perpetuum abſque ulla ſpe illud conſequendi, cum quadam ſolemnitate. Ita immediatè citati.

Depoſitio.

Degradatio.

2. Unde

2. Unde conveniunt primò in hoc, quòd non privent charactere Ordinis, cùm sit indelebilis: consequenter tam depositus quàm degradatus, sicut validè quàmvis illicitè exerceret actum Ordinis; ita invalidè contraheret matrimonium: Et sicut obligatur ad servandam castitatem, ita & alia onera Ordinis: nempe ad dicendum officium Canonicum (a), quod dicere potest cum aliis etiam in choro (b); sed non facere, cùm facere officium spectet ad Hebdomadarium, cujus officiô talis privatus est. Neque videtur posse dicere *Dominus vobiscum*, quia hoc denotat dignitatem quam ipse non habet. Et si celebraret, privaretur communione laicali, dempto periculô mortis (c): colligitur ex *cap. Accedens, d.* 50. Secundò conveniunt in hoc, quòd ipsô factô nõ incurruntur, sed per sententiam Canonicam, à Judice imponuntur. Tertiò, quòd utraque pœna, cum quadam licèt diversa imponatur solemnitate: ùt habetur in *cap. Degradatio.* Quartò, quòd utraque pœna reddat hominem infamem; cùm non imponatur nisi propter gravissimum & publicum delictum (c). Quintò, quòd utraque privet spe recuperandi statum præteritum.

(a) Lez. Bonac. Sylv.

(b) Lez. v. Depositio, n. 3. Sylv. Sanch.

(c) Lezan. verb. Depositio.

3. Differunt autem 1. quòd degradatio verbalis sive depositio, potest fieri in absentem; actualis ac realis degradatio, nisi in præsentem persolvi potest: *cap. Novimus, de Verb. signif.* & *cap. Veritatis, de Dolo.* 2. quòd degradatio actualis fiat cum majori solemnitate: nempe degradatio Presbyteri astantibus sex aliis Episcopis; degradatio Diaconi vel Subdiaconi, coram tribus Episcopis: *cap. Degradatio, de Pœnis in* 6. Et si Episcopi haberi nequeant; habendi sunt totidem Abbates. Et si tot non reperiantur, & commodè adesse nequeant; adhibendæ sunt aliæ personæ in dignitate constitutæ, juxta Concilii Trident. dispositionem *sess.* 13. *cap.* 4. Ab hac regula excipitur casus quo Ecclesiastica persona deponitur propter hæresim: tunc non requiruntur tot personæ, sed coram aliquibus Abbatibus & Religiosis, Episcopus dictum hæreticum deponere potest: prout habetur *cap.* 1. *de Hæretic. in* 6. Et quòd dictæ personæ spectent ad ferendam sententiam ùti Judices, colligitur ex *cap.* 1. *in fin.* 15. *q.* 7. *cap. Non potest, de Sent. & re judicata.* Requiriturque ut omnes dictæ personæ, in ponenda degradatione sint concordes: quia in *cap. Non potest, de Sent. & re judicata,* dicitur: *non posse quemquam à Sacerdotali gradu deponi, nisi adsit concors sententia.* Ita Panorm. *n.* 16. Bonac. *loc. cit* Barbos. & alii apud eum contra Glos. *cap. Non potest.* Degradandus verò, prout describitur in *cap. Degradatio, de Pœnis in* 6. debet adduci indutus vestibûs sacris, ac gestans manibûs ea instrumenta quæ spectant ad suum Ordinem, ad Episcopum; à quo, ordine juxta Pontificale Romanum exuitur, incipiendo ab illo vestimento quod

ultima

ultima vice in sua ordinatione acceperat, usque ad primum quod datur in collatione primæ tonsuræ: denique exuto vestibûs, raditur caput vel tondetur, ne tonsuræ vel Clericatûs vestigium in eo remaneat: hîsce peractis, traditur postea degradatus Curiæ sæculari. Quæ omnia minimè interveniunt in simplici depositione. 3. differunt in hoc, quòd depositio non, sed degradatio privet privilegiô fori & Canonis; non tamen ante traditionem Curiæ sæculari: ita enim Doctor Resolutus *d.* 18. *q.* 3. *a.* 1. *p.* 435. dicit: *Item de deposito & tradito Curiæ Seculari cap. Cùm non ab homine. Secùs si non sit traditus, quàmvis degradatus: nam talis, privilegium non perdit.* 81. *d. Dictum; & hoc in memoriam præteriti officii.*

§. II.

Ob quas causas, à quo, & cui imponenda est degradatio?

I. CAusæ sive scelera ob quæ imponi potest depositio dicta, sunt: adulterium, stuprum, incestus, furtum, perjurium, homicidium etiam solo consiliô perpetratum; & plura similia. Ita Innoc. in *cap. Cùm dilectus, de Purgat. Canonic.* Sayr. Bonac. Scelera verò ob quæ imponēda est degradatio, sunt: homicidiū qualificatū (quod est homicidiū v.g. Episcopi aut alicuj⁹ dignissimæ personæ Ecclesiasticæ, sive Regis &c), crimē hæresis, sodomia sæpiùs exercitata, & similia. Panorm. *de Cler. excō. ministrante,* Barbos. 3. *p. de Potestat. Episc. alleg.* 110. Bonac.

2. Degradare spectat ad Episcopum, *cap. Degradatio, de Pœnis in* 6. ad quē pertinet & ordinare. Potest quidem delegare alteri depositionem, quia Concilium Trid. *sess.* 13. *cap.* 4. hæc habet: *Per se, seu illius Vicarium in spiritualibus Generalem;* non verò degradationem: sic enim ultrà dicit Concil. *Per se ipsum etiam ad actualem atq; solemnem degradationem.*

3. Imponenda degradatio est non tantùm Subdiacono, sed etiam imponi potest & Clerico: quia in *cap. Si quis Episcopus,* 27. *q.* 1. habetur, *quemcumq; Clericum,* in quocumque Ordine constitutum, ratione delicti degradari posse. Bonac. *d.* 4. & alii communiter.

4. Nec Episcopus in hac pœna dispensare potest. Ratio est: quia inferior in lege superioris dispensare nequit.

DISTINCTIO V.

Distinguens Ideas sive ipsas rationes intelligibiles censuræ interdicti ab aliis.

Quid & quotuplex sit interdictum?

Interdictū.

I. RESP. & dico: Interdictum est Censura Ecclesiastica, Sacramentorum quorumdam usum, Divina officia, & sepulturam Ecclesiasticam prohibens. Ita colligitur ex *cap. Non est nobis, de Sponsal. cap. Quod inter, de Pœnit. & remiss.* Sylv. *in Sum. verb. Interdictum* 1. *n.* 2. Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 3. *a.* 1. Lezan. *verb. Interdictum, n.* 2.

2. Differt ab excommunicatione, quòd excommunicatio non feratur in loca aut integras Civitates, ùt interdictum: à suspensione, quia hæc fertur in solas personas Ecclesiasticas; interdictum verò etiam in Sæculares.

3. Quotuplex sit interdictum, dixi *d.* 5. *de Sacrament. Euch. ser.* 7. *n.* 48. *pag.* 162. Hîc nonnulla addo quoad Regulares: quòd quàmvis, quãdo interdictô personali interdicitur Clerus, non intelligantur Religiosi, nisi illi qui beneficia Clericorum habent in eo Territorio, aut nisi pateat ex adjunctis mens interdicentis: tum quia ex privil. Nicolai V. *suprà* non censurantur nisi exprimantur; tum quia semper exprimuntur, dum censurantur (a); tamen dum fertur interdictum generare locale (b) super totam Civitatem sive Oppidum, comprehenduntur etiam Religiosorum Ecclesiæ in ea Civitate existentes, non obstante earum exemptione: quia aliàs ùt notatur *cap. Si Civitas*, vilipenderetur interdictum; cùm possent Cives illius populi, ad Ecclesias exemptas confugere. Lezan. *loc. cit. n.* 5. Bonac. *n.* 25. Addo & hoc, quòd interdicta Ecclesiâ, interdicuntur & Capellæ: & interdicta Civitate, interdicuntur & Suburbia, *cap. Civitas*, & *cap. Si sententia*.

(a) Præp. de Interd. Portel. Dian. p. 5. tr. 10. ref. 80. Ugol tab. 5. §. 5. n. 3. de Alcol. tr. 5. ref. 24.

(b) Innoc. III. cap. Cū in partib9, in Corp. Iur. Cā. de Verb. Signif. p. 279.

SERIES II.

Quæ sint causæ interdicti?

I. RESP. & dico 1. Causa propter quam ferri potest interdictum, debet esse culpa (a); & quidem major ut feratur locale, quàm speciale tale (b): quia in plures tale interdictum redundat; & major ut feratur personale generale, quàm personale particulare, ob datam rationem. Non debet tamen interdictum personale generale supponere culpam in omnibus personis (c), *cap. Si sententia, de Excom. in.* 6. alioquin vix aliquando posset interdictum tale imponi; sufficit quòd major pars communitatis, sive Superior, vel Princeps &c. cau-

(a) Ita omnes.

(b) Veran.

(c) Lez. Veran.

sam

sam dederint interdicti: ùt colligitur ex dicto ca, Si sententia, siquidem delictum capitis, est quodammodo commune membris, quatenùs propter conjunctionem redundat quodammodo in corpus.

2. Et præterea ratio est, quare alii qui non dederunt causam interdicto ab eo non eximuntur: quia interdictum est signum mæstitiæ & tristitiæ Ecclesiæ propter inobedientiam aliquorum, & ita oportet, ut alii filii Ecclesiæ cum ipsa etiam lugeant, inquit Lezan. *verb. Interdictum*, *n.* 6. Quare verò non potest ferri in aliquem excommunicatio propter peccatum alienum, ratio est Lezanæ: quia est pœna gravissima privans bonîs gravissimis, ùt vidimus *suprà*.

3. Quæres 1. utrùm interdictum personale speciale, possit ferri pro culpa veniali? *Resp.* quòd possit leve personale, quale est interdictũ ab ingressu Ecclesiæ per mensem (d). Ratio est: si potest ferri excommunicatio minor pro culpa levi (ùt dictum est *suprà*), quæ est pœna gravior; ergò & interdictum leve personale, cùm sit pœna levior. Addo, *personale*: nam locale cùm plures afficiat, nisi ob mortale peccatum ferri justè potest.

(d) Lez. Veran. Dian.

4. Quæres 2. utrùm interdictum ferri possit pro debito pecuniario? *Resp.* non potest generale locale: quia ita ordinatum est in Extravag. *Providè*, *de Sent. excom.* (e). Interdictum generale personale probabiliter ferri non potest, propter eamdem rationem, nempe ne inde multa damna sequantur (e); probabiliùs tamen ferri potest (f): quia Extravagans *cit.* solùm ait de interdicto locali. Interdictum particulare locale, admittunt Navar. & Tolet. dummodo Ecclesia non sit Parochialis; particulare personale, admittendum, communiter dicunt DD.

(e) Sot. in 4. d. 22. q. 3. a. 1. post 3. cõcl. Avil. Dian. p. 3. tr. 10. ref. 79. Lez. & alii.

(f) Præp. in 3. p. q. 3. de Interd. de Alcol. Sa, Suar.

5. Dico 2. Qui possunt excommunicare, suspendere; iidem valent ferre interdictum personale. Ita Lezan. Veran. Dian. Et quidem sine consensu Capituli, valet hoc præstare Episcopus: nam quàmvis habeatur oppositum in *cap. Quæsivit, de His quæ fiunt à major.* consuetudine tamen opposita, huic Juri derogatum est. Lezan. Verani. Addidi ly *personale*: quia Regulares Prælati, sive Provinciales sive Generales, nequeunt ferre interdictum locale, eò quòd ipsorum jurisdictio est potiùs in personas quàm in loca; vel quia estò sit etiam in loca, talem jurisdictionem per non usum perdiderunt: docent Lezan. Cornex. cum Sot. Excipiendi sunt Abbates, habentes sua Territoria & jurisdictionem Episcopalem, sub illa sæculares, in eis morantes.

6. Dico 3. Interdici possunt omnes, qui & excommunicari queunt. Secùs dicendum de Episcopis, nisi exprimantur, *cap. Quia periculosum, de Sent. excom. in* 6.

7. Propter privilegium Honorii III. & Urbani IV. Cisterciensibus, &

(g) Rodriq. t. 2. qq. Regul. q. 108. a. 3. Tābur. de Iur. Ab. t. 2. d. 15. dub. 2. Lez. v. Interd. n. 9. & v. Exemptio Regularium, n. 8.

& Greg. IX. Congregationi Montis Oliveti (g), Joan. XXII. Clem. VII. & Sixti IV. Carmelitis, Martini V. & Eugenii IV. Prædicatoribus, ac Sixti IV. Minoribus concessum, non potest Episcopus in Regulares in privilegiis communicantes, ferre interdictum personale, sive generale sive particulare; nisi in eos qui habent beneficium Parochiale, quod subest jurisdictioni Episcopi, *cap. Cùm capella, de Privil.* aut in casibus in quibus sunt delegati Sedis Apostolicæ, ùt patet ex *suprà dictis* sub §. 4. ac *tit. Quosnam Regulares, Episcopi censuris punire queant.* Nec Legati Apostolici, nisi sint Legati à latere: deducunt ex privil. Casarub. *in Compēd. privil. Mendic. verb. Exempt. n.* 9. & Lezan. *verb. Exemptio, n.* 8. & *hîc n.* 9.

8. Dico 4. Causa finalis interdicti, est resipiscentia seu emendatio, ut emendetur. Formalis verò, verba *interdicimus talem*, vel *talem populum, Civitatem, Clerum* &c. vel similia.

SERIES III.

Quinam sint effectus interdicti?

1. RESP. & dico, interdicti absolutè lati ac totalis, esse tres effectus: quorum primus, est privatio Sacramentorum quorumdam: *cap. Quod inter, de Pœnit. & remiss. cap. Non est nobis, de Sponsal. cap. Responso, de Sent. excom.* & *cap. Alma Mater, eod. tit. in* 6. Secundus, est privatio Divinorum officiorum: *cap. Ex recepto, de Jur.* & *cap.* 2. §. *Quodsi.* Tertius, est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ: *cap. Quod inter, de Pœnit. & remiss.* & *cap. Si Civitas, de Sent. Excom. in* 6.

2. Dixi, *interdicti totalis*; ad differentiam partialis: si interdicatur ab Officio Sacerdotis, non verò à receptione Sacramentorum, & sepultura Ecclesiastica. De his omnibus ut distinctè dicam; sit

§. I.

Quorumnam Sacramentorum usu privet interdictum?

1. RESP. & dico 1. Tempore interdicti localis, sive illud sit generale sive particulare, licitum est administrare baptismum, sive parvulis sive adultis, & his sive infirmis sive sanis, & quidem cum solita solemnitate; servata tamen moderatione præscripta in *cap. Alma Mater.*

2. Expli-

2. Explicatur & probatur. *Sive interdictum ſit generale ſive particulare:* quia quando lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: atqui (a) lex de interdicto locali *cap. Alma Mater, cap. Quoniam*, non diſtinguit, ſed univerſaliter de interdicto tali loquitur; ergò nec nos diſtinguere debemus.

(a) Bonac.

3. Quoad parvulos per ſe patet: quia eis baptiſmus eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem. De adultis ratio declarat: tum quia quàmvis eis non ſit ſimpliciter neceſſarius, cùm ſalvari poſſint per ſolum votum baptiſmi, quando non poteſt ipſis re ipſa miniſtrari baptiſmus, ùt definivit Concilium Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. & 6. nihilominùs quia baptiſmus in voto non operatur remiſſionem peccatorum, niſi adſit vera contritio, quæ extra Sacramentum non ita facilè elicitur; pia Mater Eccleſia non vult ut tempore interdicti ſic periclitentur adulti: quapropter *cap. Quoniam*, expreſsè ipſis concedit maniſtrari baptiſmū: & ſive ſint infirmi ſive ſani (b), cùm Concilium loquatur ſine limitatione ad ſolum infirmum (b).

(b) D.R. in 4. d. 11. a. 4. l. B. Veran. Lezana.

4. *Cum ſolemnitate ſolita*, hoc eſt cum conſuetis cæremoniis, poteſt, & adminiſtrari debet (c); quia illæ ſunt quaſi acceſſoria: conceſſo principalì, conceduntur acceſſoria (d). Et quia debet adminiſtrari baptiſmus quoad eſſentiam; debet & cum cæremoniis, dum commodè poteſt.

(c) Lez. n. 12. Verã. Bonacina.

5. *Servata tamen moderatione præſcripta in cap. Alma Mater:* ſcilicet *januîs clauſis, excommunicatis ac interdictis excluſis.* In Corp. Jur. Can. *de Verb. Signif. lib.* 5. *tit.* 11. *p.* 343.

(d) Sayr. Lez. Cornex.

6. An perſonaliter interdictus, baptizare queat? *Reſp.* Vel eſt interdictus interdictô perſonali ſpeciali? Talis nequit licitè adminiſtrare baptiſmum: quia perſona interdicta perſonaliter ob propriam culpam, æquiparatur excommunicato, quoad adminiſtrationem Sacramentorū: ùt habetur in *cap. Clerici*, & in *cap. Latores*, *de Cler. excom.* cui non licet baptiſmum adminiſtrare; ſiquidem nullo Jure excipitur à prohibitione adminiſtrandi Sacramenta. Vel eſt interdictus interdictô perſonali generali? quæritur, vel dedit occaſionem interdicto vel non? Si non? Adminiſtratio baptiſmi ei non prohibetur: quia interdictum perſonale generale, æquiparatur locali. Si verò primum? Adminiſtrare baptiſmum licitè non poteſt: quia talis interdictus, propter culpam, æquiparatur interdicto ſpecialiter tali, qui æquiparatur excommunicato: proinde niſi in caſu neceſſitatis, & abſque ſolita ſolemnitate baptizare poteſt. Ita Lezan. Verani & alii.

An perſonaliter interdictus poſſit baptizare.

7. Dico 2. De Confirmatione idem dicendum quod dixi de baptiſmo (e). Ratio eſt: tum quia hoc colligitur ex *cap. Reſponſo*, *de*

(e) D.R. l. c. Lez. & alii.

 Sentent. excom. & *cap. Quoniam*; tum quia confirmatio eſt veluti complementum baptiſmi, cùm detur ad confirmandam vitam, fortiterque profitendam fidem Chriſtianam in baptiſmo ſuſceptam. Quapropter licita eſt confectio chriſmatis die Cœnæ Domini: quia quando conceditur aliquid, conceditur & id ſine quo illud eſſe non poteſt; ùti confirmatio ſine chriſmate. Corroboratur Reſolutio cum adjunctis, authoritate & declaratione Bonifacii VIII. *cap. Quoniam*, ubi ſequentia: *In baptiſmo & confirmatione (quæ nedum pueris, ſed adultis propter mortæ periculum exhiberi poſſunt licitè tempore interdicti,) chriſmatis utimur Vnctione: poſſe (licèt terra interdictæ exiſtat) chriſma die Cœnæ Domini confici; dubium non exiſtit.* In Corp. Jur. Can. *de Verb. Signif. lib.* 5. *tit.* 11. *p.* 342.

8. Perſona interdicta perſonaliter, utrùm confirmari queat? *Reſp.* Vel eſt interdicta interdictô perſonali generali, & cauſam non dedit interdicto, ſeu in culpa non eſt, quòd interdictum perſonale generale latum ſit? Talis confirmari licitè poteſt (f): quia *cap. Quoniam*, ſine limitatione loquitur; & ille in culpa non eſt. Vel eſt interdicta interdictô perſonali ſpeciali, aut culpa eſt ipſius quòd interdictum perſonale generale latum ſit? Talis non poteſt licitè confirmationem recipere, niſi priùs ſatisfecerit, vel cautionem dederit ſatisfaciendi: ùt colligitur ex *cap. Alma Mater*, in Corp. Jur. Can. *loc. cit.* & inde, quòd talis interdictus æquiparetur excommunicato quoad uſum paſſivum Sacramentorum: ùt liquet ex *cap. Epiſcoporum, de Privil. in* 6.

(f) Veran. Lez.

9. Dico 3. Jure novo *cap. Alma Mater*, tempore interdicti, ſive illud ſit à Jure ſive ab homine, ſive locale generale aut particulare, ſive perſonale generale, qui non ſunt excommunicati, nec ſua culpâ ſunt cauſa interdicti; conceditur eis Sacramentum pœnitentiæ ſive abſolutio Sacramentalis, ſive ſint infirmi ſive ſani. Ita Doct. Reſol. *in* 4. *d.* 11. *q.* 1. *a.* 4. §. *Sed numquid*, Lezan. *verb. Interdictum*, *n.* 15. Veran. *d.* 49. *de Effectibus interdicti ſect.* 3. *n.* 8. Bonac. §. 3. *n.* 1. & *ultrà*.

10. Explicatur & probatur Reſolutio. Dico, *Jure novo cap. Alma Mater*: nam Jure antiquo *cap. Quod inter*, & *cap. Non eſt vobis*, tempore interdicti ſolùm ægrotis concedebatur Sacramentalis abſolutio (c).

11. Addo *qui non ſunt excommunicati*: nam dictum *cap. Alma Mater*, dicit: *dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti præterquam in mortis articulo, nolumus ad eamdem.* Sed nota, hoc intelligi de excommunicato ob delictum, propter quod latum eſt interdictum: ùt advertit Doct. Reſol. *loc. cit.* dicens: *Excommunicati ſolùm in mortis articulo admittuntur ad pœnitentiam, qui ſunt cauſa interdicti & in culpa, niſi juxta formam Juris ibi expreſſam ſatisfecerint ùt tenentur.* Cui ſubſcribunt Sylv. Armil.

Armil. & Lezan. *loc. cit.* addens, vel intelligi de excommunicatione reſervata, vel eſſe ſermonem de abſolutione ſolemni & publica: aliis enim excommunicatis non eſt cur negetur Sacramentum pœnitentiæ, dicunt Lezan. Cornex. *de Interdicto d.* 3. Suar. *n.* 16. contra Ugolin. & Sayr.

12. *Nec ſua culpâ ſunt cauſa interdicti:* nam dictum *cap.* ultrà dicit: *Illis etiam, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem, lata eſt ſententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum cujus occaſione ipſum interdictum eſt latum præbuerunt auxilium, conſilium, vel favorem, niſi de ipſo delicto, ſi ſint tales quòd id facere valeant, priùs ſatisfecerint, vel de ſatiſfaciendo idoneam dederint cautionem, præſtare juraverint, quòd quùm potuerint ſatisfacient* &c. De hoc plura dixi *ſer.* 6. *de Abſolutione à cenſuris*, *ſect.* 1. *n.* 11. Quapropter qui ſua culpâ eſt occaſio quòd ſit latum interdictum perſonale generale, aut propter culpam ſuam eſt interdictus interdictô ſpeciali; talis non poteſt obtinere abſolutionem, quin priùs ſatisfecerit, vel cautionem ſatisfaciendi dederit, ùt dixi *n.* 8. & dixiſſe Doctorem Reſolutum inſinuavi *n.* 11.

13. Conceditur eis qui nec ſunt excommunicati, nec ſua culpa ſunt cauſa interdicti, Sacramentum pœnitentiæ ſeu Sacramentalis abſolutio, ſive ſint infirmi ſive ſani: dictum enim *cap. Alma Mater* dicit: *Concedimus quòd tempore interdicti ab homine vel à Jure prolati, non tantummodo morientes, ſed etiam tam ſani quàm infirmi, ad pœnitentiam (quæ propter pronitatem & facilitatem hominum ad peccandum ſummè neceſſaria eſt) licitè admittantur.*

14. Confeſſarius qui eſt perſonaliter ſpecialiter interdictus aut culpâ ſua eſt cauſa ad interdictum perſonale generale; poteſtne abſolvere? *Reſp.* Talis ſemper validè, & in caſu neceſſitatis licitè; ſecùs, illicitè, abſolvere poteſt. *Validè ſemper:* quia interdictum non privat poteſtate Ordinis & juriſdictionis, ſed tantùm impedit uſum licitum extra caſum articuli ſive periculi mortis: docent Veran. Lezan. Bonac. *loc. cit.* contra Dian. 4. *p. tr.* 10. *reſol.* 62. Suarez verò dubius manet *n.* 20.

15. Dices: Perſonaliter interdictus æquiparatur excommunicato: excommunicatus vitandus invalidè abſolvit; ergò & interdictus. *Reſp.* Æquiparatur reſpectivè, concedo; abſolutè & in omnibus, nego. Explico: Pro diſcurſu.
Æquiparatur reſpectivè, hoc eſt præcisè in hoc quòd utrique prohibeatur uſus activus hujus Sacramenti, proinde uterque peccat illud adminiſtrando; non tamen quantùm ad juriſdictionem & validitatem Sacramenti: cùm non exprimatur in Jure de interdicto, ſicut expreſsè habetur de excommunicatione: prout notat Verani.

16. Urgebis: Perſonaliter ſpecialiter interdictus, non poteſt validè abſolvi,

absolvi, demptis servatis servandis *n.* 12. intimatis; ergò etiam taliter interdictus Sacerdos, validè absolvere non potest. *Resp.* disparitatem esse: quia ex parte absolvendi obest indispositio, siquidem peccet recipiendo contra mentem Ecclesiæ, non priùs satisfaciendo; nihil autem tale assignatur ex parte absolventis interdicti: consequenter ex parte ejus est valida absolutio.

17. Dico 4. quoad Sacramentum Eucharistiæ: Tempore interdicti localis, nullus potest licitè in loco interdicto, modô sæculari, etiam tempore Paschatis communicari, nisi existens in periculo mortis, servatis servandis: *cap. Permittimus*, *de Sentent. excom. cap. Quod in te, de Pœnit.& remiss.*& *cap.Alma Mater.* Antiquissimus Guido, Doct. Resol. & Lezan. *loc. cit.*

18. Explicatur & probatur Resolutio. *Tempore interdicti localis:* nam tempore interdicti personalis generalis, possunt communicari, qui non sunt de communitate interdictorum: patet ex dictis *de Sacram. d.* 5. *ser.* 7. *n.* 47. *pag.* 162. *In loco interdicto:* v.g. si esset interdicta Varsavia, neque in Leszno etiam domi sanus communicari posset. Extra locum verò interdictum, administrari ei hocce Sacramentum potest (g): sic v.g. si solùm Ecclesia est interdicta, potest communicari extra eam: patet ex dictis *de Sacram. loc. cit.* *Modô sæculari:* nam Sacerdotes certis diebûs possunt in loco interdicto celebrare, ùt statim videbimus; & sic modô Sacerdotali in Missa communicari. Nec tamen propterea Sacerdotes, more sæculari in loco interdicto extra periculum mortis possunt communicari: quia Jure antiquo id eis non licebat; nec Jure novo *cap. Alma Mater* conceditur, sed solùm permittitur celebrantibus (h). *Etiam tempore Paschatis*, sub prætextu adimplendæ annuæ communionis: cùm tunc prohibitio Juris antiqui nullibi moderata urgeat. Ita Lezan. *loc. cit.* Sylv. *verb. Interdictum* 5. *n.* 7. Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 3. *a.* 1. Bonac. *n.* 11. contra Suar. *Nisi sit existens in periculo mortis* (g): v.g. est damnatus quis ad mortem, vel fœmina vicina primo partui, aut ea quæ antea ob difficultatem pariendi vix mortem evasit (i); talis potest in loco interdicto, sive in Ecclesia interdicta, communicari, cùm censeatur esse in probabili periculo mortis: tali Jure antiquo & novo conceditur Eucharistiæ sacræ Sacramentum. *Servatis servandis:* nam hæc sunt servanda, ut is cui dandum est Viaticum, priùs satisfaciat si dederit causam interdicto, *cap. Alma Mater*; aut si est interdictus particulariter (k), priùs satisfaciat, aut præstet cautionē de ea, *cap Alma Mater.* Bonac. Lezan. Secùs dicendum de eo qui est generaliter interdictus, & causam culpabiliter interdicto non dedit: nam sicut non peccavit, ita non debet cogi ad satisfactionem. Bonac.

§. 2.

(g) Lezan. Sylv. Bonac.

(h) Covar. Navar. Lezan. v. Interd. contra Filliuc. Syl.

(i) Sayr. l. 5. c. 7. n. 18 Henriq. c. 45. n. 2. Ugol. tab. 5. c. 7. n. 2.

(k) Lez. n. 16. Sylv. n. 7. Sot. in. 4. d. 22. q. 3. a. 1. Bonac. n. 11. contra Suar.

§. 2. *prop.* 3. *n.* 11. Item Sacerdos administraturus, ne sit interdictus specialiter, aut culpabiliter causa interdicti, sive localis sive personalis generalis: nam talis æquiparatur interdicto specialiter, qui per interdictum arcetur ab hoc ministerio; nisi deesset alius Sacerdos.

19. Et quid dicendum de Fratribus Clericis & Laicis Regularibus, & de Monialibus; utrùm possint tempore interdicti localis, Sacram Eucharistiam sani sumere, sicut Sacerdotes celebrare, vî privilegiorum? *Resp.* Bonacina dicit, consulenda esse privilegia Religiosorum, de quibus mihi plenè non constat (inquit), quàmvis dicant aliqui hoc esse concessum Mendicantibus ab Innoc. IV. & à Paul. III. Societati. Quare suadet videre Compendii privil. *verb. Excommunicare*, §. 8. Et Lezana *loc. cit. n.* 16. dicit se nullum vidisse, nisi quoddam Julii III. vivæ vocis oraculum, quod his temporibûs valore suo caret. Extant tamen defactò privilegia: imprimis concessum Carmelitis anno 1360. ab Innoc. IV. in Bulla quæ incipit *Sacræ vestræ Religioni*, his verbîs: *Indulgemus, ut in locis generaliter interdicto suppositis cùm ad ea declinaveritis ad Divina officia celebranda, & audienda & recipienda Ecclesiastica Sacramenta* &c. *valeatis*. Quod confirmavit Greg. XI. anno 1372. per Bul. quæ incipit *Provisionis nostræ*. Idem Clemens IV. concessit Minoribus anno 1265. per Bul. *Virtute conspicuos* his verbîs: *Cùm ad loca perveneritis Ecclesiastico suppofita interdicto* &c. *liceat vobis celebrare Divina officia, & Ecclesiastica recipere Sacramenta* &c. Quod confirmârunt Eugenius IV. per Bul. *Licèt debitum*, anno 1439. & Joan. XXIII. per Bullam *Sacra vestra*, anno 1410.

Tempore interd. local. FF. Religiosi sani communicari possunt.

20. Dico 5. Interdictum locale in loco, personale generale personas constituentes communitatem interdictam, personale speciale ubique, tales personas privat Sacramentîs Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii (l): *cap. Quod inter.* Ratio suadet: quia hæc Sacramenta nullo Jure à generali prohibitione facta per interdictum excipiuntur. Unde quòd nequeant moribundi interdicti, aut in loco interdicto, recipere licitè Extremam-Unctionem (nisi bona fides excuset); conveniunt DD. Attamen quòd urgente necessitate, propter penuriam Sacerdotum, queant recipere Ordinem, & Abbates conferre tonsuram & minores Ordines; docent Lezan. *loc. cit. n.* 18. & Tambur *de Jur. Abbatum tom. 2. Quæst. Regul. q.* 5. *n.* 2.

(l) Verâ. Lez. Bonac. & alii communiter.

21. De matrimonio objicies *cap. Capellanus*, ubi conceditur quocumque tempore posse contrahi matrimonium; consequenter tempore interdicti. *Resp.* Dicto locô concedi, posse contrahi matrimonium quocumque tempore non prohibito; nõ verò quocumque tempore absolutè sumpto: aut si esset in *dict. cap.* sermo de omni tempore absolutè, non

est tamen de omni loco, neque inter quascumque personas; sed servatis circumstantiis à Jure dispositis: Sicque hoc Sacramentum non potest celebrari in loco interdicto, neque inter personas interdictas; quàmvis celebratum valeat, cùm nullibi lex tale matrimonium irritet.

§. II.

De secundo effectu interdicti, seu prohibitione Divinorum Officiorum.

Quid nomine Officii venit.

1. ANte Resolutionem præmitto: Quòd nomine Officii Divini intelligatur id, quod ex modo quo fit, est deputatum alicui Ordini Clericali, & fit à ministro Ecclesiæ ùt ad id deputato: hujusmodi sunt, Missa, Horæ Canonicæ dictæ in choro publicè & nomine Ecclesiæ; deinde annexa Horis Canonicis, scilicet: Officium B. MARIÆ Virginis & Defunctorum, Officium Hebdomadarii, publicæ orationes, quæ ab Ecclesia institutæ sunt, quales sunt: Litaniæ dictæ processionaliter cum Cruce & superpelliceis: item Sacramentalia, seu benedictiones aut cæremoniæ sacræ, videlicet: benedictio nuptiarum, Ecclesiarum, vasorum Sacrorum, corporalium, ornamentorũ, candelarum in die Purificationis, ramorum in Dominica in Palmis, aquæ lustralis & fontis baptismalis, collatio primæ tonsuræ, infusio aquæ lustralis per Ecclesias seu aspersio, benedictio Episcopi aut Abbatis, processio solemnis. Econtra verò non dicuntur officia Divina, ac per consequens non prohibentur per interdictum, illa quæ non sunt deputata alicui Ordini Clericali, aut fiunt à persona Ecclesiastica non ùt deputata ad id: cujusmodi sunt benedictio mensæ, oratio pro itinere, adoratio Crucis publica in die Veneris Sancto, modò fiat absque oratione, ab Ecclesia pro hoc actu instituta, salutatio Angelica, Litaniæ absque solemnitate Ecclesiastica, nempe absque superpelliceis, cappis, & aliis vestibus sacris, nec cum *Dominus vobiscum* &c. Ita docent Lezan. *loc. cit. n.* 20. Sylv. *verb Interdictum* 5. §. 6. Covar. *cap. Alma Mater*, *p.* 2. §. 5. *n.* 6. Bonac. *punct.* 4. *p.* 520.

(a) Tabien. Sylv. v. Interd. 5. Sayr. l. 5. c. 5. n. 40. Bonac. l. c.

2. Ex quibus colligunt DD. (a), posse Confratres cantare horulas B. MARIÆ Virginis & Litanias tempore interdicti, & in loco interdicto; cùm hæc non veniant nomine officiorum Divinorum: nam non sunt deputata alicui Ordini Clericali, sed quibuscumque conveniunt. His præmissis,

3. Dico 1. Quàmvis Clerici in majoribus constituti, aut Regulares perso-

personaliter interdicti, nequeant modò ordinario Officium Divinum seu Horas Canonicas dicere; privatim tamen ad dicendas, illi ratione Ordinis, hi ratione Religionis vi Statutorum obligantur (b). Et sicut duo vel tres interdicti, domi, aut in camera; ita unus sine socio in Ecclesia, etiam apertis januis, dicere Horas potest: dummodo ita submissè, ut à nullo interdicto audiatur, & Ecclesia non sit specialiter interdicta: dicit Lezan. *n.* 21.

Interdicti privatim dicere Officium tenentur.

4. Dico 2. Jure quidem antiquo *cap. Permittimus*, tempore interdicti localis, concedebatur tantùm una (c) intra hebdomadam Missa celebranda privatim, causâ conficiendi Corpus Domini propter infirmos; nunc verò Jure novo *cap. Alma Mater*, tempore interdicti localis generalis, licitè possunt Missæ multæ quotidiè celebrari; non aliter tamen quàm juxta præscriptum dicto *cap. Alma Mater*, quod sic habet: *Singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur officia sicut priùs; submissa tamen voce & januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis.* In Corp. Jur. Can. *de Sent. excom. p.* 342. Lezan. *loc. cit.* Sylv. & alii.

(b) Lezan. Verâ. Bonacina.

(c) Lezan.

5. Nonnulla horum declarantur & probatur. *Tempore interdicti localis generalis*: nam tempore interdicti localis specialis, non possunt tot Missæ, & quotidiè celebrari; cùm dicta concessio *cap. Alma Mater*, censeatur solùm esse pro tempore interdicti localis solùm generalis: docent Lezan. *loc. cit.* Veran. Bonac. Sayr. Ugolin. Solùm in tali loco una intra hebdomadam in antiquo *cap. Permittimus*, Missa absolvi potest, causâ conficiendi Corpus Domini propter infirmos. Nec obest quòd nullus sit infirmus; cùm privilegium *dicto cap.* non exigat illos omninò esse, sed concedit posse confici Corpus Christi, propter infirmos asservandum. Unde Bonac. vult, tantùm in eis Ecclesiis in quibus asservatur Sanctissimum Sacramentum, posse aliquem uti hocce privilegio. Sed gratis, cùm generaliter *dicto cap.* hæc facultas concedatur. Posset ergò Sacerdos, petente aliquo infirmo Viaticum, in aliqua Ecclesia, ubi non asservatur SS. Sacramentum celebrare, causâ conficiendi Corpus Christi Domini.

6. Utrùm dictum privilegium *cap. Alma Mater*, quòd possint tempore interdicti localis generalis celebrari quotidiè Missæ in Ecclesiis & Monasteriis, extendatur ad Ecclesias Sæcularium? *Resp.* Etiam ad Capellas hospitalium, & ad Oratoria privata in domibus ab Ordinario loci ad celebranda Sacra permissa, hocce privilegium tempore interdicti extenditur: quia in favorabilibus, nomine Ecclesiæ veniunt omnia loca sacra; sicuti nomine Monasteriorum, Monasteria Monialium. Ita Veran. Dian. Lezan. Unde licet si tempore interdicti localis gene-

ralis, non posset celebrari Sacrum in aliis locis, cùm non sint loca sacra; posset tamen celebrari servatis servandis coram infirma Moniali in Monasterio ejus, cùm sit verè Monasterium.

7. Explicantur *suprà* dictæ conditiones. Prima, *excommunicatis & interdictis exclusis*: & quidem sicut excommunicati, etiam extra interdictum, & interdicti, non tantùm personaliter specialiter aut generaliter, excluduntur; sed etiam qui interdicto generali causam dederunt, consiliô, vel auxiliô, vel favore, excludi debent: ùt colligitur ex *cap. Licet, de Privil. in* 6. Quid autem faciendum si excludi non potest, tempore Missæ adveniens; dixi *d.* 5. *ser.* 7. *n.* 44. & 46. *pag.* 161. Secunda conditio, *januîs clausis*: non tantùm principalis janua, sed omnes occludi debent. Et si interdicti per foramina, rimulas, aut fenestrellas introspiciant; graviter reprehenduntur in Clementina 1. *de Sent. excom.* (d). Tertia conditio, ut *submissa voce* celebrentur Divina Officia; ne exteriùs audiantur à Sæcularibus. Quarta conditio est, *campanîs non pulsatis*; etiam pro elevatione, parvula campanâ: maximè pro Missa: cùm sicut populus tempore interdicti localis admitti, ita convocari non potest; etiam alio quocumque signô convocativo. Quare tempore præfati interdicti, nec tubâ, nec tympanîs, nec aliis signîs locò campanarum uti licitum est, dando signa pro Missa. Ita Veran. *hîc n.* 7. contra Bonac. *n.* 9. Potest verò convocari populus etiam magna campanâ pro Concione, Reliquiarum ostensione, pro Angelica salutatione, & pro aliis quæ non sunt Officia Divina (b): cùm à talibus non coërceatur populus.

(d) Verani.

8. Quæres, an laici habentes privilegium audiendi sacrum tempore interdicti, peccent non audiendo die festivo? *Respondent* Verani, Avila, Coninch & alii, quòd non teneantur: quia nemo tenetur uti suo privilegiô. Contra quos *Resp.* affirmativè (e). Ratio est: quia præceptum audiendi Sacrum in die festo, obligat omnes legitimè nō impeditos. Si quis in carceribus, vinculis, existens, obtineret facultatem ea vincula deponendi, ut Missam audiret, non excusaretur à peccato, die festo non audiens Sacrum, quia in ordine ad audiendum Sacrum die tali, concederetur hoc privilegium; ergò etiam laicus habens privilegium audiendi Sacrum die festo, non excusaretur à peccato, cùm ad hunc finem datur privilegium. Nec datur disparitas, quare tenentur Clerici audire Sacrum, habentes tale privilegium; & quare non laici: cùm æquè Clerici sicut laici, non tenentur uti suo privilegiô.

(e) cum Bonac. Sot. Nugn. Henriq.

9. Quæres 2. An habentes tale privilegium, possint cum sua familia tempore interdicti interesse Divinis Officiis? *Resp.* affir-

affirmativè ; dummodo illi non dederint culpabiliter causam interdicto, aut in fraudem non sint assumpti: docent Lezan. *n.* 23. Bonac. *ibid.* Sot. *d.* 22. *q.* 3. *a.* 1. Avil. Ugolin. & alii. An nomine familiæ, intelligantur præter servos, uxor, filius, filia &c? Admittunt aliqui Recentiores apud Bonac. *loc. cit.*

10. Plura ad præsentem materiam, & quoad festivitates tempore interdicti occurrentes, attuli *loc. cit. n.* 47. & ultrà usque *ad n.* 55.

§. III.

Quid dicendum de tertio effectu interdicti, qui est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ?

1. Resp. Tertius effectus interdicti est, quòd interdictum locale, sive speciale seu particulare, sive generale, in loco sacro interdicto; interdictum verò personale, sive speciale sive generale, nominatim denuntiatos, ubique in loco sacro privat sepulturâ. Ita Lezan. Bonac. & alii communiter colligunt ex Clementin. 1. *de Sepult.* ex *cap. Quod in te, de Pœnit. & remiss. cap. Si Civitas, de Sentent. excom. cap. Ut privilegia, de Privil.* & *cap. Episcoporum, de Privil. in* 6. Interim

2. Explicatur & probatur Resolutio. *Interdictum locale, sive speciale sive generale* (a), *in loco sacro interdicto* sepulturam prohibet eorum, qui causam dederunt interdicto, quàm etiam eorum qui nec causam interdicto dederunt, nec interdicti sunt, sed prorsùs innocentes: quia interdictum locale, non differentiam personarum respicit, sed locum afficit, prohibendo ne in eo quis sepeliatur (a).

3. Attamen privilegium est *cap. Quod in te,* pro Ecclesiasticis, sive Clerici sint sive Religiosi: quòd ii qui nec dederunt causam interdicto, nec interdicti erant, & tamen interdictum servârunt (b); possint in loco sacro interdicto sepeliri sine solemnitate consueta, & absque pulsatione campanarum: nam ita eo *cap.* ordinatur, *Ut Clerici decedentes, qui tamen servaverint interdictum, in cœmeterio Ecclesiæ, sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur.* In Corp. Jur. Can. *de Pœnit. & remiss. p.* 269. Imò ex *cap. Alma Mater,* tempore interdicti localis generalis, dicti Ecclesiastici qui nomine Clerici veniunt, possunt sepeliri cum Divino Officio & Missa, juxta moderationem ibi factam (c): cùm ibi concedatur tempore interdicti Divinorum Officiorum celebratio, cum præscripta moderatione

(a) cap. Quod in te, de Pœnit. & remiss. & cap. Si Civitas, de Sent. excom.

(b) Lezã. Sylv. Sot.

(c) Lezã. Henriq. l. 13. c. 44.

one eorum. Non gaudentes privilegiô Clericorum, ob carentiam talis privilegii, ſepeliri in loco ſacro interdicto nequeunt; ſed in alio ſacro non interdicto tumulari, etiam cum conſueta ſolemnitate poſſunt.

4. Interdictum verò perſonale &c. nominatim denuntiatos &c. quia nulli quantùmvis perſonaliter & ſpecialiter interdicto, debet ſepultura in ſacro negari, niſi nominatim denuntiatus fuerit (d). Tum quia *cap. Vt privilegia*, conceditur omnibus Fidelibus ſepultura in loco ſacro, niſi excommunicati vel nominatim fuerint interdicti; tum quia propter Extravag. *Ad evitanda*, nullum cenſurâ affectum evitare tenemur, niſi nominatim denuntiatum (d).

(d) Lez. Bonac.

Quomodo perſonaliter generaliter interdicti ſint nominatim denuntiati.

5. At difficultas eſt non parva inter DD. quomodo perſonaliter generaliter interdicti, ſint nominatim denuntiati? Si non ſint nominatim denuntiati? Sepultura eis neganda non eſt, cùm vitandi non ſint, niſi nominatim denuntiati, ùt dictum eſt immediatè. Quare dicit Verani Theologus inſignis, negandam eſſe ſepulturam interdictis interdictô ſpeciali, quia ita ordinatum eſt in Clementin. 1. *de Sepult.* & in *cap. Epiſcoporum*, *de Privil. in* 6. id etiam eſt intelligendum de illis, qui cauſam dederunt locali interdicto, ſiquidem etiam iſti cenſentur perſonaliter interdicti; Secùs autem dicendum de perſonaliter generaliter interdictis: talibus enim (inquit) non eſt neganda Eccleſiaſtica ſepultura, iis qui non ſunt nominati. Quod admitti non poteſt, quia *cap. Quod in te*, expreſsè dicit: *licèt autem per generale interdictum denegetur omnibus, tam Vnctio quàm Eccleſiaſtica ſepultura* &c. & verum quod debeat nominatim denuntiari. Sed quomodo? *Reſpondet* Lezana quòd pro interdicto generali perſonali non debeat denuntiatio fieri nominatim ſub nomine ſingulorum de populo, ſed ſufficit ſub nomine Civitatis vel populi: cùm moraliter impoſſibile ſit, omnia membra unius communitatis nominatim alio modô denuntiare. Oppoſitum tuentur Cornej. cum Dian. *reſol.* 66. & patet ex ipſo verbo *nominatim*, & ex *ſuprà* dictis. Pariter locale interdictum, niſi denuntiatum ſit, non obligat.

6. Ex his collige, quòd quàmvis tempore interdicti localis, neque amentes neque infantes queant in loco ſacro interdicto ſepeliri, ob rationem datam *ſuprà*, *n.* 2. (nec obeſt quòd talium aſſiſtentiam Eccleſia non excludat à Divinis officiis, quia prohibitio excludens à Divinis, reſpicit utentes ratione; ſepulturā verò negans eis, reſpicit cadavera): & tempore interdicti generalis perſonalis, cùm ſint partes communitatis; tamen tempore interdicti perſonalis ſpecialis, poſſunt ſepeliri in loco ſacro non interdicto: cùm interdictum perſonale ſpeciale, ſolùm in individuo, & non alias deſcendentes aut collaterales attingat perſonas. Ita Bonac. *n.* 9.

7. Du-

7. Dubium est inter Theologos, utrùm saltem illis festivitatibus, in quibus juxta *cap. Alma Mater*, licitum est Divina Officia publicè & solemniter celebrare, ùt in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis Virginis Matris, à primis vesperis incipiendo (juxta Doctorem Resolutum), possint mortui sepeliri in loco sacro interdicto? similiter illi qui habent privilegium quotidiè assistendi Divinis Officiis, an quotidiè etiam sepeliri queant? *Resp.* negativè contra Bonac. quoad utrumque: quoad 1. contra Sayr. Sot. Navar. Henriq. Quoad 2. contra Avil. Coninch. Ratio est: tum quia tres effectus dicti, privatio Sacramentorum, privatio Officiorum Divinorum, & privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, distinguuntur; ergò potest unus tolli, nempe privatio Officiorum Divinorum, & secundi sublatio negari. Tū quia in præfatis festivitatibus, à Jure non tollitur interdictum, sed tantùm relaxatur præcisè quoad effectum celebrandi solemniter & publicè Divina Officia: quapropter in loco sacro interdicto nullus potest sepeliri, nisi habeat speciale privilegium. Probabilis quidem est opposita sententia, sed hæc probabilior; pro hacque sunt Lezan. Veran. *loc. cit.* Covaruv. Ugolin. Paludanus & alii.

8. Cæterùm si quis sepultus fuerit extra locum sacrum tempore interdicti, cessante postea interdicto ejus ossa extrahenda sunt, & sepelienda in loco sacro, si id commodè fieri potest, ùt asserunt Glos. *cap. Nobis*, Henriq. *cap.* 44. *n.* 5. Econtra si sepeliatur tempore interdicti localis in loco interdicto, non habens hocce privilegium sepeliendi, non est extrahendus ex illo: quia ùt notat Glos. *loc. cit.* hoc non habetur Jure statutum. Aliud est de excommunicatis, cùm sit id expressum in Jure *cap. Sacris*.

§. IV.

De reliquis effectibus interdicti.

1. Quartus effectus interdicti, pertinens ad personas Ecclesiasticas est, quòd interdicti personaliter, eligi nequeant ad prælaturas seu dignitates (a); idem dicendum de eo qui interdictum non servavit: *cap.* 1. *de Postulat. Prælat.* & *cap. Tanta, de Excess. Prælatorum.*

2. Ultimus effectus est privatio ingressûs Ecclesiæ: de hoc habetur mentio *cap. Sacro, de Sent. excom. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. *cap. Episcoporum, de Privil. in* 6.

(a) Lez. Azor. Sa verb. Interd.

3. Differt

3. Differt hoc interdictum à personali simpliciter dicto, 1. quia interdictum personale, privat participatione Divinorum in omni loco; hoc verò tantùm privat participatione eorum quæ in Ecclesia celebrãtur, extra eam verò potest celebrare, aut audire Missam, v.g. in domo, agro, oratorio privato, ùt colligunt ex *cap. Is cui, de Sent. excom. in* 6. Veran. *d.* 47. *de Interd. sect.* 4. §. 4. Lezan. *loc. cit. n.* 36. & apud eum Cornej. Navar. & alii. 2. ùt notat Cornej. cum aliis, quòd licèt interdictum personale simpliciter dictum, non privet ingressu Ecclesiæ ad orandum, quando Divina non celebrantur; hoc tamen interdictum privat tali ingressu, propter *cap. Latorem*, 33. *q.* 2. Sed oppositum communiùs docent DD. signanter Dian. Bonac. Lezan. Et etiamsi expositum sit SS. Sacramentum, potest tunc intrare Ecclesiam, & privatim orare, quando Divina Officia non celebrantur, dicunt Suar. *d.* 34. *n.* 36. Coninch *n.* 59. Reginald. *n.* 41. Navar. Avil. Covaruv. & alii contra Sylv. A fortiori potest intrare Ecclesiam, etiã tempore Officii Divini; non causâ orandi, sed transeundi, aut aliquid aliud faciendi: quia ingressus tali negatur ad Divina Officia celebranda, audienda; non verò absolutè quicumque: in quo omnes conveniunt.

4. Valdè probabile est, interdictum ab ingressu Ecclesiæ posse celebrare in cœmeterio etiam adjuncto Ecclesiæ, & in eo audire Missam etiam in Ecclesia habitam (b): quia odiosa concernentia Ecclesiam, non extenduntur ad cœmeteria.

(b) Fill. t. 1. tr. 18. c. 5. n. 103. Bonac. Dian. Lez.

5. Ex his collige 1. non peccare mortaliter sepelientem interdictũ personaliter generaliter, non nominatim: patet ex antè dictis. 2. talem recipere probabiliter non posse Sacramenta in Ecclesia, & extra Ecclesiam (c): nam qui recipit Sacramenta, censetur formaliter ingredi Ecclesiam.

(c) Lez. Suar. Laym. contra Bonac. Dian.

De cessatione à Divinis.

Differentia interdicti à cessatione.

6. Interdictum multipliciter differt à cessatione à Divinis. 1. quia cessatio à Divinis non est censura. 2. quia violans cessationem à Divinis, licetsi graviter peccet, non tamen fit irregularis; econtra violans interdictum. 3. quia cessatio à Divinis numquam afficit personas, sed tantùm locum: quapropter extra talem locum liberè possunt Divina celebrari & audiri à quolibet; secùs interdictum, plerumque est personale & afficit personas. 4. Sepultura in loco sacro tempore cessationis à Divinis juxta sententiam communissimam potest concedi, dummodo fiat sine Officio funebri. Negant hoc quidem aliqui, sed ex nullo Jure id probare valent. Ita colligitur ex Veran. Bonac. Suar. Reginaldo & aliis.

7. Ces-

7. Cessatio à Divinis, si eam spectemus ab effectu, est desistentia à Divinis; si verò formaliter & ùt est causa, est prohibitio Officiorum Divinorum, Sacramentorum &c. in loco certo. Suar. Avil.

8. Conditiones ad eam: Ut delictum sit publicum: ut præcedat admonitio: ut imponens eam, cum eo contra quem fertur, componant, aut ad Papam recursum faciant intra mensem; alioqui finito mense, obligatio cessationis desinit: *cap. Quàmvis*, §. *fin. de Offic. Ordinar.* Suar. *d.* 39. *sect.* 3. *n.* 13. Sylv. *verb. Cessatio*, *q.* 1. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 18. Filliuc. *q.* 8. Angel. *n.* 3. Bonac. *ibid. d.* 6. *punct.* 2. *n.* 2. Plura faciliter declarari possunt ex jam dictis *de Censuris*.

SERIES VI.

Qualiter peccent, & quas pœnas incurrant violantes interdictum?

I. R*Esp.* & dico 1. Violantes interdictum, sive personale particulare aut generale in quo omnes conveniunt, sive locale particulare aut generale quidquid dicant Cajet. cum Navar. sive Spirituales sive Sæculares sint; mortaliter peccant, nisi levitas materiæ excuset: quia contra præceptum in re gravi peccant. Ita Ostien. Sylv. Bonac. Lezan.

2. Dico 2. Violantes interdictum quodcumque laici, nullam pœnam incurrunt: cùm in nulla lege sit expressa. Sed si Dominus aut quis alius, compellat Clericum in loco interdicto, publicè ac solemniter celebrare Divina, vel pulsu campanæ aut voce Præconis convocet populum ad audienda Divina, vel impediat ne monitus excommunicat9 aut interdictus, dum solemnia Missarum celebrantur, exeat; incurrit excommunicationem Papæ reservatam ex Clementin. 2. *de Sent. excom.* Navar. Cornej. Lezan.

3. Dico 3. Personæ Ecclesiasticæ violantes interdictum quodcumque, per exercitium alicujus Ordinis Sacri, eô modô quô à laicis exerceri non potest; incurrunt irregularitatem: *cap. Is qui, de Sent. excom. in* 6. ubi est sermo de interdicto locali, & *cap. Is cui, eod. tit. in* 6. ubi est sermo de interdicto personali (a). Item si in loco interdicto hoc culpabiliter fecerint, incurrunt suspensionem à voce activa & passiva, ita ut nec eligi nec eligere possint, *cap. Is qui* (b); & privationem ingressûs Ecclesiæ, *cap. Episcoporum*, *de Privil.* In Corp. Jur. Can. *ibi p.* 337. Similiter existens in interdicto personali, privationem Ecclesiasticæ

(a) D. R. in 4 d. 11. q. 1. a. 4. Cornej. Lez. Sylv.

(b) Cornej. Lez.

asticæ sepulturæ in Ecclesia vel cœmeterio, nisi pœnituerit, *cap. Is cui*, Lezan. *verb. Interdictum*, *n.* 37. Suar. & alii.

4. Dico 4. Clerici aut Regulares quantùmcumque exempti, facientes celebrari Divina in locis interdictis, aut interdictos ad Divina Officia, Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittentes, si interdicti non sint, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, donec de transgressione hujusmodi, ad arbitrium ejus cujus sententiam cōtempserunt, satisfecerint: *cap. Episcoporum*. In Corp. Jur. Can. *de Privil. lib.* 5. *tit.* 7. *cap.* 8. *p.* 337. Doct. Resol. Lezan. *loc. cit.* Thesaur. & alii. Sed

5. Notant Guido super *cap. Is qui*, *de Sent. excom.* & *cap. Alma*, *in* 6. & Doctor Resol. *in* 4. *d.* 11. *q.* 1. *a.* 4. quòd celebrantes in loco sacro interdicto, aut facientes celebrari in loco interdicto sive à Jure sive ab homine, pœnam dictam incurrunt: quia in dicto *cap. Episcoporum*, expressè hoc habetur, *in locis interdictis ab Ordinariis sive Delegatis Judicibus, vel à Jure;* celebrantes verò coram excommunicatis vel interdictis, tunc incurrunt dictam pœnam privationis ingressûs Ecclesiæ, quando hoc præstant coram excommunicatis aut interdictis ab homine, non à Jure: quia dicto *cap. Episcoporum*, subditur, *donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, satisfecerint.*

6. *Sed pone* (inquit Doct. Resol. *loc. cit.*) *quòd interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non ingerit se officio sui Ordinis in Ecclesia, sed sub ǎere vel sub tentorio, vel in domo privata celebrat; numquid erit irregularis? Dicit Joan. quòd non: quia littera dicit, quòd in ipsa Ecclesia censetur sibi celebratio interdicta. Adde tamen, hoc fallit si celebret in suburbiis ubi Civitas est interdicta, vel capellis vel cœmeteriis contiguis, ubi Ecclesia est interdicta.*

In anteriori §. n. 4. est sermo solùm de persona interdicta; hîc autem etiam de loco nempe Civitate &c.

7. Dico 5. Clerici & Regulares, etiam exempti, non observantes locale generale interdictum, à Sede Apostolica vel Ordinario loci, vel à Provinciali Concilio statutum, advertentes illud observari ab Ecclesia Cathedrali, seu Matrice, seu Parochiali; incurrunt ipsò factò excommunicationem, ex Clementin. 1. *de Sent. excom.* etiamsi prætendant illud nulliter esse latum. Ita Doct. Resol. *loc. cit.* Sylv. *verb. Excom.* 9. Lezan. *verb. Interdictum*, *n.* 38. Bonac. *punct.* 6. *n.* 4. Tambur. Thesaur. & alii. Et si moniti, tempore interdicti celebrare non desistāt, quicumque sint, incurrunt pœnam perpetuæ depositionis: *cap. de Cleric. excom. & minist.* Barbos. Lezan.

De relaxatione & absolutione ab interdicto.

8. Breviter dicendum 1. Vel est latum ad tempus, aut conditionatè? Sic transcurso tempore, conditione, cessat interdictum. Vel est impositum

impositum absolutè sine limitatione? Tolli non potest nisi absolutione. 2. Quàmvis Confessarius nequeat tollere interdictum locale generale aut speciale, nec aliquem absolvere à personali generali, cùm spectet ad forum contentiosum; potest tamen absolvere ab interdicto personali particulari, sive à Jure sive ab homine sit, si reservatum non sit; sicut ab excommunicatione non reservata: imò etiamsi sit reservatum, si pœnitens habeat privilegium ut absolvatur ab omnibus censuris, quale est Bulla Cruciatæ. Videndus Lezan. tali *verb. n.* 30. 3. Quòd Prælati Regulares privilegiati, possint suos subditos Regulares absolvere ab interdicto personali particulari, etiamsi sit reservatum, patet ex dictis de aliis censuris. Plura faciliter declarari possunt ex jam dictis *de Censuris*. Quare sit

DISTINCTIO VI. & Ultima.

Sub qua regulantur Ideæ irregularitatum.

SERIES I.

Quid sit, quotuplex irregularitas, quæ causa ejus efficiens, & quod subjectum?

I. IRregularitas lato modò talis, est carentia regulæ; strictè de qua hîc, est inhabilitas seu impedimentum Canonicum, directè impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, & eorum usum. Ita definiunt Sylvester, Navar. Lezan. Irregularitas quid sit?

2. Explicatur & probatur. Dico, *inhabilitas seu impedimentum*: nam quàmvis omnis irregularitas sit inhabilitas, multa tamen sunt impedimenta, quæ non sunt irregularitates (a). Unde ly *impedimentum* hîc locum generis tenet. 2. *Canonicum*: ad denotandum, non esse Jure Divino aut Civili, sed Canonico introductum, ut omnes docent. Quapropter etiamsi quilibet non baptizatus sit inhabilis ad Ordines, cùm hæc incapacitas sit inhabilitas Jure Divino inducta: ea tamen non est irregularitas, eò quòd sit Jure Canonico talis. Excluditur etiam peccatum mortale à ratione irregularitatis: quia etiamsi impediat dignam sacri Ordinis susceptionem, non tamen Jure Ecclesiastico, sed Divino obstat receptioni Sacramentorum. Item excluditur inhabilitas proveniens ex naturali impotentia perpetua

(a) Verani.

ad usum Ordinis: ùt si quis linguâ, oculîs, mánibûs, aut usu rationis careat: quia hoc impedimentum oritur ex ipsa rei natura, non verò ex Jure Ecclesiastico.

3. *Directè*: ut distinguatur ab excommunicatione, quæ non privat prædictîs, nisi quatenùs sunt quædam communicationes, non quatenùs Ordines (b). Et quatenùs dicitur universaliter impediens susceptionem & usum Sacrorum Ordinum Ecclesiasticorum, differt ab interdicto, quod non semper impedit usum Ordinum, quod non facit irregularitas (b).

(b) Lez. v. Irreg. n. 1. Verâ. & alii.

4. Irregularitas habet varias exdivisiones, de quibus *infrà*. Dividitur 1. in eam quæ procedit ex defectu, & in eam quæ provenit ex delicto seu ex culpa. Ultrà, in totalem & partialem. *Totalis* est illa, quæ privat omni Ordine suscipiendo, & omni usu suscepti; *partialis* verò, quæ non omni Ordinis ministeriô, sed aliquô tantùm. Laym. Lezan.

5. Irregularitas ferri nequit ab homine inferiore Papâ ùti censura Ecclesiastica, cùm non sit censura, siquidem non est pœna, plerumque enim provenit non ex delicto, pœna autem præsupponit culpam. Et si feratur aliquando permodum pœnæ propter prævium delictum, non est tamen pœna medicinalis sicut est censura: tum quia *cap. Is qui*, pro regula generali statuitur, nullam esse irregularitatem nisi sit in Jure (intellige Canonico de quo ibi sermo) expressa.

6. Causa materialis seu subjectum irregularitatis, est omnis capax Ordinis, subjectus Juri communi, prout communiter DD. tenent. Inde est, quod nec Judæus, nec fœmina, nec Papa, incurrere possit irregularitatem, quia non subsunt Juri: illi enim sunt extra Jus, hic supra Jus, qui illud statuere & irregularitatem solus ferre potest. Sylv. Lezan. Bonac. *hîc*. Quare si ex aliquo accidenti eligeretur irregularis in Papam, eô ipsô desineret esse irregularis: *cap. Licet*, & *cap. Quia periculum, de Elect.* Suar. *d.* 40. *sect.* 7. Bonac. *n.* 9. *p.* 556.

SERIES II.

De irregularitate ex defectu.

Irregularitas multiplex ex defectu, per alios (a) ad 5. species, ex defectu animæ, ex defectu corporis, ex defectu natalium, ex defectu ætatis, & ex defectu Sacramenti; per alios (b) ad 8. species reducitur, ordine prout cuilibet placet.

(a) Bonac. Rotar.

(b) Lezan. Præposit.

SE-

De irregularitate ex defectu natalium.

1. DEfectus natalium hîc est, quòd quis sit filius illegitimus: hoc est, ex illicito sive publico sive occulto concubitu natus. Talis omnis, irregularis est per *cap. Vt filii Presbyterorum.* Clarè & fusè explicui, quis illegitimus, quis naturalis, quis spurius dicendus; & an possit promoveri ad Officia, & qualia, *suprà, de Ord. ser. 4. n.* 40. 41. 42. 43. 44. Nonnulla addo:

2. Primò, quòd quàmvis per futurum matrimonium legitimentur illegitimi, ùt dixi *loc. cit. n.* 40. non tamen omnes, sed solùm naturales, non spurii: nam si maritus, vivente uxore cum alia procreet prolem, mortua uxore ejus, etiamsi contrahat cum ea matrimonium, proles dicta non legitimatur per illud: prout declaravit Alexand. III. rescribens Exonensi Episcopo sequentia (c): *Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir, vivente uxore sua aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominùs spurius erit filius, & ab hæreditate repellendus, præsertim si in mortem uxoris prioris, alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.* In Corp. Jur. Can. *tit. Qui filii sint legitimi*, p. 219. *lib.* 4. *cap.* 6.

(c) c. 6. cod. in 1. Compil.

3. Secundò, legitimati à Principibus sæcularibus, non sunt legitimati ad Ordines, sed ad sola Officia sæcularia (d). Tertiò, quòd hos legitimare, seu cum eis in hac irregularitate dispensare valeat, in ordine ad sacros Ordines, dignitates, & beneficia curata, solus Papa; ad minores verò Ordines, & beneficium simplex, potest etiam Episcopus (e), admissâ duplici limitatione: primum & secundum est decisum *cap. Is qui, de Filiis Presbyt. in* 6. tertium declaratur per sequentia. Prima limitatio est, ut beneficium simplex non sit possessum à Patre illegitimi (e): constat ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Reform.* ubi sic: *Vt paternæ incontinentiæ memoria locis Deo consecratis quos maximè puritas sanctitasq; decet, longissimè arceatur; non liceat filiis Clericorum qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis ubi eorum Patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent aut habuerunt, quodcumq; etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquomodo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum quæ Parentes eorum obtinent vel aliàs obtinuerunt, habere. Quòdsi in præsenti, Pater & Filius, in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur; cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra Ecclesiam, intra trium mensium spatium, aliàs*

(d) Rotar.

(e) D. R. in 4. d. 25. q. 6. a. 2.

ipso Jure, eò privatus existat: & super iis quæcumq; dispensatio, surreptitia censeatur. Ad hæc, reciprocæ resignationes, si quæ posthac à Parentibus Clericis in favorem filiorum fient ut alter alterius beneficium consequatur; in fraudem hujus Decreti, & Canonicarum sanctionum factæ, omninò censeantur: nec collationes secutæ, vigore hujusmodi resignationum seu aliarum quarumcumq;, quæ in fraudem factæ fuerint, ipsis Clericorum filiis suffragentur. Secunda limitatio est, ut tale beneficium non exigat Sacrum Ordinem vi collationis vel aliter, alioquin non posset Episcopus cum eo dispensare, sicut in Ordine sacro ut eum recipiat. Ita Verani.

Pro discursu & solutione. 4. Casus est. Orphanus N. suscepit Diaconatum, petit Presbyteratum; & objicitur ei quòd natus, sit expositus in hospitali; quæritur an sit irregularis, propter periculum illegitimitatis? *Resp.* Aliquot circa hoc reperiuntur Sententiæ. Prima est Rebel. *de Oblig. Just. p. 2. lib. 1. q. 2. n.* 15. Avil. *de Censur. p. 7. d. 3. dub.* 9. Sayr. *ibid. n. 7. cap.* 10. *n.* 39. Covaruv. Lopez, affirmativa. Ratio est eorum: quia in dubiis tutior pars est eligenda, *cap. Illud, de Cler. excom. ministr.* Secunda est Suar. *in 3. p. tom. 5. de Censur. d. 50. sect. 4. n.* 4. Filliuc. *in Quæst. moral. tom. 1. tr. 19. cap. 5. n.* 141. & 143. Salas *in 2. p. D. Thom. tom. 2. tr. 8. d. unic. sect. 24. n.* 246. Sanctarel. de Alcolea *tr. 1. resol.* 41. negativa. Ratio est eorum: quia quilibet præsumendus est legitimus, dum non probatur contrarium; tum quia in dubiis præferenda est pars benignior. His subscribo &

5. Dico: Dictus expositus non est irregularis, sed est ordinandus, nisi aliud obsit ei: quia Gregor. XIV. in Bulla quadam, edita in favorem Confraternitatis habentium curam talium, declaravit & ordinavit, ut expositi habeantur pro legitimis: teste N. Cernej. *in 3. p. D. Thom. tr. 5. de Irregular. d. 15. dub. 1. n.* 4. Veran. de Alcolea cum aliis.

6. Sed Testes probant eum esse illegitimum, & Episcopus ei contulit beneficium; quid ad hoc? *Resp.* In hoc casu cessat difficultas proposita: nam expositi, sunt legitimati à Papa, ùt dictum est *num. præc.*

7. At ei Episcopus dedit beneficium quod tenet Pater ejus Sacerdos, v. g. in Ecclesia Græca ùt reperitur in Russia; quid ad hoc? *Resp.* Non potest ei conferri beneficium; & si est collatum, collatio est nullitatis: deducitur hoc per varia *cap.* Alexander III. *cap. Præsentium*, dicit: *Authoritate jubemus, ut filios sacerdotum in Ecclesiis Paternis ministrare, vel eas qualibet occasione obtinere, nullatenùs patiaris: sed ipsos ab Ecclesiis in quibus Patres eorum ministrare noscuntur, studeas penitùs amovere.* In Corp. Jur. Can. *de Fil. Presb. tit.* 17. & 18. p. 4. Et *cap. Quoniam*: Præcipimus, *quatenùs si manifestum & publicum fuerit, Patres in Ecclesiis perso-*

natus gessisse; filios ab eisdem (si etiam eas adepti sunt) penitùs excludatis: nec ad earum gubernationem ulteriùs assumantur. Nolumus enim ut causa in judicium deducatur, vel Testes etiam admittantur, si hoc manifestum existat. In Corp. Jur. Can. *loc. cit. p.* 41. Idem dicitur *cap. Cùm decorem,* ubi sermo est de illegitimo filio per sequentia: *Cùm indecorum sit, ut in altaris officio illegitimus filius impudico Patri ministret, in quo Vnigenitus Filius æterno Patri pro salute humani generis victimatur* &c. Et *cap. Ad abolendum,* additur: *& si fuerit contra præscriptum, decernimus non valere.* In Corp. Jur. Can. *loc. cit. p.* 41.

Ubi certa est causa, Testes nō sunt necessarii.

8. Episcopus ei dedit aliud beneficium, supponamus oppositam sententiam esse veram, aut extra casum esse defactò illegitimum; quid ad hoc? *Rdet* Alexander III. Oxoniensi Episcopo *cap. Proposuit: caterùm quia indignum est, ut ipse postquam est in Subdiaconum ordinatus, omninò debeat Ecclesiastici Beneficii provisione carere; Mandamus, quatenùs aliquem honestum Presbyterum cum assensu ejusdem Clerici invenire studeas, qui Ecclesiæ serviat supradictæ; ita quòd præfatus R. medietatem omnium beneficiorum prædictæ Ecclesiæ, eidem in suo Ordine serviendo, pacificè debeat obtinere.* In Corp. Jur. Can. *loc. cit. p.* 40.

9. Concludo ex Corp. Jur. Can. *p.* 218. *cap.* 5. Quando objicitur alicui in judicio Sæculari nativitas, remitti debet ad Judicem Ecclesiasticum.

10. Quomodo verò ista irregularitas tollatur per professionem, & aliter tolli possit; dixi *de Ordine,* ut Index Libri monstrat.

SECTIO II.

De irregularitate ex defectu libertatis.

I. PRopter defectum libertatis, strictè servus, est irregularis: *cap.* 1. *de Servis non ordinand.* Doct. Resol. *in* 4. *d.* 25. *q.* 5. *a.* 1. Plura ad propositum, dixi *de Ordine ser.* 4. *n.* 5. 6. 7. & 8. Quibus addenda sunt: quòd hæc irregularitas non sit perpetua, sed cessante servitute, cessat ea absque ulla dispensatione (a): Et sufficit qualiscumque licentia Domini, etiam tacita: ùt colligitur ex textu *d.* 64. in *cap. Si servus,* ubi habetur: *Si servus, scienter non contradicēte Domino, in Clericum fuerit ordinatus; ex hoc ipso quòd constitutus est liber, & ingenuus erit.* Item defectu libertatis redduntur irregulares, ex obligatione sua continuò occupati actionibus humanis & politicis, *cap. Vnico:* siquidem hæc obligatio ad ratiocinia, est quoddam temporale vinculum, reddens hominem valdè impeditum ad Ecclesiastica

(a) Verani.

exercitia

exercitia (e). Taliter occupati sunt, qui habent administrationem publicam, vel privatam cum obligatione reddendæ rationis illius: cujusmodi sunt Tutores, Procuratores, Curiales, Judices, Milites, & similes de quibus Sylv. *verb. Ordo* 4. *q.* 2. & 3. Sayr. Lezan. Et tamdiu tantùm sunt irregulares, quamdiu officio hocce occupati. Lezan. *loc. cit. n.* 19.

SECTIO III.

De irregularitate ex defectu animæ.

I. DEfectus animæ ad propositum, triplex est: defectus usûs rationis, defectus scientiæ, & defectus fidei. Defectus usûs rationis, Jure Ecclesiastico *cap. Maritum*, *d.* 33. inducit irregularitatem (a), & Jure naturali; cùm nequeat Ordines exercere inhabilis ad eos. Quare perpetuò amentes, furiosi, irregulares sunt. Item amentes, furiosi habituati, qui lucida intervalla habere solent: secùs ex accidenti perturbatione capitis, aut infirmitate, calore nimio tales, ùt docetur communiter. Et quàmvis secundùm communem sententiam DD. qui incidit in amentiam quæ vocatur habituata, etiamsi perfectè sanatus, irregularis sit in ordine ad recipiendos Ordines; non tamen ad exercitium, si receperit ante talem defectum, sed tantùm tamdiu, quamdiu durat talis defectus. Ita communiter cùm Navar. colligunt ex *cap. Illud*, 7. *q.* 1. & *cap. In tuis litteris*, 7. *q.* 2. (b). At ut exerceat susceptos Ordines, debet esse per longum tempus sanus, quasi in sanitate confirmatus: ùt *suprà* in materia *de Sacram.* ex D.R. & Canonibus deduxi: quod monstrat Index.

(a) Veran. Lezan. Bonac.

(b) Verani.

2. Concludendum: non quoad exercitium, in tanta recuperata sanitate existentem Diaconum exigere dispensationem in irregularitate; sed quoad susceptionem Presbyteratûs, ab ipso Papa indigere, docet Verani: cùm dicta amentia, veram induxerit irregularitatem; cujus dispensatio nulli Episcopo conceditur.

3. Quoad defectum scientiæ, Dico: Illiteratus, irregularis est, & Jure Ecclesiastico; *cap. Illiteratos*, *d.* 36. ubi dicit Gelas. Papa 1. ad Episcopos per Lucaniam: *Litteris carens, sacris non potest esse aptus officiis*; In Corp. Jur. Can. *Episcopi & Ecclesiastici*, *p.* 49. & Jure naturali, ùt per se & ex anteriori *num.* patet. Notandum, quòd sint diversi Theologi ad propositum: Garcias enim *de Benef.* 7. *p. cap.* 7. *n.* 19. Henriq. & alii asserunt, solùm eum esse irregularem, qui caret litteris, qui numquam Grammaticam audivit; cæteros verò non haben-

Qualis defectus scientiæ inducit irregularitatem.

tes

tes requisitam per Canones scientiam, ad quemlibet respectivè Ordinem prohiberi, non verò reperiri irregulares: quia cap. dictum declarans irregularem defectu scientiæ, exprimit litteris carens. Alii autem, ùt sunt Navar. Suar. Reginald. apud Bonac. de Irregul. d. 7. q. 2. punct. 1. n. 2. carentem requisita per Canones scientiâ, irregularem esse prætendunt. Qualis autem scientia ad quemlibet Ordinem requiratur, dixi de Ordine ser. 3. sect. 2. n. 15.

4. Quamvis nulli in ordine ad Clericatum, in statu sæculari possit conferrri prima tonsura illiterato; secùs tamen si velint eum Religiosi suscipere ad suum Ordinem ut eum instruant, videntes capacitatem ejus: nam cap. Nullus Episcopus, de Tempore ordinat. lib. 6. prohibetur illiterato prima tonsura conferri, cum addito, nisi Religionē intret. Potest quidem & solus Papa dispensare cum aliquo in defectu requisitæ scientiæ, non autem cum illiterato totaliter tali, cùm sit impedimentum de Jure naturæ, ùt vidimus immediatè. Ita Veran. Bonac. Suar. Et si ignorantia dicta, esse desinat; cessat & irregularitas, seclusa quacumque dispensatione. Verani, Lezan. nisi hac intentione, ut priùs addiscat necessaria quàm susceptum Ordinem administret.

5. Quid sit neophytus, & quid sit ad tempus irregularis in ordine ad recipiendos Ordines majores, non verò in ordine ad minores; vide suprà, de Sacram. Ord. ser. 4. n. 1. & 2.

SECTIO IV.

De irregularitate ob defectum ætatis præscriptæ, & quæ contrahitur ob defectum corporis.

1. DE irregularitate ex defectu ætatis, sat dixi de Sacram. Ord. ser. 3. sect. 2. n 11. De irregularitate ob defectum corporis, hîc latiùs Dico. Duæ sunt regulæ considerandæ: Prima, vel defectus corporis seu vitium membri corporis, totaliter impedit exercitium congruum Ordinis, vel hoc præstat quòd habens illud, nequeat absque notabili deformitate celebrare? Reddit talem esse irregularem, ùt dixi de Ord. ser. 3. sect. 2. n. 1. 2. & 3. Sicque qui habet linguam impeditam, quòd non possit verba proferre, est irregularis: cap 2. de Corp. vitiat. Ob deformitatem notabilem irregularis est, qui caret nasô, prout habetur in cap. penult. ubi dicitur: sive talis defectus contingat invito sive ex culpa propria ejus. Item qui caret oculo aliquo, habetur in cap. Si Evangelica, d. 55. maximè si est oculus

erutus: quia ibi ſic dicitur: nam illi cui erutus eſt oculus, non poſſunt ſecundùm Canones, Sacerdotii Jura concedi. Vel habet utrumque oculum, ſed utrumque nimiùm deformem; irregularis eſt. Qui verò habet utrumque oculum abſque deformitate, ſed dexter aut ſiniſter caret viſu; irregularis propterea non eſt (a): quia adaptatio Miſſalis juvat, ut ſine curva converſione & difformitate notabili, legere poſſit Canonem. Similiter ob deformitatem irregularis eſt, habens duo capita, aut duas manus in eodem brachio. Ad hanc ſpeciem irregularitatis reducitur ea, quâ afficiuntur hermaphroditi: de quibus *ſuprà*, *de Ordine ſer.* 3. *ſect.* 1.

(a) Sayr. l. 6. c. 8. n. 8.

2. Ad hæc animadvertenda. 1. Sicut gibboſum non eſſe irregularem, niſi gibboſitas conjuncta ſit cum nimia deformitate; ita claudum, niſi adſit magna greſſus deformitas, ita ut baculo vel pede ligneo ire debeat (b). 2. Eum qui caduco morbô ſolet laborare, ſed raro cadere, ſputa ore non evomere; privatim celebrare poſſe, adjuncto ei Socio Sacerdote, qui Miſſam proſequi poſſet, ſi is deficeret: docent Laym. *cap.* 7. *de Irregular. n.* 2. Veran. *ibid. d.* 50. *ſect.* 3. *n.* 3.

(b) Verani.

3. Secunda regula eſt: quòd ſi defectus alicujus membri contingat ex propria culpa, etiamſi deformitas non appareat exteriùs, ùt ſi quis ſibi membrum aliquod occultum abſcindat culpabiliter; talis irregularis eſt: ùt habetur in *cap. Si quis abſcidit*, & *cap. ſequent. d.* 55.

4. Quando eſt dubium an impedit vitium vel non, ſimiliter an notabilem deformitatem generet vel non; judicare ſpectat ad Epiſcopum, & Prælatos Regulares reſpectu ſuorum Inferiorum. Suar Avil. Lezan. contra Sylv. Navar.

5. Hæc irregularitas non tollitur per baptiſmum aut profeſſionem, cùm nullo Jure id conceſſum ſit; ſed tollitur aut ceſſatione defectûs, aut diſpenſatione quæ fieri poteſt à Papa, & in Regularibus à Prælatis eorum: cùm hi poſſint cum ſuis Inferioribus Regularibus diſpenſare in omni irregularitate, demptis tribûs; homicidii voluntarii, mutilationis, & bigamiæ (c): niſi ex diſpenſatione ſequatur grande ſcandalū. Ita Laym. & Lezan. Imò Peyrin. *tom.* 1. *Privil. Minim. in Conſtit. Julii II. n.* 118. referens Crucem *lib.* 1. *de Statu Religioſorum cap.* 6. *dub.* 17. *concl.* 2. aſſerit, Prælatos Regulares Mendicantium, & cum eis participantium, poſſe diſpenſare cum eis habentibus membrum abſciſſum, etiam ſua culpâ, & manifeſtum: ùt ſi careant oculô dextro, vel digitô qui non ſit pollex: quia in his diſpenſat Epiſcopus, inquit Lezan. *verb. Irregul. n.* 14.

(c) Lez. v. Irregul. n. 12. & tom. 1. c. 18. n. 40. Bordon. reſ. 11. n. 7.

SECTIO V.

De irre-

De irregularitate quæ contrahitur ex defectu lenitatis seu mansuetudinis.

I. Cum similes esse debeant Ministri suo Principali Christo Domino, quem in Sacrificio repræsentant; præseferre debent lenitatem, seu mansuetudiuem Christi. Quapropter Ecclesia, non tantùm eos qui malitiosè aliquem occiderunt aut mutilârunt, rejicit à ministerio hocce sancto; sed etiam eos qui sine culpa propria ad mortem aut mutilationem in aliquo factam, concurrerunt: ùt notant communiter DD. signanter N. antiquior Michaël de Bononia *in* 4. *d.* 25. *q.* 2. *a.* 1. Unde irregularitas, contrahitur ex occisione hominis facta per publicam auctoritatem, etiamsi nulla interveniat culpa propria, sed id fiat ex officio, ùt communiter deducunt ex *cap. Si quis viduam*, *d.* 50. ubi sic habetur: *similiter si homicidii, aut factô, aut præceptô, aut consiliô, aut defensione, post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit; dejiciatur.* In Corp. Jur. Can. *p.* 1. *d.* 50. *p.* 64. deducitur id & ex aliis plerisque Juribus, ùt videbimus *infrà*. Potest autem hæc hominis occisio, facta per publicam auctoritatem, duplici modô contingere: 1. viâ judiciaria. 2. in bello justo. Sed

2. Ubicumque propter occisionem aut mutilationem incurritur irregularitas; prærequiruntur hæ conditiones: ut occidens aut mutilans aut cooperans &c. sit baptizatus: quia Jura loquuntur solùm de baptizatis, ùt & in *cit.* immediatè *cap.* vidimus. 2. ut eam incurrens, sit doli capax: patet tum ex Clementin. *Si furiosus*, *de Homicidio;* tum ex eo quòd actus irregularitatem inducens, debeat esse humanus. 3. ut cooperatio ad mortem sive mutilationem, non sit multùm remota aut per accidens: ùt colligunt DD. ex *cap. Tua nos, de Homicidio* (a). Unde qui ex Officio suo vendit funem aut gladium, quô reus suspenditur aut jugulatur, non erit propterea irregularis (b); nisi vendat determinatè ad hunc effectum, ut hic numerò suspendatur (c). 4. ut mors aut mutilatio sequatur. 5. ut mutilatio sit vivi: quia Jura loquuntur de mutilatione hominis; mortuus jam non est homo, sed cadaver hominis (d). Sufficit autem occisio sive mutilatio cujuscumque hominis, etiam infidelis. Ita Sayr. *lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 8. Lezan. *verb. Irregular. n.* 22. & alii.

(a) Lezan.
(b) Lez. Corn.
(c) Navar. n. 217.
(d) Bonac. Navar. Reginald.

3. Hinc habitis dictis conditionibûs, hanc irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis, incurrunt Accusatores, demptis casibûs *infrà*, *n.* 9. & ultrà, capientes, custodientes traditos Judici ad sententiam

 illativam

illativam mortis, Advocati, accusatoris, cùm hi practicè juvent accusatores (e), Testes, nisi valdè exiguum afferant testimonium, prorsùs insufficiens ad convincendum reum (f), aut cogantur metu gravi ad dandum testimonium; sed tunc præmittere tenentur protestationem, quòd non intendant vindictam, aut pœnam sanguinis. Ita Lezana *loc. cit. n.* 30. Item Judices qui justè proferunt sententiam mortis vel mutilationis, à fortiori si injustè: in primo casu ex defectu lenitatis, in secundo ex delicto. Item Assessores, cùm sint quasi Judices, ad sententiam ferendam concurrentes. Item dictans, scribens, legens, latam sigillans sententiam, & suadens Judici ne concedat appellationem: hi enim omnes sunt in suo genere causæ homicidii. Secùs dicendum de servo Scribæ, describentis Decretum in librum: quia ille non censetur influere in mortem rei, advertente Verani. Item hanc irregularitatem incurrunt, executores sententiæ, præcones qui causam mortis proclamant, deferentes instrumenta v.g. funes, scalam, gladium &c. Item omnes tam equestres quàm pedestres, qui ad custodiam & defensionem Judicis, reum comitantur; non tamen illi qui præcisè assistunt spectaculo: quia isti non influunt in mortem, sed sunt simplices spectatores. Qui pulsat campanam ad convocandum populum, si id præstet ea intentione ut securiùs reus ducatur ad mortem, incurrit hanc irregularitatem; secùs verò si solum pulset ad signum, publicum exemplum.

(e) D. Antonin. Suar. Lezâ.

(f) Lez. n. 30. Bonac. n. 5. Covar. Sayr. & alii.

4. Non tamen fit irregularis Princeps vel Dominus temporalis, qui dedit alicui Officium Judicis, in ordine ad damnandos malefactores. Idem dicendum de Clericis Prælatis, similem jurisdictionem habentibus, dicit Doct. Resol. *in* 4. *d.* 25. *q.* 7. *a.* 1. *Clerici & alii Prælati ratione jurisdictionis suæ temporalis, in genere possunt præcipere Commissariis suis sæcularibus, quòd justitiam faciant de maleficiis commissis in sua jurisdictione: tit. Ne Clerici vel Monachi in* 6. *cap. Episcopus.* & hoc facere possunt fine ullo metu irregularitatis. Subscribunt ei Lezan. *loc. cit.* Veran. & alii. *Non possunt tamen in speciali, id est ut morti tradantur, secundùm Raym. Nec possunt præsentes interesse, ubi vindicta sanguinis exercetur: de Vita & honest. Cleric. Ex litteris.* Idem Doctor *suprà.*

5. Quinimò neque incurrit hanc irregularitatem Judex Ecclesiasticus, qui tradit reum brachio sæculari, à quo occiditur, si tamen pro eo intercedat, ut misericorditer tractetur & non occidatur: ùt habetur *cap. Novimus, de Verb. signific.* in Corp. Jur Can. *p.* 281. & Doct. Resol. idem dicit *loc. cit.* Ratio est: quia Judex Ecclesiasticus, per hanc traditionem dumtaxat declarat se jam suo fuisse functum officiô, reumque illum dimittere ùt incorrigibilem à propria jurisdictione, ut ejus causa in alia tractetur.

6. Neque

6. Neque fiunt irregulares Inquisitores, tradentes hæreticum brachio sæculari, ad eum præcisè finem ut comburatur; etiamsi id faciant absque ulla protestatione ac intercessione. Ratio est: quia per speciale privilegium Pauli IV. emanatum anno 1557. & confirmatum à Pio V. sola executio mortis prohibetur illis. Ita Verani hucusque *d.* 50. *de Irregular. sect.* 2. *n.* 4. *p.* 889. Lezan. *n.* 23.

7. Neque qui condit legem continentem pœnam mortis, ex qua reus postea occiditur: quia lex quæ generaliter loquitur, solùm est causa remota mortis.

8. Irregularitatem hanc ex defectu lenitatis, nec baptismus tollit, nec professio in Religione, cùm nullo privilegió id concedatur: neque Episcopus in laico, vi Concilii Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* tollere potest, quia ibi solùm est sermo de irregularitatibus ex delicto; hæc irregularitas ex defectu lenitatis, non est ex delicto. An autem Prælati Regulares in hac irregularitate cum suis Inferioribus dispensare valeant? Præsuppositó quòd nunquam à Regularibus post Professionem contrahatur, nam tunc est ex delicto, solùm fit quæstio de contracta ante ingressum Religionis, an eam Prælati Regulares dispensatione tollere queant? Communiter respondetur, quòd si in eis reperiatur contracta ob homicidium, à Prælatis Regularibus tolli non potest: nam semper in privilegiis Regularium excipitur homicidium voluntarium. Si verò sit talis ob mutilationem, & casus est occultus, tolli à Prælatis Regularibus potest: quia sicut Episcopi cum suis, ita Prælati Regulares cum Regularibus suis subditis, dispensare possunt in irregularitate, sive ex bello sive judicio contracta: nam Pius V. Prælatis Ordinis Prædicatorum concessit eam potestatem, quam habent Episcopi in suos subditos ex dicto Decreto Concilii, ùt dixi *suprà de Sacrā. pœnit.* At oppositum ex privilegiis Apostolicis deduco *infrà*, *ser.* 3. *sect.* 1. *num.* 10. & *sectione militari à num* 43. ad finem.

Casus & animadversiones.

9. Clericus N. accusavit in causa sanguinis quemdam coram Judice, ex qua imposita est accusato & secuta mors; an ideo irregularis sit dictus Clericus N? *Resp.* Vel dictus Clericus N. protestatus est coram Judice se non intendere vindictam aut pœnam sanguinis, vel non est protestatus? Si secundum? Irregularis est. Si primum? subdistinguere oportet: Vel accusavit in propriam, aut suarum personarum vel bonorum defensionem? Irregularis non est; Vel accusavit in defensionem aliarum externarum personarum? Irregularis est. Ita Doct. Resol. *in* 4. *d.* 25. *q.* 7. *a.* 2. dicit: *Clerici item excusantur in repetitione*

rerum suarum dummodo expressè protestentur quòd vindictam sanguinis non intendunt: tunc enim licèt Judex occidi mandet, non fit irregularis Clericus: in 6. *de Homicid. cap. Prælatis.* Lezan. *verb. Accusare, n.* 19.

10. Explicatur & probatur data responsio. *Si non est protestatus*, & à fortiori si in vindictam petat: nam omnes Ecclesiastici, prohibentur accusare aliquem apud Judicem fori sæcularis in causa sanguinis: ùt colligitur ex *cap. Sententiam sanguinis, tit. Ne Clerici vel Monachi*, ubi cùm multa prohibeantur, Glossa habet: *Clericis prohibentur omnia illa, ex quibus sequitur vel sequi potest vitæ amissio, vel sanguinis effusio.* Unde sicut laici accusantes in causa sanguinis, quando sequitur mors aut mutilatio, incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis non ex delicto, cùm accusando non faciant contra aliquam prohibitionem Ecclesiæ; ita Clerici incurrunt irregularitatem ex delicto, si protestati non sunt: nam hoc privilegium Clericis & Religiosis sub hac clausula concessum est *cap. Prælatis*, ubi hæc sunt verba: *Prælatis vel Clericis quibuscumq;, qui de laicis suis malefactoribus, querelam penes sæcularem Judicem deponentes, petunt emendationem sibi fieri, & provideri ne contra eos talia de cætero præsumantur, protestando expressè quòd ad vindictam seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet; quàmvis aliàs in tali casu, de Jure debeat pœna sanguinis irro ari: si Prælati aut Clerici propter metum hujusmodi, (quia Judex ad pœnam sanguinis posset procedere) de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisq; materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi;* apud Lezan. *loc. cit. n.* 18.

11. Ex his patet, quòd Clericus incurrerit irregularitatem, si accusavit in defensionem personarum externarum, secuta morte aut effusione sanguinis, etiamsi præmiserit protestationem dictam. Lezan. *loc. cit.* Sayr. *lib.* 6. *cap.* 18. Ugolin. *cap.* 6. §. 9. Bonac. *loc. cit. punct.* 2. *prop.* 4. Filliuc. *n.* 249. Quæ autem sunt suæ Personæ Clericorum & Religiosorum de quibus curam habere etiam in judicio sæculari tenentur, aut justè obligantur? Sunt imprimis Parentes, Fratres (g). Ratio est: quia illorum damnum & injuria, redundat in Clericos & Religiosos, Filios & Fratres. Item domestici & alii propinqui, quorum injuria redundat in Clericos & Religiosos. Lezana.

(g) Avil. dub. 11. Henriq. l. 14. c. 11. n. 4. Bonacina.

12. Ex his facilè 2. colligere possumus, quòd possit Ecclesiasticus vel Regularis, capere, detinere, & tradere Judici talem malefactorem, præmissa tamen dicta protestatione (h): quia cui finis est permissus, etiam media necessaria, permissa censentur: cùm ergò eis permittatur accusatio, etiam quæ ad accusationem ordinantur, permissa erunt: inquit Lezana.

(h) Lezā. loc. c. Laym. Bonacina.

13. Colli-

13. Colligere 3. opus eſt, quòd ſi Clericus in levi cauſa accuſet aliquem coram Judice, qui malitiâ Judicis poſtea mutilatur aut occiditur, minimè inde incurrit irregularitatem, cùm non ipſe ſit cauſa mortis; aut poſt delationem ab ipſo factam contra incarceratum, ſint delata crimina digna morte (i): aut defert crimen dignum pœnâ mortis, ſed proteſtatur ſe nolle mortem aut pœnam ſanguinis, ſed ſolùm emendationem; & Judex non obſtante proteſtatione & petitione, ad pœnam mortis accuſatum condemnat (i).

(i) Bonac. Sayr. Ugolin. Covar. Lezana.

De proteſtatione nonnulla notanda.

14. I. quòd quàmvis aliqui putent, proteſtatione juvari accuſatores ſolos Clericos; errant tamen, qui putant contra ſenſum communem Theologorum qui docent etiam laicos eâ juvari: prout tenent Bonac. *d.* 7. *q.* 4. *punct.* 3. *n.* 12. Ugolin. *cap.* 6. §. 4. Villalob. *tom.* 1. *tr.* 21. *diff.* 26. *n.* 6. & 7. de Alcolea Carthuſianus *reſol.* 82. 2. quòd talibus vel ſimilibus verbîs facienda eſt: *Domine, peto cures mihi ſatisfactionem vel reſtitutionem exhiberi ab iſto, qui mihi damnum intulit; proteſtorq; me nulla ratione intendere mortem, pœnam ſanguinis, vel mutilationis illius* (k). Non debet tamen ferri in ſcriptis, ſufficit declarata voce. 3. ſi omittat ex oblivione qualicumque proteſtationem, non eſt immunis ab irregularitate. Sayr. Bonac. 4. quòd non incurrat excommunicationem, qui alteri ſuadet ut alium in ſuam defenſionem cum proteſtatione accuſet (k). Plura de hoc in *ſect. militari.*

(k) Lez. l. c. n. 19. Ugol. c. 8. §. 7. 8. Bonac. n. 9.

15. Advocatus N. accuſatum verè mortis reum iniquè defendens, cauſa eſt quòd accuſans privatus eſt manu; eſtne propterea irregularis? *Reſp.* affirmativè (l): quàmvis non eſſet ſi juſte eum defendiſſet, & ſequeretur mors accuſantis: quia in illo caſu ſequeretur mors per accidens ex facto Advocati cooperantis, per ſe verò ſequeretur ex calumnia ipſius accuſatoris, ùt notant Ugolin. *cap.* 9. §. 1. Filliuc. & alii; in propoſito verò caſu, cenſetur per ſe ſequi ex injuſta & perverſa defenſione Advocati; cùm aliunde non ſequatur: prout tenent immediatè citati.

(l) Filliuc. n. 257. Bonac. l. c.

16. Dices: Sed proteſtatus eſt ſe non intendere vindictam, aut pœnam talionis, aut pœnam ſanguinis; ergò ſicut à culpa, ita ab irregularitate immunis eſt. *Reſp.* imprimis: Toletus negat, quòd Advocato aut Teſti ſuffragetur proteſtatio. At ego cum Præpoſito *in* 3. *p. q.* 5. *de Irregular. dub.* 13. & de Alcolea, admitto oppoſitum, alioqui videretur privilegium conceſſum accuſatori inutile; ſi Advocatus & Teſtis, non poſſent cum proteſtatione juvare accuſatorem, in defenſionem illius. Hoc admiſſo, Dico, quòd minimè juvet proteſtatio Ad-

vocatum,

vocatum, iniquè defendentem reum, nisi eum bona fides excuset, quòd credebat injustam fuisse accusationem, prout ad informationem perversam, & testimonia talia contingere potest. Ratio est, quare in mala fide protestatio Advocato non prodest: quia hoc privilegium, faciendi protestationem ad evadendam irregularitatem, concessum est in favorem innocentium oppressorum, ùt videre est in *cit. cap. n.* 10. non in favorem perversorum & iniquè agentium. Idem dicendum de Teste: addendo, quòd si ex metu gravi coactus, det testimonium cōtra aliquem, cujus inde sequitur mors; non incurrit irregularitatem; cùm tunc excusetur à peccato, excusari debet & ab irregularitate: nam non est ex delicto, nec etiam ex defectu lenitatis, cùm talis propter homicidium tantùm publica authoritate incurratur, ùt vidim⁹ *suprà* & videbimus. Attamen præmittenda est dicta protestatio.

17. Capellanus Religiosus N. in conflictu, accepta frameâ pugnabat fortiter, neminem tamen occidit, aut mutilavit; an ideo irregularis sit? *Resp.* Vel pugnabat se defendēdo? Sic nec peccavit; à fortiori irregularis non est. Vel pugnabat intrusus? Sic quidem (demptis casibûs *infrà* positis) peccavit mortaliter, cùm Clericis & Religiosis prohibitum sit pugnare, etiam in bello justo, ùt colligitur ex *cap. Clericum qui, cap. De his Clericis, d.* 50. *cap. Eos qui,* 20. *q.* 3. *cap. Quicumq; Clericus, cap Clerici, cap. Quicumq; ex Clero,* 23. *q.* 8. *cap. Ex multa,* §. *ult. de Voto;* non tamen dicto casu in bello justo incurrit irregularitatem, nisi aliquem occidat aut mutilet, vel sit causa proxima mortis, aut metuit aliquem lethaliter vulnerasse, & esse causa mortis: colligitur ex *cap. Petitio tua, de Homicidio, lib.* 5. *tit.* 13. *cap.* 24. (m) ubi sic: *Petitio tua nobis exhibita continebat, quòd cum inimici Dominicæ Crucis ac blasphemi nominis Christiani, Castrum quoddam in quo morabaris graviter invasissent, exeuntibus inde habitatoribûs, tam Clericîs quàm laicîs contra eos, ac invicem confligentibus hinc inde occisi quàm plurimi extiterunt. Vnde cùm pro eo quòd aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse; mandamus quatenùs si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, à ministerio altaris abstineas reverenter, cùm sit consultiùs in hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.* Indicere autem bellum ex justa causa, exercitum conscribere, Ducem belli præficere, arma ad pugnandum dare, possunt ii qui sunt Principes, habentes temporalem jurisdictionem nulli subjectam; prout habent Episcopi Germaniæ, Trevirensis v.g. Moguntinus, & Coloniensis: colligitur ex *cap. Episcopus, ne Clerici vel Monachi, in* 6. ubi in fine *cap.* dicitur: *licèt Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen cùm jurisdictionem obtinent temporalem, debent & possunt metu irregula-*

(m) In Corp. Iur. Can. fol. 246.

irregularitatis excusante, aliis delegare. Non verò esse exercitûs Doctores propria præsentiâ: prout habetur ex *cap. Sententiam, ne Clerici vel Monachi, in 6.* & ex dicto *cap. Episcopus,* illo verbo, *aliis delegare.* Lezan. *loc. cit. n.* 6.

18. Casus, in quibus licitum est Clericis & Religiosis, non solùm pugnare in bello justo, sed etiam mutilare & occidere, absque incursu irregularitatis. Primus quando Papa eis expressè concedit facultatem pugnãdi (n) propriis manibûs (o).

19. Secundus casus est, si Respublica esset in extrema vel gravissima necessitate: tunc enim pro ea defendenda, licitè pugnare, mutilare, & occidere possent: imò tenerentur id facere, quia lex naturæ id præscribit; & Jus Ecclesiasticum eo tempore non obligat. Sic Lezana contra Cajet. 2.2. *q.* 40. *a.* 2. Et sic mutilantes aut occidentes, ab irregularitate liberi sunt. Valent. Suar. apud Lezan.

20. Tertius casus est, quando id est necessarium pro conservatione vitæ propriæ, non excedendo moderamen inculpatæ tutelæ. Doct. Resol. *in* 4. *d.* 25. *q.* 7. *a.* 2. *cit. cap. Si furiosus* &c. Valent. Bonac. Lezan. *loc. cit.* Imò id præstare possunt pro defensione rerum suarum, *Rdet* Innocẽti⁹ *de Restit spo. Olim causam: Respondem⁹, omnib⁹ esse licitum movere bellum pro defensione sua & rerum suarum, nec dicitur propriè bellum sed defensio. Et cùm hoc à Jure sit concessum, non est authoritas Principis necessaria: nec incidunt in excommunicationem, si violentiâ spoliantes violaverint exilem domum:* hucusque Doctor Resolutus. Quartus casus est, quando id est necessarium ad defensionem proximi innocentis, præsertim si Reipublicæ sit valdè utilis & necessarius. Lezan. *suprà.* Ratio est: quia Jure naturæ tenetur id facere. Bonac.

21. Dices: Etiamsi Judex & ministri justitiæ, teneantur reum morte interficere, tamen sic faciendo irregularitatem incurrunt; ergò etiam defendentes innocentem. *Resp.* Concedo antecedens, nego consequentiam: quia deducitur ex Jure, Judicem & ministros incurrere; jam verò privata authoritate, neminem incurrere, nisi quando adest culpa in occisione. Communiter cum Lezan. *verb. Bellum, n.* 15. docent. Plura in *Sect. militari, infrà.*

SECTIO VI.

De irregularitate proveniente ex defectu bonorum temporalium, & ea incursa ex defectu Sacramenti seu bigamia.

(n) Ban. 2. 2. q. 40 a. 2. d 4. Lez. v. Bell. n. 12. Val. Cand.

(o) Suar. t. 5. de Censur. d. 47. sect. 6. n. 12.

1. Quoad 1. partem, quòd sæculares carentes titulô patrimonii nequeant ordinari, dixi de *Ordine ser.* 3. *n.* 7. & locis in aliis ibi. Quoad 2. dixi *locô cit. n.* 18. & ultrà usque ad *n.* 25. & *n.* 48. *Si verò impedimentum* &c. & *de Matrimonio* nonnulla. Hîc etiã addo casum.

2. Petrus initiatus sacris Ordinibûs, contraxit matrimonium cum virgine; an sit bigamus, consequenter irregularis? *Respondent* affirmativè Petrus Cornej. *in* 3. *p. D. Thom. tr.* 5. *de Irregular. d.* 10. *dub.* 2. *q.* 5. Avil. *p.* 7. *d.* 8. *dub.* 1. Præposit. *in* 3. *p. q.* 5. *de Irregular. dub.* 8. *n.* 136. probantes hoc ex *cap.* 1. *Clerici vel voventes*, & ex *cap.* 2. *eodem tit.* Econtra negativam tuentur Hurtad. *d.* 2. *de Irregul. diff.* 13. *n.* 47. de Alcolea *ibi, resol.* 148. Ratio est ipsorum: quia in *cap. Quotquot.* 27. *q.* 1. ubi inducitur hæc irregularitas, tantùm est sermo de Religiosis: tum etiam quia aliàs superfluè sæcularibus in Sacris constitutis, apposita esset irregularitas in *cap. Nuper*, quando post unum matrimonium validum ante ordinationem contractum, post ordinationem contrahunt aliud; quia primum matrimonium non esset necessarium ad irregularitatem, sufficeret enim post ordinationem: & etiam superflua esset eis irregularitas in *cap. ult. de Bigamis*, quando post ordinationem contrahunt cum vidua; quia ad hanc irregularitatem ex bigamia similitudinaria, sufficit contrahere cum virgine, ùt patet in *dict. cap. Quotquot.*

SERIES III.

De irregularitate ex delicto.

SECTIO I.

De irregularitate quæ contrahitur ex homicidio voluntariè injustè perpetrato.

1. Dicendum, occidentem aliquem injustè & voluntariè, quomodocumque concurrendo ad mortem, sive consiliô sive mandatô sive executione &c. effici irregularem, prout deducitur ex multis Juribus, specialiter *d.* 50. & *cap.* 1. & *sequ. de Homicidio*, ac *cap. fin. de Temp. ordinat.* & ex Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. ubi sic habetur: *Cùm etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari avelli debeat, qui sua voluntate homicidium perpetraverit,*

verit, etiamsi crimen id nec Ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeat animarum, conferri liceat; sed omni Ordine ac Beneficiô, & Officiô Ecclesiastico careat.

2. Ex his patet, duo esse requisita ad irregularitatem hanc incurrendam: in se vel in causâ velle occidere aliquem; & ut sequatur occisio, sive sit ille fidelis sive infidelis, adultus aut infans (a).

(a) Lez. Veran.

De mandante breviter notanda.

3. Aliquando mandans non incurrit irregularitatem, sed mandatarius; aliquando econtra mandans, non mandatarius: aliquando uterque.

4. Casus in quibus mandans immunis est ab irregularitate, mandatarius verò eam incurrit. 1. Legum conditor, statuens mortis pœnam malefactoribus, irregularitatem per hoc non incurrit; etiamsi eam incurrat judicans, aut pœnam illam imponens. Archipresb. 23. *q.* 5. *can. Officia.* (b). 2. Personæ Ecclesiasticæ habentes jurisdictionem tẽporalem, possunt & debent committere sæcularibus curam administrandi justitiam, etiamsi sciant aliquos pœnâ mortis puniendos; non incurrunt tamen irregularitatem secuta morte alicujus, sed mandatarii eam non evadunt: *cap. Episcopus, de Cler. in 6.* (c). 3. Quando quis mandat aliquem moderatè verberari, & mandatarius modum excedit aut mutilat, aut occidit; mandatarius non mandans est irregularis. Ita Innoc. & Panorm. in *cap. Ad audientiam, de Homicid.* (b). Secùs si mandans absque ulla præcautione, aut excessivè præciperet verberari aliquem; tunc secuta morte aut mutilatione, & mandatarius & mandans, irregularis esset: juxta *cap. ult. de Homicid. in* 6. ubi ita ordinatum est, & ratio ponitur: *quia nimirùm, cùm mandando in culpa fuerit, & hoc contingere posse debuerit cogitare.* 4. Si mandans revocaverit mandatum ante executionem ejus, sive expresse sivè tacitè hoc fecerit coram mandatario, reconciliatus est adversario, aut affinitatem cum eo contraxit (d). Plura *Sect. milit. infrà.* 5. Aliquis mãdavit alteri occidere Paulum, ille non nomine mandantis, sed nomine suo, quia ipsius erat maximus adversarius, occidit; mandans non est irregularis. Ita sentiunt Joan. Andreas & Archang. *cap. Ad audientiam, de Homicid.* quia sic non cooperatur occisori. Secùs si hoc faceret nomine utriusque.

(b) Tol. l. 1. c. 84.

(c) Archid. can. Si quis viduam, d. 50. Glos. cap. Clerici, Tol. l. c.

(d) Archãg. c. Ad audiẽtiam, Verã. sect. 1. n. 9. Sayr. l. 6. c. 3. n. 14.

5. Casus in quo mandans incurrit irregularitatem, non autem mandatarius. Si Dominus juberet servum explodere bombardam ad unam partem, in qua sciret latentem inimicum suum, & servus præmissa de-

bita diligentiâ, explodendo occideret eum; mandans, non mandatarius esset irregularis: cùm daret operam rei licitæ, præmissa debita præcautione (b). *Rei licitæ*, scilicet explosioni, intellige.

6. Casus in quibus mandans & mandatarius incurrunt irregularitatem, multi in occursu continuo contingunt: brevitatis causâ unum pono. Si mandatarius sub initium respueret mandatum mandante conscio, & postea insciô eô exequeretur illud; tunc non tantùm mandatarius, sed & mandans irregularitatem contraheret (e). Ratio est: quia mandatum tamdiu censetur perseverare, quamdiu non fuerit revocatum: hoc non est revocatum; ergò.

(e) Verani.

7. Dices: Hoc mandatum fuit extinctum eô ipsô, quòd non fuerit acceptatum. *Resp.* Etiamsi mandatarius à principio mandatum non acceptaverit, in memoria tamen illud retinuit, & illud executus est. Et quodsi tunc mandatarius occisus fuisset, ab eo quem occidere conabatur; irregularitatem incurrisset & mandans (e): *cap. fin. de Homicid.* quia operam rei illicitæ quæ est causa occisionis, daret.

8. De dante consilium occidendi. Nonnulli quidem comparant cõsulentem mandanti, quòd sicuti dum mandans revocat mandatum suum, ita consulens revocans consilium, liber ab incursu irregularitatis evadit; nihilominùs (inquit Lezana) revocans consilium, non impedit irregularitatem sua revocatione, nisi occidendum moneat. Ratio est: quia mandatarius pendet à mandante uti ejus instrumentum & servus; non sic qui accepit consilium. Lezan. *loc. cit. n.* 71. Avil. *p.* 7. *d.* 6. *sect.* 2. *dub.* 4. Bonac. *q.* 4. *punct.* 8. *n.* 20. Tenetur ergò insuper occidendum monere, ut sibi caveat. Attamen si revocato consiliô bona fide credat consulens, sufficere revocare; per hanc fidem bonam excusatur ab irregularitate, secuto homicidiô. Sic ergò qui fœminæ suasit abortum, & postea quantùm potuit fecit, ut illam dimoveret à consilio dato; probabiliter excusatur ab irregularitate: cùm ei dissuaserit. Henriq. *lib.* 14. *c.* 16. Dian. *resol.* 15.

9. Quoad cooperantes. Illi incurrunt, qui quomodocumque concurrunt ad occisionem, ùt dixi *hîc n.* 1. colligitur ex *cap. Sicut dignum*, §. *Illi, de Homicid.* dummodo non sint causa valdè remota, aut insufficiens ad imponendam pœnam occisionis; sed debent esse propinqua. Covaruv. *in Clementin. Si furiosus, de Homicid.* Veran. *d.* 59. *sect.* 1. *n.*23.

10. Si quæras, quis possit in hac irregularitate dispensare? *Resp.* quòd solus Papa; siquidem hujusmodi dispensatio in Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. Episcopis non est concessa. Nec tollitur per professionem; cum in nullo Jure hoc afferatur (f). Nec ab Ordinario loci per Decretum Concilii Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. quia ibi expresè excipitur irregu-

(f) Lezana.

irregularitas incursa propter homicidium voluntarium. Nec per privilegium Regularium, cùm talis irregularitas in privilegiis eorum excipiatur, ùt dixi suprà, *de Ordine.* Attamen possunt Prælati Regulares cum suis Subditis Regularibus dispensare, in irregularitate contracta propter homicidium; si illud sit ita occultum, ut nullo modo sciri aut probari possit. Ita Lezan. *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 44. adferens privil. Pauli III. *verb. Irregularitas*, *n.* 72. Imò etiam in irregularitate ob homicidium publicum incursa, dispensare possunt Prælati: nam Pius V. Cõgregationis Cassinensis (ut habetur *tom.* 2. *Bullar. inter Bullas ejus n.* 129.) Prælatis concessit hancce facultatem, ubi sequentia sunt: *Et ob quemvis excessum & delictum, publicum vel occultum, casu, seu data operâ, quomodolibet ab eis & singulis, etiamsi homicidium voluntarium seu membri mutilatio* &c. sed tantum in foro conscientiæ, & sub clausula, dummodo tale homicidium factum non fuerit post ingressum Religionis, & qui absolvuntur, semper sint in illa Religione permansuri, donec vixerint, ùt in eadem Bulla expressè declaratur, inquit Lezan. *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 44. Excipit tamen irregularitatem incursam propter assasinium: ita & Laurent. de Peyrin. *tom.* 1. *Privil. Minim. in Constit.* 2. *Julii II.* §. 29. *n.* 103.

SECTIO II.

De irregularitate quæ incurritur ob mutilationem voluntariam.

I. DIco: Mutilans injustè & voluntariè, incurrit irregularitatem: quia homicidium vel mutilatio, in Jure æquiparantur, *cap.* 1. *de Cleric. pugnant. in duello, càp. ult. de Homicid. in* 6. & Clement. *eod. tit.* adjuncta Glossa *ibid.* Lezan. *verb. Irregularitas*, *n.* 73. Ratio est: quia cùm anima vivificet corporis membra, quoties habetur mutilatio, seu amputatio alicujus membri, cessat illud animare, consequenter deperditur aliqua pars vitæ; & sic mutilatio censetur partialc homicidium, consequenter irregularitatem quæ est indivisibilis, inducit.

2. Unde si quis alicui membrum debilitet aut reddat inutile, v. g. claudum aut cæcum faciat, non eruendo oculum; non incurrit irregularitatem (a): quia eum in ea parte non privat vitâ. E contra si faciat membrum aridum & mortuum, etiamsi illud non abscindat, irregularitatem istam contrahit (b). Ratio est: quia eum in ea parte privat vitâ (c); cum juxta Aristotelem 4. *Physic.* membrum mortuum non manet ampliùs continuum cum aliis vivis, sed tantùm contiguum,

(a) Mol. t. 4. de Instit. tr. 5. Sayr. l. 6. de Censur. c. 15. Panor. Sot. Navar. Lez. l. c.

(b) Lez. l. c. Suar. d. 44. sect. 2. n. 11. Veran. sect. 2.

(c) Veran. d. 59. sect. 2. n. 7.

guum, consequenter non habet in se vitam, quæ est indivisibilis & continua. Quare si hocce membrum quis aut ipse sibi, etiamsi malitiosè abscindat, non est propterea irregularis, sicut si mutilaret cadaver (d). Econtra qui abscinderet membrū debilitatum inutile: ut si erueret oculum cæcum, aut pollicem amputaret, esset irregularis, inquantum privaret parte & vita in ea, ùt dictum est immediatè.

3. Quid nomine membri hîc intelligatur? Non conveniunt DD. Multi & quidem plures (d) docent intelligi partem in corpore illam, quæ est quasi integrum instrumentum proximum alicujus actionis, habetque distinctum officium ab aliis: ùt sunt oculus ad videndum, nasus ad odorandum, lingua ad loquendum, manus ad palpandum, aures ad audiendum, pedes ad ambulandum; & alia hujusmodi. Pauciores verò sed valdè probabiliter asserunt, nomine membri hîc venire partem organicam corporis, quæ sive per se sive cum aliis conjuncta, specialem cooperationem habet: ita ut digiti, auricula, testes, mamillæ fœminarum &c. membra sint (d). Hanc sententiam eligo, cùm sit conformior Juribus, quæ de hoc loquuntur, inquit Lez.

4. Ex his collige, amputantem malitiosè alicui digitum, quàmvis index aut pollex sit, non incurrere irregularitatem: Ratio eorum est, cùm non sit abscissio membri, sed partis membri nempe partis manûs; juxta verò secundam sententiam incurrere, cùm digitus sit membrum. Similiter non conveniunt DD. de eo, cui amputaretur membrum ob culpam ejus, ùt si in adulterio deprehenderetur: communior sententia tenet, eum sic mutilatum esse irregularem (e); Opposita tamen sententia probabiliter asserit non esse irregularem (f), eò quòd Jura imponentia hanc irregularitatem, solùm loqui videantur de eo, qui propria culpâ seipsum mutilat.

5. Casus. Paulus aliter salvare vitam suam non potuit quàm per mutilationem sui corporis, v. g. abscissionem manûs; qui ei consulit abscissionem, estne irregularis? *Resp.* negativè: quia sic consulens non peccat: nam non consulit malum sed electionem minoris mali, ut vitetur majus malum; jam verò privata authoritate concurrens ad mortem, non incurrit irregularitatem nisi tunc quando est in culpa, ùt dixi *suprà*. Secluso casu dicto, quoties est in culpa consulendo, incurrit irregularitatem, sicut dans auxilium &c. ùt patet ex *cap. Si quis viduam*, *d.* 50. & *cap. Sicut dignum, de Homicid.* quapropter habetur vulgatum illud effatum: *Facientes & consentientes, par pœna constringit.* Plura de irregularitate dixi *suprà*, & ostendit Index Idearum.

6. Hæc irregularitas non solùm tollitur à Papa, sed etiam tolli potest ab Ordinario loci, quando est casus occultus, propter privilegium

(d) Lezan. loc.cit. Covar. & alii.

(e) Sayr. l. 6.c.7.n.15. Mol. apud Lezan.

(f) Turian. de Censur.l. 9.d.62.dub. 4. Suar. d. 51. sect. 2. num. 8.

gium Episcopis concessum in Conc. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. ubi eis conceditur facultas dispensandi, in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, solùm demptâ, quæ oritur ex homicidio voluntario. Et quàmvis mutilatio sit partialis occisio, ùt dixi *n.* 2. non est tamen propriè occisio, ùt declaratum à Sacra Congreg. refert Suar. *d.* 44. *sect.* 4. & Barbos. *in Collectan. Bullar. verb. Homicida*, & *Homicidium*: consequenter possunt Prælati Regulares, communicantes in privilegiis cum PP. Dominicanis, ex privilegio Pii V. *suprà* aliquoties citati, dispensare in foro conscientiæ tantùm, quando est casus occultus. Ita Peyrin. Rodriq. Mirand. Lezan. *loc. cit. n.* 76. Non tollitur per professionem, cùm nullum sit fundamentum in Jure aliquo.

SECTIO III.

De irregularitate orta ex homicidio casuali.

1. PRæmitto, homicidium aliud esse voluntarium, aliud casuale: *voluntarium* iterùm aliud simpliciter, absolutè, directè, hoc est per se volitum, intentum: ùt si Malchus Petrum occidat, eum non Joannem occidere intendens. Secundùm quid & *indirectè voluntarium*, est in causa tale, ex qua necessariò & infallibiliter sequitur homicidium: ùt si quis frameâ vel alio instrumentô aliquem graviter feriat in capite. Sed de utroque tali voluntario homicidiò jam dictum est *suprà*. Homicidium casuale etiam duplex est: purè casuale, & non purè casuale sed mixtum ex voluntario & casuali. *Purè casuale est*, quod nullo pacto est voluntarium nec directè nec indirectè, ut si cōtingat in ebrietate occisio nō prævisa, aut prævisa sed adhibita debita diligentiâ ne sequatur: v.g. prævidit se aliquis quod solеat in ebrietate occidere; sed ne sequatur in ebrietate occisio, inebrians se, adhibuit diligentiam & remedia, auferendo arma, vel adhibendo custodes ut homicidium impedirent. *Non purè casuale* sed *mixtum ex voluntario* est, inquantum aliquomodo est voluntarium in causa sua; & *ex casuali*, inquantum casu evenit. His præmissis,

2. Dico 1. quòd hîc homicidium purè casuale non inducat irregularitatem: patet ex *cap. Lator*, *cap. Ex litteris*, 1. & 2. *cap. Significasti*, 1. *cap. Exhibita, de Homicidio*: & ex Declaratione Sacræ Congreg. apud Barbos. *in Collectan. Bullar. verb. Homicidium*: & ex ratione, quia est omninò involuntarium, consequenter inculpabile; irregularitas verò de qua nunc sermo est, cùm sit propter delictum à Jure inducta,

 inducta, culpam præsupponit. Ita S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 8. Pannorm. cap. *Ad aures*, *de Ætat. & qualit.* Sot. Lez.

(a) Vide de Ord. fer. 4. 3. Quare ab incursu irregularitatis excipe mutilantes, occidentes perpetuò amentes; dormientes, ebrios, ut dictum est immediatè, infantes, & nondum doli capaces (a).

4. Dico 2. Propter homicidium culpabile aut mutilationem culpabilem, occidentes, mutilantes & cooperantes prout sunt in culpa, incurrunt irregularitatem: ex *cap. Significasti*, 1. *cap. Dilectus*, *de Homicid.* & *cap. Clericus*, *d.* 50. & ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. S. Thom. 2.2. *q.* 64. *a.* 8. Lezan. *loc. cit.* & omnes Summistæ *verb. Homicid.* & *verb. Irregularitas.*

5. Ut autem cognoscamus, quandonam casuale homicidium inducat, aut non inducat irregularitatem; à Doctoribus, præcipue à S. Thom. 1. 2. *q.* 73. *a.* 8. pro intelligentia hujusmodi regulæ assignantur, quibûs tota hæc materia elucidatur.

6. Prima regula est: quando quis dat operam rei licitæ, omnemque adhibet diligentiam ne homicidium sequatur, si tunc contingat homicidium, non fit irregularis: colligitur ex *cap. Lator præsentiū* (b), ubi Alexander III. Exonensi Episcopo sic scribit: *P. Clericus Nobis proposuit, quòd cùm quadam die casu cum quodam Clerico luderet, contigit quòd ille projecit istum ad terram, cujus cultellus quem ad latus suum habebat, in alterum incidit, & fortuito casu occubuit vulneratus. Ideoq; mandamus, quatenùs si ita res se habuit, & alia justa causa non impedit, prædictum P. liberè permittas ad sacros Ordines promoveri.* In Corp. Jur. Can. *de Homicid. volunt. & casuali fol.* 244. Item Honorius III. Episcopo Eboracensi scribit sequentia: *Joannes Sacerdos humili Nobis insinuatione monstravit, quòd cùm pulsaret campanas, ut signo dato conveniret populus fidelium ad Divina, cadens tintinabulum percussit quemdam puerum, qui, cùm vulnus esset mortale, decessit. Nos igitur attendentes quòd dicto Sacerdoti, qui dabat operam rei licitæ, nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non prævidit; discretioni vestræ mandamus, quatenùs si constiterit ita esse, dictum Sacerdotem sacerdotale Officium exequi permittatis.* In Corp. Jur. Can. *loc. cit. fol.* 246. colligitur etiam ex *cap. Dilectus filius*, & *cap. Ex litteris*, 2. & *cap. Significasti.* Ratio est: quia tale homicidium est omninò involuntarium & inculpabile.

(b) c. 1[10]. eod. tit. in 1. Cōpil.

7. Secunda regula est: quando quis dat operam rei licitæ, etiam ex bona intentione, & non adhibet omnem diligentiam quam tenetur adhibere, ne homicidium sequatur; & tunc si sequatur homicidium, incurrit irregularitatem: colligitur ex *cap. Ad audientiam, de Homicid.*

Homicid. tunc enim faltem indirectè cenfetur homicidium voluntarium, eò quia omiffa diligentiâ debita, fequitur tale homicidium.

8. Ex his fequitur 1. non effe irregularem Magiftrum percutientem difcipulum, fi non excedat in percuffione, etiamfi ex ea mors fequatur, ùt docent ferè communiter cum Sayr. *lib.* 7. *cap.* 2. eò quia moderatè verberans, dat tunc operam rei licitæ; & talis percuffio, communiter non folet effe caufa homicidii. Sin autem in modo percutiendi excederet, & ex illo mors fequeretur, tunc Magifter non poffet excufari ab irregularitate, ùt docet Panorm. in *cap. Presbyterum*, *n.* 3. Siquidem in hoc cafu, tametfi Magifter fimpliciter cenferetur dare operam rei licitæ, non tamen adhibuiffet fufficientem diligentiam, ad præcavendum talem exceffum. 2. neque incurrere hanc irregularitatem eum, qui equitans fuper ferocientem equum, cafu aliquem occidit, præfuppofita fufficienti diligentia ad præcavendum tale homicidium, ùt dixi *de Ordine*, & colligitur ex *cap. Dilectus filius*: quia tunc equitans, dat operam rei licitæ, fi benè noverat equitare; & homicidium contingit fine ejus culpa. Secùs fi fuiffet negligens in præcavendo homicidio, non excufaretur ab irregularitate. 3. Excufatur pulfans campanam ad convocandum populum, fi cadat tintinabulum, & ibi exiftentem occidat, ùt habetur in *cap. Ex litteris*, 2. & *Joannes Sacerdos*, *fuprà*. Secùs fi ob ejus negligentiam culpabilem cecidiffet tintinabulum. 4. ille puer non incurrit irregularitatem, qui lusûs causâ miferat lapidem in alterum, qui ut lapidem venientem declinaret, in terram corruit, & ad lapidem offendens caput, mortuus fuit: ita decifum eft in *cap. Exhibita*, *de Homicid.* Ratio eft: quia lapidis projectio erat pueris ludus licitus; & qui lapidem projecit, non debuit prævidere eventum. 5. neque incurrit irregularitatem peritus Medicus, fi abfque ejus culpa infirmus moriatur: ùt colligitur ex *cap. Ad aures*, *de Ætat. & qualit. Ordinand.* ubi Clemens III. ftatuit ne promoveatur ad Ordines qui artem non fine culpa exercuit. Neque fit irregularis etiamfi Religiofus, qui bona intentione dat aliquid infirmo, quod Medicus ei dare non prohibuit, etiamfi inde citiùs eveniat infirmo mors; aut illum evertat, vel elevet ut commodiùs cibum fumat vel quiefcat, etiamfi inde mors acceleretur, vel quia apoftema frangatur, vel refpiratio impediatur, vel etiam eo motu fuffocetur ût docent Sot. *lib.* 5. *de Juft. q.* 1. *a.* 9. Cajet. 2. 2. *q.* 94. *a.* 3. Plura ad hoc adducenda funt *fuprà*.

9. Regula tertia eft: dans operam rei illicitæ, non tamen ex fuo genere periculofæ, ac ferè ordinariè caufativæ homicidii; aut illud homicidium non prævidit: aut prævidit, fed adhibuit omnem dili-

gentiam ne sequatur; irregularitatem datâ operâ non incurrit (c): quia tunc homicidium est purè casuale, & nullo pacto voluntarium: non enim est volitum directè, ùt supponitur; nec etiam indirectè, quia causa non est volita, nec negligentia admissa.

(c) Veran. Lez. contra Tolet.

10. Exempla: v.g. in Religioso pulsante campanam contra præceptum sui Superioris, si inde contingat quod cadat tintinabulum & aliquem occidat. Item in Religioso equitante contra præceptum Superioris, si contingat quod equus rupto frænô vel alio modo occidat puerum. Item in Religioso perito medicinæ, qui contra prohibitionem Ecclesiæ medetur alicui infirmo, citra incisionem & adustionem. Et qui suaderet alteri ingredi hortum ad fructus surripiendos, si ibi ingrediens occideretur: aut ipse in venatione adhibita diligentiâ, in loco prohibito aliquem occideret; non esset irregularis. Veran. Lezan. *verb. Irregularitas*, *n.* 80. & *tom.* 1. *c.* 9. *n.* 15. aliique Summistæ.

11. Regula quarta: dans operam rei illicitæ; prohibitæ quia est periculosa ad homicidium, etiamsi adhibeat sufficientem diligentiam ne sequatur homicidium; illo secuto ab irregularitate incursa non excusatur. Ita Sayr. *lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 12. Sot. *lib.* 5. *de Just. q.* 1. *a.* 9. Suar. *d.* 45. *sect.* 5. Lezan. Veran. *loc. cit.* Ratio est: quia adhibita diligentia, non mutat naturam operis periculosi, & ex se inductivi mortis. Hinc

Exempla.

12. Exempla: Dans medicinam vel potionem infirmo, absque consilio Medico; si inde mors ægroto sequatur, fit irregularis, siquidem dedit operam rei sibi prohibitæ & periculosæ, ex qua mors fuit secuta. Item Clericus ludens, & saltans cum fœmina prægnante, si inde abortus contingat (d): quia talis lusus, fœminæ est periculosus, & Clerico illicitus. Item quicumque introducens mulierem ad domum suam per tectum vel fenestras, si decidens abortiri cagatur. Itē adulter inventus à marito, si in sui defensione, cum non servato moderamine inculpatæ tutelæ occidat. Item Parentes, tenentes simul infantes secum in lecto, si dormientes infantem suffocent: quia hoc est illis prohibitum *cap. Quæsitum, de Pœnit.* & *cap. Constituisti*, 2. *q.* 5. & probabile periculum homicidii. Debet tamen hoc periculum suffocandi, esse imminens & probabile; alioquin si lectus esset ita accomodatus ut nullum inde esset periculum occidendi prolem, non incurreretur hæc irregularitas, ùt docent plures, inquit Veran. Item mittens per lusum puerum in flumen, qui per accidens in eo suffocatur, irregularis per hoc efficitur. Item exercens chirurgiam incisione vel adustione, Religiosus aut sæcularis, in hac arte imperitus. Item domi

(d) Vide de Matrim.

suæ

ſuæ nutriens ferocem belluam, v.g. urſum, ſi culpa ejus (quia eam ſolutam tenet) aliquem occidat. Item indiſcretè, graviter, & incircumſpectè aliquem verberans, ſi inde mors ſequatur: *cap. Presbyterum, de Homicid.* Item qui præcipit alicui ut alterum percuteret *, & non vulneraret lethaliter, ipſe verò interfecit eum; uterque eſt irregularis: *cap. ult. de Homicid. Is qui.* Secùs ſi hoc præciperet facere licitè, in quo alter promeruit verberationem, etiamſi baculô verberare mandaret, declaratum à Sacra Congreg. refert Barboſ. *in Collectan. Bullar. verb. Irregularitas.*

* Subintellige, illicitè.

13. Qualisnam diligentia requiratur, ne incurratur irregularitas? Sufficit ea quam vir prudens & diligens ac circumſpectus, conſiderata rei qualitate & circumſtantiis, adhibere ſolet (e): *leg. 1. ff. de Jur. debit.*

14. Si quæras quale requiratur peccatum, ad incurrendam hanc irregularitatem ex homicidio caſuali? *Reſpondetur* (e) communiùs quòd peccatum mortale: tum quia irregularitas eſt pœna gravis; ergò & culpa debet eſſe talis, cùm pœna culpam excedere non debeat: tum quia non ita facilè ſicut excommunicatio minor, ſed valdè difficulter tollitur, ùt ſtatim videbimus.

(e) Lez. Veran.

15. Hæc irregularitas quando homicidium eſt occultum, & non deductum ad forum contentioſum, tolli poteſt ab Ordinario loci: prout eis id conceditur ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 5. de Reform.* Idem dicendum de Prælatis Regularibus, reſpectu ſuorum Subditorum Regularium (f): cùm homicidium caſuale ſeu mixtum, ſit diſtinctum à purè voluntario, quod in privilegiis Regularium & Epiſcoporum, in dicto Trident. excipitur. Si autem homicidium de quo nunc, ſit notorium, aut ad forum contentioſum deductum; niſi à ſolo Papa tolli poteſt: non per profeſſionem, patet ex dictis.

(f) Lez. tom. 1. c. 18. n. 40. Sayr l. 7. c. 7. Portel. v. Diſpenſare, n. 9. Peyrin. t. 1. Priv. Minim. in Conſt. 2. Iulii II. n. 112.

SECTIO IV.

De irregularitate orta ex homicidio vel mutilatione causâ defenſionis.

1. Injuſtus aggreſſor, poteſt occidi vel ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, vel non ſervato. Qui primo modô eum occidit, immunis eſt ab irregularitate: definitum eſt in Clementin. *Si furioſus, de Homicid.* Vel non ſervato moderamine? Invaſus irregularitatem incurrit: cùm Jus excipiat ab irregularitate occiſorem ſolùm eum,

 qui

qui hoc fecit necessariò ad salvandam vitam, quia eam aliter salvare non potuit. Quare non excusatur ab irregularitate, qui alium occidit, & commodè potuit se salvare per fugam (a): maximè si causam invasionis dederit, v.g. inventus est in incontinenti cum uxore alterius, &c. aut alapam alteri inflixit.

(a) Verani & alii communiter.

2. Sed quid si fugere sine nota & amissione honoris nequeat, sed potiùs per fugam, magnam ignominiam contraheret? *Resp.* In hoc casu distinguere oportet: utrùm sit persona mundana, utrùm Ecclesiastica? Clericus, sive Regularis? Si mundana persona? Eam à culpa & irregularitate excusant occidentem suum invasorem, Petrus Cornej. *in* 3. *p. tr.* 5. *de Irregularit. d.* 4. *dub.* 1. Suar. *tom.* 5. *d.* 46. *sect.* 1. *n.* 6. Oppositum tenent Sylvius *in* 2. 2. *q.* 64. *a.* 7. Avil. *p.* 7. *d.* 5. *sect.* 3. *dub.* 2. *conclus.* 3. Veran. *loc. cit. sect.* 6. *n.* 6. Ratio horum est: quia Clementina excipit solùm eum, qui aliter vitam salvare non potuit; & vita proximi est præstantior proprio honore. Si Clericus aut Religiosus? Omnes immediatè specificati DD. cum in proposito casu incurrisse irregularitatem ex delicto, probant per hoc, quòd Clericis, Regularibus non sit injuriosum fugere. His sententiis tertiam addo: Vel persona mundana, sæcularis, dedit causam invasionis, v.g. inventa est in adulterio, vel alapam inflixit adulteræ marito? Tunc potiùs fugere tenetur: sibi enim imputare debet infamiam, eò quòd dederit occasionem. Si secùs? Secus. Et si in aliquo casu, etiam Clerico fuga esset ignominiosa, tūc posset servato dicto moderamine occidere, & non fugere. Fillirius *in cap. Suscepimus, de Homicid.* Filliu. *tom.* 1. *tr.* 20. *c.* 5. *n.* 133. de Alcolea *de Irregular. resol.* 127. Pro me quoad sæcularem personam *Resp. de Jure & Justitia d.* 3. *ser.* 2. *n.* 3. quoad Clericum & Regularem, immediate positam sententiam accipio: servato moderamine inculpatæ tutelæ.

3. Incurreretne irregularitatem, qui occideret invasorem innocentem, nempe ebrium aut amentem? *Resp.* negativè cum sententia communi: quia quàmvis innocens est invasor, tamen injusta est occisio, quòd absque ulla causa debeat occidi innocens invasus.

4. Notandum, quòd excessum moderaminis, à mortali culpa excusset indeliberatio.

5. Quoad sublationem irregularitatis, Dicendum: quòd non tantùm Papa sed & Episcopus, in hac irregularitate dispensare queat: cùm sit casus occultus, an excessit moderamen inculpatæ tutelæ; jam verò in irregularitate proveniente ex delicto occulto, Episcopi dispensare possunt, propter privilegium concessum Episcopis in Concil. Trid. *sess.*

sess. 24. *cap.* 6. *de Reform.* Nec obest quòd nequeat dispensare in orta ex homicidio voluntario: cùm homicidium factum ob propriam defensionem, vocat casuale Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. ut contradistinguatur ab homicidio voluntario per insidias. Ita Lezan. *verb. Irregularitas*, *n.* 69. Veran. *d.* 39. *sect.* 4. *n.* 14. & alii apud eos. Idem dicendum de Prælatis Regularium, quod dictum est de Episcopo; patet ex *suprà* dictis; & hoc quòd nec per professionem tollatur hæc irregularitas.

SECTIO V.

De irregularitatibus ortis ob iterationem baptismi, & violationem censurarum.

I. DE irregularitate orta ex rebaptizatione, sufficienter dixi *suprà* ùt ostendit Index rerum; quapropter sufficit addere hîc nonnulla: nempè, quòd si baptizans aut baptizandus, intentionem rebaptizandi non admittat; nec irregularitatem, nec alias pœnas incurrit: quia deficiente intentione, non habetur rebaptizatio. Item si quis ex ignorantia pœnarum, exerceat rebaptizationem (a). Secùs si coactè, cum intentione: cùm ad intentionem veram cogi nequeat (a).

(a) Veran. Lezana.

2. In hac irregularitate potest dispensare Episcopus, si est casus occultus: juxta Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. cùm sit ex delicto. Quod dicendum de Prælatis Regularibus: patet ex *suprà* dictis assertio affirmativa: cùm hæc irregularitas non sit ex illis, quæ in privilegiis Regularium excipiuntur. Ita Lezan. *verb. Irregularitas*, *n.* 44. & *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 40.

3. Quoad 2. partem tituli Dico: Excommunicatus majori excommunicatione, suspensus vel interdictus, etiam toleratus & occultus, solemniter sive ex officio exercens actum Ordinis, irregularitatem incurrrit, nisi excusetur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, vel ignorantiæ, inadvertentiæ, oblivionis: *cap. Si quis Episcopus, causâ* 11. *q.* 3. & toto titulo *de Cleric. excom. minist.* & *cap. de Sentent. & re judic. in* 6. & *cap. Is cui, de Sentent. excom. in* 6. Majol. *lib.* 3. *cap.* 18. Sayr. *lib.* 4. *cap.* 16. Bonac. *de Irregul. d.* 7. *q.* 3. *punct.* 5. Lezan. *loc. cit. n.* 55.

4. Explicatur & probatur. *Excommunicatus majori excommunicatione*: nam quòd hoc faciens excommunicatus excommunicatione minori, non incurrat irregularitatẽ, habetur *can. Si celebrat* (b); quàmvis peccet.

(b) Tol. l. 1. c. 72.

5. *Suspensus:* de hoc habetur *cap. 1. de Sent. excom. in 6. cap. 6. de Sent. & re judic.* *Interdictus:* de eo specialiter *cap. Is cui, de Excom. in 6.* Verani *d. 59. sect. 6. n. 1.*

6. *Solemniter sive ex officio exercens:* scilicet adhibitis illis cæremoniîs, quæ ei conveniunt ex Officio & Ordine quem exercet. Unde baptizando solemniter juxta praxim Ecclesiæ, aut benedicendo cum debita solemnitate fruges, cereos, aquam, in stola aspergendo populum in Ecclesia, & similia faciendo, incurrit irregularitatem. Secùs si baptizet privatim. Ita Ugolin. *tab. 1. de Censur. cap. 14. §. 1. n. 5.* Bonac. *loc. cit. n. 5.* Econtra ùt plures docent si quis censurâ ligatus, cantet in altari Epistolam cum Dalmatica sed sine manipulo, vel Evangelium sine stola, non fit irregularis (c): quia tũc exercet actum non solemniter, ùt patet ex antè dictis.

(c) Bonac. Lezan.

7. *Actum Ordinis:* nam exercens alios actus non Ordinis, non incurrit irregularitatem: v.g. excommunicatus cantans horas in Ecclesia, cùm hoc Officium sit commune & Laicis (nisi ùti hebdomadarius), aut assistens matrimonio, cum non sit actus Ordinis, patet ex antè dictis *de Præsentia Parochi*, aut suspensus à susceptione Sacramentorum, suscipiens ea (d): quia in nullo Jure hoc exprimitur. Item non incurrit irregularitatem exercens actum jurisdictionis, visitando, puniendo, excommunicando, beneficia conferendo, & hoc secundùm omnes inquit Tolet. *lib. 1. cap. 72. n. 4.* Econtra absolvẽdo sacramentaliter etiam occultè: & quàmvis absolutio sit invalida, incurrit irregularitatem: quia absolvere Sacramentaliter, est actus Ordinis, qui soli Sacerdoti competit. Secùs tamen dici volunt Bonac. *loc. cit.* & Suar. *de Censur. d. 20. sect. 3. n. 15.* si Sacerdos nollet absolvere, sed solùm materialiter verba absolutionis dicere.

(d) Majol. l. 3. de Irreg. c. 19. de Alcol. ref. 32. Dian. p. 5. tr. 10. ref. 26.

8. Utrùm exercendo actum Ordinis minoris censuratus, incurrat irregularitatem? Controversia est non parva inter DD. Affirmativam sententiam tenent Suar. Ugolin. Reginald. Graff. Panorm. *cap. Si quis Presbyter.* Alii negativam cum S. Thom. *in 4. Sentent. d. 34.* quia consuetudo est, quòd tales actus exerceantur etiam à Laicis. Lezana dicit servanda est consuetudo: sic censuratus exercens actum Ordinis minoris, solùm in censura ob simoniam contracta, irregularitatem incurrit, propter Bullam Sixti contra male promotos, quæ incipit, *Sanctum, salutare.*

9. *Nisi excusetur ratione necessitatis &c.* nam quando ratione necessitatis, oblivionis, ignorantiæ, excusatur à mortali peccato, excusatur & ab irregularitate de qua nunc ex delicto. Si delictum non est, nec ea est.

Animad-

10. Primò, ut hæc incurratur irregularitas, requiritur ut exerceat talem Ordinem scienter; siquidem hæc irregularitas non contrahitur nisi propter contumaciam.

11. Secundò, quòd quàmvis interdicti, tempore interdicto & concesso administrantes Sacramenta, non incurrant irregularitatem; tamen Clerici in loco interdicto actum exercentes Ordinis Sacri (e), quàmvis nulla censurâ ligati sint, incurrunt. Similiter sepeliētes defunctū in loco interdicto, incurrunt irregularitatem, si defunctum sepeliant cum Officio Divino, cæterisque solemnitatibus: quia tunc exercent sacrum Ordinem, si id præstent absque ullo moderamine expresso in *cap. Alma Mater.* Quare si moderamen dictum in *cap. Alma Mater*, servatur in toto hoc Officio, non fiunt Clerici irregulares, si locus sit generaliter interdictus. Secùs dicendum, si locus esset specialiter interdictus, ob dicta *suprà*: à fortiori, si sepeliant sine Divino Officio & aliis. Verani *loc. cit.* & alii.

12. Tertiò, quando quis dubitat se esse excommunicatum, & tunc celebrat, an illa celebratione incurrat irregularitatem? *Resp.* quòd quàmvis debeat se habere pro tali in conscientia, si nequeat deponere conscientiam, quia vel majora vel æqualia fundamenta habet pro parte hac quòd non incurrerit; non incurrit tamen irregularitatem si in rei veritate non sit excommunicatus: quia irregularitas non incurritur ob conscientiam erroneam & existimationem, sed ob violationem censuræ. Ita Bonac. *loc. cit. punct.* 5. *n.* 2. Sayr. *lib.* 7 *cap.* 9. *n.* 29. & de Alcolea *de Irregul. resol.* 33. Dian. *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 94.

13. Quartò, qui irretitus est multis censurîs diversæ rationis, v.g. excommunicatione & suspensione, plures etiam irregularitates incurrit, Ordines exercendo (f); secùs si pluribus censurîs ejusdem rationis, scilicet, multis excommunicationibûs (g). Nec plures incurrit irregularitates pluries celebrando, quàmvis mortaliter semper peccet: docet Lezan. *suprà*, *n.* 55.

14. Hæc irregularitas non tantùm tollitur dispensatione Papæ, sed etiam tolli potest dispensatione Episcopi, quando occultum est, quòd talis celebrans aut alium actum Ordinis exercens, sit censurâ ligatus: juxta Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. Et in Regulari à Prælato ejus, propter privilegia multoties hoc libello intimata. Non verò per professionem Religiosam, cùm nullibi in Jure habeatur hujusmodi fundamentum.

(e) Covar. c. Alma Mater, p. 2. §. 2. n. 2. Sot. in 4. d. 22. q. 3. a. 1. concl. 5.

(f) Garc. de Benef. p. 8. c. 3. n. 80. 82. Lez. l. c. n. 56. Bonac. n. 10.

(g) Sanch. l. 8. de Matrim. d. 24. n. 7.

De irregularitate contracta exercitiô Ordinis quem exercens non habet.

(a) Sylv. v. Irreg. n. 15. Tolet. l. 1. c. 72. Lezan. n. 59.

1. DIco: Clericus aut Religiosus, scienter exercens, seriò & solemniter Ordinem quem non habet, incurrit irregularitatem. Ita colligitur ex *cap.* 1. & 2. *de Cleric. non ordinat.* (a).

2. Explicatur & probatur. Dico, *Clericus*: quia etiamsi sit valdè probabilis sententia, quòd etiam laicus incurrat irregularitatem, exercens Ordinem quem non habet, quam sententiam tenent S. Antonin. Sylv. Sot. Suar. Avil. Valent. tenendum tamen oppositum, ùti benignius in materia odiosa, volunt longè plures cum Bonac. *d.* 7. *q.* 3. *punct.* 6. *n.* 1. Lezan. *loc. cit.* Sayr. *cap.* 10. *n.* 6. Covaruv. Angel. Armil. & aliis: eò quòd Jus *suprà* citatum, nullam mentionem de laico faciat, sed toto titulo de Clerico dicat.

3. Dices: Textus loquitur absolutè & generaliter de ministrante prout *cap.* 1. sic dicit: *si quis baptizaverit, aut aliquod Divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & numquam ordinetur*; ergò etiam laicus talem Ordinem exercens, liber ab irregularitate non evadit. *Resp.* Textus debet intelligi generaliter, juxta titulum impositum: atqui titulus est de Clerico; ergò & textus debet intelligi de Clerico, non de laico. Item, secundum *cap.* expresse est solùm de Clerico, ubi sic Urban. III. Legionen. Episcopo scribit: *Ex litteris tuæ fraternitatis innotuit Nobis, quòd I. Diaconus, Missarum celebrationem usurpare præsumpserit*, (& infrà) *Consultationi tuæ taliter Respondemus, quòd ad Sacerdotis officium non poterit promoveri: à Diaconatu quoq; biennio vel triennio, pro tua maneat provisione suspensus. De beneficio autem, misericorditer agatur cum eo, ne sustentatione privatus, ad sæculi negotia revertatur.* In Corp. Jur. Can. *fol.* 255.

4. *Aut Religiosus*: cùm nomine Clerici veniat. *Scienter*: nam si quis ex ignorantia etiam crassa hoc faciat, credens se talem habere Ordinem, non incurrit irregularitatem: docent Ugolin. *de Censur. cap.* 37. *n.* 8. Bonac. *d.* 7. *q.* 3. *punct.* 6. Lezan. *loc. cit.*

5. *Seriò*: quia si hoc contingat jocô, per repræsentationem ùt faciunt in dialogo, aut aliter ùt faciunt ante Sacerdotium, addiscendo Missam celebrare, tales minimè censuram incurrunt.

6. *Solemniter*: hoc est ex Officio, Ordine, prout modò ordinariè in Ec-

in Ecclesia à ministris fit. Quare excommunicatus cantans Epistolam absque manipulo, liber est ab irregularitate.

7. Hæc irregularitas tollitur eô modô, quô antecedens.

SECTIO VII.

De irregularitatibus contractis ex illegitima Ordinum susceptione, hæresi, & delicto cui annexa est infamia.

I. Quoad 1. sufficienter respondi *suprà*, tractans *de Sacram. Ord.* & locis in aliis. Quoad 2.

2. Dico: Hæreticus ubi non impunè hæretici vivunt, per suam hæresim etiam occultus, quicunque ejus quà hæretici defensor, conservator &c. consilium, auxilium ùt tali dans, irregularitatem incurrit: & si in ea hæresi perseverans moriatur, insuper filii usque ad secundam generationem per lineam paternam, & usque ad primã per lineam maternam, contrahunt eam irregularitatem.

3. Explicatur & probatur. *Hæreticus*: colligitur ex *cap. Presbyterum de quo, d.* 50. & *cap. Presbyteros qui immolaverunt, cap. In qualibet, cap. Saluberrimum*, 1. *q.* 7. *cap.* 2. *de Hæretic. in* 6. (a). Quid autem requiritur ut quis sit verè hæreticus, consequenter hancce irregularitatem incurrat; Vide *suprà de Sacram. pœnit. d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 3. & ultrà ibi. Unde infert Lezan. *Illi qui de hæresi suspecti sunt, reverà tamen hæresim interiùs non habent, quales sunt schismatici, qui hæresim non habent adjunctam, & illi qui hæresim exteriùs profitentur, interiùs tamen rectè sentiunt, ac illi qui pactum ineunt cum dæmone, aut ipsum colunt, sine hæresi, & similes alii de hæresi suspecti, cùm verè hæretici non sint, non sunt ex hoc capite irregulares* (b). Sunt tamen ex alio capite, *si crimen illorum est notorium*, tunc ratione infamiæ, *irregulares sunt*. Henriq. *lib.* 14. *de Irregul. cap.* 4. *n.* 6. Sanch. *n.* 10. 11. & 12. Bonac. *suprà*, *n.* 5. Lezan. *n.* 61.

(a) Sylv. Lezã. verb. Irreg. n. 61.

(b) Suar. Sanch. Bonac. l. c.

4. *Vbi non impunè hæretici vivunt*: nam Lezan. *verb. Irregularitas*, *n.* 61. dicit circa finem, quòd filii eorum hæreticorum non sint irregulares, qui palàm & impunè vivunt, verba ejus sunt: *hoc tamen non procedit in filiis istorum, in Regionibus in quibus palàm & impunè hæretici vivunt.* Idem tenent Henriq. *lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 4. Sa in *Sum. verb. Hæresis*, *n.* 4. Plura de hoc de *Sacram. Ord. ser.* 4. *n.* 3.

5. *Etiam occultus*: quia hoc supponitur in Constit. quadam Clemẽtis VII. quæ refertur in Direct. Inquisitor. inquit Lezan. *loc. cit. n.* 61. cum illo Majol. *lib.* 5. *de Irregul. c.* 46. Sanch. *in Decalog. lib.*

2. *cap.* 25. *n.* 2. Suar. *suprà*, *n.* 4. quidquid dicat Sayr. *lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 16. Laym. & alii. Inde habetur differentia inter hæresim & alia delicta inducentia irregularitatem, quòd illa (præter homicidium) occulta, non inducant irregularitatem, sed tunc dum sunt publica.

6. *Consilium*, *auxilium dans* &c. quia illi æquiparantur cum eis, quibus hæc præstant: *cap.* 2. *de Hæretic. in* 6. docentque Maiol, Sanch. & alii apud Bonac. *loc. cit.* Si parentes fuerint impœnitentes mortui. Thesaur. *in Prax. p.* 2. *verb. Hæresis*, *cap.* 3. Tolet. Lezan. *loc. cit.* Idem dicendum de apostata à fide, quod dictum est de hæretico: cùm sit verè hæreticus.

7. Hæc irregularitas in casu occulto, tolli potest ab Episcopo, propter privilegium concessum Episcopis in Trid. *seß.* 24. *cap.* 6. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 4. Vivald. *in Candelabro, in penult. edit.* 2. *p. de Irregul. n.* 70. & 89. Sanch. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 25. *n.* 28. Imò etiam in casu publico, quoad usum Ordinum minorum susceptorum: quia hoc textus *suprà* in Resolutione citati permittunt (c). Idem dicendum de Prælatis Regularium, respectu suorum: propter privilegium Pii V. ùt aliquoties jam id repetii. Hoc intelligendo, etiam de dispensatione cum filiis hæreticorum, & apostatarum à fide: docent Lezan. *loc. cit. n.* 63. Sanch. & alii.

(c) Suar. Sanch.

8. Quoad 3. membrum Quæstionis, dixi alibi, prout & plura de irregularitate. Nunc adhuc intendens charitatem Neo-Confessario præstare, adduco ei pœnitentem militem, adferentem multos casus; pro quibus solvendis, sit

SECTIO ULTIMA, MILITARIS.

Turebacius aspirans ad Presbyteratum, facit confessionem universalem vitæ suæ; & quærit ex Confessario, an incurrerit irregularitatem, & ad quem pro dispensatione recurrere debeat?

Consulens bellum justũ non incurrit irreg. secus si injustum.

I. Imprimis accusat se consuluisse Principi bellum, adversus Principem alium; an peccaverit, & irregularis per hoc factus sit? *Resp.* — Vel consuluit bellum justum, vel injustum? Si injustum? Vel non est subsecutum? Tunc quàmvis peccavit, irregularis non est: quia sicut censura, ita irregularitas non habetur nisi secuto effectu. Vel est secutum bellum, & occisiones, mutilationes? Considerandum, vel Princeps erat aliunde determinatus, ita ut etiamsi hocce consilium Turc-

um Turebacius non dedisset, bellum Princeps indixisset? Consulens, irregularis factus non est: quia sic consilium non est causa mortis, aut mutilationis, ùt sentiunt Joan. Andreas, Archang. Tolet. *lib.* 1. *c.* 85. *n.* 2. Dian. *p.* 8. *tr.* 7. & *Miscellan. resol.* 92. de Alcol. *de Irregular. resol.* 107. (qui cum Mazuchelli dicit, suadentem occisionem alicui ad eam determinato, non incurrere casum reservatum). Vel non erat determinatus, aut consiliô ejus magis animatus est, & movetur ad tale malum? Tunc non evadit irregularitatem Turebac. (idem dicendum in similibus casibus): quia consilium aliquid operatur in mortes & mutilationes. Nisi dissuasisset oppositum Principi (a). Vel consuluit bellum justum? Irregularis non est, etiam mutilationibûs, occisionibûs secutis. Ita colligit Bonac. ex *cap. Omni timore*, & *cap. Hortatu & precibûs.* In primo *cap. cit.* sic habetur: *omni tepore* (b) *ac terrore deposito, contra inimicos sanctæ fidei, & adversarios omnium Religiosorum, agere viriliter studete. Novit enim Omnipotens, si quilibet vestrûm moriatur, quòd pro veritate fidei, & salvatione Patriæ ac defensione Christianorum mortuus est: & ideo ab eo præmium cæleste consequetur.* Unde infertur posse aliquem absque periculo irregularitatis suadere alteri, ut se exponat periculo mortis, pro fide Christi, Ecclesiæ, & pro Patria. Quoad 1. sunt Innoc. & Anan. Quoad 2. Tolet. & dictus Anan. Secundo verò *cap.* hæc habentur sequentia: *Hortatu* (c) *& precibûs Hadriani Romanæ Vrbis Episcopi, exoratus Carolus Rex, bellum contra Longobardos suscepit: quod priùs quidem & à Patre ejus Pipino, Stephano Papa supplicante, cum magna difficultate susceptum est.* In Corp. Jur. Can. *caus.* 23. *f.* 327.

(a) Innoc. Anan. apud Tolet. l. c.

(b) Panorm. l. 8. c. 30.

(c) Deusdedit l. 5. Ivo p. 10. c. 91. Panorm. l. 8. c. 32.

2. Ut autem bellum sit justum, conditiones requiruntur tres: 1. est legitima authoritas indicentis bellum. 2. causa justa indicendi. 3. recta intentio. S. Thom. 2.2. *q.* 40. *a.* 1. Unde persona privata Superiorem recognoscens, non potest indicere bellum ex odio, sed motivo charitatis vel justitiæ. Ita Nostri ex Doctore Resoluto, Mich. de Bononia *in* 4. *d.* 15. *q. unic.* Beetz *de Præc. Decal. in* 5. *præc. exposit. cap.* 4. Lezan. *verb. Bellum.* Causa verò ad movendum bellum, non sufficit in dubio, aut secundùm opinionem probabilem; quàmvis sufficeret ad bellum defensivum dum est quis in possessione, cùm melior sit conditio possidentis. Ratio est: quia bellum est actus justitiæ punitivæ, infligentis pœnam delinquenti; pœna autem non debet infligi pro delicto dubio.

3. Ultrà Turebac. adfert casus, & Sacramentaliter confitetur. Quando erat miles in exercitu existens, in quodam experimento bellico, ipso non pugnante, ex adversa parte unus tantùm periit (quia ordinatio

natio hujus exercitûs Ducis erat, non occidere, sed vivos adversarios, cùm pauci essent, capere); utrùm per hanc occisionem peccavit, & redditus est irregularis? *Resp.* Vel erat miles de numero exercitûs, ex parte cujus bellum erat injustum, vel erat de numero exercitûs, ex parte cujus bellum erat justum? Si primum? Nec à peccato, nec ab irregularitate excusatur: quia in bello injusto, non tantùm illi fiūt irregulares qui manu propria occidunt aut mutilant, sed etiam tympana pulsantes, tubas inflantes, quomodolibet cooperantes: imò etiam sarcinas custodientes, etiamsi unius tantùm sequatur occisio aut mutilatio. Ita Bonac. Lezan. Ægid. de Alcol. Veran. qui adducit pro comprobatione *cap. Sicut, de Homicid.* Et si exercitus esset divisus in duas partes, & in illa staret Turebacius quæ ad pugnam absolutè non concurreret; Authores sunt prò & contrà. Negativam sententiam quòd irregularitatem non incurreret, tenent Ugolin. *cap.* 13. §. 1. *n.* 3. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 13. Bonac. *de Irreg. d.* 7. *q.* 4. *punct.* 4. *n.* 3. Affirmativam Suar. *d.* 45. *sect.* 3. *n.* 10. & *d.* 47. *sect.* 5. *n.* 5. Filliuc. *n.* 263. & alii. Imò Gibalin. dicit, quòd Dux injusti belli, tot incurrat irregularitates, quot illic fiant homicidia: quia ipsorum omnium causa principalis est, & in omnibus militibus pugnat; quandoquidem illi, suo imperiô & auspiciis pugnant, totius damni causa existit. Sacerdotes excipe, qui bello injusto adsunt, ad audiendum Confessiones ipsorum, ministrandaque ipsis Sacramenta, vel alia subsidia spiritualia non ordinata ad bellum: hi non peccant, nec irregulares propterea sunt (d). Si secundum? Non est irregularis: quia in bello justo solùm illi incurrunt irregularitatem, qui propriis manibûs occidunt, aut mutilant; non verò qui percutiunt aut vulnerant, dummodo non lethaliter &c. Ita immediatè citati: quibus additur *cap. Petitio, de Homicid.*

(d) Lez. v. Bellum, n. 23. Veran.

4. In bello justo, ex defectu lenitatis; in injusto, ex delicto contrahitur irregularitas: utraque si est publica, à solo Papa tolli potest. Non à Prælato Regularium, cùm sit voluntaria; non ab Episcopo, cùm solùm occulta ex delicto, ab eo tolli queat, ùt *suprà* dictum est. Unde quia erat miles exercitûs, ex parte cujus erat bellum justum, non incurrit irregularitatem.

5. Sed Turebac. ei qui occidit dictum adversarium, dedit arma quibus occidit, nempe gladium & sclopetum. *Resp.* etiamsi: nam quàmvis irregulares sint, qui in pugna privata sive duello, aut in bello injusto arma præbent (d); non tamen qui in bello justo: quia hoc non exprimitur in Jure. Quòd illi peccent hi verò non, patet: quia illi ad illicitum, hi ad non prohibitum sed permissum ab Ecclesia concurrunt.

6. Post-

6. Poſtquàm fugam dederunt milites adverſarii, Turebacius cum aliis inſequens eos, quemdam occidit. *Reſp.* oportet diſtinguere & ſubdiſtinguere: Vel occidit invadens, vel invaſus? Si invadens? Vel occidit quemdam non militaris rei hominem, v.g. ſervum Domini apud quem pernoctavit? Sic homicidium commiſit injuſtum, illicitū, & irregularis factus eſt ex delicto. Vel occidit militem ex adverſa parte? Factus eſt irregularis ex defectu lenitatis, non ex delicto; inquantum publica authoritate conceſſum eſt, inimicos quibus juſtè bellum indictum eſt, mutilare, occidere &c. Si invaſus? Vel occidit invaſorem injuſtum, qui injuſtè, injuriosè invaſit eum: vel juſtum? Si injuſtum? Servato moderamine inculpatæ tutelæ occidens eum, non incurrit irregularitatem. Ita definitum eſt in Clementin. *cap. Si furioſus*, per ſequentia: *Si furioſus, aut infans, ſeu dormiens, hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit vel mutilat invaſorem.* Doctor Reſolutus *in* 4. *d.* 25. *q.* 7. *a.* 2. Michaël de Bononia *ibid. q.* 2. *a.* 2. Lezan. *loc. cit. n.* 65. Ratio eſt: quia non ſponte, ſed de neceſſitate juſtæ defenſionis vitæ ſuæ hoc facit. Quare hujuſmodi homicidium non reputatur à Jure voluntarium, ſed neceſſarium. Veran. *ſect.* 6. *p.* 876. Et etiamſi dederit occaſionem ad invaſionem, & eam præviderit, v.g. verba dixit calumnioſa, injurioſa, aut adulterium commiſit; invaſorem ob hæc, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ occidens, non incurrit irregularitatem (e): quia dicta Clementin. ſine reſtrictione loquitur; & per hæc non amiſit jus defendendi ſuam vitam: cùm nec calumniatus, nec maritus adulteræ uxoris ſuæ, privata authoritate ſua, eum valeat occidere ex aliquo Jure; non voluntarium in corde facit irregularem, ſed voluntarium in facto: ſuppoſitum enim eſt quòd præviderit, ſed noluerit in antecedenti, & conſequenti, ſeu in ipſa pugna occiſionem. Si juſtum? eum, qui juſtè invaſit occidit, ùt v.g. ſi ob aliquod delictum eum capere voluerunt ſatellites ſeu miniſtri juſtitiæ, & ipſe unum occidit? Irregularitatem ex delicto incurrit, etiamſi ſervato moderamine inculpatæ tutelæ hoc fecit. Ita Lezan. *n.* 66. Veran. Bonac. & alii communiter. Proinde ſi militem occidit, conſiderandum, vel exercitus de quo eſt Turebac. injuſtè invaſit alienum Regnum? Tunc Turebac. etiam invaſus, occidens ſervato moderamine dicto, incurrit irregularitatem ex delicto. Vel econtra, alieni Regis ſive Principis exercitus, invaſit Patriam Turebacii? Turebacius etiam invadens, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ occidens invaſum, non incurrit irregularitatem. Ratio eſt: quia in primo caſu Turebacius eſt in-

(e) Lez. n. 68. Bonac. n. 3. punct. 6. Suar. Henriq. contra Ugolin. Tolet. n. 301. & contra Schmier, & Wieſtner. Vide lib. cui Titulus, Statera peccatorum diſt. 2. ſer. 1.

vasor, in secundo est invasus; jam verò licet invasores Patriæ expellere, & servato dicto moderamine occidere: docet Doctissimus Verani Theatinorum decus, dicens: *quia bonum commune est præstantius privatô.* Unde si licet ad tuendam propriam vitam, injustum aggressorem mutilare, imò & occidere, quando aliter non potest quis propriam tueri vitam; etiam ad defendendam Patriam ab injusto aggressore, erit hoc idem licitum, dummodo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ: tum quia in hoc casu, etiam periclitatur propria vita; & omnia Jura permittunt vim vî repellere. Ita ille hucusque *d.* 50. *de Irregul. sect.* 2. *n.* 18. Quare Turebacius clariùs rem exponere debet.

7. Sic exponit. Bellum erat intestinum (sicut non pridem in Regno Poloniæ): erant contrariæ divisiones, legiones, mutilationibus, occisionibus ad invicem certantes, dum fugientes insequebatur Turebacius cum suis, alii adversarii insperatè in eos inter sylvas & arbusculas persistentes, irruerunt; tunc invasorem Turebac. occidit, servato moderamine inculpatæ tutelæ. Quid ad hoc?

8. Dices quòd non incurrerit irregularitatem, propter dictam Clementin. *Si furiosus*, maximè quòd evidenter patet ex parte ejus esse justum titulum bellandi: quia talis defensio est licita, ùt patet ex instantia: Si Judex aut Carnifex invadatur à reo quem volebat captivare, & pro necessaria sui defensione occidat reum, non manet irregularis; ergò etiam in proposito Turebacius. Hujus sententiæ sunt N. Cornej. *in* 3. *p. D. Thom. tr.* 5. *de Irregul. d.* 11. *dub.* 2. *q.* 3. Avil. *de Censur. p.* 7. *d.* 5. *sect.* 3. *dub.* 1. & de Alcol. Carthusianus.

9. Sed excessit moderamen inculpatæ tutelæ, quid ad hoc? *Resp.* Vel excessus erat veniale peccatum, vel mortale? Si secundum? Irregularis est. Si primum? Non est irregularis. Ita Lezan. *loc. cit. n.* 68. Veran. *d.* 49. *sect.* 6. *de Irregul. n.* 12. Peyrin. *n.* 114. & alii.

10. Dicit venialiter tantùm excessisse moderamen, sed ex ira tamen & mala voluntate occidit eum. *Rdet* Lezan. hanc adjunctam iram & malam voluntatem, non facere irregularem, non excesso moderamine mortaliter, dicit: *nam etsi talis actio interna sit peccaminosa, actio tamen externa excusatur à culpa homicidii, eò quòd præscripta defensio in Clementina Si furiosus* sit *servata.*

11. Et si quæras utrùm poterat fugere? quia tunc occisio non erat necessaria, quandoquidem poterat salvare vitam fugâ, quapropter occidens irregularis est? *Resp.* poterat physicè, non poterat moraliter propter ignominiam. Alii & à culpa & ab irregularitate (f): alii à culpa non ab irregularitate (g) eum excusant; Alii & culpam & irregularitatem (h), talem incurrere dicunt. Ratio horum est: quia præstan-

(f) Ugolin. Bonac. p. 6. n. 2.

(g) Panorm. c. Olim, de Restit. Præposit. c. Ex præmissis, Tolet. l. 1. c. 80. n. 2.

(h) Veran. l. c.

præstantior est vita proximi honore proprio. *Respondet* Turebac. nullô modô potuisse fugere, quia alioquin statim à tergo occisus fuisset. Et sic Lector, cum Præposito *can.* 1. *d.* 50. *n.* 26. declarabis eum esse immunem, tam à culpa quàm ab irregularitate. Sed

12. Turebacius etiam declarat modum servati moderaminis quòd unû erat necessarium, aut occidere invasorem, aut ipse abscidisset tunc Turebacio membrum: quare ad vitandam propriam mutilationem, necessariò occidit invasorem. De tali facto disputant Theologi. Gonsal. de Villadiego *de Irregul. cap. de Percussore*, & Tolet. *loc. cit.* excusant eum à culpa, irregularitatem verò, eum incurrisse dicunt, eò quòd dicta Clementin. *cap. Si furiosus*, eximat ab irregularitate eum, qui propter vitam suam necessariò defendendam, occidit invasorem; non verò eum qui ad vitandam mutilationem propriam, perimit aggressorem. Econtra Bonac. *loc. cit. punct.* 6. *n.* 4. Sayr. *de Censur. lib.* 6. *cap.* 17. *n.* 4. Villalobos *in Sum. tom.* 1. *tr.* 21. *diff.* 24. *n.* 7. Ugolin. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 6. de Alcolea *resol.* 129. immunem ab irregularitate probant, quia ita se defendens, vitam suam tuetur: nam si invasor abscidisset ei manum, facilè & vitam ademisset. Quapropter pro hac sententia immediatè citatis subscribo. Idem sentiunt, casu quô ageretur de amissione nasi aut oculorum, aut acquirenda grandi deformitate. Bonac. Sayr. de Alcolea *suprà*, contra Cornej. & Avil.

13. At dictus perimens hæc fecit invasori non propriæ vitæ, sed alterius; quæritur inter Theologos, an per dictam occisionem, factus sit irregularis? Affirmativæ sententiæ sunt Sylvester de Ord. Sacr. Prædic. Laym. & Tolet. Ratio eorum: quia hic casus non excipitur in dicta Clementin. *Si furiosus.* Negativæ verò sunt Covaruv. Majol. Turian. Petrus Cornej. de Alcol. *resol.* 132. *Resp.* Vel invasus erat Pater dicti occisoris? Occisione facta cum dicto moderamine, non incurrit irregularitatem: docent Dian. *resol.* 5. Covaruv. Lezan. Suar. contra Sylv. Tolet. Nam Peyrin. *tom.* 1. *Privil. Minim. in Constit.* 2. *Julii II. n.* 113. refert hoc esse declaratum à Sacra Congreg. *Homicidium factum ad defensionem Patris, cum moderamine, &c. non inducere irregularitatem.* Vel ille invasus erat Princeps, vel alter quem ex justitia tenebatur defendere? Non incurrit irregularitatem, ut cum Suar. Sayr. Veran. docent plures. Ratio est: quia tunc tale homicidium non censetur culpabile, neque voluntarium, sed coactum. Nec videtur credibile, Ecclesiam velle aliquem punire, ex eo quòd adimpleat præceptum naturale. Vel erat solùm proximus? Tunc probabiliter non incurrit, maximè si ille invasus sit Reipublicæ necessarius: probant Le-

zan.

zan. *verb. Bellum, n.* 15. Bonac. *q.* 4. *punct.* 6. *n.* 11. Dian. *resol.* 5. Covaruv. Suar. & alii contra Sylv. & Tolet.

14. Confitetur ultrà Turebacius, & valdè anguftiatur quòd dictum invaforem fciverit in peccato mortali moriturum, & tamen eum fic occidit: falus enim animæ præferenda eft vitæ propriæ, ùt dictum eft ab Authore *de Charitate*. *Refpondent* Cajet. 2. 2. *q.* 64. *a.* 7. & Sot. *lib.* 5. *de Juft. q.* 1. *a.* 8. quòd in tali cafu non incurritur irregularitas, etiamfi certò fciat invafus, invaforem effe in peccato mortali. Ratio eorum eft: quia cùm Jure naturæ teneatur quis propriam vitam tueri, & licitum fit vim vî repellere; non peccat, qui fe defendendo ab injufto aggreffore, tantùm immediatè, directè, intendit tueri propriam vitam: confequenter non incurrit irregularitatem. Quod autem dixi *de Charitate*, fimile huic afferit Veran. *loc. cit.* quòd teneamur poftponere vitam propriam, faluti animæ proximi, quando proximus abfolutè in extrema neceffitate fpirituali verfatur; in cafu verò nunc propofito, injuftus aggreffor, non verfabatur in extrema neceffitate fpirituali abfolutè, fed voluntariè, & ex malitia propria; fiquidem erat in poteftate ejus, non aggredi alium, & defiftere à tali aggreffione. Unde injuftus aggreffor, non eft dicendus in articulo extremæ neceffitatis, fed in malitia iniquæ voluntatis; proinde fibi debet imputare, fi exiftens in culpa lethali, occidatur: dicit hucufque Verani. Alioquin non liceret invafo, occidere injuftum invaforem. Et fortiùs excufat à culpa & irregularitate, quòd non fciverit certò & infallibiliter invaforem effe in mortali peccato: nam quàmvis fcivit eum habuiffe concubinam, aut quafi concubinam, potuit tamē imò debuit ante illud dictum experimentū militare, fe difponere per confeffionem aut contritionem ad gratiam, dictus invafione bellica invafor.

15. In eodem experimento bellico juvit fecundum invafum, vulnerando invaforem, quem adjutus invafus occidit; an peccavit & irregularis factus fit? *Refp.* eum neque peccaffe, neque irregularitatem incurriffe. Ita docet Tolet. *lib.* 1. *cap.* 80. dummodo vulnus non fit lethale. Ratio ejus eft: quia ficut in bello jufto, non omnis qui pugnat & vulnerat irregularis eft, fed ille qui propriis manibûs occidit aut mutilat, quàmvis omnes adjuvent fe mutuò, ùt conftat ex *cap. Petitio, de Homicidio*; ita in bello particulari jufto.

Epifcopus & Prælati Regulares difpenfant.

16. Irregularitas in defenfione jufta, neceffaria, vitæ, non fervato moderamine inculpatæ tutelæ incurfa, non tantùm tollitur à Papa, fed etiam tolli poteft ab Epifcopo in cafu occulto, ob Decretum Concilii Trident. *feff.* 24. *cap.* 6. Etfi enim ibi excludatur ea irregula-

ritas

ritas quæ eſt ex homicidio voluntario, hoc tamen quod ſit causâ defenſionis, etiamſi ſit peccaminoſum propter exceſſum defenſionis, non excluditur; cùm communi ſenſu Theologorum non cenſeatur voluntarium, ſed caſuale: prout docent Lezan. *loc. cit. n.* 69. Sayr. *lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 22. Valēt. *tom.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *punct.* 3. §. 5. Bonac. *punct. ult. n.* 9. Et quando eſt caſus publicus, committenda eſt diſpenſatio Epiſcopo, ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. Prælati etiam Regulares, habentes privilegia diſpenſandi cum Subditis Regularibus in omni irregularitate, exceptis illis tribus, homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis; diſpenſant in hac irregularitate: cùm hoc homicidium non cenſeatur voluntarium, ùt dictum eſt immediatè.

17. In eodem dicto experimento bellico, captus eſt Turebac. qui in captivitate ſuum cuſtodem occidit; an peccaverit & irregularis ſit? *Reſp.* Vel ſcivit certò, aut moraliter probabiliter ſibi parari mortem, vel non? Si ſecundum? Et graviſſimè peccavit, & irregularitatem ex delicto incurrit. Si primum? Nec peccavit, nec irregularis factus eſt per hoc: nam vim vi repulit, cùm jam inchoativè eſſet aggreſſus. Ita docent Ugolin. *cap.* 39. §. 8. Bonac. *de Irregul. d.* 7. *q.* 4. *punct.* 6. *n.* 6. qui dicit ibi *n.* 5. etiamſi ipſum Judicem, injuſtè ei parantem mortem occidiſſet, non peccâſſet contra juſtitiam, niſi contra charitatem, ſi valdè neceſſaria Reipublicæ eſſet perſona. Secùs, ſi eſſet injuſtè bellans: reus enim juſtè detentus in carcere, non poteſt licitè occidere cuſtodem &c. quidquid dicat Franciſcus de Cuenſa: nam ſic occideret innocentem.

Captus miles juſtè bellans; Secùs injuſtè bellans.

18. Turebacium fugientem inſequitur miles adverſæ partis: & quia Turebacius impotens erat ad ſe defendendum propter debilitatas vires in carcere, arma dedit ſervo ad ſe defendendum, qui inſequentem ſervato moderamine occidit; quæritur an per hoc peccaverit & irregularis ſit, tam ſervus quàm & Dominus? *Reſp.* Imprimis ſervus nec peccavit, nec irregularis eſt per hunc caſum, patet ex *n.* 13. Dominus ſimiliter nec peccavit, nec irregularis eſt: quia ſicut licitum ipſi eſt ad defenſionem vitæ ſuæ injuſtum invaſorem occidere, ſi aliter eam ſalvare nequit; ita licitum ei alium locò ſui ſubſtituere ad eam defendendam. Ita ſentiunt Ugolin. *cap.* 39. §. 6. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 14. Bonac. *loc. cit. punct.* 6. *n.* 9. Suar. Reginald. Filliuc. & alii apud eum.

19. Et quid ſi in dicto caſu, dictus ſervus fuiſſet occiſus? *Reſpondent* Bonac. *loc. cit.* cum Suar. Dominum propterea non incurriſſe irregularitatem. Ratio eorum eſt: nam Dominus ei pugnam commit-

tendo non peccavit, & mors servi secuta est per accidens; consequenter Domino non est imputanda irregularitas.

20. Turebacius jussit servum occidere Cajum, qui potiùs à Cajo occisus est; quæritur an peccaverit & an irregularitatem incurrerit? *Resp.* duas circa hoc esse sententias. Cornej. *in.* 3. *p. D. Thom. tr.* 5. *de Irregul. d.* 1. *dub.* 2. *n.* 3. Sayr. *de Censur. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 12. Reginald. *in Prax. tom.* 2. *lib.* 30. *tr.* 2. *cap.* 11. *sect.* 1. *n.* 126. Villalob. *in Sum. tom.* 1. *tr.* 21. *diff.* 20. *n.* 10. Covaruv. Armil. Tabien. Sylv. Majol. & alii, probant dictum Dominum in dicto casu irregularitatem incurrisse: quia fuit in culpa; & hoc evenire posse debuit cogitare. Econtra Avil. *de Censur. p.* 7. *d.* 6. *conclus.* 4. Turrian. *de Censur. lib.* 9. *d.* 63. *dub.* 4. de Alcolea *resol.* 112. dictum Dominum non incurrisse irregularitatem defendũt. Ratio eorum est: quia irregularitatem mandans non incurrit, nisi secuto effectu: in casu proposito non sequitur effectus, nempe occisio Caji, sed per accidens occisio servi, quam Dominus non intendebat. Primæ sententiæ adhæreo, & Domino obtinendam ab Episcopo dispensationem suadeo: cùm ille virtute Concilii Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. in irregularitate ex homicidio casuali occulto proveniente, dispensare valeat: ista est ex homicidio casuali ùt notant Filliuc. *in Quæst. moral. tom.* 1. *tr.* 20. *cap.* 2. *n.* 36. & Suar. *de Censur. d.* 44. *sect.* 3. *n.* 16. quia nemo directè intendit homicidium ejus, cui mandat ut alium occidat, indirectè tantùm imputabitur, & ideo casualis occisio erit, & irregularitas ex homicidio casuali; ergò poterit Episcopus in ea dispensare.

De mandãte.

21. Sed dictus mandans mandatum suum revocavit, & servum hoc facere prohibuit; quid ad hoc? *Resp.* Circa hoc multum difficultant Theologi. Alii enim obligant mandantem, præter revocationem mandati, ad monitionem, ut moneat occidendum, quatenùs sibi caveat. Hujus sententiæ sunt Petrus Cornej. *in* 3. *p. D. Thom. tr.* 5. *de Irregul. d.* 1. *dub.* 2. *q.* 2. *n.* 2. Turian. *de Censur. lib.* 7. *d.* 63. *dub.* 3. & alii. Ratio eorum est: quia ipse suo mandatô, in eo periculo constituit occidendum; ergò si non potest efficaciter revocare mandatum, tenetur monere illum, ut caveat. Alii asserunt, sufficere quòd mandans ante effectum, tempestivè coram mandatario revocet suum mandatum, & mandatarium moneat. Si revocatione facta non obstante, servus exequatur mandatum, Dominus immunis est ab irregularitate; consequenter si econverso servus occidatur. Suntque Præposit. *in* 3. *p. q.* 5. *de Irregul. dub.* 8. *n.* 62. & 64. Petrus Navarra *lib.* 3. *de Restit. cap.* 4. *n.* 26. Panorm. *cap. Petrus, de Homicid.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 3. *n.* 18. de Alcolea *resol.* 114. Tertiæ sententiæ distinctionem addo: quòd teneatur occidendum monere, quando advertit servum non esse mutatum sed potius habere animum occidendi,

pendi, aut probabiliter timet ne servus non obstante revocatione mandati, exequatur mandatum; secùs, si secùs: & maximè dum mandatum erat in occulto. Et pro prima parte, primæ sententiæ; pro secunda, secundæ Doctores adduco.

22. Sed quid si fictè revocaverit mandatum? *Resp.* etiamsi: nam accusans Clericus aliquem in causa criminali, quàmvis fictè protestetur se non intendere vindictam aut pœnam sanguinis, non incurrit tamen per hoc irregularitatem, ùt dicitur infrà, *n.* 25. ergò etiam à pari, quàmvis fictè revocet mandans suum mandatum, dummodo revocet, liberatur ab incursu irregularitatis, si exequatur ejus mandatum.

23. Turebacius voluntariè non impedivit occisionem cujusdam, quam impedire potuit? *Resp.* Vel tenebatur impedire ex justitia, vel non tenebatur ex ea virtute? Si primum? Incurrit irregularitatem: quia in tali casu non impediendo, censetur causa moralis homicidii. Et sic Judex, Gubernator, non defendens innocentem, si occidatur vel mutiletur, incurrit irregularitatem. Item Filius non impediens mortem Patris, Advocatus vel Procurator assumens patrocinium, dolosè deserens, si reus ob desertionem damnaretur ad mortem. Item Testis, qui productus & legitimè citatus, dolosè veritatem tacet, unde postea reus moriatur. Item Medicus, si Officium suum non exequitur, stipēdiô conductus, & infirmus moriatur. Ita Avil. *de Censur. p.* 7. *d.* 6. *sect.* 2. *dub.* 7. *conclus.* 1. Bannez 2. 2. *q.* 64. *a.* 8. *dub.* 1. *p.* 2. *conclus.* 4. Sayr. *de Censur. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 3. Bonac. *de Censur. d.* 7. *q.* 4. *punct.* 8. *n.* 37. Suar. Filliuc. Reginald. & alii. Oppositum docent Vasq. Hurtad. Jesuitæ. Ratio eorum est: quòd etsi non impediens moraliter influat in homicidium, & sit causa voluntaria homicidii; non tamen est causa positiva, positivè influens. Vel non tenebatur impedire? Sic quidem peccavit contra charitatem, dum impedire potuit & non impedivit; non tamen incurrit irregularitatem: prout docent Turian. *de Censur. lib.* 9. *d.* 63. *dub.* 4. Barbos. *in Collectan. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 12. *cap.* 17. *n.* 3. de Alcolea Carthusianus *resol.* 135. Ratio horum est: quia in tali casu permittens homicidium, non influit positivè in illud. Ex his facilè ad quæstionem respondetur.

24. Turebacius detulit aliqua Judici, officiosè, in causa criminali, contra quamdam personam, pro quibus Cajus est morte punitus; an propterea irregularis? *Resp.* Vel fecit protestationem quòd non intendat vindictam & pœnam sanguinis, vel non? Si secundum? Irregularis est. Si primum? Non est: patet ex dictis. D. Ref. *in* 4. *d.* 25. *q.* 7. *ar.* 2.

De protestante.

25. Fecit quidem protestationem, sed animô fictô, quid ad hoc? *Resp.* (i) Etiamsi fictè, liber evadit ab irregularitate, etiam Clericus.

(i) Contra Tolet. qui vult esse irregularē in foro conscientiæ sive in foro interno.

Ita Sylv. *verb. Homicidium* 2. *q.* 8. Noster Cornej. *in* 3. *p. D. Thom. tr.* 5. *de Irregul. d.* 11. *dub.* 1. *q.* 6. Turian. *de Censur. lib.* 9. *d.* 66. *dub.* 2. Præposit. *in* 3. *p. q.* 5. *de Irregul. dub.* 12. *n.* 103. Avil. ibi, *p.* 7. *d.* 5. *sect.* 2. *dub.* 9. *concluſ.* 1. de Alcolea Carthuſianus *reſol.* 83. Ratio eſt: quia *cap. Prælatis, de Homicid. in* 6. ſolùm requirit proteſtationem externam, ad actum internum non attendit. Proteſtatio ficta, tantum valet apud Judicem ignarum fictionis, quantum valeret, ſi ex animo & non fictè fieret. Deinde Eccleſia non imponit irregularitatem ob intentionem & actum internum, ſed ex omiſſione proteſtationis.

26. Sed tardè fecit eam, immediatè ante prolationem ſententiæ? *Rdet* de Alcolea Carthuſianus *reſol.* 83. nec obeſſe hoc, dummodo fiat ante ſententiam, dicta proteſtatio.

27. *Cap. De cætero*, declaratur irregularis, qui cauſam dedit homicidio: ſic enim ibi Alexander III. dicit: *noveris quòd Diaconus qui homicidio cauſam dediſſe videtur, non videtur ad Sacerdotium promovendus.* In Corp. Jur. Can. *de Homicid. lib.* 5. *tit.* 12. *fol.* 244. Sed Turebacius in propoſito caſu, cauſam homicidio dedit; ergò irregularis eſt. *Reſp.* dedit ad licitum; caput verò *cit.* eſt de illicito: alioquin nec proteſtatio accuſatores ſalvaret ab irregularitate, quod falſum patet ex ſuperiori *n.* Deinde non dedit cauſam, quia proteſtatus eſt ſe nolle mortem ejus.

28. Multi in ſubitanea rixa unum percuſſerunt, qui lethaliter vulneratus obiit, inter quos percuſſores numeratur etiam Turebacius; difficultas eſt an omnes vel non, incurrerint irregularitatem ex delicto ob factum homicidium? *Reſp.* Multi tenent in dicto caſu omnes incurriſſe irregularitatem, prout ſunt Stephanus de Avila *de Cenſur. p.* 7. *d.* 6. *sect.* 3. *dub.* 3. Suar. *in.* 3. *p. tom.* 5. *de Cenſur. d.* 45. *sect.* 3. *n.* 11. & alii apud Dian. Sed plures, ab irregularitate immunes omnes præter vulnerantem, defendunt: Covaruv. in Clementin. *Si furioſus, p.* 2. §. 2. *n.* 3. *verſ. Caſus ſecundus de homicid.* Bonac. *de Cenſur. d.* 7. *q.* 4. *punct.* 8. *n.* 29. Villadiego *cap.* 5. *n.* 47. de Alcol. *reſol.* 117. Dian. *p.* 2. *tr.* 15. *reſol.* 18. & Gregorius Sayr. *de Cenſur. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 13. ubi ait: quando unus è pluribus in rixa ſubitò contingenti, nec præmiſſo conſiliò, vulneratus eſt, & in occiſo reperitur unicum lethale vulnus, ſi conſtat quis id intulerit, tenebitur de homicidio, cæteri de percuſſione: proinde ſolus irregularis.

29. Sed non ſcitur quiſnam vulneraverit, & conſequenter occiderit; remanent ne omnes irregulares, vel nullus? *Reſp.* quòd omnes facti ſint irregulares dicto caſu (k). Ita declaravit Innoc. III. *cap. Significaſti*, ubi ad ſimilem caſum dicit: *Quodſi diſcerni non poſſit ex cujus ictu percuſ-*

(k) Ledeſm. in 3. p. D. Thō. c. 3. de Irregul. dub. 1. Covar. 3. p. §. 2. n. 3. in Clem. Si furioſus.

percussus interiit, in hoc dubio tamquam homicida debet haberi Sacerdos? & si fortè homicida non sit, à Sacerdotali Officio abstinere debet; cùm in hoc casu cessare sit tutiùs, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur. In Corp. Jur. Can. *de Homicid. fol.* 245. Docet quidem Bonac. *de Censur. d.* 7. *q.* 4. *punct.* 8. *n.* 29. & Diana *p.* 9. *tr.* 7. *resol.* 20. hoc totum esse verum in foro externo, non verò in foro interno, sed post diligens examen à quolibet seorsivè factum, quòd non ille vulnus inflixerit, stante adhuc dubio, quilibet in foro conscientiæ immunis est ab irregularitate: quia (ajunt) satiùs impunitum crimen relinqui, quàm innocentem puniri. Sed nullum video in Jure fundamentum hujus sententiæ Bonacinæ, hac in parte. Imò oppositum deduxi *de Sacram. in genere*, ex regul. Jur. ùt monstrat Index, quòd quàmvis in foro externo nemo possit pro irregulari haberi, nisi convincatur; tamen in foro interno, stante dubio, debet se pro tali habere. Et si constet alicui horum certò, quòd non percusserit, aut valdè leviter, liber est in foro conscientiæ; & in foro fori credendum ipsi, ùt in *cit. cap.* Pontifex declaravit per sequentia: *Et quidem si hoc ita se habet (quod forsitan ex eo posset ostendi, si certa apparuisset percussio ab eodem inflicta, tam modica & tam levis, in ea parte corporis in qua quis de levi perculi non solet ad mortem, ut peritorum judicio medicorum, talis percussio assereretur non fuisse lethalis) cùm de cæteris credendum sit ipsi, qui non accusatur vel denuntiatur ab aliquo, sed per se ipsum consilium aperit salutare, post pœnitentiam ad cautelam injunctam, in Sacerdotali poterit Officio ministrare.*

30. Turebacius invasorem, furem, spoliatorem, occidit; an peccavit & irregularis sit? *Respondet* Doct. Resol. *in* 4. *d.* 15. *q.* 7. *a.* 2. *Quandoq; excusantur in defensione rerum: ùt si nocturno tempore fur perfodiat domum Clerici, & ipsum Clericus occiderit; quia præsumitur quòd ad occidendum venerit. Secùs de diurno fure, quia præsumitur quòd venerit ad furandum, non ad occidendum: nisi fortè se cum furto defenderit; quia tunc plus est quàm fur. Exodi* 2. *cap.* 22. *vers.* 2. *Si effringens fur domum, sive fodiens fuerit inventus; & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis, quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Quod idem declaratur *cap. Si perfodiens*, ubi sic Augustinus super Exod. *Si perfodiens* (1) *inventus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est illi imputandum. Si autem oriatur sol super eum, reus erit. Intelligitur ergò non pertinere ad eum homicidium, si fur nocturnus occidatur; si autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere. Hoc est enim quod ait: si oriatur super eum sol &c. quia poterat discernere, quòd ad furandum non occidendum venisset; & ideo non debet occidi. Hoc etiam* in an-

(1) c. 5. cod. tit. in 1. Cõpil.

in antiquis legibus sæcularibus, quibus ista est antiquior, invenitur; impunè scilicet occidi nocturnum furem quoquomodo: diurnum autem, si se telô defenderit; jam enim plus est quàm fur. In Corp. Jur. Can. *de Homicid. volunt. & casuali fol.* 243. Non requirit Jus Canonicum ut de nocte, absente luce, servetur moderamen, cùm illud servare est impossibile, tunc nisi hoc est conveniens invaso, priùs occidere ne occidatur.

31. Ita Miles in conflictu communi non potest servare moderamen inculpatæ tutelæ.

32. Declarat se Turebacius occidisse invasorem, reum suæ fortunæ, orto jam sole, casu quô erat unum eligendum, aut res amittere, aut servato moderamine inculpatæ tutelæ, eum occidere: omninò enim voluit invasor armatus res accipere, invaso autem restabat, aut invasorem occidere, aut res amittere. Si intenderet invasor invasum occidere, ut res accipiat, nulla esset difficultas quòd posset occidi, servato moderamine inculpatæ tutelæ: sed supponitur quòd nolit occidere, sed solùm res accipere, cùm sit fortior, & ùt summum invasum vulnerare; quid ergò ad hunc casum, utrùm peccaverit & irregularis sit? *Resp.* Quia hîc duo proponuntur, oportet priùs ad unũ, postea ad secundum respondere. Et quidem communiter cum Tolet. *lib.* 1. *cap.* 80. *n.* 13. Sot. Bannez, Octav. *interrog.* 1144. *p.* 118. *in* 1. *p. Repert.* Doctores sub distinctione respondent, quòd in tali casu, Clericus aut Regularis occidens dictum invasorem rerum, peccet mortaliter, cùm sit contra mansuetudinem Ecclesiasticam occidere, quàmvis licitum percutere; laicus verò non peccat. Quoad 2. affirmativè, sub hac tamen distinctione: quòd sæcularis ex defectu lenitatis, Clericus verò aut Regularis ex delicto, irregularitatem contrahat. Econtra Covaruv. Clementin. *Si furiosus*, Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 11. *n.* 73. Suar. *tom.* 5. *d.* 46. *sect.* 2. *n.* 4. Bonac. *d.* 7. *q.* 4. *punct.* 7. *n.* 10. ab irregularitate & culpa dictum invasum excusant, dummodo sit servatum moderamen inculpatæ tutelæ. Ratio horum est: quia irregularitas non incurritur, nisi sit in Jure expressa. His sententiis addo tertiam: Vel agebatur de re non necessaria ad conservandam vitam invasi? Sicut à culpa, ita ab irregularitate non excusantur, tam Clericus aut Regularis (m), quàm sæcularis: cùm sit vita proximi præstantior tali re. Vel agebatur de re necessaria ad conservandam vitam invasi, aut de re magni momenti? Tunc sicut probabiliter non peccavit occidendo, ita non incurrit irregularitatem, moderamine dicto servato: vide *de Justitia dist.* 3. *ser.* 2. *n.* 28. & *ultrà*, in Libro cui titulus *Statera*, si probabiliter credebat illam rem esse non recuperabilem. Ita sentiunt Mercer. *de Sacram. in* 3. *p. D. Thom. q.* 24. *dub.* 7. *propos.* 2. Turian. *de Censur. lib.* 9.

(m) Patet tã ex prop. dãnat. ab Innoc. quàm & cap. Suscepimus.

lib. 9. *d.* 65. *dub.* 3. de Alcolea *resol.* 131. & NN. Cornej. *in* 3. *p. D. Thom. tr.* 5. *de Irregul. d.* 4. *dub.* 1. *q. ult.* Lezan. *de Irregul. n.* 65. & *verb. Homicidium, n.* 9.

33. Ultrà trahitur casus. Turebacius secundum invasorem vulneravit, & rem de qua agebatur accepit, & vulneratus aufugit: amici Turebacii supervenerunt, occiderunt eum; an Turebacius propterea irregularis? *Resp.* negativè: sic enim Doct. Resol. *in.* 4. *d.* 25. *q.* 7. *a.* 2. dicit: *Item excusantur, si defendendo res suas, alii supervenerunt & occiderunt furem: dum tamen ipse, vulnus non inflixit lethale, nec voluit occidere, nec ejus consiliô, studiô, aut mandatô, alii ipsum occiderunt. de hoc cap. Significasti.*

34. Sed Turebacius clamabat, *latro! latro! capite eum!* & sic ad clamorem ejus supervenerũt amici Turebacii: & quia capere nõ valuerũt, occiderunt dictũ aggressorẽ; est ne ideo irregularis Turebacius? quandoquidẽ quĩ detegit, prodit malefactorẽ, ut cõprehendatur & occidatur, incurrit irregularitatẽ, ut colligitur ex *cap. Tua nos, de Homicid.* & docẽt Adam⁹ Tanner. *in* 3. *p. D. Thom. d.* 6. *q.* 10. *dub.* 13. *n.* 306. & de Alcolea Carthusianus *tr.* 10. *de Offic. & potestat. Inquisit. resol.* 70. *Resp.* aliud est quando quis aliquem prodit aut detegit, quando quis dicit eum quæri velut reum mortis; secùs est in casu proposito, quia Turebacius nec intendebat ejus mortem, aut mutilationem, nec ita subitò eam imponi ei sperabat: quapropter non incurit irregularitatem: patet ex *cap. Tua nos, Ad ultimum,* ubi sic: *Ad ultimum fuit ex parte tua propositum, quòd quidam Scholaris metuens ne latrones in hospitio suo essent, de strato consurgens, reperit ibi furem, qui non solùm ipsum Scholarem prostravit ad terram, sed penè ad mortem vulneravit eumdem. Manè itaq; Scholares latronem quæsiverunt eumdem, quem vulneratum, inventum, potestati Vincentiæ tradiderunt; coram qua constanter negavit quòd præmissa minimè perpetravit: Unde præfata potestas ad eumdem Scholarem nuntios destinavit, ut exponeret si quæ sciret de fure prædicto, vel traderet intersignia; qui cultrum quem ipsi latroni abstulerat, & sotulares ab eodem in ipsius domo dimissos, quos abstraxerat, ne pedum strepitus audiretur, nuntiis tradidit memoratis, super eodem facto se nihil ampliùs intromittens. Potestas igitur receptis talibus intersigniis, latronem ipsum apparitoribus suis tradidit puniendum; qui sibi amputaverunt virilia, & oculos eruerunt: latro verò irâ & dolore commotus, nec potum sumpsit, nec cibum; & sic de medio est sublatus. Unde per nostrum oraculum postulas edoceri, utrùm præfatus Scholaris, ad sacros valeat Ordines promoveri? Nos igitur inquis. tuæ respondemus, quòd si præfatus Scholaris dignis meritis adjuvatur, propter præscriptum eventum, à susceptione sacrorum Ordinum nullatenùs est arcendus.* In Corp. Jur. Can. *de Homicid. fol.* 245. D. Resolutus *l. c.*

35. Ture-

35. Turebacius existens in exercitu, exercuit Officium Judicis, & morti reum adjudicavit; quid ad hoc? *Respondebis*: Vel secutus est effectus, vel non? Si primum? Irregularis est. Si secundum? Nequaquam: quia irregularitas non incurritur, nisi secuto effectu; ùt aliquoties repetitum est. Quapropter si aliquis reus duceretur ad patibulũ, & esset extractus à manibus satellitum, & sic mortem evaderet, Judex non esset adhuc irregularis. Imò si à Carnifice suspensus fuisset, & casu laqueus rumperetur, si propter hoc gratiam à Principe reciperet, Judex absque dispensatione posset Ordinibûs initiari. Ita de Alcolea Carthusianus *tr.* 5. *de Irregularitate resol.* 89. Gibalin. *q.* 3. *n.* 4. Joan. Præposit. *in* 3. *p. q.* 5. *de Irregul. dub.* 13. *n.* 98. Joan. Soria & alii.

36. Sed Turebacius erat tunc Clericus; quid ad hoc? *Resp.* Vel erat Clericus Ordinibûs solùm minoribus initiatus, vel Clericus Ordine majori insignitus? Si primum? Quia effectus non est subsecutus, non incurrit irregularitatem. Si secundum? Incurrit eam, cùm tali id prohibeatur *cap. Sententiam*, sub *tit. Ne Clerici vel Monachi*, ubi sic habetur: *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat.* In Corp. Jur. *fol.* 199. D. R. *l. c.*

37. Dices: dicto *cap.* additur, *nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur intersit*, & tamen Clerici qui intersunt ubi exercetur sanguinis sententia, non incurrunt irregularitatem (n); ergò etiam sententiam ferentes, si ea non effectuetur. *Resp.* disparitatem esse: quia primum Ecclesia dissimulat, secundum non permittit. An verò assistêdo, peccent Clerici? non conveniunt DD. Sayr. *loc. cit.* in marg. cum aliis asserit, eos peccare mortaliter dempto Confessario Rei; Suarez autem *de Censur. d.* 47. *sect.* 4. *n.* 10. Avil. *p.* 7. *d.* 5. *sect.* 2. *dub.* 14. dicunt, quia etiamsi Clericis sit prohibitum ne se immisceant in causa sanguinis, levitas tamen à mortali excusat. Alii cum de Alcolea *loc. cit.* Ugolin. *de Irregul. cap.* 5. §. 3. *n.* 3. & alii, etiam à veniali peccato excusant dictos assistentes Clericos, etiam beneficiarios & Religiosos: quia Canones hoc prohibentes, videntur contraria consuetudine abrogari, ùt immediatè citati docent, & per se patet: consequenter tales sunt immunes ab irregularitate. Econtra sicut mortaliter peccãt, ita irregularitatem incurrunt, Clerici ferentes sententiam in causa sanguinis, ùt ex dictis & doctrina Doct. Resol. *in* 4. *d.* 25. *q.* 7. *a.* 2. patet, ubi sic ait: *Sed quid de Clericis scribentibus litteras circa vindictam sanguinis? Dico quòd non excusantur; sive dictent, sive scribant, dummodo ad vindictam sanguinis se extendant: tit. Ne Clerici vel Monachi, cap. Sententiam.* Scribere tamen non in forma authentica, fortè non faceret irregularem.

(n) Sayr. de Censur. l. 6. c. 18. n. 20. de Alcol. de Irregul. res. 76. & alii.

38. At Turebacius erat Clericus Subdiaconus, sed ignorabat tali acti-

oni

oni esse annexam irregularitatem; Sed dictum est *suprà*, quòd ignorãtia Juris excuset à censura? *Resp.* Ignorantia pœnæ excusat à censura, sed non ab irregularitate: cùm vel sit irregularitas ex indecentia? Impedimentum est ratione indecentiæ, ùt omnes admittunt apud de Alcol. *tr.* 5. *resol.* 6. *n.* 2. & sic ex bigamia consurgit irregularitas, sive bigamus sciat, sive non, esse bigamiæ annexam irregularitatem. Similiter irregularitas in proposito casu ex defectu lenitatis: cùm non sit censura, sed pura pœna, jam verò pura pœna incurritur stante ignorantia pœnæ, & patet de pœna furti, ùt dixi *suprà*. Hujus sententiæ sunt Merolla *tom.* 1. *d.* 1. *cap.* 2. *n.* 49. & *n.* 87. Guilelmus Mercer. *de Sacram. in* 3. *p. D. Thom. q.* 66. *a.* 9. *n.* 6. Martinus de Alcol. Carthusianus *loc. cit. resol.* 6. oppositum sentientibûs Portel. *in Dub. Regular. verb. Ignorantia*, *n.* 19. Sanch &c. Quis autem possit dispensare hac in irregularitate, dixi dicendo *de Irregularitate ex homicidio proveniente*

39. Turebarius obtenta dispensatione factus est Diaconus, Sacerdos, & rediit ad exercitum, ibi audiens confessionem sacramentalem reum mortis, in ea hortabatur ad confitendam veritatem in judicio, & Judicem nolentem reum punire, absolvere sacramentaliter noluit; an peccaverit & irregularis est, quæritur? *Resp.* ad 1. Vel hortabatur pœnitentẽ, ut juridicè interrogatus fateretur veritatem, vel hortabatur eum, ut quàmvis non juridicè interrogatus, veritatem fateretur? Si primum? Immunis est Confessarius ab irregularitate, secuta morte Rei (o): quia hortatus est ad id, ad quod obligabatur, & mors ex dicto per accidens secuta est; cùm ipse non intendebat mortem sed animæ salutem. Idem dicendum, si pœnitenti consuleret, ne interponeret appellationem injustam. Si secundum? Secuta morte irregularis est (p): quia operam rei illicitæ, mortis periculosæ dedit, contra suam obligationem (q). Non juridicè Judex interrogat, quando delictum non est semiplenè probatum, aut quando Judex non est competens; tunc reus non tenetur fateri veritatem.

40. Ad 2. *Resp.* non incurrisse irregularitatem per dictum casum, præfatum Confessarium. Ita sentiunt Sayr. *lib.* 6. *cap.* 18. *n.* 26. Suar. *d.* 47. *sect.* 1. *n.* 8. Avil. *p.* 7. *d.* 5. *dub.* 6. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 12. *n.* 4. Filliuc. *n.* 242. Reginald. *lib.* 30. *n.* 138. Bonac. *d.* 7. *q.* 4. *punct.* 1. *n.* 32. rationem dans, *quia Confessarius cùm non possit absolvere pœnitentem, existentem in mortali peccato, nisi resipiscat, & proponat facere quod tenetur, potest ex Officio dicere pœnitenti, se non posse illi absolutionem impertiri, nisi faciat quod tenetur. Neque credibile est Ecclesiam velle irregularitatis notam imponere Confessario, aperienti quod celare non potest, exequenti suum munus ac Officium, & non intendenti mortem Rei, sed potiùs volenti medicinam præ-*

(o) Bonac. de Irreg. d. 7. q. 4. p. 3. n. 33. Sayr. Avil. Henriq.

(p) Ugol. c. 16. n. 12. Bonac. l. c.

(q) Vide de Sacram. pœnit. d. 7. ser. 6. sect. 2. n. 7. p. 369.

 bere

bere pœnitenti. Quare Confessarius potest in proposito casu, absq; periculo irregularitatis, dicere pœnitenti, non te absolvam nisi facias quod leges præcipiunt, vel nisi præstes Officium quod debes, vel nisi punias reum secundùm Jura.

41. Ex his collige, quòd quàmvis possit Confessarius in genere obligationem declarare, quam habet Judex ex suo Officio puniendi; non potest tamen pœnitenti Judici consulere pœnam in particulari, scilicet ut mutilet aut occidat: quapropter sic faciens, irregularitatem incurreret, secuto effectu; quia sic cooperaretur mutilationi vel homicidio. Bonac. *loc. cit.* oppositum docent Martinus de Alcol. *loc. cit. resol.* 80. Turian. *de Censur. lib.* 9. *d.* 66. *dub.* 4.

42. Turebacius disponens reum ad mortem, cum eo eundo accelerabat, quem sequens reus, ideo gressus suos promptiores ad mortem direxit; quæritur an ideo irregularis? *Resp.* dictum Turebacium, vel inadvertentia, vel parvitas materiæ, seu paucitas gressûs, ab irregularitate excusat. Ita docent Henriq. *lib.* 14. *cap.* 12. *n.* 7. Avil. *de Censur. p.* 7. *d.* 5. *sect.* 2. *dub.* 1. §. 8. Reginald. *in Praxi tom.* 2. *lib.* 30. *tr.* 2. *cap.* 9. *n.* 103. Villalob. *in Sum. tom.* 2. *tr.* 21. *difficult.* 27. *n.* 13. Martinus de Alcol. Carthusianus *tr.* 5. *de Irregul. resol.* 77.

43. Turebacius accepta bombardâ, supponens eam non esse oneratã, explodens eam contra Titium, eum occidit, quo facto, factus est Religiosus Mendicantium; quæritur an de factò incurrerit irregularitatem, & utrùm Provincialis ejus cum eo valeat dispensare? *Resp.* ad 1. affirmativè: quia dedit operam rei illicitæ: & quàmvis daret licitæ, diligentiam debitam ne talis sequatur effectus, non præmisit; quapropter æquè incurrit irregularitatem, ac incurreret, qui jocô terrorem incuteret alteri, qui terrore commotus & perterritus, se præcipitem daret. Seyr. *lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 1. & *in Clavi Regia lib.* 10. *tr.* 2. *cap.* 12. *n.* 28. Bonac. *de Irregul. d.* 7. *q.* 4. *punct.* 7. *n.* 26. Quoad 2. *Resp.* Vel est homicidium occultum, nec deductum ad forum contentiosum? Prælatus Ordinis v.g. Provincialis, in irregularitate hac dispensare potest, ùt ostendi *sect.* 4. *hîc n.* 15. Vel est homicidium notorium, & quàmvis voluntarium? Tunc in irregularitate ex eo contracta, Abbates, Provinciales, Priores, Præsidentes, prima die lunæ Quadragesimæ, cum tali dispensare possunt in dicta irregularitate.

44. Explicatur & probatur. *Dispensare possunt:* nam Paulus III. hoc per Bullam Generali, Abbatibus, Prioribus, & Præsidentibus Ordinis & Congregationis Sancti Benedicti Vallisoleti concessit privilegium (r), quod refert Rodriq. in *Bullar. inter Bullas ejusdem Pauli III. n.* 12. ubi sic habetur: *Nos igitur qui singulorum salutem paterno zelamus affectu, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis quòd stante immemorabili consuetudine hujusmodi,*

(r) Lezã. verb. Irregularitas, n. 72.

etiam

etiam de cætero perpetuis futuris temporibûs, singulis annîs prima die lunæ Quadragesimæ, hujusmodi omnes & singulas utriusq; sexus personas, Ordinis & Congregationis prædictorum Religiosas, ac eidem Ordini & Congregationi oblatas, seu donatas, nec non Eremitas sub cura vestra existentes intra septa vestrorum, seu ipsorum pro tempore absolvendorum Monasteriorum, seu aliorum Regularium locorum, ab omnibus & singulis eorum peccatis, sententiis, censuris, & pœnis per eos pro tempore quomodolibet incursis, etiam in casibus dictæ Sedi quomodolibet reservatis, exceptis contentis in Bulla quæ in die Cœnæ Domini solita est legi, absolvere, & cum eis super quibusvis irregularitatibus, per eos pro tempore, quavis occasione vel causa contractis, dispensare, prout hactenùs ùt præfertur consuevistis, dicta authoritate valeatis, plenam & liberam eadem authoritate tenore præsentium concedimus facultatem. Et sic id præstare possunt Abbates Cistercienses, Priores, Præsidentes eorum Monasteriorum & aliarum Religionum Provinciales, Priores, Præsidentes ob communicationem privilegiorum.

45. Dices: Irregularitas orta ex bigamia, mutilatione, & homicidio, semper excipitur, ùt vidimus *suprà*, & statim legemus *num. sequ.* ergò quàmvis possint dicti Prælati dispensare in aliis irregularitatibus, non tamen in contracta ex homicidio. *Respondet* Lezan. *loc. cit. Circa hoc privilegium notandum, quòd quàmvis in generali concessione facultatis dispensandi in omni irregularitate, non veniat ea quæ est ex homicidio voluntario, aut mutilatione, sicut neq; ea quæ est ex bigamia, eò quòd cùm istæ irregularitates sint speciali nota dignæ, non comprehenduntur in concessione generali, nisi exprimãtur; nihilominùs circumstantiæ hujus concessionis, scilicet quòd sit pro personis Religiosis, & solùm pro una die anni, scilicet pro prima die lunæ Quadragesimæ, & quòd in ea dicatur, super quibusvis irregularitatibus, per eos pro tempore, quavis occasione, vel causa contractis.* Quæ sunt verba universalissima, probabiliter suadent ea, uti posse prædictos Prælatos, & alios aliarum Religionum, quæ communicationem privilegiorum cum ipsis habent, prout etiam tenent Portel. *in Dub. Regular. verb. Dispensare, in Addit.* Ego breviùs *Respondeo* & Dico: non obesse exceptionem intimatam homicidii &c. ab Eugen. IV. & Sixto IV. positam: quia posterius est privilegium Pauli III. absque ulla restrictione Nobis concessum. — Pro discursu & solutione.

46. Animadvertere nonnulla oportet: 1. quòd in dicto privilegio, inter censuras & pœnas, venit quæcumque inhabilitas ad Officia Ordinis, & privatio Officiorum; sed hoc in foro conscientiæ, inquit Lezan. *loc. cit.* Ratio est: quia inhabilitas ad Officia, & privatio, nomine pœnæ Ecclesiasticæ intelliguntur. 2. quòd dicti Prælati & Priores, Præsidentes, possint præfata die in quacumque irregularitate dispensare, extra Sacramentum pœnitentiæ (r); cùm privilegium sit universalissimũ, — Animadvertenda ad dictum privilegium.

 abſque

absque ulla limitatione; & vulgatum axioma Theologorum fert, *Cùm lex nec Princeps distinguit, neque Nos debemus distinguere.* 3. quòd dictã facultatem Prælati præfati delegare Confessariis possint (r): quia habens privilegium Papæ, habet etiam facultatem in eo concessam ordinariam, ùt docet Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. d.* 40. *n.* 14. ergò eam delegare potest. Harum animadversionum, & datæ responsionis defensores, sunt præter Lezan. Portel. *in Dub. Regular. verb. Dispensare, in Addit.* & Tambur. *de Jure Abbatum d.* 4. *q.* 12. *n.* 10. & 11. Hieron. Rodriq. *in Compend. resol.* 52. *n.* 25. Bordon. *in suis Resolution. resol.* 13. *n.* 14. 15. & 23.

47. Dices: Per non usum tolluntur privilegia; & in dicto privilegio dicitur, *stante immemorabili consuetudine hujusmodi:* ergò hoc privilegio jam uti non possumus. *Resp.* cum Lezan. *loc. cit.* Sufficit quòd eô utantur Prælati Congregationis S. Benedicti Vallisoleti; possumus & Nos ipso uti, propter latissimam & amplissimam communicationem privilegiorum. Imò qualibet die possunt Prælati Regulares cum suis Inferioribus in hac irregularitate, & in aliis dispensare: deducitur clarè ex privilegio Pii V. Vide *de Censur. d.* 6. *ser.* 3. *sect.* 1.*num.* 10.*pag.*756.

Attamen quoad hoc, submitto me judicio aliorum: sicut & in omnibus hucusque à me scriptis, judicio Matris Sacræ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ: & ita totum pro Majori Gloria Dei, Honore Beatissimæ semper Virginis MARIÆ Patronæ nostræ singularis, nec non SS. Eliæ & Elisei Protoparentum S. Ordinis Nostri gloria, concludo.

FINIS PARTIS II.



APPEN-

§. I.

Additamentum ad dist. IV. seriem IV. Idearum Sacramentalium.

I. SI Sacerdos depositus aut suspensus celebret, & monitus non desistat, ex Conc. Antiocheno *cap. 2. Si quis, cod. tit. in 1. Compil.* excommunicatur: & si nec sic desistat, per sæcularem potestatem ad requisitionem Ecclesiæ, exiliò damnatur. Ita habetur in Corp. Jur. Can. *Decretal. Greg. XIX. p.* 253. Interdictus aut excommunicatus celebrans, monitus non desistens, ex ordinatione Alexandri III. *cap. Clerici*, 3. *cod. tit. in* 1. *Compil.* deponendus est. Ita enim ibi habetur: *si interdicti aut excommunicati, ante absolutionem Divina officia celebraverint, nisi moniti sine dilatione redierint; perpetuæ depositionis sententiam pro ausu tantæ temeritatis incurrant.* Imò si excommunicatus habet beneficium, ex ordinatione Innoc. III. (a) (prout scribit Bissuntini Archiepiscopo, Decano & Priori Coloniensi) ab eo deponendus est.

(a) cap. 2. Fraternitati, cod. tit. in 3. Compil. Bernardus in Practi. crim. can. 28.

2. Sed quid si non consecraret? *Resp.* hoc non juvaret, sed aggravaret: nam (ùt Innoc. III. (b) Rectoribus Romanæ Fraternitatis scribit) *gravius peccat qui simulat conficere & non conficit, quàm ille qui conficit in mortali.*

(b) cap. 6. cod. tit. in Cõpil.

3. De leproso inquit Doct. Resol. *in 4. d. 10. q. 1. magis est inhonestum intrare in stomachum scelerati, infamis, ad patibulum judicati, quàm manibus leprosi sacratis tangi.* Quantùm autem ad vexatum morbô caduco; de eo *sic dicitur 7. q. 2. In tuis litteris: consulimus, quòd si frequenter hoc morbo tangitur, à Missarum celebratione omnibus modis prohibeatur: si verò convaluerit, eum à Sacrificatione non interdicimus. Sed quærit Guido 7. q. 2. In tuis litteris: qualiter scietur si convaluerit? Rdet cum Hugone Laurentius: si diu steterit, quòd non laboraverit tali morbô, scilicet per annum, vel per duos, vel per tres menses, vel per alia indicia, quæ Medici meliùs noverint, & sive frequenter sive rarò hoc contingat.*

Morbus caducus prohibet Missarum celebrationem.

4. *Circa dæmoniacos seu furiosos &c. cap. Statuitur, ibi: quòd tamdiu erunt ab officio suo, & loco, & Ordine suspensi; quousq; unius anni spatiô, per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu dæmonum liberati: cap. Communiter.*

De dæmoniacis furiosis &c. quid?

Excommunicatus &c. quãdo absq; peccato celebrare potest.

5. Ligatus excommunicatione occulta, suspensione, vel irregularitate, non solùm fructuosè celebrare potest; sed etiam excusatur à peccato toties, quoties alioqui incurreret gravẽ infamiam, vel mortis periculum, vel aliud grave detrimentum, non celebrando, vel non communicando. Ita Navar. *cap.* 17. *n.* 337. Rogriqu. Azor. & alii multi contra Caietan. & Sylv. Ratio est: quia Ecclesia non videtur obligare cum tanto incommodo.

§. II.

S. d. 4. *ser.* 4. *n.* 21. *p.* 85. Reperitur in Rubricellis pro Diœcesi Posnaniensi pro Anno 1725. impressis, Declaratio S. Congregationis, dicens, non posse Populum communicare apud Regulares diebûs Paschatis, etiamsi jam alia die præcepto Paschalis communionis in suis Parochiis satisfecerint: sed *Rdetur d.* 5. *ser.* 7. *n.* 23. *p.* 164. Dato tamen non concesso quòd sit authentica asserta Declaratio; longè posterior est ordinatio S. Congregationis de Anno 1644. quæ habetur *S. d.* 7. *ser.* 1. *sect.* 3. *n.* 3. *p.* 307. dicens, *posse tamen Episcopum iisdem prohibere* (subintellige *Regularibus*) *ut personis sæcularibus in die Paschatis non administrent SSmum Eucharistiæ Sacramentum*: Sed non dicit, quòd nullo modo possint.

§. III.

A B B A S.

S. dist. 5. *ser.* 7. *n.* 9. *p.* 153. in Polonia pro se habet oppositam praxim.

§. IV.

Ad *dist.* 6. *ser.* 10. *sect.* 3. *n.* 29. *p.* 284. Quàmvis in Ecclesiis extra Urbem tempore Jubilæi Universalis Indulgentiæ plenariæ vivis, visitantibus Ecclesias applicandæ suspendantur; tamen ex speciali privilegio Benedicti XIII. defunctis applicandæ conceduntur.

§. V.

Regulares habent Conservatores, Protectores suorum Ordinum.

Excerptum ex Bulla Sixti IV. quæ incipit *Dum attenta*, ex qua, & ex dictis *de Censuris dist.* 1. *ser.* 3. *sect.* 3. §. 4. *nũ.* 30. *pag* 609. solvitur maxima objectio Regularibus imposita.

ET nihilominus dicti Ordinis Protectori, qui pro tẽpore erit, & cuilibet in dignitate Ecclesiastica con

stituto,

ſtituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonico per univerſum Orbem, qui deſuper per dicti Ordinis Glorioſiſſimæ Dei Genitricis ſemperq; Virginis Mariæ de Monte Carmeli Priores, & Fratres, ac illorum, ſeu ad commodum eorum Romanæ Eccleſiæ Sindicos deſuper requiſitus fuerit, per Apoſtolica Scripta in ſolidum mandamus: quatenùs per ſe, vel per alium ſeu alios, præmiſſa, ubi & quando opus fuerit, ſolemniter publicantes, ac Eiſdem Fratrum Glorioſiſſimæ Dei Genitricis ſemperq; Virginis Mariæ de Monte Carmeli Ordini illiusq; Domibus, ac Profeſſoribus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos pacifica poſſeſſione vel quaſi, privilegiorum, & conceſſionum hujusmodi gaudere, non permittentes eos, ſeu teſtamentorum executores, & Hæredes prædictos contra illorum tenorem per Ordinarios, & Rectores prædictos, aut quoſcumq; alios indebitè moleſtari, aut eis gravamina, injurias atq; damna inferri, ſeu quomodolibet irrogari: ac etiam ſummariè, & deplano ſine ſtrepitu, & figura Judicii, ſola facti veritate inſpecta, contra quoſcumq;, cujuscumq; qualitatis vel conditionis exiſtant, & quacumq; Eccleſiaſtica, Patriarchali, Archiepiſcopali, aut Epiſcopali, aut mundana forent dignitate, & exemptione muniti, in quibuscumque cauſis per eos movendis quacumq; ratione vel cauſa, quæ excogitari poſſit, eis miniſtrent Juſtitiæ complementum, exequentes, quod per eos fuerit ordinatum, & illos, quos cenſuras, & pœnas prædictas incurriſſe conſtiterit, illis irretitos eſſe declarent, ac faciant, & mandent interdictos, ſuſpenſos, & excommunicatos publicè nuntiari, & ab omnibus arctiùs evitari, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procurent; contradictores authoritate Apoſtolica, appellatione poſtpoſita compeſcendo; invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

Non

Non obstantibus præfati Bonifacii VIII. quibus cavetur, ne quis extra suam Civitatem, & Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dictam à fine suæ Diœcesis ad Judicium evocetur, seu ne Judices à Sede Apostolica deputati extra Civitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumq; procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dictis in Concilio Generali: nec nō quæ incipiunt Super Cathedram, *Bonifacii præfacti, &* Dudum *Viennensis Concilii, ac recolendæ memoriæ Calixti Papæ III. etiam Prædecessoris Nostri Litteris, aliisq; Apostolicis, ac etiam in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus & generalibus.*



EXCERPTA
Ex
CONCILIO ROMANO,
A Sanctissimo Patre, & Domino Nostro BENEDICTO PAPA XIII. *Celebrato Anno Universalis Jubilæi MDCCXXV. quod serò quia post cõpletum Opus in Typo, ád manus Authoris devenit.*

TITULI V. CAP. II.
Regulares, suorum vigore privilegiorum, tutò, absq; novo indulto Apostolico, extra tempora Sacris initiantur.

QUo verò ad Regulares Privilegia àSummisPontificibus habentes, sive expressè, sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet Ordines extra tempora suscipiendi; cùm privilegia ipsa in suo robore persistant, nec ijs derogatum fuisse constet, decernimus proinde, Regulares eosdem, absque novo indulto Apostolico, tutò posse extra tempora ordinari.

TITULI XXI. CAP. I.

Regulares ad Subdiaconatū promovendi, authenticū Episcopis testimoniū de solemni emissa professione, & exercitijs spiritualibus factis exhibeant.

ANtiqua cùm sit Ecclesiæ consvetudine inductū, & Apostolicis Constitutionibus probatum, ut Regulares tantummodo, quibus gloriosum est mēdicare, non alio quàm paupertatis, seu professæ ab eis approbatæ Religionis titulo, Sacris possint Ordinibus initiari; attendant Episcopi ne Regularium quempiam ad Subdiaconatûs Ordinem promoveant, si initiandus ipse, ut exploratiùs de requisito valeat ordinationis titulo constare, expressam de Solemni per eum emissa, Regulari professione, proprij non secum attulerit fidem Superioris deq; prævijs exercitijs Spiritualibus peractis attestationem non exhibuerit; unà postmodum cum dimissoriis litteris servandas in Archivo Episcopali.

C A P. II.

Regulares non nisi ab Episcopo loci ad Ordines promovendi, servata formâ Decreti Clementis VIII.

IN suis verò subditis ad ordinationes dimittendis Superiores Regulares Decretum fel. rec, Clementis VIII. servent ad ungvem, sub ipsis in Decreto eodem expressis, Officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis pœnis, aliisque, summorum Pontificum arbitrio reservatis. De cætero &c.

CON-

CONSTITUTIO SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI Papæ XIII.

Qua san. mem. Gregorii Papæ XIV. Literæ Apostolicæ, certa excipientes delicta, & casus, in quibus inquisiti Laici Ecclesiastica immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, & ad alia etiam delicta, & casus extenduntur & ampliantur: Nec non Curiis Ecclesiasticis forma in eorundem Inquisitorum extractione à locis immunibus observanda præscribitur, cum aliis ordinationibus, & clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memotiam.

Ex quo, disponente Divina clementia &c.

QUoniam verò, post editam hujusmodi Constitutionem, ob varias Doctorum, eam interpretantium sententias, & variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione praxim, multiplices contentiones super vero, rectoque ejus sensu inter Ecclesiastica, & Sæcularia Tribunalia exortæ fuerint; quam plures Romani Pontifices, ac præsentim piæ mem. Clemens IX. Clemens X.

 X. & Clemens XI. Prædecessores similiter Nostri, de præfatis contentionibus dilucida casuum exceptorum explicatione submovendis, non semel, sicut accepimus, deliberârunt, facilioremq; insuper eos probandi & declarandi methodum, ac ejusdē Gregorii Prædecessoris mens pleniùs executioni demandaretur, Curiis Ecclesiasticis præscribere cogitabant, sed ab aliis distracti curis, ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est quòd Nos omninò expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorundemque Prædecessorum pio, atq; salubri proposito inhærentes, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuò valitura Constitutione, in primis providam memorati Gregorii Prædecessoris Constitutionem cum omnibus, & singulis, in ea contentis, atq; dispositis, amplissimè confirmamus, approbamus, & innovamus, & quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis, & delinquentibus, immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterùm, ac de novo decernimus & declaramus. Præterea non absq; gravi animi Nostri dolore animadvertentes, ob auctam, atq; indies invalescentem perversorum hominum malitiam, sæpè, ac sæpiûs non nulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minùs, quàm illa in Gregoriana Constitutione, ùt præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam quantùm fieri poterit, coércendam, pro Apostolici muneris Nostri debito, ea inferiùs explicabuntur statuēda cēsuimus. Cùm

Cùm itaq; prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit, ut publicis latronibus, viarumq; grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minimè suffragetur; non levis autem inter Doctores emerserit controversia, an quis ex unico actu publicus latro, & grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: Nos, ejusmodi controversiam dirimere intendentes; unicam tantùm grassationem in via publica, aut vicinali admissam, sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, & grassator dici valeat; dummodò tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

Insuper ab Ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus, atq; repellimus, & pro exclusis, atq; repulsis haberi volumus, nedum eos qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, eorumq; Cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est; verùm etiam eos qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam vel Cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant: necnon eos qui stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium-, occidunt stantes intrà Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut iis mēbrū mutilant: ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt atq; ipsos ab Ecclesia aliove loco immuni extrahunt & abducunt: Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi Reos, non illis tantùm Ecclesiæ quam violarunt, sed cujuscumq; etiā alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquā posse, aut debere.. Ddddd3 Ad

Ad hæc in crimine Aſſaſſinii non modò mandatarios, qui in ipſamet Gregoriana Conſtitutione apertè excipiuntur, ſed etiam mandates, qui certum præmium, aut mercedem ſive in pecunia, ſive in aliis rebus tradiderint, aut promiſerint, quàmvis promiſſio nullum habuerit effectum, dummodò Aſſaſſinium re ipſa patratum fuerit, ab Eccleſiaſticæ Immunitatis beneficio excludimus, ac pro excluſis perpetuò haberi volumus, & mandamus.

Excludimus pariter, repellimus, atq; privamq ejuſdem Immunitatis Privilegio interficientes proximum ſuum animo præmeditato, ac deliberato. Falſificantes Litteras Apoſtolicas. Miniſtros Mõtis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depoſitis Principis, privatarumq; perſonarum deſtinati, furtum, aut falſitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus ſit: Conflantes, adulterantes, vel tondentes quaſcumq; monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorũ, quotieſcumq; in loco, aut Provincia, ubi, crimen admittitur, liberum habeat uſum, & commercium: vel ipſas monetas conflatas, adulteratas, aut detonſas ſcienter ita expendere, & erogare præſumentes, ut fraudis conſcii, atq; participes cenſeri poſſint: Illos demùm, qui ſub nomine Curiæ ſeſe introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, eaſq; reipſa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domeſticis earundẽ ædiũ, vel etiã extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit, dummodò homicidiũ, vel membrorum mutilatio ſequatur &c. &c. &c.

Datum Romæ apud S. Petrũ Anno Incarnationis Do-

Dominicæ 1725. Sexto Idus Junii, Pontificatûs Nostri Anno Secundo.

P. M. Card. Prodatarius. *F. Card. Oliverius.*
Visa de Curia I. C. Archiepisc. Amasenus.
Loco ✠ Plumbi. *L. Martinettus.*
Registrata in Secretaria Brevium.

INDULGENTIÆ PERPETUÆ
Pro Orantibus ad PulsumSalutationis Angelicæ.
BENEDICTUS PP. XIII.
Ad Perpetuam rei memoriam.

INjunctæ Nobis Divinitùs Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut Cœlestium Munerum Thesauros dispensationi Nostræ à Domino creditos, fideliter erogemus, cùm id ad augendam in Terris BEATISSIMÆ atquè Augustissimæ Cœli Reginæ Virginis DEIPARÆ MARIÆ Patronæ & Advocatæ Nostræ Venerationem, excitandamque & confovendam erga Illam fidelium devotionem, ac ad animarum salutem, speramus in Domino profuturũ. Itaque de Omnipotentis DEI misericordia, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus Authoritati confisi omnibus & singulis Christi fidelibus, verè pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui manè, aut meridiè, seu vesperè; ad pulsum Campanæ: *Angelus Domini nuntiavit MARIÆ, & concepit de Spiritu S. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbũ tuũ. Et VERBVM CARO FACTVM EST: & habitavit in nobis (& vidimus Gloriam ejus, Gloriã quasi Vnigeniti à Patre) plenũ gratiæ & veritatis;* cum tribus AVE MARIA, flexis genibus devotè

 tè recitaverint, & pro Christianorũ Principũ cócordia: hæresũ extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad DEUM preces effuderint, plenã in uno die cujuslibet mensis duntaxat, per unũ quẽque Christi fideliũ, ad sui libitũ eligendo, lucri faciendã omniũ peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus: In reliquis verò Anni diebus iisdem Christi fidelibus verè contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consveta relaxamus. Præsentibus, perpetuis futuris temporibus, valituris. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ, apud Sanctam MARIAM MAJOREM, sub Annulo Piscatoris, die 14. Septembris 1724. Pontificatûs Nostri Annô primo.

F. Card. Oliverius.

Dictæ Indulgentiæ valent etiam sub tempus Anni Sancti, uti vivæ vocis oraculô declaravit Sanctissimus.

Tempore Paschali stantes debemus dicere *Regina Cœli &c.* sed genu flexi semper *Angelus Domini &c.* quia in publicis viis & plateis idipsum totum videtur facere Sanctissimus Tempore Paschali, idem faciente tota Româ.



IN-

DECRETUM

fel. rec. CLEMENTIS Papæ XI.

circa celebrationem in Oratoriis privatis, emanatum 15. Decembr. 1703. quod incipit: Nonnulli Episcopi &c. *in Appendice ad Concilium Romanum appositum, declarans.*

Episcopis & his majoribus Prælatis &c. nullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis (e), etiam in propria Diœcesi --- erigere altare, ibiq; sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere (aa), (ee), ac pari modo in Oratoriis privatis --- non licere Regularibus cuiusvis Ordinis, aut instituti, seu Congregationis, etiam Societatis JESU, aut etiam cujuscumq; Ordinis Militaris etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumq; Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisq; anni festis solemnioribus, ac diebus in indulto exceptis. In reliquis verò diebus, prædictis Regularibus & Sacerdotibus quibuscumq; etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, fuerit celebrata --- atq; illa etiam in casibus præmissis celebrari nequeat post meridiem (aaa) (eee): demandando ulteriùs, & declarando in omnibus hujusmodi casibus, personas quascumq; dictas Missas audientes nullatenùs præcepto Ecclesiæ satisfacere. Quo verò ad Altare portatile, iterùm --- censuit licentias seu privilegia, concessa --- in eoq; celebrandi, absq; Ordinariorum licentia in locis in quibus degunt omnino revocata esse (aaaa) (eeee).

Hoc Decretum, quod hucusq; non est praxi executum, Benedictus XIII. approbat, publicari & observari præcipiens --- ut adversus contravenientes, speciali adhuc privilegio exemptos, Episcopi ipsi, tamquam Sedis Apostolicæ delegati, censuris etiam Ecclesiasticis procedant; indultis, & consuetudinibus non obstantibus. In Concilio Romano *tit. XV. cap. II.*

Ad hæc Decreta reflectens, per litteras *a.* in eis indigito approbationem dictorum in hoc opere Theologico *Idearum*: per litteram verò *e.* in opere hoc explicationes & exceptiones. Nam quæ specialioris sunt notæ, in abrogatione eorum debet fieri specialis expressio: juxta Lezanam & alios communiter.

(e) demptis, *occasione visitationis* vel *itineris*: imò & *in casibus à jure permissis* Conc. Rom. *tit. XV. cap. III.*

(a) Vide in hoc lib. *S. d.* 5. *Ser.* 5. *Sect.* 1. *n.* 10. *p.* 142

(aa) *S. d.* 5. *ser.* 5. *sect.* 1. *n.* 4. *p.* 140.

(ee) Ibid.

(aaa) Ibid. *ser.* 6. *sect.* 2. *n.* 9. *p.* 150.

(eee) Ibid. *n.* 10. *p.* 151.

(aaaa) *n.* 3. *p.* 140.

(eeee) *n.* 2. *p.* 140.

Imò ex his Decretis colligitur primò, Regulares posse in Oratoriis privatis de licentia Episcopi celebrare, ùt patet legenti Clementinam *suprà: absq; Ordinariorum &c. licentia.* Secundò, transeuntes videtur posse celebrare: nam ly *degere*, denotat existentiam permanentem & diuturnam, non brevem & transeuntem, inquit Lezana *verb. Episcopus, num.* 24. Peyrinis *tom.* 1. *Privil. Minim. in Constit.* 2. *Sixti IV. n.* 22. Additur in Concilio Romano *loc. cit. in privatis, ubi dormiri solet:* at vide *hîc pag.* 141. *num.* 8. cùm lex casus ordinarios non extraordinarios respiciat.

Ex Appendice ad tit. XIV. cap. I. Concilii Romani, Excerptum.

Itidem Sanctissimus Dominus Noster in Causis exemptorum, & mercedum, & miserabilium personarum, servari omninò, & districtè mandat dispositionem Sac. Concilii Tridentini cap. 14. *sess.* 7. *de reform. privilegiis, exemptionibus, & consuetudinibus quibuscumq;, etiam post Tridentinum à Sede Apostolica concessis, & respectivè introductis, non obstantibus.*

Sed in qua circumstantia debeant conveniri Regulares coram Ordinario loci, tamquam Delegato Apostolico, in Causis mercedum, & miserabilium personarum; vide Declarationem S. Congregationis *suprà, Censurarum Dist.* 1. *Ser.* 3. *Sect.* 3. §. 4. *n.* 30. *p.* 610.



INDEX

INDEX

IDEARVM THEOLOGICARVM, Ac Rerum Notabilium.

Littera S. Ordinem Idearum Sacramentalium; littera C. Ordinem Idearum Censurarum designat. Quoties citatur textus à numero ad numerum, toties primus numerus inclusivè debet accipi.

A.

Abbas.

con-

conditionem, etiam mente. *Ibidem.*

Si scrupulosus dicat se non sentire dolorem, quem tamen procuravit; absolvendus est; si non procuravit, juvandus; & si non eliciat, remittendus est ad meliorem occasionem, in qua sit benè dispositus. *S. d. 6. ser. 3. sect. 2. n. 1. p. 183.*

Absolutio. *S. d. 6. ser. 11. p. 292.*

Conveniens. *n. 1. p. 292.* Sufficiens & necessaria. *n. 2. p. 292.* Quæ verba sint de essentia absolutionis? *Ibidem n. 2. 5. 6. 7. & 10.*

Absolvens, scienter sine causa omittens ly *à peccatis tuis*, peccat mortaliter. *n. 4. p. 292.* Quæ verba & quando omitti possunt? *n. 8. 9. & 10. p. 293.* Quæ in articulo mortis dicenda, & quæ in eo omittenda? *loc. cit. n. 8. & 9.* Quæ huic verbo *absolvo* æquivalent, & quomodo proferri debeant? *n. 11. & 12. p. 293.* Quæ æquivalent particulæ *te? n. 13. p. 293.* Ordinariè pœnitens priùs debet absolvi ab excommunicatione, quàm à peccatis; non tamen est invalida absolutio, si priùs Sacerdos absolvat à peccatis, quàm ab excommunicatione. *n. 17. p. 294.* Ut absolvatur pœnitens, Sacerdos eum aliquo sensu percipere debet. *n. 18. p. 294.* Si inadvertenter non absolverit, poterit absolvere quamdiu ipsum sensu percipit; & hoc absq; peccato mortali. *Ibidem.* Qualem sensum præstat *absolvo te? n. 20. p. 295.*

Potest absolutio repeti super idem peccatum, licèt non super eandem confessionem. *n. 21. p. 295.*

Absolutio non redditur dolorosa per subsequentem dolorem. *S. d. 6. ser. 3. sect. 2. n. 36. p. 195.*

Non potest Confessarius pro libitu suo negare absolutionem pœnitenti; secùs stante justa causa. Suntq; causæ. *S. d. 6. ser. 11. n. 22. p. 295.* Quando neganda est absolutio? Casus. *S. d. 7. ser. 6. sect. 4. per totum, p. 370.* Non est danda uxori absolutio, quæ rationabiliter petenti marito, irrationabiliter reddere non vult debitum conjugale. *S. d. 10. ser. 7. sect. 1. §. 2. n. 42. p. 549.*

Plura vide sub verbo *Minister Sacramenti pœnitentiæ*, *Confessarius*, *Casus reservati*; & sub verbo *Sacerdos*.

Absolvere, absolutio à censuris.

In articulo sive periculo mortis, existens sæcularis ligatus censurâ quæcunq; sit, potest à quocunq; Sacerdote ab ea absolvi. *C. d. 1. ser. 6. sect. 1. à n. 2. ad 6. p. 628.* Solvitur objectio. *n. 7. p. 629.* Servatis servandis. *n. 6. 8. 10. 12. 14. & 15. ibid.* Et quàmvis nullum signum doloris dederit, absolvi potest à censuris sensibûs destitutus. *n. 13. p. 631. & n. 16. ibid.*

Regularis potiùs à Regulari, si est præsens, absolvendus est. *n. 11. p. 630.*

Quid si tempore confessionis adveniret Superior, qui censuram tulit? *n. 9. p. 630.* Quid si moribundum non obligaverit Confessarius ut se præsentet ei, à quo est v.g. excommunicatus? *n. 17. p. 631.*

Absolutus in Jubilæo an se præsentare teneatur? *n. 18. p. 631.*

Absolutus à simplici Sacerdote ab excommunicatione, debet sepeliri in loco Sacro. *n. 19. p. 632.* Et si non potuit absolvi in articulo mortis, post mortem absolvi debet ab eo, qui excommunicationem tulit, aut per ejus delegatum. *Ibidem.*

Quid si mortuus est, post absolutionem peccatorum, ante absolutionem à censura; an talis possit in loco sacro sepeliri? *n. 20. p. 632.*

forum conſcientiæ aut pœnitentiæ. *ibid.* *n.* 6. *p.* 643.

Quæ præmittenda ſunt ante abſolutionem à cenſuris? §. 2. à *n.* 8. ad 12. *p.* 644. & *n.* 13. *p.* 645.

Quomodo mortuus abſolvi debet? *n.* 12. *p.* 645.

Utrùm poſſit dari abſolutio ſub conditione? *loc. cit.* § 3. à *n.* 1. ad 4. *p.* 645. Utrùm cenſurâ lata ſub conditione *donec ſatisfeceris*, impleta conditione, cenſuratus indigeat abſolutione? *n.* 4. & 5. *p.* 645. Poteſt contumax abſolvi ad tempus. *n.* 6. *p.* 646. Quomodo in eo caſu redeat cenſura ſine contumacia. *n.* 7. *p.* 646.

An abſolutio vî aut dolô extorta, valeat? *loc. cit.* § 4. *n.* 1. *p.* 647. Utrùm abſenti, *n.* 2. & invito, *n.* 3 poſſit conferri abſolutio à cenſuris & *n.* 4. *ibid.* *p.* 647.

Prælatus, in vigiliis majorum Feſtivitatum abſolvens præſentes à cenſuris, abſolvit abſentes Quæſtuarios & alios. *n.* 4. *ibid.*

Excommunicatus vel interdictus pro contumacia vel offenſa dubia, abſolvitur, cautione præſtita de ſtando Juri; pro manifeſta verò priùs debet ſatisfacere. *C. d.* 2. *ſer.* 4. *ſect.* 6. *n.* 10. *p.* 703.

Abſolvere à peccatis & cenſuris.

Confeſſarius ab interdicto ſolùm perſonali particulari abſolvere poteſt pœnitentem, ſi tale interdictum non ſit reſervatum. *C. d.* 5. *ſer.* 4. *n.* 8. *p.* 738.

Ab excommunicatione incurſa ob percuſſionem Clerici, noſter, à Priore ſuo in foro interno, à Provinciali in foro externo; & ſi erat gravis percuſſio, ab eo nomine Generalis in utroq; foro abſolvendus eſt. *S. d.* 7. *ſer.* 1. *ſect.* 2. *n.* 14. *p.* 304. & *ſer.* 4. *ſect.* 6. *n.* 16. *p.* 351.

Duo Clerici ſe percuſſerunt; à quo ſunt abſolvendi? *S. d.* 7. *ſer.* 4. *ſect.* 6. à *n.* 9. usq; ad 28. *p.* 350.

Quando Prælatis Regularibus aut ſæcularibus conceditur poteſtas abſolvendi à cenſuris, tunc à generaliter non nominatim latis; & ſi ab eis nominatim latis, tunc ſemper privilegia illa debent intelligi quoad forum conſcientiæ. *S. d.* 9. *ſer.* 4. *n.* 51. *p.* 440.

Confeſſarii qui non poſſunt à caſibus reſervatis abſolvere, nequeunt & à cenſuris eis annexis. *S. d.* 7. *ſer.* 4. *ſect.* 3. *n.* 6. *p.* 340.

Qui habet à Superiore licentiam abſolvendi à caſibus reſervatis, habet poteſtatem abſolvendi & à peccatis & à cenſuris. *S. d.* 7. *ſer.* 4 *ſect.* 3. *n.* 8. *p.* 340.

Superior Regularis poteſt ſibi reſervare caſum Papæ reſervatum ob occiſionem aut gravem vulnerationem, conſequenter ab eo abſolvere. *S. d.* 7. *ſer.* 4. *ſect.* 4. *n.* 1. *p.* 342.

Abſolutio Apoſtatarum & fugitivorum. *C. d.* 2. *ſer.* 4. *ſect.* 5. à *n.* 17. ad finem ejus *ſect.* *p.* 700.

Poteſt noſter ab apoſtaſia abſolvi à Confeſſario ejusdem Ordinis, ſi in eo loco caſus non eſt reſervatus Priori. *S. d.* 7. *ſer.* 4. *ſect.* 4. *n.* 2. *p.* 343.

Plura de abſolutione ſub verbo *Confeſſarius*, *Prælatus*, *Superior*, *Caſus reſervati.*

Acolythatus.

Recipiens Acolythatum debet habere annos duodecim. *S. d.* 9. *ſer.* 3. *ſect.* 2. *n.* 11. *p.* 407. Quæ materia & forma ejus, vide *Ordo.*

Acta.

Per Judicem excommunicatum vitandum ſunt

Licèt polluta Ecclesiâ polluatur & altare fixum; non tamen execrata Ecclesiâ execratur eo ipso altare fixum. *n. 7. p.* 152. Polluta Ecclesiâ non polluitur altare portatile. *ibid.* Quando execratur altare portatile? *n. 8. p.* 152. Pro reverentia altaris decisiones. *n. 9. p.* 153. Apud Cistercienses certis temporibus per Missam celebratam ad altare Sancti Bernardi, liberatur anima è purgatorio. *S. d. 6. ser. 10. sect. 2. n. 30. p.* 275.

Carmelitæ in quacunq; sua Conventuali Ecclesia habent altare Beatissimæ V. MARIÆ, privilegiatum. *S. d. 5. ser. 4. n. 47. p.* 135.

Qui quotidiè in eo altari Missas dicere tenetur, utrùm possit saltem aliquoties intra annum in alia Ecclesia eas celebrare? *n. 44. p.* 134. Missa in altari privilegiato quæ non est de Requiem, utrùm reportet indulgentiarum indultum? *n. 48. p.* 135.

Amens.

Quis amens incurrit censuras? *C. d. 1. ser. 5. sect. 2. n. 3. & 4. p.* 626. Incidens in perpetuam amentiam censuratus, debet statim absolvi à censura. *C. d. 1. ser. 5. sect. 2. n. 4. p.* 627.

Anima.

Animæ in purgatorio non possunt satisfacere, sed satispati. *S. d. 6. ser. 9. sect. 2. n. 1. p.* 245. Quomodo peccata venialia post mortem in animabus tolluntur? *loc. cit. ser. 13. n. 9. p.* 299. Animæ in purgatorio multa possunt nobis impetrare, & sibi remissionem culpæ venialis. *loc. cit.* Et quid mereri possunt? *ibid. n. 10. p.* 300.

Annus.

Anni computatio. *S. d. 6. ser. 7. sect. 1. n. 15. p.* 225. Annus discretionis. *loc. cit. n. 19. p.* 226.

Apostata.

Quis est apostata, & quas pœnas incurrit? *C. d. 2. ser. 4. sect. 5. n. 1. 3. 4. & 7. p.* 694.

In apostasia recipiens Sacrum Ordinem, efficitur irregularis. *S. d. 9. ser. 4. n. 46. & 47. p.* 437.

Apostatæ Regulari nulliter professo, non numerantur dies quibus erat in apostasia, quoad præcedentiam; sed numerantur quoad ejectionem ex S. Ordine Religionis. *S. d. 9. ser. 4. n. 49. p.* 439. Regularis invalidè ob temporale impedimentum professus, si in apostasia sub titulo paupertatis recipit Ordinem Sacrum, eô ipsô facit professionem per talem susceptionem Ordinis Sacri. *loc. cit. p.* 439.

Applicatio.

Applicatio Sacrificii, est donatio quâ ceditur juri suo in fructum Sacrificii. *S. d. 1. ser. 4. n. 23. p.* 8. Non tantùm ante consecrationem, sed etiam die præcedenti vesperi, aut manè pro die sequenti, fieri potest applicatio. *S. d. 5. ser. 3. sect. 1. n. 7. p.* 118.

Tempus applicationis Missæ est usq; ad consecrationem utriusq; speciei, non pòst. *loc. cit. p.* 118. Deficiente Sacerdote post consecrationem utramq; non potest Sacerdos secundus Sacrificium applicare; secùs ante secundam: sed debet applicare juxta intentionem primi Sacerdotis. *loc. cit. p.* 118.

Sacerdos potest Missam applicare ad intentionem Superioris, quam habet vel habuit; non autem ad intentionem quam habebit. *n. 7. p.* 118.

Fructum Missæ generalem applicat Ecclesia. *loc. cit.* Fructus specialis confertur semper Sacerdoti; nisi alteri expressè cum cedat. *p.* 118.

Quid

miscenda aqua sententiæ quatuor. *n.* 3. *p.* 57. Discursus. *n.* 7. *p.* 58. *n.* 8. *ibid.* Casus curiosi in hac materia. à *n.* 11. *p.* 59. ad finem ejus *sect.*

Atbiter.

Nisi sit Judex delegatus, excommunicare nequit. *C. d.* 1. *ser.* 2. *sect.* 1. *n.* 7. *p.* 582.

Articulus mortis.

Periculum mortis dicitur articulus mortis. *C. d.* 1. *ser.* 6. *sect.* 1. *n.* 1. *p.* 628.

Articulus mortis alius est præsumptus, alius verus. *ibid.* & *S. d.* 6. *ser.* 10. *sect.* 3. *n.* 18. *p.* 280. Computatur à tempore vicino. *S. d.* 4. *ser.* 5. *sect.* 2. *n.* 24. *p.* 101.

Assasinus.

Quis? *S. d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 29. *p.* 398.

Attentio.

Qualis requiritur attentio in audiendo Sacro? *S. d.* 5. *ser.* 9. *sect.* 1. *n.* 10. & 11. *p.* 169.

Attritio.

Quæ est perfecta. *S. d.* 6. *ser.* 3. *sect.* 1. *n.* 5. *p.* 182. Naturalis & supernaturalis. *loc. cit. sect.* 2. *n.* 3. *p.* 184.

Plura de ea vide sub *verbo Contritio.*

Audiens.

Quando quis sua peccata Confessario Sacramentaliter confitetur, & tertius audit, quomodo peccat? & ad quid obligatur? *S. d.* 6. *ser.* 5. *n.* 14. *p.* 201.

Audire Sacrum.

Obligatio audiendi Sacrum. *S. d.* 5. *ser.* 9. per totum, *p.* 167. Et utilitas. *ibid. sect.* 1. *n.* 5. *p.* 167.

Ab auditione Sacri causæ excusantes. *loc. cit. sect.* 2. per totum, *p.* 170.

De concubinario Sacerdote casus. *ibid. n.* 5. & ultrà.

Aurora.

Quanto tempore præcedit illa solem? *S. d.* 5. *ser.* 6. *sect.* 2. *n.* 7. *p.* 150.

B.

Baptizans, Baptizare, Baptismus.

In peccato mortali baptizans jam expirantem, non ad eliciendum actum contritionis se applicare, sed ad prolationem formæ attendere debet. *S. d.* 1. *ser.* 5. *n.* 6. *p.* 11.

Baptismus alius est fluminis, alius flaminis, alius sanguinis. Quilibet horum definitur. *S. d.* 2. *n.* 1. & 2. *p.* 17.

Baptismus in re, Baptismus in voto. *ser.* 3. *n.* 1. *p.* 24.

Baptismus fluminis quando est institutus? *n.* 3. *p.* 17.

Baptismi fluminis materia.

Remota apta, est aqua naturalis, non alterata in sua specie. *S. d.* 2. *ser.* 1. *sect.* 1. *n.* 1. *p.* 18.

Aqua non qualicunq; admixtione redditur inepta ad baptizandum, sed quando altera species prævalet. *ibid. n.* 2. *p.* 18.

Materia apta. *n.* 3. *p.* 19. Inepta. *n.* 4. *p.* 19. Dubia. *n.* 5. *p.* 19.

In casu necessitatis, necessaria. *S. d.* 6. *ser.* 1. *sect.* 3. *n.* 8. *p.* 177.

Quàmvis nunquam liceat in materia certò incerta baptizare, licitum tamen est in defectu materiæ certæ, in casu necessitatis summæ, in materia dubia sub conditione, *si est materia sufficiens. S. d.* 2. *ser.* 1. *sect.* 1. *n.* 6. *p.* 19. Taliter baptizatus debet postea conditionatè baptizari. *ibid. n.* 7. *p.* 20.

Licèt in casu necessitatis possit quis baptizari aquâ non benedictâ, extra casum necessitatis tamen nisi benedictâ; & solemniter, nisi aquâ è fonte Sacro. *ibid. p.* 20.

rochi, non incurrit irregularitatem. *n* 5. *p.* 27. Ita & Laicus. *n.* 5. *ibidem.*

Ordo servandus, quis cui in conferendo baptismum cedere debeat? *n.* 9. *ibid.* Alioquin peccat, & quando. *ibid.* & *n.* 10. *p.* 27.

Necessitas de qua hucusque, non debet esse extrema, sed sufficit probabile dubium aut timor prudens, ne infans sine baptismo decedat. *n.* 12. *p.* 28. Indicia ac documenta necessitatis. *ibid.*

Judæus seipsum circumcidere, Sacerdos seipsum communicare; non verò quis seipsum baptizare potest. *S. d.* 2. *ser.* 4. *sect.* 2. *n.* 1. *p.* 28.

Unus plures simul. *n.* 4. Plures unum quà adæquatæ causæ. *n.* 5. *p.* 29. non quà inadæquatæ, *n.* 6. baptizare valent. *ibid.*

Casus. *ibid.* à *n.* 7. ad 11. inclusivè. Vide *verbô Patrinus.*

Baptismi subjectum.

Est quicumque homo. Unde Satyr animal ex fœmina & bruto non est capax baptismi. *S. d.* 2 *ser.* 6. *sect.* 1. *n.* 1. *p.* 33.

Quid si nascatur monstrum habens caput ferinum, cætera membra humana? *n.* 2. *ibid.* Quid si monstrum habeat duo capita, duo pectora? *n.* 3. *ibid.* Et si dubitatur an duplex sit anima? *n.* 4. *ibid.*

Extra periculum necessitatis non baptizatur nisi natus, tamen si prudenter dubitetur quòd parens non sit editura prolem vivam, potest baptizari conditionatè nondum natus. *n.* 5. & 6. *p.* 34. Quàmvis talis non sit natus ex utero, est tamen natus in utero. *n.* 7. *p.* 34. Nec bis nascitur. *n.* 8. *ibid. p.* 35.

Si Mater gravida damnetur ad mortem, differenda est executio. *n.* 9. *ibid.*

Dum gravida in partu aut proxima partui moritur, statim in ore ejus ponendum est aliquod instumentum, ut proles respiret. Et si domestici sint negligentes, Parochus potest curare aperiri uterum ut proles si vivit baptizetur. *n.* 10. *p.* 35.

Extra casum necessitatis non possunt nisi filii Regum & Principum domi baptizari. *n.* 11. *ibid.* Sive filii divitum. *ibid.*

Invitis Parentibus possunt filii eorum suscipere baptismum; sed tales subtrahi Parentibus debent. *S. d.* 2. *ser.* 6. *sect.* 2. *n.* 1. *p.* 35. Etiamsi dubitetur an usu rationis polleat, baptizandus est in tali circumstantia. *n.* 2. & 3. *ibid.*

Filii Infidelium tam illorum qui solùm civiliter, quàm eorum qui nec civiliter sunt subjecti Christianis Principibus, invitis Parentibûs baptizari nequeunt. *S. d.* 2. *ser.* 6. *sect.* 2. *n.* 7. *p.* 36. Despoticè verò subjectorum, invitis Parentibûs queunt baptizari. *n.* 8. *ibid.* Casus in quibus possunt licitè baptizari filii Infidelium etiam civiliter subjectorum Principibus Christianis. *n.* 9. *p.* 37. At solùm Principes, quibus dicti Parentes subsunt, habent hanc potestatem baptizandi filios illorum per ministros Sacramenti. *n.* 10. *ibid.* Ratio quare quilibet tenetur de manibus Infidelium, filium eorum eripere, in casu quô illum vellent occidere; & non tenetur extra talem casum baptizare. *n.* 11. *ibid.*

Licèt valeant Principes baptizare filios Infidelium despoticè sibi subjectorum, non tamen tenentur. *n.* 10. & 12. *ibid.*

Quàmvis Judæorum infantes invitis Parentibûs de licentia Papæ, possint baptizari, tamen secluso consensu Papæ, dicti infantes invitis Parentibûs nequeunt baptizari. *n.* 14. *loc. cit.*

Quæ ex parte adulti baptizandi requiruntur ut characterem & gratiam baptismalem recipiat. *S. d.* 2. *ser.* 8. *p.* 39. Requiritur

Bona

Bona fides excusat sicut à culpa, ita à pœna. *n.* 7. *p.* 592. Præfata scriptura debet esse authentica. *n.* 8. *p.* 593. Et quàmvis judicialiter fieri non potest diebûs festivis censura, potest tamen statui permodum legis. *n.* 9. *p.* 593.

Utrùm Episcopus existens extra suam Diœcesim, possit ferre censuras in suos Subditos. *loc. cit.* §. 2. per totum, *p.* 593.

Plura *verb. Episcopus*, *Prælati Regulares.*

Non incurreret censuram latam contra percussores in Ecclesia, qui ex Ecclesia projiceret sagittam, & alium extra Ecclesiam ad mortem vulneraret. *C. d.* 1. *ser.* 3. *sect.* 3. §. 5. *n.* 9. *p.* 596.

An post latam sententiam sit necessaria censuræ denuntiatio? *loc. cit.* §. 6. *n.* 1. *p.* 614. A quo potest fieri? *n.* 2. *ibid.* Estne casus quô Judex obligatur non denuntiare latam censuram? *n.* 3. *ibid.* Non obstante appellatione, potest Judex progredi ad denuntiationem, si appellationem non admiserit. *n.* 4. *ibid.*

Censura ob quam causam fertur & ferri potest.

Censura necessariò præsupponit culpam. *C. d.* 1. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 1. & 2. *p.* 615. Nec potest gravis censura ferri ob levem culpam; sed levis ob levem, gravis ob gravem. *n.* 3. *p.* 615. Quàmvis ob gravem levis, imò nulla ferri potest, prout Judici dictat prudentia. *n.* 5. *p.* 615.

Culpa ob quam fertur aut ferri potest censura, debet esse inobedientiæ & contumaciæ. *n.* 4. *p.* 615.

Utrùm possit censura ferri propter peccatum internum? *n.* 6. *p.* 616.

Quàmvis possit censura ferri ob inchoationem peccati, non fertur tamen, nisi ob consummatum peccatum. *n.* 9. *p.* 617.

Si principaliter lata est censura contra perpetrantes, accessoriè verò contra mandantes, consulentes, non secuta morte vulnerati, mandantes, consulentes non incurrunt censuram: secùs est si principaliter lata sit contra mandantes, consulentes. *n.* 10. *p.* 617. Et si fertur contra perpetrantes, non contra consulentes, secuta morte vulnerati, illi non hi incurrunt censuram. *ibid.*

Casus: si quis vulneret aliquem non ad mortem, & ille sua culpâ ex neglecta cura vulneris moriatur; incurritne vulnerans censuram? *n.* 11. *p.* 617.

Utrùm possit censura ferri propter peccatum purè præteritum? *n.* 12. *p.* 618.

Causæ excusantes ab incursu censuræ.

Invincibilis ignorantia Juris sive communis sive particularis, sive antecedens sive concomitans, excusat à censura. *C. d.* 1. *ser.* 4 *sect.* 2. §. 1. *n.* 8. & 9. *p.* 619.

Ignorantia facti invincibilis, sive liciti sive illiciti, sive antecedens sive concomitans, excusat ab incurrenda censura. *n.* 10. *p.* 620.

Ignorantia vincibilis crassa & supina, Juris aut facti, non excusat à censura; nisi addatur in Decreto, *si præsumpserit*, vel quid simile. *n.* 11. & 12. *p.* 620. Idem dicendum de affectata ignorantia, quod de crassa & supina. *n.* 13. *p.* 621.

Ignorantia culpabilis vincibilis, quæ nec est crassa, nec supina, nec affectata, excusat ab incursu censuræ. *n.* 14. *p.* 621.

Invincibilis ignorantia censuræ latæ à Jure, absolutè; latæ verò ab homine, nisi in casu quô non erat præmissa monitio, excusat ab ea incurrenda: & tunc etiamsi non ignoretur Jus & factum. *n.* 15. *p.* 621. Excusat tamen talis à transgressione ejusdem censuræ, antequam censuratus resciat esse censuram latam ab homine. *ibid.*

 Quid

Quàm-

Quamvis Jure communi nequeant, *S. d.* 9. *ser.* 3. *sect.* 2. *n.* 33. & 34. *p.* 413. possunt tamen de Jure speciali à quocumq; Episcopo, etiam extra tempora, & non servatis interstitiis, ordinari. *loc. cit.* à *n.* 35. ad *n.* 44. *p.* 414. Et Jure communi extra tempora, & non servatis interstitiis. *n.* 43. *p.* 417.

Quas indulgentias lucrantur? Vide *S. d.* 6. *ser.* 10. *sect.* 2. *n.* 30. *p.* 275. Quas, Fideles apud ipsos? *ibid.*

Clericus.

Quis nomine Clerici venit? *C. d.* 2. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 1. *p.* 677.

Clerici in Minoribus constituti, non deferentes habitum Clericalem neq; tonsuram, gaudent privilegiô Canonis; non fori. *S. d.* 7. *ser.* 3. *n.* 8. *p.* 320.

Quis Clericus non gaudet privilegiô Canonis? *S. d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 6. *n.* 9. *p.* 350.

Clericus in Majoribus constitutus contrahens matrimonium, ipso facto efficitur irregularis, & excommunicatus. *S. d.* 9. *ser.* 4. *n.* 48. *p.* 438. & debet statim separari. *ibid.* In Minoribus constitutus potest contrahere. *ibid.*

An peccent Clerici assistentes reo dum suspenditur? *sect. milit. n.* 37. *p.* 784.

Casus in quibus licitum est Clericis in Majoribus constitutis, & Regularibus, non solùm pugnare in bello justo, sed etiam mutilare & occidere, absq; incursu irregularitatis. *C. d.* 6. *ser.* 2. *sect.* 5. à *n.* 18. ad finem *sect.* *p.* 753.

Plura de eo, vide *verb. Irregularitas.*

Cœmeterium.

Casus quibûs cœmeterium polluitur, & quomodo reconciliatur? vide *Casus quibus polluitur Ecclesia* &c. sub *verb. Ecclesia.*

Cognatio.

Cognatio naturalis, legalis, spiritualis. *S. d.* 10. *ser.* 5. *sect.* 2. §. 3. *n.* 1. 2. & ultrà, *p.* 497. & *n.* 16. *p.* 502.

Inter quos cognatio spiritualis dirimit matrimonium? *n.* 15. *p.* 502.

Cognatio legalis perfecta, inter quos ponit impedimentum dirimens matrimonium? *n.* 20. & 21. *p.* 503.

Linea recta. *n.* 22. *p.* 504. Transversa. *n.* 23. *p.* 504.

Circa filios illegitimos discordant Doctores. *n.* 24. *p.* 504.

Inter adoptantem & uxorem adoptati, & inter adoptatum & uxorem adoptantis, cognatio est admodū affinitatis, vocaturq; affinitas. *n.* 25. *p.* 504.

Communicatio privilegiorum.

S. d. 7. *ser.* 5. *n.* 16. & 18. *p.* 365.

Communio.

Tempore interdicti localis, nullus Sæcularis, etiam Sacerdos modô sæculari potest sumere Eucharistiam Sacram; nisi in probabili periculo mortis existens, servatis servandîs. *C. d.* 5. *ser.* 3. §. 1. *n.* 17. *p.* 728.

Regulares autem Clerici aut Laici, etiam extra periculum mortis Sacram Eucharistiam sumunt licitè. *n.* 19. *p.* 729.

Vide *verb. Eucharistia.*

Commutatio votorum in jubilæo.

S. d. 6. *ser.* 10. *sect.* 3. *n.* 53. ad *n.* 58. *p.* 289.

Compensatio.

Quomodo eâ potest uti Sacerdos ratione expensarum factarum pro recuperando stipendio? *S. d.* 5. *ser.* 4. *n.* 30. *p.* 130.

Complex peccati.

An & in quo casu, potest revelari in confessione? *S. d.* 6. *ser.* 6. *sect.* 2. *n.* 20. *p.* 218.

Com-

orem. *n.* 15. *p.* 304.

Noster, suo Confessori à Provinciali destinato, ubiq; confiteri potest. *n.* 14. *p.* 304.

Apud Nos Prior urgente necessitate potest instituere Confessarium pro Sæcularibus pro una vice, à Provinciali non approbatum; dummodo quamprimum Provincialem moneat. *loc. cit. n.* 15. *p.* 304.

Ad Regularem hospitem non sui Ordinis Sacramentaliter audiendum, potest Superior deputare quemcumq; suum Sacerdotem, etiam neq; à Provinciali, neq; ab Episcopo approbatum. *n.* 19. *p.* 306.

Notanda, quomodo & pœnitens in eligendo, & Provinciales in approbando debeant esse cauti. *n.* 20. *p.* 306.

Confessarius interdictus interdictô personali speciali validè absolvit, illicitè tamen extra periculum mortis. *S. d.* 6. *ser.* 8. *n.* 23. *p.* 236. & *C. d.* 5. *ser.* 3. §. 1. à *n.* 14. ad 17. *p.* 727.

Confessarius excommunicatus excommunicatione minori absolvit validè, sed mortaliter illicitè. Excommunicatus excommunicatione majori, toleratus, validè absolvit & licitè, sed rogatus; non rogatus validè sed illicitè. Excommunicatus verò vitandus, & illicitè & invalidè; nisi in loco ubi est ignoratus, & ex communi errore tituloq; colorato existimetur legitimus Confessor. *S. d.* 6. *ser.* 8. *n.* 26. *p.* 237.

Confessarius distractissimus audiens Petri confessionem, actuali expressa intentione non præmissa, validè eum absolvit. *S. d.* 1. *ser.* 4. *n.* 2. *p.* 5.

Confessarius in peccato mortali audiens confessionem, non peccat, habens propositum ante absolutionem eliciendi actum contritionis. *S. d.* 1. *ser.* 7. *n.* 2. *p.* 14.

Confitentem confessione Paschali, potest ad aliquot dies post Paschale tempus suspendere, pro obtinenda absolutione. *S. d.* 4. *ser.* 3. *n.* 9. *p.* 79.

Chartam in qua peccata sunt pœnitentis, tenetur statim post absolutionem lacerare, aut pœnitenti reddere. *S. d.* 6. *ser.* 6. *sect.* 2. *n.* 5. *p.* 214.

Confessarius cavere debet, quando aliquis in sui consolationem aliena peccata quorum complex non est in confessione dicit, ne tunc ex curiositate de his interroget, aut ne totum in detractionem vertatur. *n.* 26. *p.* 220.

Si Confessarius habet pœnitentes unius familiæ, omnes sibi notos, potest interrogare pœnitentem de occasione proxima peccandi, etiamsi deventurus sit in notitiam personæ complicis sibi noti; & pœnitens tenetur fateri. *n.* 27. *p.* 220.

Potest etiam cogere pœnitentem ut revelet Superiori peccatum alterius; & pœnitens hoc præstare tenetur. *ibid. p.* 220.

Confessarius potest absolvere ab his quæ ad ipsum pertinent, & pro sublatione excommunicationis mittere ad Episcopum; regularius tamen prius absolvitur ab excommunicatione. *n.* 33. *p.* 221.

Confessarius non habens potestatem absolvendi à reservatis, licèt ab eis non absolvat directè, absolvit tamen indirectè. *n.* 32. *p.* 221.

Omnes Confessarii tenentur habere transumptum Bullæ Cœnæ Domini. *S. d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 2. *p.* 322.

Quid potest Confessarius in Sacramento pœnitentiæ? *S. d.* 7. *ser.* 5. *p.* 359. à *n.* 1. ad *n.* 17.

Confessarius tempore Jubilæi opera præscripta, in alia commutare potest extra confessionale. *S. d.* 6. *ser.* 10. *sect.* 3. *n.* 8. *p.* 278.

Quid virtute Jubilæi possit Confessarius, vide

Confeſſio reſervatorum Superiori.

de Laſu

Lapsus in mortale, quamprimum commodè pœnitentiam agere potest, tenetur. *n.* 4. & 5. *p.* 222. Discursus à *n.* 6. usq; ad *n.* 12. *p.* 223.

Confessio in re est necessaria necessitate præcepti Divini & Ecclesiastici. *n.* 12. *p.* 224. Vî Divini, saltem in articulo sive periculo mortis; vî Ecclesiastici, semel in anno & quoties sumenda est Eucharistia, omnis baptizatus rationis compos post baptismum in peccatum mortale lapsus, obligatur ad confitendum illud. *ibid.* Explicatur *vî præcepti Divini. n.* 13. *ibid.*

Periculum mortis prævenire, consultiùs. *ibidem.*

Vî præcepti Ecclesiastici. *n.* 14. *p.* 225.

Anni intrà quem implendum est hoc præceptum computatio. *n.* 15. *p.* 225.

Qui annuam confessionem sive culpabiliter sive inculpabiliter omisit, ad illam sequenti annô datâ prima opportunitate obligatur. *n.* 15. *p.* 225. Non tamen ad tot confessiones, quot anni præterierunt. *n.* 16. & 17. *ibid.*

Quàmvis non baptizati obligentur ad suscipiendum baptismum in re, non tamen ad Sacramentum pœnitentiæ in re. *n.* 18. *p.* 226.

Impuberes qui obligantur ad confessionem annuam, transgredientes non afficiuntur pœnîs Ecclesiasticis excommunicationis & privationis sepulturæ. *n.* 20. *p.* 226.

Lapsus in sola venialia non obligatur ad confessionē annuam. *n.* 21. *p.* 226. Nisi per accidens ratione scandali, aut ne excommunicetur, aut interdicatur. *n.* 22. *ibid.* Casus. *n.* 23. *ibid.*

Confessus venialia, lapsus in mortale ante terminationem temporis confessionis annuæ, an obligetur ad confessionem annuam, ac si non fuisset confessus? *n.* 23. *p.* 226.

Sacerdos conscius peccati mortalis, qui ob necessitatem urgentem non præmissa confessione celebrat, tenetur sub peccato mortali quamprimum postea confiteri, non autem Sacerdos qui ex malitia vel oblivione, aut ob defectum Confessarii celebravit non confessus mortale. *n.* 25. *p.* 227. A fortiori Laicus qui urgente necessitate vel ob defectum Confessarii non præmissa confessione sumpsit Eucharistiam in peccato mortali, non tenetur quamprimum confiteri. *ibid.* Nec obest periculum iterùm labendi in mortale id aut gravius. *ibid.* Securiùs est tamen ut confiteatur quamprimum. *ibid.*

An & quando confessio ad lucrandas indulgentias sit necessaria? *S. d.* 6. *ser.* 10. *sect.* 3. à *n.* 21. *p.* 282. ad 26.

Per qualem confessionem satisfit præcepto annuæ confessionis? *S. d.* 6. *ser.* 7. *sect.* 2. *p.* 228. Huic præcepto satisfacit pœnitens per confessionem factam Religioso privilegiato. *loc. cit. n.* 1. *ibid.* Sed non per confessionem sacrilegam. *n.* 2. *ibid.* Confessus sacrilegè incurrit censuram Ecclesiasticam latam contra non confitentes: si probari potest, & censurari potest. *ibid.* Neq; per confessionem venialium, si postea intrà annum labatur in mortale. *n.* 3. *ibid.* Neq; per confessionem dimidiatam. *ibid.* Dimidiari tamen potest annua confessio in casibus, in quibus & alia: imò, & omitti quoad mortalia propter impotentiam physicam aut moralem. *n.* 4. *ibid.* Non aliter tamen omitti potest, quàm ad adventum talis Confessarii qui habet potestatem absolvendi à reservatis. *n.* 5. *ibid.*

Quid de confessione ratione periculi mortis dicendum? Cessante periculo confitendi, sicut transeunte tempore Paschali, com-

Confirmatio.

Ordinariè expleto septenniô; ex rationabili causa ante septennium. *n.* 11. *p.* 50.

Amens qui habuit usum rationis; secùs, qui nunquam. *n.* 12. *p.* 50.

Hoc Sacramentum nec est necessariû necessitate medii, nec necessarium necessitate præcepti. *S. d.* 3. *ser.* 3. *n.* 1. & 2. *p.* 50. Plura *n.* 5. & ultrà, *p.* 51. Per accidens obligatur aliquando. *n.* 9. *p.* 51.

Confirmatio potest dari tempore interdicti. *S. d.* 3. *ser.* 3. *n.* 11. *p.* 51.

Minister Sacramenti Confirmationis ordinarius, solus Episcopus. *S. d.* 3. *ser.* 2. *n.* 1. *p.* 48. De consensu ejus, Abbas non Episcopus, habens Episcopalem vel quasi Episcopalem potestatem. *n.* 5. *ibid.* De licentia Papæ potest esse & simplex Sacerdos. *n.* 2. *ibid.*

Episcopus extra suam Diœcesim non potest, potest verò intrà eam confirmare alterius Diœcesis hominem. *n.* 4. *ibid.*

Conjugicidium.

Conjugicidium quando impedit matrimonium contrahendum? *S. d.* 10. *ser.* 5. *sect.* 2. §. 7. *n.* 4. 7. & 8. *p.* 520.

Conjux, Conjugale debitum.

An debeat conjux ante communionem abstinere à copula? *S. d.* 4. *ser.* 5. *sect.* 2. *n.* 7. *p.* 97.

Per adulterium quomodo perdit jus petendi debitum. *S. d.* 10. *ser.* 7. *sect.* 3. *n.* 16. *p.* 560.

Quid si de mutuo consensu uterq; votum castitatis, aut Religionis emiserit? *loc. cit. n.* 17. *p.* 560.

Quis conjux facto divortiô potest profiteri sacram Religionem, aut Ordinem Sacrum recipere, etiam invita comparte? *S. d.* 10. *ser.* 8. *sect.* 3. *n.* 1. & ultrà ad fin. *sect. p.* 573. vide *Matrimonium.*

Quando conjux à jejunio ob reddendum debitum conjugale excusatur? *S. d.* 10. *ser.* 7. *sect.* 1. §. 2. *n.* 8. & 9. *p.* 543.

Quando conjux potest petere vel non petere debitum? *S. d.* 10. *ser.* 7. *sect.* 1. §. 1. *p.* 538. *n.* 1. 2. 4. 7. 13. & 15. Quàmvis sit excommunicatus? *n.* 21. *p.* 541.

Casus quando obligatur non petere. à *n.* 6. *p.* 539. ad *n.* 18.

Casus in quibus conjux tenetur petere debitum. *n.* 19. *p.* 541.

Qui scienter contraxit matrimonium cum eo qui vovit ingressum Religionis, aut votum castitatis, an possit petere debitum à tali? *n.* 20. *p.* 541.

Conjux ordinariè tenetur reddere debitum. *S. d.* 10. *ser.* 7. *sect.* 1. §. 2. *p.* 541. *n.* 1. 2. & ultrà. Sive explicitè, sive implicitè petatur. *n.* 3. *p.* 541. Et quidem sub peccato mortali. Sed quando? à *n.* 4. *p.* 542. ad 7.

Quæ sunt causæ ob quas potest conjux non reddere debitum? à *n.* 7. *p.* 543. ad *n.* 20.

Casus: Uxor debitum reddere non vult, quia probabiliter timet mortem in partu, & ex parte mariti instat periculum incontinentiæ; an in tali casu teneatur reddere debitum? *n.* 11. 13. & 14. *p.* 544.

Casus quibûs vir tenetur non reddere debitum conjugale uxori. *S. d.* 10. *ser.* 7. *sect.* 1. §. 2. *n.* 20. *p.* 546. Limitatur à *n.* 21. ad 25. *ibid.*

Casus quibûs tenetur maritus uxori adulteræ reddere debitum conjugale. à *n.* 26. *p.* 546. ad 32.

Casus quibûs conjux tenetur non reddere debitum. à *n.* 32. *p.* 547. ad 37.

Casus in quibus tempore excommuni-

Ut

Ut contritio perfecta & attritio talis, illa extra, hæc cum Sacramento pœnitentiæ sit justificativa, quæ requirantur? *S. d.* 6. *ser.* 3. *sect.* 2. *p.* 183.

Tam attritio quàm contritio debent esse verus dolor. *n.* 1. *p.* 183. Supernaturalis. *n.* 2. *ibid.* Nec sufficit existimatus. *n.* 3. *p.* 184. Existimatio illa excusaret quidem à nova culpa, sed nihil conferret ad valorem Sacramenti. *ibid.* Discursus. *n.* 4. & 5. *ibid.*

Probabile est ad valorem Sacramenti sufficere attritionem ex metu pœnæ temporalis à DEO infligendæ. *n.* 6. *p.* 184.

Attritio debet elici cum ordine ad DEUM. *n.* 7. *p.* 184. Hoc rusticus non scit, & tamen facit. *n.* 8. *p.* 185.

Dolor debet esse formalis expressus. *n.* 9. & 10. *p.* 185.

Ad contritionem perfectam requiritur ut sit dolor summus non intensivè, sed appretiativè. *n.* 12. *p.* 186. Appretiativè, per comparationem formalem ad omnia collectivè; non per comparationem explicitam ad omnia distributivè. *n.* 13. *ibid.*

Dolor & detestatio attritionis debet esse universalis, hoc est extendens se sive formaliter sive virtualiter ad omnia peccata mortalia, non solùm ad ea quæ in confessione dicuntur, & ea quæ hîc & nunc ob rationem justam dici non possunt; sed etiam ad ea quæ memoriæ non occurrunt. *n.* 14. *p.* 187. Extensio formalis & virtualis explicatur. *ibid.* Discursus. à *n.* 15. ad 18. *p.* 188.

Peccatum veniale non dimittitur, nisi habeatur de eo dolor supernaturalis. *n.* 18. *p.* 189. Et si in confessione Sacramentali non dicatur aliud præter unicum veniale, de quo non habetur dolor, pœnitentiæ Sacramentum non efficitur. *ibid.* Secùs si dicatur aliud peccatum, de quo elicitur dolor. *ibid.*

Quid si quis diceret tria venialia, & de duobus doleret, non verò de tertio? *n.* 19. *p.* 190. Objectio solvitur. à *n.* 20. *ibid.* ad *n.* 23.

Licèt ad valorem Sacramenti pœnitentiæ non requiratur, ut dolor se extendat ad omnia venialia, tamen ut omnia venialia dimittantur, omninò extendi ad omnia debet. *n.* 23. *p.* 191.

Quàmvis quando quis efficaciter detestatur veniale ex motivo charitatis aut pœnitentiæ, detestetur virtualiter omnia alia venialia; non tamen eô ipsô omnia mortalia, aut econtra. *n.* 24. *p.* 191.

Tam contritio perfecta extra Sacramentum, & in Sacramento, quàm & attritio in Sacramento debet esse efficax, hoc est habens propositum non peccandi. *n.* 25. *p.* 191.

Vide *verb. Dolor, Propositum.*

Requiruntur præterea spes veniæ, actus fidei. *loc. cit.*

An requiratur DEI dilectio & qualis? *n.* 41. & 42. *p.* 196.

Contumacia.

Quotuplex contumacia? *C. d.* 1. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 4. *p.* 615.

Copia Confessarii.

Quando deest physicè, quando moraliter? *S. d.* 4. *ser.* 5. *sect.* 1. *n.* 8. *p.* 94.

Copula.

Perfecta. *S. d.* 10. *ser.* 2. *sect.* 1. *n.* 21. *p.* 469.

Qualis requiritur ad contrahendum affinitatem? *S. d.* 10. *ser.* 5. *sect.* 2. §. 4. à *n.* 14. *p.* 508. ad *n.* 19.

Qui copulam habuit cum aliqua; vel ea consentiente simpliciter absq; ullo pacto de

Denuntiatio.

Ante quam contrahatur matrimonium, quoties & ubi præmitti debet denuntiatio? *S. d.* 10. *ser.* 3. *sect.* 3. *n.* 1 *p.* 480.

Tam Parochus quàm contrahentes sine legitima causa denuntiationē omittentes, peccant mortaliter. *n.* 2. *p.* 480.

Casus quibûs potest omitti denuntiatio, à *n.* 3. *p.* 481. ad *n.* 9.

Depopulator.

Depopulator agrorum quisnam dicatur? *S. d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 27. *p.* 327.

Diaconus.

Diaconus in peccato mortali suum Officium faciens, non peccat mortaliter. *S. d.* 1. *ser.* 5. *n.* 9. & 10 *p.* 11.

Diaconus administrans solemniter baptismum non habens id sibi commissum, committit peccatum mortale, & incurrit excommunicationem, etiamsi id faciat in extrema necessitate. *S. d.* 2. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 4. *p.* 26. Secùs etiam extra casum necessitatis, si id Episcopus aut Parochus ei committat. *n.* 6. *p.* 27. Item in terris Infidelium, ubi nullæ Ecclesiæ sunt fundatæ. *n.* 7. *ibid.*

Quando potest, quando non potest administrare Eucharistiam petentibus, fitq; irregularis? Vide sub *verb. Eucharistiæ Minister.* Et quando seipsum communicare queat? *ibid.*

Dies.

Die Animarum licitum est Sacrum applicare Petro aut Paulo, dummodo in nigris. *S. d.* 5. *ser.* 4. *n.* 39. *p.* 133.

Obligatus quotidiè applicare Sacrum Paulo, die Nativitatis Domini applicato illi unô, reliqua duo potest applicare alteri pro stipendio. *ibid.*

Dispensatio, Dispensare.

A Deo facta dispensatio in Lege Veteri, est revocata à Christo Domino. *S. d.* 10. *ser.* 5. *sect.* 2. §. 8. *n.* 5. *p.* 524.

Quis & quomodo in impedimentis dirimentibus matrimonium dispensare valet? *S. d.* 10. *ser.* 6. *sect.* 2. à *n.* 1. *p.* 535. ad *n.* 14.

Modus à Confessario adhibendus? *ibid.*

Quis potest dispensare cum ordinato per saltum? *S. d.* 9. *ser.* 4. *n.* 45. *p.* 437. Et cum eo qui Ordinem in apostasia suscepit? *n.* 46. *ibid.*

Causa dispensandi cum incestuosis pœnitentibus. *S. d.* 7. *ser.* 5. *n.* 19. *p.* 365. Quid si Episcopus sibi reservet dispensationem? *n.* 20. *ibid.*

Sicuti licēt Episcopus non possit dispensare in bigamia reali, aut interpretativa, potest tamen in bigamia similitudinaria, cum eo ordinato qui contraxit cum virgine; ita Prælati Regulares cum suis Regularibus, in irregularitate contracta per bigamiam similitudinariam consummato matrimoniô. *S. d.* 9. *ser.* 4. *n.* 53. *p.* 441.

Quis potest dispensare in irregularitate? Vide *verb. Irregularitas.* Signanter *Sectionem milit. p.* 770. Vide *verb. Episcopus, Prælatus Regularis* &c.

Divinum Officium.

Quid nomine Divini Officii venit? *C. d.* 2. *ser.* 3. *sect.* 4. *n.* 1. *p.* 659. & *d.* 5. *ser.* 3. §. 2. *n.* 1. *p.* 730.

Divortium.

Quid & quotuplex divortium? *S. d.* 10. *ser.* 8. *p.* 568.

Quando ob sævitiem mariti uxor potest, aut non, facere divortium? *sect.* 1. *n.* 1. *p.* 569. Quando ob morbum? *n.* 2. *ibid.* Ob adulterium? *n.* 3. *ibid.* Secùs dicendum

Qui

Qui pœnas duellantium, & quas incurrunt? à *n.* 46. *p.* 332. ad *n.* 52.

Quid si pervenientes ad locum duelli, non impediti spontè non pugnarent; utrùm incurrerent excommunicationem? *n.* 50. *p.* 333.

Excusatio non acceptandi duellum. *n.* 53 *p.* 334.

Qui duellantes possunt sepeliri in loco sacro? *n.* 51. & 52. *p.* 333.

Mortui in duello non sunt privandi Ecclesiastica sepulturâ. *n.* 51. *p.* 333.

Casus in quibus licitum est acceptare duellum. *n.* 54. *p.* 334. Secùs. *n.* 53. *ibid.*

Clericus duellum offerens aut acceptans quas pœnas incurrit? S. *d.* 9. *ser.* 4. *n.* 35. *p.* 432.

Et quis cum eo dispensare valet? *ibid.*

E.

Ebrius, Ebriosus.

S. *d.* 1. *ser.* 4. *n.* 18. *p.* 8.

Ecclesia.

Quæ Ecclesiæ gaudent immunitate Ecclesiastica? S. *d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 20. *p.* 325.

Casus quibûs polluitur Ecclesia. S. *d.* 5. *ser.* 5. *sect.* 2. à *n.* 1. ad 14. *p.* 143.

Quando violatur Ecclesia, violatur & cœmeterium ei conjunctum; non econtra. *n.* 14. *p.* 145.

Quando violatur Ecclesia, violãtur & Capellæ ejus; & econtra. *n.* 14. *p.* 145. Secùs dicendum de Sacristiâ quæ non est in Ecclesia; & de Cameris &c. *ibid.*

Ecclesia, cœmeterium, occultè violata, quamdiu violatio est occulta, non indigent reconciliatione. *ibid.*

Requiritur ut res sit manifestata per facti evidentiam, vel juridicam confessionem, vel probationem. *ibid.*

Per celebrationem Missæ non reconciliatur Ecclesia. *ibid.*

Quid si tempore Missæ polluatur Ecclesia? *loc. cit. n.* 15. *p.* 146.

Quomodo & per quem debeat Ecclesia aut cœmeterium pollutum purificari? *loc. cit. sect.* 2. ad *n.* 10. *p.* 146.

In favorabilibus nomine Ecclesiæ venit cœmeterium. S. *d.* 6. *ser.* 10. *sect.* 3. *n.* 7. *p.* 277.

In Ecclesia in qua non asservatur SS. Sacramentum, non potest haberi Missa die Cœnæ Domini; secùs die prima Paschatis, Pentecostes, & Nativitatis Domini. S. *d.* 5 *ser.* 6. *sect.* 2. *n.* 2. *p.* 149.

Quos Ecclesia non protegit, & quos protegit? S. *d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 1. à *n.* 23. *p.* 326 ad *n.* 37.

Vide *verb. Immunitas.*

Effectus.

Effectus Sacramentorum, Censurarũ &c. *ibid.* de eis ubi de *Causis.*

Electio, Elector, Electus.

Electio excommunicati excommunicatione minori ad aliquam dignitatem scienter facta, est illicita & iteranda. *C. d.* 2. *ser.* 2. *n.* 7. *p.* 651.

Electio excommunicati sive vitandi sive tolerati ad aliquam dignitatem Ecclesiasticã aut Sæcularem invalida est. *C. d.* 2. *ser.* 3. *sect.* 5. *n.* 1. 6. 7. & 8. *p.* 662.

Excommunicatus electus quid facere debeat? *n.* 5. *p.* 663.

Qui scivit Petrum esse excommunicatum occultum, & pro eo dedit votum affirmativum, peccavit; sed votô suo electionem nõ invalidavit. *n.* 15. *p.* 666.

Unus elector est excommunicatus excõmuni-

affinitas, aut ſpiritualis cognationis impedimentum. *n.* 9. *ibid.* Item in impedimentis impedientibus diſpenſare valet, dempto votô perfecto caſtitatis perpetuæ, & votô tali Religionis. *n.* 10. *p.* 537.

Epiſcopus cum eo qui invita uxore recepit Sacrum Ordinem diſpenſare poteſt in irregularitate inde contracta, ſi is Religionem profiteatur. *S. d.* 9. *ſer.* 4. *n.* 30. *p.* 429.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio purè voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum. *S. d.* 9. *ſer.* 4. *n.* 9. *p.* 420.

Poteſt diſpenſare in irregularitate cum habentibus membrum abſciſſum, etiam eorum culpâ, & quàmvis ſit hoc manifeſtum, ùt ſi quis careat oculô dextro &c. *C. d.* 6. *ſer.* 2. *ſect.* 4. *n.* 5. *p.* 746.

In irregularitate proveniente ex defectu lenitatis, diſpenſare nequit; ſecùs in ea contracta ex delicto ſi eſt caſus occultus, dempta tali ex homicidio. *C. d.* 6. *ſer.* 2. *ſect.* 5. *n.* 8. *p.* 749. & *ſer.* 3. *ſect.* 2. *n.* 6. *p.* 758.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitate incurſa ob purè caſuale publicum homicidium. *ſect. milit. n.* 16. *p.* 776. Item in irregularitate orta ex homicidio caſuali mixto, ſi illud homicidium ſit occultum, & ad forum contentioſum non deductum. *C. d.* 6. *ſer.* 3. *ſect.* 3. *n.* 15. *p.* 763. Item in irregularitate habita ex homicidio facto ob ſui defenſionem, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, etiamſi homicidium non ſit occultum. Et ſi non reperiatur Ordinarius loci, vicinior Epiſcopus hoc præſtare poteſt. *ſect. milit. n.* 16. *p.* 776. & *C. d.* 6. *ſer.* 3. *ſect.* 4. *n.* 5. *p.* 764. Item in irregularitate proveniente ex violatione cenſuræ. *ſect.* 5. *n.* 14. *p.* 767 Item in irregularitate cauſata hæreſi, ſi eſt caſus occultus. *ſect.* 7. *n.* 7. *p.* 770. Imò etiam in caſu publico quoad uſum Ordinum minorum ſuſceptorum. *ibid.*

Epiſcopus nequit in irregularitate diſpenſare cum eo qui ſcienter nulliter profeſſus, Ordinem Sacrum recepit, quàmvis exeat ex Religione. *S. d.* 9. *ſer.* 4. *n.* 50. *p.* 440.

Cum qualiter ſuſcipiente furtivè Ordinem Sacrum Epiſcopus diſpenſare poteſt? *S. d.* 9. *ſer.* 4. *n.* 8. *p.* 420.

Quid poteſt proprius Epiſcopus cum eo qui ab alio excommunicato ordinatus eſt? à *n.* 12. *p.* 421. ad *n.* 14.

Epiſcopus extra Diœceſim exiſtens, cenſurâ punire non poteſt ſuos Subditos. *C. d.* 1. *ſer.* 3. *ſect.* 3. §. 2. *n.* 1. & 3. *p.* 563. Demptis certis caſibûs. *n.* 2. *ibid.*

Epiſcopus ſubditum exiſtentem extra proprium Territorium cenſurâ lata per ſtatutâ nequit punire; niſi ratione rei exiſtentis intrà proprium Territorium, aut ratione delicti commiſſi in Territorio eo ſtante ſtatuto. §. 3. à *n.* 2. *p.* 594. ad *n.* 7. Diſcurſus. à *n.* 7. ad 10. *p.* 595.

Quid ſi ex limitibus unius Diœceſis ſagittam projiceret quis in hominem exiſtentem in alia Diœceſi, eiq; mortem inferret; poſſet ne cenſurari ab utroq; Epiſcopo? *n.* 10. *p.* 596. Quis Epiſcopus eum in eo caſu cenſurâ punire poteſt, in ſuppoſito quòd in utraq; Diœceſi ſit cenſura contra tales lata? *n.* 11. *ibid.*

Epiſcopus Subditum ſuum exiſtentem extra propriam Diœceſim ad ſe citare non poteſt. *n.* 12. &. 13. *p.* 596.

Epiſcopi & alii Prælati, cenſurîs latis per modum ſententiæ ligare poſſunt ſuos Subditos exiſtentes in alieno Territorio. *n.* 14. *p.* 597.

Epiſcopus non poteſt punire cenſurâ ſuum Subditum commorantem in loco exempto. *n.* 15. *p.* 597.

Error.

Eucharistia.

Eucharistiæ Materia.

Perinde

Perinde est ad valorem, sive sit panis azymus, sive fermentatus; ad licitam tamen consecrationem præceptus est Latinis usus azymi, Græcis usus panis fermentati. *n.* 7. *p.* 54.

Transiens per partes Latinorum Græcus, in azymis celebrare potest. *n.* 8. *ibid.*

Secundæ consecrationis materia apta, est vinum de vite. *n.* 10. *ibid.* Quid de vino miraculosè facto? *n.* 15. *p.* 55.

Materia inepta, est succus ex uvis acerbis & immaturis expressus. Vinum acinaceum. *n.* 11. *p.* 54. Vinum adustum. *n.* 12. *p.* 55. Acetum ex vino *n.* 11. *p.* 54.

Materia probabilis, vinum acescens. Et si ita vergat ad acetum ut dubitetur an sit verè acetum, & utitur eô quis an peccet mortaliter. *n.* 13. *p.* 55.

Si post sumptionem calicis dubium oriatur estne acetum an vinum, præsumendum quòd sit vinum; nisi certò constet. *n.* 11. *p.* 54.

In defectu vini potest confici in musto, dummodo non sit fæculentum. *n.* 14. *p.* 55. Imò uvæ maturæ possunt comprimi, & de vino extracto potest consecrari. *n.* 11. *p.* 54.

In vino congelato validè consecratur. *n.* 16 *p.* 56. Mortaliter tamen illicitè si fortiter congelatum sit; secùs si valdè debiliter, essetq; facilè proximè potabile. *n.* 19. *p.* 56. Quomodo resolvendum? *n.* 16. & 20. *ibid.*

Eucharistiæ secundæ consecrationis, an materia sit etiam aqua? Aqua non est de essentia Sacramenti, sed de præcepto admiscenda vino modicissima, ante non post consecrationem. *S. d.* 4. *ser.* 1. *sect.* 3. *n.* 1. *p.* 56. Quid aqua denotat? *n.* 2. *p.* 57. Convertitur in vinum. *n.* 4. 5. & 6. *ibid.* Post consecrationem per artem chymicam potest extrahi ex vino consecrato humor aqueus, qui est aqueus per similitudinem, & substantialiter vinum non satis decoctum: imò potest & aqua ex quacumq; causa nō conversa. *n.* 8. *p.* 58.

Pronomen *Hic* non significat totum simpliciter calicis contentum, sed totum respectivè. *n.* 9. in Respons. *p.* 58.

Casus curiosi. *n.* 11. 12. 13. & ultrà, *p.* 59.

Eucharistiæ ad materiæ consecrationem validam, conditiones. *sect.* 4. à *n.* 1. *p.* 61. ad *n.* 18.

Si Sacerdos intendat duas hostias consecrare, & una tantùm reperitur? *n.* 8. *loc. cit. p.* 62.

An validè consecrari possit materia passibûs 30. à Sacerdote distans? *n.* 19. *p.* 64.

Si Sacerdos ex quatuor hostiis vellet in confuso consecrare duas, utrùm eas consecraret? *n.* 20. *ibid.*

Qui duas hostias præ manibus habet putans unam, utrùm utramq; consecret? *n.* 21. *p.* 64.

Sacerdos attulit hostias ad altare, aut vidit ab alio appositas consecrandas; tempore verò consecrationis non recordatur earum. *n.* 22. *ibid.*

Sacerdos in Sacristia videns hostias sibi præsentatas habuit intentionem eas consecrandi, sed quando Minister eas super corporale posuit non vidit, & in consecratione ad eas intentionem non extendit; an consecratæ sint? *n.* 23. *p.* 65.

Sed quid si positæ sunt post Offertorium? *n.* 24. *ibid.*

Servitor attulit parvas hostias ad consecrandum, & posuit illas in altari ad cornu Epistolæ; an sint consecratæ? *n.* 25. *ibid.* Quid si sint ad corporale ipso insciò positæ? *n.* 26. *p.* 65.

Guttulæ vini adhærentes calici, quæ censentur consecratæ? *n.* 27. *ibid.*

Quando Sacerdos consecrat hostias in pixide aut corporali, consulitur ei ut ex-

care

care non tenetur; secùs si annualem communionem non præmiserit. *ibid. n.* 11.

Per communionem indignam non satisfit Ecclesiæ præcepto. *n.* 12. *ibid.*

Eucharistia nec in sacellis Nobilium, nec intrà septa Regularium servari potest. *n.* 13. *p.* 81.

Eucharistiæ Minister.

Solus & omnis Sacerdos ritè ab Episcopo ordinatus potest validè conficere Eucharistiam. *S. d.* 4. *ser.* 4 à *n.* 1. ad 4. *p.* 81. Excommunicatus, hæreticus, & degradatus. *n.* 4. *ibid.*

Novelli Sacerdotes ut simul cum Episcopo eandem hostiam consecrent, qualem intentionem habere debeant? *n.* 5. *p.* 82.

Ad licitam consecrationem plura requiruntur. *n.* 6. *ibid.*

Seclusa necessitate solus Sacerdos administrare Eucharistiam potest. *n.* 7. *ibid.* Urgente necessitate ex commissione Episcopi, aut Sacerdotis curati legitimè impediti, potest & Diaconus. *n.* 8. Necessitas. *n.* 9. *p.* 82.

Quid si Sacerdos adsit, sed hæreticus est; adsit etiam Diaconus, sed hoc ipsi commissum à Parocho non est ut Eucharistiam administret, peccataq; confitetur pœnitens Sacerdoti hæretico; quis illorum ei eam administrare possit? *n.* 10.

Ut Sacerdos licitè administret Eucharistiam etiam extra tempus Paschale, debet habere jurisdictionem vel ordinariam vel delegatam qualem habent Regulares, aut rationabiliter præsumptâ, interpretativam, quam difficulter habere possunt Regulares quoad Paschalem communionem. *n.* 11. *p.* 83.

Paschalem communionem & permodum Viatici solùm proprius Sacerdos nempe Parochus, alter de licentia ejus, dare potest. *n.* 12. *ibid.*

Religiosus in hoc non privilegiatus præsumens eam dare Paschalem vel permodum Viatici, Sæculari, incurrit excommunicationem Papæ reservatam. *n.* 12. *ibid.* Non verò Sacerdos Sæcularis hoc faciens absq; licentia proprii Sacerdotis. *n.* 15. *p.* 84. Nō incurrit tamen & Regularis dictam excommunicationem, Sæculari administrans in casu necessitatis absente Parocho. *n.* 13. *p.* 84. Aut contradicente. *n.* 14. *p.* 84. Aut ex ignorantia excommunicationis quàmvis crassa. *n.* 15. *p.* 84. Sicut dum administrat nō Sæculari, sed alicui Religioso. *ibid.* Aut Sæculari infirmo, non permodum Viatici. *n.* 16. *p.* 84. Imò etiam permodum Viatici suo familiari. *n.* 18 *p.* 85. Aut Hospiti intrà septa Monasterii existenti. *n.* 19. *ibid.*

Paschalem cōmunionem Regulares quàmvis non possint quocumq; titulo die Paschatis administrare in suis Ecclesiis, Sæcularibus, si Episcopus prohibeat; tamen quando non prohibet, possunt diebûs Resurrectionis Domini, non quà Paschalem, sed alio titulô petentibus eam distribuere. *ibid. n.* 21. *p.* 85. Secùs tamen dicendum si constet Parochum esse invitum, & rationabiliter prohibentem. *ibid.*

Possunt etiam die Resurrectionis Religiosis extraneis Regulares communionem Paschalem administrare, quando absunt à loco illo ubi sunt ipsorum Prælati. *n.* 22. *p.* 86. Et Sæcularibus Sacerdotibus, si vellent apud eos communionem quà Paschalem sumere impotentes ob infirmitatem aut aliam causam celebrare. *ibid.* Imò & Laicis quà Paschalem suis familiaribus. *loc. cit.* Nec spectat ad Parochos, sed ad Regulares, exquirere à suis familiaribus, an præcepto Ecclesiæ satisfecerint. *ibid.*

Item possunt administrare Paschalem cōmunionem quà talem suis mercenariis ad breve tempus intrà septa Monasterii manenti-

Ad

Ad fructuosam susceptionem Eucharistiæ, dispositiones ex parte animæ. *ibid.*

Fides. *ser.* 5. *sect.* 1. *n.* 1. *p.* 92. Intentio. *n.* 2. *p.* 93. Extra periculum mortis, actualis aut virtualis, in periculo mortis sufficit interpretativa. *n.* 2. Et ordinariè prærequiritur status gratiæ. *n.* 4. *p.* 93.

Conscius peccati mortalis tenetur præmittere confessionem, nisi desit copia Cōfessarii, & urgeat necessitas, aut immineat periculum aut scandalum populi, vel est Sacerdos sed jam incepit Mysterium Sacramenti. à *n.* 5. ad 8. *p.* 93.

Quando urget præceptum de annua Cōmunione, & non imminet scandalum aut infamia, si haberi non potest Confessarius, Communio omittenda est. *ibid.* *n.* 10. *p.* 94. Imminente verò periculo aut scandalo, Sacerdos celebrare, Laicus communicare potest, non præmissa confessione, elicito solùm actu contritionis de mortali. *n.* 11. *p.* 95.

In loco communionis commemorans sibi peccatum mortale, recedere non tenetur, dum imminet periculum vel scandalum populi; econtra si nullum est periculum aut scandalum. *ibid.*

Sacerdos vel post peractam unius speciei consecrationem, vel ante, commemorans sibi peccatum mortale, quid facere debeat? *n.* 12. *p.* 95.

Conscius peccati mortalis vel urgente necessitate habendo copiam Confessarii omittens confessionem, vel absente Confessario non urgente necessitate excusante cōmunicans, peccat mortaliter. *n.* 13. *p.* 95.

Qui celebravit aut communicavit sciens se esse in peccato mortali, utrùm ideo tenetur quamprimum confiteri? *n.* 14. *p.* 95.

Nulliter excommunicatus potest communicari si absit scandalum, & publicè in loco, ubi ignoratur excommunicatio. *n.* 14. *p.* 96.

Quid dicendum de eo qui ad sacrā cōmunionem accedit cum venialibus aut veniali? *n.* 16. *ibid.*

Ex parte corporis. *S. d.* 4. *ser.* 5. *sect.* 2. *n.* 1. *ibid.* Mundities à macula pollutionis, est dispositio nō necessitatis sed cōgruitatis ad fructuosā susceptionēEucharistiæ. *n.* 2. *ibidem.*

Quæ pollutio impedit & quæ non, fructum susceptionis Eucharistiæ? *loc. cit.* à *n.* 2. ad 8. *p.* 96.

Copula conjugalis, vel assumitur sive prolis generandæ, sive debiti reddendi gratiâ? Tunc nec culpam includit nec communionem excludit. *n.* 6. *p.* 97. Vel merè voluptatis gratiâ assumitur? Tunc non plus obest quàm peccatum veniale attritione supernaturali deletum. *ibid.* Et notabilem perturbationem ac dejectionem relinquat. *ibid.*

An debeat conjux ante communionem abstinere à copulâ? *n.* 7. *p.* 97.

Remedium compescendi perturbationem mentis libidinosamq; delectationem. *n.* 8. *ibid.*

Jejunium naturale disponit ad fructuosam susceptionem Eucharistiæ. *n.* 9. *ibid.*

Casus quibûs solvitur aut non, jejuniū naturale; & impeditur quis aut non, à communione sacra. à *n.* 10. *p.* 98. ad 13.

Casus in quibus non jejunus sacram Eucharistiam sumere potest; & multiplex instructio. *S. d.* 4. *ser.* 5. *sect.* 2. à *n.* 16. *p.* 99. ad 24. & 25.

Qui manè sanus communicavit, post prandium in periculum mortis incidit, cōmunicare ratione præcepti Viatici non tenetur. *ibid.* *n.* 23. *p.* 101.

Utrùm possit quis articulum mortis susceptione Viatici anticipare? *n.* 24. *ibid.*

Utrùm

tamen

tamen Sacrum non incurrit irregularitatē. *n.* 2. *ibid.* Et administrans Sacramenta tali, sciens esse talem, peccat non contra præceptum Ecclesiæ, sed contra Jus naturale. *ibid.*

Excommunicatus excommunicatione minore quænam Sacramenta validè recipit? *n.* 3. *ibid.*

Ligatus excommunicatione minori, utrùm possit licitè ministrare Sacramenta? *n.* 4. & 5. *ibid.*

Secundus effectus excommunicationis minoris est, quòd scienter licitè eligi aut ad dignitatem Ecclesiasticam promoveri nequeat, quàmvis eligere & suam jurisdictionem exercere licitè possit. à *n.* 6. ad 9. *p.* 651.

Excommunicatio minor imponitur solùm propter culpabilem communicationem aut participationem indebitam cum excommunicato excommunicatione majori vitando sive vivo sive mortuo. à *n.* 9. ad 14. *p.* 651. A quo tolli potest, *n.* 14. *p.* 652.

Excommunicationis majoris effectus. Primus quòd excommunicatus tali excommunicatione, vitandus absolutè non possit, toleratus nisi rogatus, administrare Sacramenta queat. *C. d.* 2. *ser.* 3. *sect.* 1. *n.* 1. *p.* 652. & à *n.* 6. ad 9. *p.* 653 Dempto articulô mortis, quô Sacramentum pœnitentiæ etiam vitandus si alius non sit administrare potest; & Sacramentum Baptismi: nō tamen solemniter. *n.* 2. & 3. *p.* 653. Et Sacramentum Eucharistiæ. *n.* 4. *ibid.*

Excommunicatus vitandus extra periculū mortis pœnitentis dempto Sacramentô pœnitentiæ potest administrare ubi ignoratur talis. *n.* 5. *ibid.* Item quando sibi id necessarium credit ad evitandum mortis periculum, infamiam, aut aliud grande malū avertendum. *ibid.* Nisi adsit vitandum scādalum. *ibid.*

Excommunicatus toleratus extra periculum mortis potest administrare Sacramenta, etiam Sacramentum pœnitentiæ non aliter tamen quàm rogatus. à *n.* 6. ad 9. *p.* 653.

Excommunicatus tam vitandus quàm toleratus mortaliter peccat administrando Sacramenta in eis casibus, quibûs lex prohibet. *n.* 9. *p.* 654.

Excommunicatus etiam toleratus quando incurrit irregularitatem administrando Sacramenta? *n.* 10. *ibid.*

Sacramenta ab excommunicato etiam vitando validè administrantur. *n.* 11. *ibid.* Dempto Sacramentô pœnitentiæ. *ibid.*

Administrationem Sacramenti extra periculum mortis petens ab excommunicato vitando, sciens esse talem, peccat mortaliter. *n.* 12. *ibid.*

Excommunicationis majoris effectus secundus quòd nequeat excommunicatus talis recipere Ecclesiastica Sacramenta. *C. d.* 2. *ser.* 3. *sect.* 2. *p.* 655. Sive vitandus sive non vitandus, recipiendo peccat mortaliter. à *n.* 1. ad 4. *p.* 655. Demptis casibûs, si eum excuset ignorantia aut inadvertentia excommunicationis, vel necessitas ob vitandam infamiam, vel scandalum, vel mortis periculum, quod aliter vitare nequit. *n.* 4. *p.* 655. Non tamen incurrit irregularitatem, *ibid.* Sed recipiens Ordinem sacrum, suspensionem ab exercitio Ordinis recepti incurrit. *n.* 4. *ibid.*

Tam excommunicatus toleratus quàm vitandus validè recipit Sacramenta in casibus non permissis ab Ecclesia, excepto Sacramentô pœnitentiæ. *n.* 5. & 6. *p.* 655. Casus. *n.* 7. *ibid.*

Minister non excommunicatus ministrās Sacramentum excōmunicato tolerato, aut non tolerato, quando peccat? *n.* 8. *p.* 656.

Quas pœnas excommunicatus recipiens Sacra-

In quibus non suffragatur addita clausula à Papa, *ab omni excommunicatione. ibid.*

Quid facere tenetur excõmunicatus, quando ei confertur dignitas aliqua? *n.* 5. *p.* 663. Discursus. à *n.* 11. *p.* 664. ad 17.

Prælatus excõmunicatus toleratus, potest validè; vitandus nec licitè nec validè valet suo Subdito conferre beneficium, dignitatem. *n.* 17. *p.* 667.

Inferior tenetur Prælato excõmunicato tolerato obedire, estò Prælatus peccet mandando; econtra Prælato excõmunicato vitando tenetur non obedire. *n.* 18. *p.* 667.

Licetsi excõmunicatus non valeat beneficium resignare, cõmutare, quod tempore excommunicationis est ei collatum; potest tamem excommunicatus etiam vitandus resignare illud alteri, quod ante excõmunicationem obtinuit. *n.* 20. *p.* 668.

Sextus effectus est, quòd rescriptum sedis Apostolicæ super alio articulo quàm excommunicationis ab excommunicato obtentum à Papa, est ipso jure nullum. *sect.* 6. *n.* 1. & 2. *p.* 668.

Septimus effectus, est privatio forensis communicationis. *n.* 3. *p.* 668.

Judicare nec validè vitandus, nec licitè toleratus excommunicatus potest. *n.* 4. 5. & 6. *p.* 668.

Judex excommunicatus vitandus tenetur ad restitutionem faciendam reo, quem condemnavit, vel hæredibus. *n.* 7. *p.* 669. Non verò toleratus non rogatus. *n.* 8. *ibid.*

Octavus effectus est, quòd tam vitandus quàm toleratus excõmunicatus nequeat esse actor tam per se quàm per Procuratorem. *n.* 9. *p.* 669. Attamen etiam vitandus, si sapiùs & sæpiùs non repulsus agat, acta per eum in judicio non sunt invalida. *ibid.*

Potest uterq; excommunicatus per se vel per Procuratorem se defendere. *ibid.* Item potest uterque suum Debitorem corã Judice convenire, si rationabiliter dubitet de fuga ejus. *ibid. p.* 669.

Judex debet repellere à judicio excõmunicatum vitandum, non autem toleratum, nisi excipiatur contra eum. *ibid. p.* 669.

Nonus effectus, quòd sive vitandus sive tolerat⁹ nequeat esse Patronus, Procurator. *n.* 10. *p.* 669. Nec ferre testimonium vitandus. *n.* 11. *p.* 670. Valet testimonium vitandi, si non est repulsus. *ibid.* Neque potest esse Secretarius, seu Notarius; sive sit vitandus sive toleratus. *n.* 12. *p.* 670.

Decimus effectus est quòd privetur tam vitandus quàm toleratus excommunicatus omni civili & politica communicatione Fidelium, contenta in hoc versiculo: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur. n.* 13. *p.* 670. Explicatur, usque ad *n.* 23.

Excommunicatis tam vitandis quàm toleratis prohibentur cõmunicationes cũ Fidelib⁹ non excõmunicatis; Fidelib⁹ verò non excõmunicatis, solũm cũ vitandis. *n.* 21. *p.* 671.

Non excommunicatus cum excommunicato vitando communicans in Divinis, peccat mortaliter; in civilibus, venialiter, & incurrit excommunicationem minorem. *n.* 21. *p.* 671. Aliquando etiam in civilibus communicando cum vitando, peccat mortaliter non excommunicatus, & incurrit excõmunicationẽ majorẽ. *n.* 21. *ibid.* Ut hæc excommunicatio incurratur, conditiones. *n.* 22. *p.* 672.

Casus in quibus communicando cum excommunicato vitando nullam pœnam incurrimus nec ullum peccatum cõmittimus. *n.* 23. *p.* 672. Comprehenduntur versibũs: *Utile, lex, humilis, res ignorata, necesse.* Explicatur usque ad *n.* 36.

Undecimus effectus majoris excommunicationis est, quòd si quis per annum in

Excusatio.

Extensio.

Extrema Unctio.

asticam adimplendam? *S. d. 2. ser. 6. sect. 2. n. 5. p. 36.*

Cujus hæretici filii irregulares? *C. d. 6. ser. 3. sect. 7. à n. 2. ad 6. p. 769.*

Quare hæretici non sunt vitandi, quàmvis excommunicati? *C. d. 7. ser. 1. n. 4. p. 648.*

Hæreticus mortuus contritus non potest sepeliri in loco sacro, nisi priùs absolvatur ab excommunicatione. *C. d. 1. ser. 6. sect. 1. n. 20. p. 632.*

Hermafroditus.

S. d. 9. ser. 3. sect. 1. à n. 4. ad 7. p. 403.

An possit inire validum matrimonium? *S. d. 10. ser. 5. sect. 2. §. 10. à n. 28. ad 33. inclusivè p. 530.*

Homicidium.

Ex homicidio dubio oritur certa irregularitas. *S. d. 6. ser. 1. sect. 3. n. 9. p. 178.*

Homicidium aliud est voluntarium, aliud casuale: illud, directum & indirectum; hoc, simplex & mixtum. *C. d. 6. ser. 3. sect. 3. n. 1. p. 759.*

Homicidium causâ defensionis factum servato moderamine inculpatæ tutelæ, communi sensu Theologorum censetur non voluntarium, sed casuale. *sectione militari n. 16. p. 776.*

Horror.

Horror peccati & continua præcautio, est certitudo non præstiti consensûs. *S. d. 6. ser. 1. sect. 3. n. 10. p. 179.*

I.

Iejunium.

Quæ nomine jejunii veniunt? *S. d. 6. ser. 9. sect. 2. n. 3. p. 246.*

Jejunium naturale in quo differt à jejunio Ecclesiastico? *S. d. 4. ser. 5. sect. 2. n. 10. p. 98.*

Naturale jejuniū disponit ad fructuosam susceptionem Eucharistiæ. *loc. cit. à n. 10. ad 13. p. 98.*

An jejunium naturale solvatur tabacô. *à n. 13. ad 16. p. 98.*

Uxor si aliter nequit jejunare nisi fiat per jejunium impotens ad reddendum debitum, non tenetur jejunare. *S. d. 10. ser. 7. sect. 1. § 2. n. 8 p. 543.*

Item si vir prohibeat eam jejunare probabiliter timens illius debilitatem, & aliàs graviter offenderetur per inobedientiam ejus. *ibid.*

Puella nubere volens si jejunô efficiatur deformis, & ideo minùs nubilis, excusatur à jejunio. *n. 9. p. 543.*

Jejunium tempore jubilæi ad lucrandas indulgentias. *S. d. 6. ser. 10. sect. 3. n. 32. p. 285.*

Ignorantia.

Alia est ignorantia Juris, alia facti, alia pœnæ. *C. d. 1. ser. 4. sect. 2. §. 1. n. 1. p. 618.*

Ignorantia Juris, alia Juris communis, alia particularis. *n. 2. p. 618.*

Alia vincibilis, alia invincibilis. *à n. 3. ad 6. p. 618.*

Vincibilis, alia affectata, alia crassa, alia supina. *n. 6. p. 619.*

Alia antecedens, alia concomitans, alia subsequens. *n. 7. p. 619.*

Invincibilis & vincibilis quomodo cognoscitur à Confessario? *S. d. 7. ser. 4. sect. 2. n. 1. p. 368.*

Ignorantia facti excusat à censura: sic occidens Petrum ignorans esse Clericum non incurrit excommunicationem. *C. d. 1. ser. 4. sect. 2. §. 1. n. 10. p. 620.*

Qualis ignorantia censuræ, & quando excusat ab incursu ejus. *C. d. 1. ser. 4. sect. 2. §. 1. n 15. p. 621.*

Ignorantia pœnæ excusat à censura, non ab

Infirmus.

latum interdictum, non eſt neganda abſolutio ſacramentalis; ſecùs niſi priùs ſatisfaciat, aut ſufficientem cautionem de ſatisfactione præſtet. à *n.* 9. *p.* 726. ad 14.

Confeſſarius interdictus interdictô perſonali ſpeciali, validè abſolvit; illicitè tamen extra caſum neceſſitatis. à *n.* 14. ad 17. *p.* 727.

Nemo ſæcularis tempore interdicti localis in loco interdicto, etiam tempore Paſchali, modô ſæculari, niſi in periculo mortis, ſerſervatis ſervandîs communicari poteſt. *n.* 17. & 18. *p.* 728. Regularis etiam extra tempus Paſchale & periculũ mortis, ſacra cõmunione in loco interdicto refici poteſt. *n.* 19. *p.* 729.

Interdictum locale in loco, perſonale generale perſonas conſtituentes communitatem interdictam, perſonale ſpeciale ubiq; tales perſonas, in eſſe liciti privat ſacramentîs Extremæ Unctionis, Ordinis & Matrimonii. *n.* 20 *p.* 729.

Quoad Officium Divinum. Tempore interdicti poſſunt cantari horulæ B. M. V. in loco interdicto. *loc. cit.* §. 2. *n.* 2. *p.* 730.

Interdicti Clerici & Regulares obligantur dicere privatim Officium Divinum. Unus dicere poteſt in ſilentio in Eccleſia aperta, dummodo ea non ſit interdicta. §. 2. *n.* 3. *p.* 730.

An & quando tempore interdicti Miſſæ celebrari poſſint? S. *d.* 5. *ſer.* 7. *n.* 48. *p.* 162.

Tẽpore interdicti localis generalis quotidiè in loco taliter interdicto dici poſſunt, ſervatis ſervandîs. *loc. cit.* & C. *d.* 5. *ſer.* 3. §. 2. *n.* 4. & 6. *p.* 731. In loco verò ſpecialiter interdicto, unum tantùm Sacrum intra hebdomadam causâ conficiendi Corpus Chriſti propter infirmos, celebrari poteſt. *loc. cit.* § 2. *n.* 5. *p.* 731. Quomodo dictæ Miſſæ celebrandæ ſint? S. *d.* 5. *ſer.* 7. *n.* 49. *p.* 163. & C. *d.* 5. *ſer.* 3. §. 3. *n.* 7. *p.* 735. Poſſunt tamen Regulares in ſuis Eccleſiis tẽpore interdicti localis generalis cũ conſueta ſolemnitate certis tẽporibûs Miſſas dicere, cantare; Similiter officiũ Divinum &c. S. *d.* 5. *ſer.* 7. à *n.* 50. *p.* 163. ad 54.

Laici habentes privilegium audiendi Sacrum tempore interdicti, an peccent non audiendo die feſto? C. *d.* 5. *ſer.* 3. §. 2. *n.* 8. *p.* 732. An habentes tale privilegium queant cum ſua familia tempore interdicti intereſſe Divinis. *n.* 9. *ibid.*

Si interdiceretur communitas Varſavienſis Conventûs N. poſſet ex alio Conventu Religioſus etiam ejusdem Ordinis & Provinciæ in dictæ communitatis Eccleſia per longum tempus manendo Miſſas celebrare. S. *d.* 5. *ſer.* 7. *n.* 48. *p.* 162.

Interdictus interdictô perſonali ſpeciali vel eſt interdictus interdictô à celebratione Miſſæ, & exercitio Ordinis, ſeu ſi addatur ei ut nullibi actum Ordinis exerceat, talis nullibi celebrare poteſt. S. *d.* 5. *ſer.* 7. *n.* 48. *p.* 162. & C. *d.* 5. *ſer.* 3. §. 4. *n.* 3. *p.* 736. Vel eſt interdictus interdictô ab ingreſſu Eccleſiæ, talis extra Eccleſiã celebrare poteſt. *n.* 3. & 4. *p.* 736. & *ſer.* 4. *n.* 6. *p.* 737. Dummodo non in ſuburbio quando Civitas eſt interdicta. Interdicta Civitate interdicuntur ſuburbia. C. *d.* 5. *ſer.* 1. *n.* 3. in fin. *p.* 722. Et interdicta Eccleſiâ interdicuntur & capellæ. *ibid.*

Tertius effectus interdicti eſt, quòd interdictũ locale, ſive ſpeciale ſive particulare, ſive generale in loco ſacro interdicto; interdictum verò perſonale, ſive ſpeciale ſive generale nominatim denuntiatos ubique in loco ſacro privat ſepulturâ. C. *d.* 5. *ſer.* 3. §. 3. *n.* 1 & 2. *p.* 733. Clerici tamen & Regulares qui nec dederunt cauſam interdicto, nec interdicti erant & interdictũ ſervaverunt, poſſunt in loco ſacro inter-

inter-

five fecundâ irregularitatem. *ibid. p.* 435.

Natus ex Matre libera, & Patre fervo, irregularis non eft. *S. d.* 9. *fer.* 4. *n.* 6. *p.* 419.

Illegitimorum filiorum naturalium, non fpuriorum, per matrimonium fubfequens (*C. d.* 6. *fer.* 2. *fect.* 1. *n.* 2. *p.* 741.); per Profeffionem verò, utrorumq; tollitur irregularitas. *S. d.* 9. *fer.* 4. *n.* 42. *p.* 435.

Expofitus in hofpitali, irregularis non eft. *C. d.* 6. *fer.* 2. *fect.* 1. *n.* 5. *p.* 742.

Teftes probant eum effe illegitimum, & Epifcopus ei contulit Beneficium; quid ad hoc? *n.* 6. *p.* 742. Sed dedit ei Beneficium quod tenet Pater ejus Sacerdos. *n.* 7. *ibid.*

Irregularitas ex defectu libertatis.

S. d. 9. *fer.* 4. à *n.* 5. ad 9. *p.* 419. & *C. d.* 6. *fer.* 2. *fect.* 2. *n.* 1. *p.* 743.

Per quid tollitur? *ibid. p.* 743.

Irregularitas ex defectu animæ.

Si quis careat ufu rationis, aut eft illiteratus, aut fidem Chriftianam non habens, irregularis eft. *C. d.* 6. *fer.* 2. *fect.* 3. per totum, *p.* 744.

Neophitus in ordine ad majores Ordines eft irregularis ad tempus. *S. d.* 9. *fer.* 4. *n.* 1. *p.* 418.

Quis exhæreticus irregularis? *ibid. n.* 3. *p.* 418.

Irregularitas ex defectu ætatis & corporis.

S. d. 9. *fer.* 3. *fect.* 2. à *n.* 1. ad 4. *p.* 404. & *n.* 11. *p.* 407. & *C. d.* 6. *fer.* 2. *fect.* 4. *p.* 745.

Qui ante ætatem præfcriptam abfque difpenfatione fufcipit Ordinem, non fit per hoc irregularis, fed ipfo Jure fufpenfus ad legitimam ætatem. *S. d.* 9. *fer.* 3. *fect.* 2. *n.* 13. *p.* 407. Neq; exercendò actum fufcepti, ante ætatem, efficitur irregularis, fi eum bona fides excufet. *loc. cit.*

Ante ætatem absq; difpenfatione recipiens Presbyteratum, celebrans cum Epifcopo dum ordinatur, non incurrit irregularitatem. *n.* 14. *p.* 408.

Vel vitium corporis totaliter impedit exercitium congruum Ordinis? vel præftat hoc quòd habens illud nequeat absq; notabili deformitate celebrare? Talis irregularis eft. *C. d.* 6. *fer.* 2. *fect.* 4. *n.* 1. & 2. *p.* 745. Vel quis caret membrô fua culpâ? Inhabilis eft ad Ordines facros. *n.* 3. *p.* 746.

Hæc irregularitas non tollitur per baptifmum aut Profeffionem, fed difpenfatione Epifcopi, & Superioris Regularium. *n.* 5. *p.* 746.

Quis hermaphroditus irregularis? *S. d.* 9. *fer.* 3. *fect.* 1. à *n.* 4. ad 7. *p.* 403.

Irregularitas ex defectu lenitatis.

Quid eft? *C. d.* 6. *fer.* 2. *fect.* 5. *p.* 747.

Hac irregularitate irregulares funt ii, qui publica authoritate fine culpa propria ad mortem alicujus aut mutilationem concurrunt. *n.* 1. *p.* 747. Et hi funt *n.* 3. *ibid.*

Ad incurrendam hanc irregularitatem conditiones. *n.* 2. *p.* 747.

Non tamen fit irregularis Princeps vel Dominus temporalis qui dedit alicui Officium Judicis in ordine ad damnandos malefactores. *n.* 4. *p.* 748. Neq; Judex Ecclefiafticus qui tradit reum brachio fæculari à quo occiditur; fi tamen pro eo intercedat ut mifericorditer tractetur, & non occidatur. *n.* 5. *ibid.* Neq; fiunt irregulares tradentes hæreticum brachio fæculari ad eum præcisè finem ut comburatur etiamfi id faciant absq; ulla interceffione. *n.* 6. *p.* 749. Neq; qui condit legem continentem pœnam mortis. *n.* 7. *ibid.*

Quæ

ctus perimens hoc fecit invaſori, non propriæ vitæ ſed alterius; eſtne ideo irregularis? *n.* 13. *ibid.* Et ſcivit invaſorem eſſe in peccato mortali. *n.* 14. *ibid. p.* 776.

Turebacius in experimento bellico juvit invaſum, vulnerando invaſorem, quem ſic adjutus invaſus occidit; an propterea Turebacius irregularis? *n.* 15. *p.* 776.

Irregularitas proveniens ex juſta ſui defenſione, poteſt tolli ab Epiſcopo, quàmvis non ſit occultus caſus. *n.* 16. *p.* 776.

Turebacius captus, in captivitate manens ſuum Cuſtodem occidit; an propter hoc irregularis? *n.* 17. *p.* 777.

Dominus impotens ad defendendum ſe, dedit ſervo arma, qui invaſorem ſervato moderamine occidit, neuter horum irregularitatem hoc caſu incurrit. *n.* 18. *p.* 777. Et quid ſi in dicto caſu præfatus ſervus fuiſſet occiſus, an propterea Dominus fuiſſet irregularis? *n.* 19. *ibid.*

Turebacius juſſit ſervum occidere Cajum, qui potiùs à Cajo occiſus eſt; an per hoc Terebacius irregularis? *n.* 20. *p.* 778. Sed mandatum ſuum revocavit, & ſervum hoc facere prohibuit; quid ad hoc? *n.* 21. *ibid.* Quid ſi fictè revocaverit mandatum? *n.* 22. *p.* 779.

Turebacius voluntariè non impedivit occiſionem cujuſdam, quam impedire potuit; an per hoc irregularis? *n.* 23. *p.* 779.

Quis non impediens incurrit irregularitatem? *ibid.* Teſtis, Medicus &c? *ibid.*

Turebacius detulit aliqua Judici officiosè in cauſa criminali, contra quamdam perſonam, pro quibus Cajus eſt morte punitus; an ideo irregularis? *n.* 24. *p.* 779. Fecit quidem proteſtationem, ſed animô ficto; quid ad hoc? *n.* 25. *ibid.* Sed tardè fecit eam? *n.* 26. *p.* 780.

Qui dedit operam rei illicitæ, ex qua cauſata eſt mors alterius, incurrit irregularitatem; non verò qui dedit operam rei licitæ, ex qua ſecuta eſt mors. *n.* 27. *p.* 780.

Multi in ſubitanea rixa unum percuſſerunt, qui lethaliter vulneratus mortuus eſt; an omnes irregulares facti ſunt? *n.* 28. *p.* 780. Sed non ſcitur quisnam vulneravit? *n.* 29. *ibid.*

Turebacius invaſorem, furem, ſpoliatorem occidit; an peccaverit, & irregularis ideo ſit? *n.* 30. *p.* 781.

Turebacium quidam occidere voluit, propter rem quamdam accipiendam; an eſſet irregularis Turebacius, ſi ſervato moderamine inculpatæ tutelæ eum occideret? *n.* 32. *p.* 782.

Turebacius ſecundum furem vulneravit, quem aufugientem Conſanguinei Turebacii occiderunt; an Turebacius ideo irregularis? *n.* 33. *p.* 783. Turebacius clamabat, *latro! latro! capite eum!* & ſic ad ejus clamorem ſupervenerunt Amici Turebacii, & dictum aggreſſorem occiderunt; eſtne propterea irregularis Turebacius? *n.* 34. *ibid.*

Judex deſtinans reum ad mortem, ſi mors non ſequatur, non efficitur irregularis. *n.* 35. *p.* 784.

Sed Turebacius erat tunc Clericus, quando Officium Judicis Sæcularis in exercitu exercuit; quid ad hoc? *n.* 36. & 37. *p.* 783.

Turebacius erat Clericus Subdiaconus, quando exercebat ſententiam Judicis, ſed ignorabat tali actioni eſſe annexam irregularitatem; an tamen irregularis? *n.* 38. *p.* 784.

Turebacius factus Sacerdos rediit ad exercitum, ibi audiens Confeſſiones Sacramentales reum mortis in Confeſſione hortabatur ad confitendam veritatem in judicio, & Judicem nolentem reum punire, abſolvere ſacramentaliter noluit; an peccaverit & irregularis factus ſit? à *n.* 39. ad 41. *p.* 785.

Turebacius diſponens reum ad mortem, cum

Si pœnitens suam Confessionem non persolverit intrà tempus Jubilæi, possitne virtute Jubilæi absolvi à reservatis? *n.* 48. *p.* 288.

Quid si intrà hoc spatium quô Confessarius suspendit absolutionem, pœnitens relabatur in casum reservatum? *n.* 49. *p.* 289.

Quid faciendum cum eo, qui toto tempore Jubilæi neglexit lucrari Jubilæum, tandem ultima die post prandium aut manè non jejunus ad se reversus adivit Confessarium, petens à reservatis absolutionē? *n.* 50. *p.* 289.

Pœnitens qui unum casum reservatum tempore Jubilæi non dixit, transactô Jubilæo potest à quocumque Confessario ab eo absolvi, dummodo non fuerit culpabilis omissio. *n.* 52. *p.* 289.

Ad lucrandum Jubilæum non est necesse ut in loco Jubilæi, aut intrà unam eandē hebdomadam omnes conditiones absolvantur. *n.* 59. & 60. *p.* 291.

Titius invincibiliter ignoravit esse Jubilæum, terminatô eô rescivit; potestne illud lucrari? *n.* 61. *p.* 291.

Si duo Jubilæa concurrerent per aliquos dies &c? *ibid. n.* 62. *p.* 291.

Judex, Judicium.

Quando dicitur Judex juridicè interrogare? *sect. milit. n.* 39. *p.* 785.

An peccet Judex mortaliter, & quas pœnas incurrat, ferens censuram, omittēs aliquam monitionem prærequisitam? *C. d.* 1. *ser.* 3. *sect.* 2. §. 2. per totum, *p.* 589.

Judex judicare nec validè vitandus, nec licitè toleratus excommunicatus potest. *C. d.* 2. *ser.* 3. *sect.* 6. à *n.* 4. ad 6. *p.* 668.

Judex excommunicatus vitandus tenetur ad restitutionem faciendam reo, vel hæredibus. *n.* 7. *p.* 669. Non autem toleratus, quàmvis peccet mortaliter si judicet non rogatus. *n.* 8. *p.* 669.

Judex debet repellere à judicio excōmunicatum vitandum, non verò toleratū; nisi excipiatur contra eum. *n.* 9. *p.* 669.

Judex excommunicatus toleratus quando & quomodo peccat judicando. *n.* 8. *p.* 669.

Judicium ubi inceptum est, ibi finiri debet. *C. d.* 1. *ser.* 3. *sect.* 1. *n.* 12. *p.* 585.

Jurisdictio.

Ut quis validè absolvat, requiritur jurisdictio. *S. d.* 7. *ser.* 1. *sect.* 2. *n.* 1. *p.* 301. Discursus. *n.* 2. & ultrà, *ibid.*

Disparitas, quare ad consecrandam hostiam non requiritur jurisdictio. *n.* 3. *p.* 302.

Non completur jurisdictio per submissionem pœnitentis Confessario factam. *n.* 5. *p.* 302.

Vide *verb. Confessarius.*

A quibus jurisdictio validè & licitè delegari possit? *S. d.* 7. *ser.* 1. *sect.* 3. *n.* 1. *p.* 306.

Tempore Paschali contradicentibus Parochis & Episcopô, possunt Mendicantes & alii Regulares cum eis communicantes, Confessiones Sæcularium sacramentaliter audire. *loc. cit. n.* 2. & 3. *p.* 307. Item inconsultis Parochis possunt suscipere Confessiones Sæcularium infirmorum. *n.* 4. & 5. *p.* 307.

Possunt Regulares obligari ab Episcopo ut relinquant apud infirmos schedulam testimonialem de Confessionibus eorum factis *n.* 5. *p.* 307.

An jurisdictio præsumpta, doló aut vi obtenta sufficiat ad sacramentaliter audiēdas Confessiones, & dandas absolutiones? *S. d.* 7. *ser.* 1. *sect.* 4. per totum, *p.* 307.

Quàmvis dubiâ non, tamen probabili jurisdictione licitum est uti ad dandas ab-

&

Profes-

Quid

Quid si de mutuo consensu uterq; Conjux votum castitatis aut Religionis emiserit ? *n.* 17. & 18. *p.* 560.

Circa Officia & obligationes Conjugum. S. d. 10. *ser.* 7. *sect.* 4. *p.* 561.

Conjuges nequeunt impedire generationem prolis. *n.* 1. *p.* 561.

Uxor ab alio vi oppressa potest statim semen expellere. *n.* 2. *p.* 561. Item tempore bimestri ante consummationem matrimonii spontaneam ex utraq; parte, vi aut per metum gravem ad copulam adducta, quæ Religionem ingredi cogitabat. *ibid.*

Utrùm possit uxor aut alia mulier in aliquo casu procurare abortum? Vide *verb. Abortus.*

Quoad cohabitationem mutuam. à *n.* 18. *p.* 568. ad *n.* 23.

Obligatio viri erga uxorem, & econtra. *n.* 23. *p.* 568.

Plura vide *verb. Divortium.*

Matutinum.

Ex justa causa licitum est celebrare non dicto matutinô; secùs veniale committitur peccatum. *S. d.* 5. *ser.* 7. *n.* 2. *p.* 151.

Causa justa. *n.* 3. *p.* 151.

Memento.

An in *Memento* locò Episcopi possit poni nomen Generalis aut Provincialis ? *S. d.* 5. *ser.* 7. *n.* 44. *p.* 161.

Metus.

Levis & gravis. *S. d.* 10. *ser.* 5. *sect.* 2. §. 6. *n.* 3. & 7. *p.* 515. Metus reverentialis. *n.* 8. *p.* 517.

Metus ut dicatur cadens in constantem virum, prærequirit conditionem. *n.* 7. *p.* 516.

Metus gravis à censura excusat, quando excusat & à culpa ? *C. d.* 1. *ser.* 4. *sect.* 2. §. 2. *p.* 622.

Missa.

In Missa offertur Deo verum & propriũ Sacrificium. *S. d.* 5. *ser.* 1. *sect.* 2. *n.* 1. *p.* 110. Probatur contra Acatholicos, & objectiones eorum solvuntur. *n.* 2. & 3. *ibid.*

In Missa quinq; sunt actiones principales. *sect.* 3. *n.* 1. *p.* 111.

In sola consecratione Missa consistit. à *n.* 2. ad 6. *p.* 111. Discursus. à *n.* 6. ad 9. *p.* 112.

Missa, antea sola consecratio; postea qualis ? *n.* 10. *p.* 114.

Consecratio sub utraq; specie, non est de essentia hujus Sacrificii; sed est utraque necessaria necessitate præcepti. *S. d.* 5. *ser.* 1. *sect.* 4. *n.* 1. *p.* 114.

Si ob summam distractionem Sacerdos non consecraret in altera specie, non privaret fructu dantem pro Sacro, nec teneretur ad restitutionem. *n.* 1. & 2. *p.* 114.

Missæ Sacrificii valor, efficacia, fructus sive effectus.

Nomine Missæ duo veniunt: primum, orationes seu preces Sacerdotis, cæremoniæ, aliæq; piæ actiones Sacerdotis, ùt sunt genuflexiones, inclinationes &c. alterum, ipsa immolatio, nempe actio consecrativa quam Christus instituit. *S. d.* 5. *ser.* 2. *sect.* 1. *n.* 1 & 2. *p.* 115.

Offerens principalis & res oblata in hoc Sacrificio sunt idem. *n.* 2. *p.* 115.

Missa primo modô sumpta, est finiti valoris; secundo modô, infiniti. *n.* 3. & 4. *p.* 115.

Valor hujus sacrificii cum effectu per alios Theologos confunduntur, per alios distinguuntur. *S. d.* 5. *ser.* 2. *sect.* 2. *n.* 1. *p.* 116.

Fructus proveniens ex opere operantis, proveniens ex opere operato. *ser.* 2. *sect.* 2. *n.* 2. *p.* 116. Hic alius est generalis, alius

quis

quis nimis procul ire debet pro Miſſa, majus ordinariò exigere poteſt. *ibid.*

Quando Sacerdotibus abſq; ſtipendiis mandantur aut authoritate incompetenti imponuntur Sacra abſolvenda, utrùm poſſint appromittere, & aliis ea applicare? *n.* 13. *p.* 125.

Qui liberaliter, non animô ſe obligandi appromittit Sacrum alicui, & ei non applicat, non peccat mortaliter, niſi occurrat circumſtantia quòd erat paratus ſolvere, & qui promiſit, noluit accipere, vel aliô titulô; abſolvere obligatur. *n.* 13. *p.* 125.

Sacerdos accipiens liberaliter pingue ſtipendium pro Miſſa, utrùm poſſit alteri dare ordinarium, ſibi retenta parte? *n.* 14. *p.* 126. Capellanus tamen habens pinguẽ Capellaniam, non tenetur alteri Sacerdoti dare ſtipendium proportionatum ad rationem redituum Beneficii; ſufficit ut det illi eleemoſynam congruam ſecundùm morem ejus loci. *n.* 16. *ibid.*

De ſumma deſtinata in cenſum, relicta Regularibus, notanda. *ibid. ſer.* 4. *n.* 17. 18. & 19. *p.* 126.

Utrùm talis pecunia relicta in cenſum perpetuum, poſſit expendi in fabricam Eccleſiæ? *n.* 20. *p.* 127.

Utrùm ſufficiat inveſtire talem pecuniã ſuper aliqua bona immobilia Monaſterii? *n.* 21. *p.* 127.

Miſſas abſolvendi obligatio.

Non currit à die receptionis pecuniæ, ſed à die inveſtituræ. *n.* 22. *p.* 128.

Quando ſumma ſine culpa Monaſterii perit, Religioſi ejus non tenentur ad celebrandas Miſſas. *n.* 23. *p.* 128. Secùs ſi ejus culpâ. *n.* 24. *ibid.*

Quis reducere poteſt onus Miſſarum ad minorem numerum? à *n.* 25. ad 28. incluſivè, *p.* 128.

Quid ſi legatum ſit ita tenue, ut ſi recurrendum ſit ad ſedem Apoſtolicam pro moderamine oneris, totum aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis? *n.* 29. *p.* 129.

Quando Sacerdos poteſt compenſatione uti, ratione expenſarum pro lite &c. *n.* 30. *p.* 130.

Quid ſi Sacerdos deceptus ſit? *n.* 31. *p.* 130.

An Prælatus Monaſterii teneatur ad reſtitutionem aut abſolutionem, ſi ejus Prædeceſſor non curavit celebrari Miſſas ad quas Monaſterium tenebatur ex legato vel ſtipendio? *n.* 32. *p.* 130. Sed quomodo ipſi debet probari quòd remaneant Miſſæ non abſolutæ? *n.* 33. *p.* 131.

An Regulares aucta re ſibi legata cum onere abſolvendi Miſſas, teneantur etiam ipſi numerum Miſſarum augere? *n.* 34. *p.* 131.

An Sacerdotes causâ devotionis non minuendæ, poſſint ſtipendia pro Miſſis accipere, quàmvis niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant? *n.* 35. *p.* 131.

An peccent mortaliter & teneantur ad reſtitutionem, ſi notabiliter differant? *n.* 36. *p.* 131.

Tempus breve intrà quod Miſſæ ſunt abſolvendæ. *n.* 37. *p.* 131.

Utrùm licitum ſit anticipatè celebrare? *n.* 38. *p.* 132.

An obligatus celebrare quotidiè, poſſit ſemel qualibet ſeptimana quieſcere? *n.* 39. *p.* 133.

Qui obligatus eſt dicere quotidiè Miſsã, non tenetur applicare omnes Miſſas die Nativitatis; neq; Miſſam die Cœnæ Domini &c. *ibid.* Et in die omnium Fidelium defunctorum, ſatisfacit dicendo Miſsã pro omnibus defunctis. *ibid.*

In die Animarum licitum eſt applicare

Sacer-

Sacerdos debet esse decenter ornatus & calceatus: nec potest sine mortali celebrare absq; casula, stola, manipulo, Alba, nisi in casu gravissimæ necessitatis: ùt si immineret periculum mortis Sacerdoti, si id non faceret, & id non exigeretur in odiū fidei, neq; esset scandalum. Secùs dicendum de cingulo. *n.* 23. 26. 32. *p.* 156. & seqq.

De missali. *n.* 30. *p.* 158.

Dum se induit Sacerdos, debet preces præscriptas in missali dicere; non tamen peccat mortaliter omittens, sed solùm venialiter, nisi adsit contemptus. *n.* 31. *p.* 158. Idem dicendum de hymno *Te Deum laudamus*, & aliis orationibus dicendis post Missam, si absolutè nullam diceret. *ibid.*

De servitore Missæ, vide *verb. Servitor.*

Quid si celebrans non observet Rubricas? *n.* 35. *p.* 159. Si aliqua omittat? *ibid.* Aut Canonem clara voce, Orationes verò in silentio dicat? *n.* 36. Si defectum suppleat non juxta præscriptionem Rubricæ? *n.* 37. *ibid.* Si Missam pro Missa dicat? *n.* 38. *p.* 160.

De lumine in Missa, vide *Lumen.*

Utrùm his temporibus possit Episcopus, Abbas, aut alius Prælatus Regularis, suo Regulari infirmo Sacerdoti, dare licentiam celebrandi Sacrum capite cooperto, saltem ad inchoationem Canonis? *n.* 40. *p.* 160.

Qui sine baculo Missæ functiones absolvere nequit, irregularis censetur. *ibid.*

Quomodo se gerere debet Sacerdos corā Ordinario loci, celebrans in loco ipsius jurisdictionis? *n.* 41. & 42. *p.* 161.

Quid facere debet Sacerdos celebrans Missam, si tempore Missæ ipsius intret Ecclesiam excommunicatus vitandus, aut interdictus? Quoad primum *S. d.* 5. *ser.* 7. *n.* 45. *p.* 161. Quoad secundum *n.* 46. *p.* 162.

Sacerdos interdictus celebrando peccat mortaliter, non tamen audientes non interdicti. *n.* 47. *p.* 162.

An, quando, & quomodo, tempore interdicti Missæ celebrari possint? *S. d.* 5. *ser.* 7. à *n.* 48. *p.* 162. usq; ad 54.

Missale.

An sit necessarium in Missa? *S. d.* 5. *ser.* 7. *n.* 30. *p.* 158.

Moderamen inculpatæ tutelæ.

De eo *sect. milit.* à *n.* 6. *p.* 773. ad 14.

Moderamen excedens venialiter, non incurrit irregularitatem; sed excedens mortaliter. *ibid.* & *n.* 18. *p.* 777.

Quid si servato moderamine, aut excedendo venialiter, ex ira tamen occidat? *n.* 10. *p.* 774.

An dicitur servare moderamen inculpatæ tutelæ invasus, qui invadentem occidit, quia alioquin manum quâ se defendit abscidisset ei invadens? *n.* 12. *sect. milit. p.* 775.

Non semper servandum est moderamen inculpatæ tutelæ, sed tantùm quando potest servari. *n.* 30. & 31. *p.* 781.

Verum est, quòd aliquando quis occidat alium non servato moderamine inculpatæ tutelæ, & tamen non incurrit irregularitatem. *ibid.*

Modus

Vitandi excommunicatum. *C. d.* 2. *ser.* 3. *sect.* 6. *n.* 34. *p.* 675.

Monasterium.

Quid nomine Monasterii venit? *S. d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 22. *p.* 326.

Morbus caducus.

Appendicis §. 1. *n.* 3. *p.* 789.

Moribundus.

Quid

 Occa-

scepit Ordinem? qualem pœnam incurrit; & quis cum eo dispensare potest? n. 45. p. 437.

Quis ordinatus per saltum indiget dispensatione? n. 45. p. 437.

Novitius aut Professus nulliter sciens se talem esse, suscipiens Sacrum Ordinem, incurrit irregularitatem. S. d. 9. ser. 4. n. 50. p. 440.

Initiatus sacro Ordine, resciens suam Professionem esse nullam, si reclamat eam, & sit in lite, aut exit, manet suspensus ab exercitio suscepti Ordinis Sacri. ibid.

Qui non est Sacerdos, & celebrat, quas pœnas incurrit? n. 54. & 55. p. 442.

A quibus puniendus? n. 56. & 58. p. 442. Quid si tantùm inchoavit Missam? & non consecravit; aut audivit confessionem, sed non absolvit? n. 57. ibid.

De effectibus Sacramenti Ordinis. S. d. 9. ser. 5. p. 443.

Ordo Sacer apud Latinos impedit matrimonium & matrimonii usum. Apud Græcos verò, matrimonium, non matrimonii usum. S. d. 9. ser. 5. n. 8. p. 444.

P.

Pallium.

De eo. S. d. 5. ser. 7. n. 22. p. 156.

Paramenta Ecclesiæ.

Paramenta Ecclesiastica benedicta possunt esse ex materia profana, sed non converti ad tales usus. S. d. 5. ser. 7. n. 28. p. 158. Quando amittunt benedictionem? loc. cit. n. 27. p. 157.

A quibus benedici possunt? n. 29. p. 158.

Parentes.

Parentes infideles, alii suntPrincipi bono-latenùs, alii politicè, alii despoticè subjecti. S. d. 2. ser. 6. sect. 2. n. 6. p. 36.

Parochus.

Antea poterant Parochi in suos Parochianos authoritate sua excommunicationem ferre; secùs modò. C. d. 1. ser. 2. sect. 1. n. 6. p. 585.

Aliquando ex rationabili causa potest Parochus committere Diacono potestatem administrandi Sacramentum Baptismi solemmiter: taliter, Subdiacono aut Clerico numquam. S. d. 2. ser. 4. sect. 1. n. 8. p. 27.

Si domestici sint negligentes, Parochus potest curare aperiri uterum mulieris mortuæ partui proximæ, ut proles si vivit, baptizetur. S. d. 2. ser. 6. sect. 1. n. 10. p. 35.

Parochus nimis distractus, rogatus à pœnitente ut ejus confessionem audiat, validè absolvit eum, quàmvis actualiter expressam intentionem absolvendi non habuerit. S. d. 1. ser. 4. n. 2. p. 5.

Casus in quo Parochus potest suum Parochianum in foro animæ absolvere ab hæresi occulta; & quid ulrrà faciendum? S. d. 7. ser. 4. sect. 2. n. 13. p. 338.

Parochus quis proprius quoad matrimonium? S. d. 10. ser. 3. sect. 2. n. 2. & 5. p. 477.

Parochus conscius peccati mortalis assistens matrimonio, non peccat mortaliter. S. d. 10. ser. 2. sect. 4. n. 12. p. 473.

Parochus non peccat mortaliter assistens matrimonio in Quadragesima. S. d. 10. ser. 5. sect. 1. n. 2. p. 490.

Parochus non potest hermaphrodito contrahenti matrimonium assistere, nisi priùs hermaphroditus juret coram Judice Ecclesiastico, se non mutaturum statum. S. d.

crilegii? *n.* 31. *p.* 209.

Quomodo per peccatū fiat injuria homini & Deo? S. *d.* 6. *ser.* 7. *sect.* 1. *n.* 8. *p.* 223.

Quando, & quod peccatum veniale, pœnitens non potest confiteri cuicumq; Sacerdoti, sed ignoto? S. *d.* 6. *ser.* 6. *sect.* 2. *n.* 23. *p.* 210.

De peccato veniali multa. à *n.* 18. ad 25. *p.* 189. & *n.* 32. *p.* 193.

Peccata venialia tolluntur extra Sacramenta per perfectam contritionem formalem aut virtualem, inquantum ad ea extenditur. S. *d.* 6. *ser.* 13. *n.* 1. *p.* 297.

Peccata venialia in Justo, per quodlibet Sacramentum remittuntur, dummodo attritio sub motivo generali de omnibus indistincta, sive prævie sive simul concurrat. *n.* 2. *p.* 297.

Remittuntur in Justo extra Sacramenta venialia valdè probabiliter, per attritionem de singulis distinctam. *n.* 3. *p.* 298.

Sacramentalia nec sine dolore, nec seipsis immediatè tollunt venialia, sed mediatè, inquantum propter impetrationem Ecclesiæ positam, merentur ad dolorem sufficientem & auxilium dandum, quô elicitô mediante, tollunt peccata venialia. *n.* 4. *p.* 298.

Quid facere debemus dū aspergimur aquâ benedicta? *n.* 4. *p.* 298. Discursus. à *n.* 6. ad 10. inclusivè *ibid.*

Peccata venialia post-mortem contritione animæ tolluntur. *n.* 10. *p.* 299.

Plura vide *verb.* *Pœnitentia.*

Percussio & Percussor Clerici.

Quæ actio nomine percussionis Clerici venit? *C. d.* 2. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 6. *p.* 678.

Percussor Clerici non statim vitandus. *S. d.* 7. *ser.* 4 *sect.* 6. *n.* 27. *p.* 354.

Quis percussor Clerici, vitandus? *S. d.* 7. *ser.* 3. *n.* 4. & ultrà, *p.* 319.

Percussor Clerici qui nullo Jure est excusandus, quàmvis casus occultus sit, debet se habere pro vitando. S. *d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 6. *n.* 27. *p.* 354.

Casus, quibûs percussor Clerici non incurrit excommunicationem. S. *d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 6. *n.* 9. *p.* 350.

Percussio levis. *n.* 10. *p.* 350. Mediocris. *n.* 12. *p.* 351. Gravis. *n.* 11. 13. & 14. *ibid.*

Regularis à sui Ordinis Prælato potest absolvi à peccato & excommunicatione incursa ob enormem percussionem aut occisionem Clerici, & ab irregularitate liberari. S. *d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 2. *n.* 6. & 7. *p.* 336. & *sect.* 6. *n.* 15. 18. 23. 24. *p.* 351. & S. *d.* 9. *ser.* 4. *n.* 52. *p.* 440. & *C. d.* 1. *ser.* 6. *sect.* 1. à *n.* 41. ad 45. *p.* 637. & *sect.* *milit.* *in fine libri* à *n.* 43. ad *fin.* *sectionis.*

Periculum mortis.

Dicitur articulus mortis. *C. d.* 1. *ser.* 6. *sect.* 1. *n.* 1. *p.* 628.

Consultiùs est illud prævenire Confessione. S. *d.* 6. *ser.* 7. *sect.* 1. *n.* 13. *p.* 224.

Perjurus.

Perjurus non est, qui non facit alicui id quod facere promisit, si is conditionem non adimplet. S. *d.* 10. *ser.* 1. *sect.* 3. *n.* 43. *p.* 461.

Personæ miserabiles.

Quæ sunt? *C. d.* 1. *ser.* 3. *sect.* 3. §. 4. *n.* 29. *p.* 609.

Petitio, Petere.

Petitio debiti conjugalis, quando est potiùs redditio? S. *d.* 10. *ser.* 7. *sect.* 1. §. 1. *n.* 8. *p.* 539. & *sect.* 3. *n.* 12. *p.* 558. Secùs. *n.* 15. *p.* 559.

Qui habuit copulam cum sua propria consanguinea, potest licitè petere debitum conju-

judicaverit, pro gravibus gravem. *n.* 8. *p.* 241.

Casus multi in quibus Confessarius pro gravibus & gravissimis peccatis non tantùm potest, sed & ex charitate tenetur pœnitenti assignare pœnitentiam parvam. *n.* 9. *p.* 241.

Semper aliquam, & persolvi potest. *ibid.* & *n.* 10.

Aliquando & pro eo quod peccatum non est, assignanda est pœnitentia. S. *d.* 9. *ser.* 4. *n.* 33. *p.* 429.

Quando Confessarius dubitat, quodsi gravem assignaverit, pœnitens non est impleturus eam; si levem, faciliùs peccaturus; levẽ potiùs assignare debet. *n.* 11. *p.* 241.

Pro venialibus semper levis pœnitentia assignanda est. *n.* 13. *p.* 242.

Quando pro gravibus peccatis assignatur pænitentia levis, consulendus est usus indulgentiarum dum lucrari possunt. *n.* 14. *p.* 242.

Suadere possumus pœnitentibus ut quidquid fecerint, pro peccatis commissis offerant Deo; sed pro pænitentia non imponere hoc. *n.* 15. *p.* 242.

Pro peccatis occultis, numqum publica; pro publicis, aliquando talis pœnitentia assignanda est. *n.* 16. *p.* 242.

Licetsi ex accidenti post absolutionem imponi possit pænitentia, ordinariè tamen imponenda est ante illam. *n.* 17. *p.* 243.

Pœnitens non tantùm pro mortalibus aut venialibus peccatis nondum Sacramentaliter remissis, sed etiam pro unico veniali Sacramentalter remisso pœnitentiam prudenter sibi impositam, tenetur acceptare & exequi. *n.* 18. *p.* 243.

Quando pœnitenti videtur pœnitentia nimia, potest petere ut eam Confessarius mitiget; quod & facere tenetur. *ibid* Et si nolit, potest absq; peccato ad alium ire. Sed si ab eo absolvi velit, obedire ei & non mitigatam acceptare obligatur. *ibid.*

Qui fictè acceptavit pœnitentiã, nulliter est absolutus. *n.* 19. *p.* 243.

Pœnitens qui manifestè sibi convenientem pœnitentiam pro peccatis impositam acceptare non vult, peccat mortaliter, nec absolvendus est. *n.* 20. *p.* 243. Qui verò acceptavit, & postmodum culpabiliter non adimplet, peccat mortaliter, si pro gravib⁹ gravis; venialiter, si levis pro venialib9, sive pro gravib9 pœnitentia imposita sit. *ibid.*

Discursus. à *n.* 21. ad sequ. *sect. p.* 244.

Quæ conditiones requirantur? Vide *verb. Satisfactio.*

Pœnitentiã in mortali peccato assignans, non peccat mortaliter. *S. d.* 1. *ser.* 7. *n.* 3. *p.* 14.

Adimplens pœnitentiam in peccato mortali, satisfacit præcepto adimplendi: nec propterea peccat mortaliter. S. *d.* 6. *ser.* 9. *sect.* 2. *n.* 1. *p.* 245. Peccat tamen. *ibid.*

Quale opus pro pænitentia assignandũ est? *n.* 2. 4. & 5. 245.

Quæ nomine jejunii, eleemosynæ, orationis, veniunt? *sect.* 2. *n.* 3. *p.* 246.

Si Confessarius pro pœnitentia assignet Missã v. g. non determinando quã, audienda potiùs pro pœnitentia est aut Missa secunda die festo, aut alia die nón festo. *n.* 6. *p.* 247.

An possit pœnitens pœnitentiam sibi à Confessario impositam, per alium adimplere? *n.* 7. & 8. *p.* 247.

Pœnitens pœnitentiam tenetur adimplere intrà tempus præfixum, si sit; si non, tunc quamprimum commodè potest. *n.* 9. & 10. *p.* 247.

Qualiter peccat eam differens? *n.* 9. *ibid.*

Pœnitentiæ commutatio.

Circumstantiæ ob quas pænitentia mutanda. S. *d.* 6. *ser.* 9. *sect.* 3. *n.* 1. *p.* 248.

Pœnitens pœnitentiam sibi in Confessione

1. *n.* 6. *p.* 223. Quando obligat? *ibid.*

Prælati Regulares.

An possint dare licentiam suis Inferioribus subditis, nondum in Sacris constitutis, licentiam tangendi calicem, patenam &c? *S. d.* 5. *ser.* 7. *n.* 21. *p.* 155.

Prælati Regulares ferentes censuras verbô non scripturâ, *C. d.* 1. *ser.* 3. *sect.* 3. §. 1. *n.* 6. *p.* 592. non præmissa trina monitione, neq; culpam neq; pœnam incurrunt. *C. d.* 1. *ser.* 3. *sect.* 2. §. 2. *n.* 3. *p.* 590.

Prælati Regulares etiamsi non teneantur observare Regulas Juris, nihilominùs ut declarent transgressorem talem censuram incurrisse, tenentur eum reum citare ad respondendum; alioquin declaratio est nulla. *C. d.* 1. *ser.* 3. *sect.* 3. §. 1. *n.* 10. *p.* 593.

Prælati Regulares possunt concedere aliis licentiam ingrediendi Monasterium Monialium, eis subjectarum; non autem Monialibus suis dare licentiam egrediendi è Monasterio. *C. d.* 1. *ser.* 3. *sect.* 3. §. 4. *n.* 15. *p.* 605.

Prælati Regulares exempti an possint sibi subditos Regulares absolvere à censuris, à Papa aut Episcopis latis? *C. d.* 1. *ser.* 6. *sect.* 1. *n.* 41. ad 45. *p.* 636.

Prælati Regulares Mēdicantium possunt dispensare in irregularitate cum suis Inferioribus subditis habentibus membrum abscissum sua culpâ, quàmvis hoc sit manifestum, v.g. quòd aliquis careat oculô dextro &c. *C. d.* 6. *ser.* 2. *sect.* 4. *n.* 5. *p.* 746.

Prælati Regulares possunt in bigamia similitudinaria dispensare cum suis. *S. d.* 9. *ser.* 4. *n.* 53. *p.* 441.

Prælati Regulares Jure communi non possunt in suis Inferioribus tollere irregularitatem provenietem ex defectu lenitatis, contractam in sæculo. *C. d.* 6. *ser.* 2. *sect.* 5. *n.* 8. *p.* 749.

Prælati Regulares possunt Jure speciali cum suis Regularibus Inferioribus dispensare in irregularitate contracta ob homicidium voluntarium post professionem perpetratum, si illud sit occultum. *C. d.* 6. *ser.* 2. *sect.* 5. *n.* 8. *p.* 749. & *ser.* 3. *sect.* 1. *n.* 10. *p.* 756. Et ob publicum ante ingressum Religionis causatum. *ibid.* Si excipias assasinum publicum: sed in foro consciētiæ tantùm. *ibid.*

Prælati Regulares communicantes cum PP. Dominicanis, possunt in foro conscientiæ cum suis Inferioribus dispensare in irregularitate proveniente ex mutilatione. *C. d.* 6. *ser.* 3. *sect.* 2. *n.* 6. *p.* 758.

Prælati Regulares dispensare possunt cum suis Inferioribus in irregularitate contracta ob homicidium casuale mixtum, quando illud est occultum, nec ad forum contentiosum deductum. *sect.* 3. *n.* 15. *p.* 763.

Prælati Regulares possunt in suis Inferioribus tollere irregularitatem contractam homicidiô ob sui defensionem, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ. *C. d.* 6. *ser.* 3. *sect.* 4. *n.* 5. *p.* 764. & *sect. milit. n.* 16. *p.* 776. quàmvis homicidium non sit occultum.

Item irregularitatem ortam ex rebaptizatione, si est casus occultus. *C. d.* 6. *ser.* 3. *sect.* 5. *n.* 2. *p.* 765.

Item irregularitatem provenientem ex violatione censuræ. *loc. cit. n.* 14. *p.* 767.

Item cōtractam exercitiô Ordinis. *sect.* 6. *n.* 7. *p.* 769.

Item provenientem ex hæresi, si est casus occultus. *sect.* 7. *n.* 7. *p.* 770.

Prælati Regulares possunt suos Inferiores à peccato & excommunicatione incursa ob

Præsentia.

Princeps.

Privilegium

Privilegium Canonis explicatur, & declaratur quisnam excommunicationem contra percussores latam incurrat. *C. d.* 2. *ser.* 4. *sect.* 1. à *n.* 2. *p.* 677. ad fin. *sect.*

Privilegium Sacri Scapularis. S. *d.* 6. *ser.* 10. *sect.* 2. à *n.* 4. *p.* 254. ad 10. inclusivè.

Probabilitas.

De ea & duplici horologio. *S. d.* 4. *ser.* 5. *sect.* 2. *n.* 30. *p.* 102.

Procurator.

Quæ ad officium Procuratoris contrahẽtis matrimonium requiruntur? *S. d.* 10. *ser.* 2. *sect.* 4. *n.* 13. & 14. *p.* 473.

Professio, Professus.

Professio quamdiu reclamari potest, & quomodo? *S. d.* 9. *ser.* 4. *n.* 48. *p.* 438. Aliter Superiores ejicientes, quales pœnas incurrunt? *ibid.*

Circa fictè professum notanda. *n.* 15. & 16. *p.* 423.

Professus contraxit matrimonium allegans nullitatem professionis; quid cum eo faciendum? *n.* 48. *p.* 438.

Nulliter professus qui tribus annis mansit in Religione, & quinq; in apostasia, utrùm reclamare professionem illam valeat? *n.* 49. *p.* 439.

Nulliter professus, in apostasia recipiens Sacrum Ordinem, eô ipsô fit professus. *ibid.*

Reclamata professione an redeat irregularitas in mundo contracta? à *n.* 50. ad 53. *p.* 440.

Nulliter professus, Ordinem Sacrum post professionem susceptum exercere non potest. *n.* 50. *p.* 440.

Promissio.

Regulariter non obligat antequam acceptetur. *S. d.* 10. *ser.* 1. *sect.* 1. *n.* 4. *p.* 445.

Propositiones.

Circa facultatem absolvendi sacramentaliter, qualificatæ & damnatæ. *S. d.* 7. *ser.* 2. *sect.* 4. à *n.* 6. ad fin. *sect.* *p.* 316.

Propositum.

Propositũ de cætero non peccandi aliud est formale, aliud virtuale. *S. d.* 6. *ser.* 3. *sect.* 2. *n.* 26. *p.* 191. Discursus à *n.* 28. *p.* 192. ad 31.

Propositum expressum ordinariè necessarium est necessitate præcepti. *n.* 30. *p.* 192.

Quid requiritur ad propositum ut sit efficax, & utrùm debeat extendi ad omnia peccata mortalia, non tantùm ad commissa, sed etiam ad quæcumq; futura similia & possibilia? *n.* 31. *p.* 193. Ad venialia omnia. *n.* 32. *ibid.*

Discrimen inter propositum non peccãdi mortaliter, & propositum non peccandi venialiter. *ibid.*

Utrùm idem propositum debeat extendi ad occasiones peccandi. *n.* 34. *p.* 194.

Protestatio.

Nonnulla de ea valdè necessaria notanda. *C. d.* 6. *ser.* 2. *sect.* 5. à *n.* 14. ad 17. *p.* 751. & *sect. milit.* à *n.* 24. ad 28. *p.* 779.

Publicatio Decreti.

Quando censetur Decreti publicatio? *S. d.* 10. *ser.* 3. *sect.* 1. *n.* 4. *p.* 474.

Pueri.

Percutientes Clericum non tenentur pro absolutione ire ad Papam, etiam postea. *S. d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 6. *n.* 21. *p.* 352.

Q.

Quiescere an possit & quando, Sacerdos obligatus quotidiè ad celebrandum pro Petro? *S. d.* 5. *ser.* 4. *n.* 39. *p.* 133. & 41. 44. *p.* 134.

R.

Raptus.

Quid

p. 794. Imò & Jure communi certis casibûs. *n.* 33. *p.* 413.

Regularis sine licentia proprii Parochi aut Ordinarii loci assistens matrimonio, non incurrit ipsô factô excommunicationem Papæ reservatam. *S. d.* 10. *ser.* 3. *sect.* 4. *n.* 5. *p.* 484.

Regularis sæculari existenti in articulo sive periculo mortis, absente Parocho, potest dare licitè Viaticum. *S. d.* 4. *ser.* 4. *n.* 13. *p.* 83. Imò etiam invito Parochô. *n.* 14. *p.* 84.

Regularis non incidit in excommunicationem latam ab Episcopo contra colloquentes in porta Monialium cum Monialibus, si eis sint subjectæ. *C. d.* 1. *ser.* 3. *sect.* 3. §. 4. *n.* 14. *p.* 605. Etiam in porta Monialium subjectarum Episcopo hanc excommunicationem non incurrunt colloquentes cum Abbatissa. *ibid.*

Regularis extra Conventum suum in absentia sui Confessarii potest confiteri Sacerdoti sæculari non approbato ab Episcopo. *S. d.* 6. *ser.* 8. *n.* 15. *p.* 233.

Regulares his temporibûs, quas indulgentias lucrantur? *S. d.* 6. *ser.* 10. *sect.* 2. *n.* 26. *p.* 262.

Reprobatio, Reprobati.

Ita multi reprobantur, ut nec ad baptismum, nec ad statum gratiæ pervenire valeant. *S. d.* 2. *ser.* 3. *n.* 8. *p.* 25.

Réus criminis læsæ Majestatis.

S. d. 7. *ser.* 4. *sect.* 1. *n.* 31. *p.* 328.

Rubrica.

Est ne sub lethali servanda rubrica? *S. d.* 5. *ser.* 7. à *n.* 35. ad 38. *p.* 159.

Rumor.

Quid est, & in quo differt à fama? *S. d.* 10. *ser.* 1. *sect.* 3. *n.* 34. *p.* 458.

S.

Sacerdos.

In gravissimo casu necessitatis, potest celebrare absq; vestibus Sacris. *S. d.* 5. *ser.* 7. *n.* 23. *p.* 156. Alioqui absq; aliqua celebrans, quando & quale peccatum committat? *loc. cit. n.* 26. *ibid.*

Quando seipsum communicare potest? *S. d.* 4. *ser.* 4. *n.* 26. *p.* 88.

Quid faciet vocatus ad ebrium, qui ob læsionem est in periculo mortis? *n.* 29. *p.* 89.

Sacerdos sive sæcularis, sive Regularis, ab Episcopo non approbatus, sæcularem extra periculum mortis existentem, nec à veniali sacramentaliter absolvere valet. *S. d.* 6. *ser.* 8. *n.* 21. *p.* 235.

Quis Sacerdos etiam in articulo mortis existentem absolvere nequiret? *S. d.* 9. *ser.* 1. *sect.* 2. *n.* 10. *p.* 398.

Plura vide sub *verb. Minister Sacrificii Missæ, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Baptismi* &c.

Sacramentum.

Sacramentum ùt sic. *S. d.* 1. *ser.* 1. *n.* 1. *p.* 1. Explicatur. à *n.* 2. *ibid.* ad 8.

Sacramenta mortuorum, vivorum. *n.* 6. *p.* 1. Per se, per accidens causant gratiam. *n.* 7. *p.* 2.

Sacramenta vivorum in justo tollunt peccata venialia, adhibita attritione. *S. d.* 6. *ser.* 13. *n.* 2. *p.* 297.

Partes physicè constitutivæ Sacramenti novæ legis. *S. d.* 1. *ser.* 2. *n.* 1. & 2. *p.* 2.

Quòd Baptismus & Eucharistia nutibûs confici nequeant, ratio habetur *S. d.* 1. *ser.* 2. *n.* 4. *p.* 3.

Quali simultate còéxistere debent materia & forma? *n.* 6. *p.* 3.

Quæ mutatio invalidat Sacramentum? vide *verb. Mutatio.*

Quam formam licet vulgari sermone proferre? *S. d.* 1. *ser.* 3. *n.* 3. *p.* 4.

liter; secùs hoc faciens in casu necessitatis. *S. d.* 1. *ser.* 5. *n.* 2. & 3. *p.* 9.

Minister necessitatis in peccato mortali administrans Sacramentū, non peccat mortaliter: tutiùs tamen est ut se disponat ad gratiam dum potest. *n.* 4. *p.* 10.

Minister existens in peccato mortali cōferens Baptismum expiranti, tunc non ad eliciendum actum contritionis, sed ad prolationem formæ attendere debet. *S. d.* 1. *ser.* 5. *n.* 6. *p.* 11.

Duo requiruntur in Ministro Sacramenti, ut sit graviter obligatus ad obeundum munus in gratia Dei. *n.* 11. *p.* 11.

Sacerdos ministrans in peccato mortali, peccat mortaliter; & celebrans, saltem virtualiter tria peccata mortalia committit. *n.* 11. *p.* 11.

Episcopus consecrans chrisma, benedicēs templa, vasa &c. Sacerdos absolvens cæremonias super puerum domi baptizatum, pixidem de loco in locum transportans; Parochus Matrimonium benedicens, non peccant mortaliter. *S. d.* 1. *ser.* 5. *n.* 12. *p.* 12.

Minister Sacramentorum ad gratiam se disponere debet, per confessionem ad celebrationem Missæ; ad alia verò Sacramenta per contritionem. *n.* 15. *ibid.*

Minister Sacramenti in administrando illud, quadrupliciter potest considerari peccaturus. *S. d.* 1. *ser.* 7. *n.* 4. *p.* 15.

Sacramentalia.

Numerantur. *S. d.* 6. *ser.* 13. *n.* 5. *p.* 298. Quomodo tollunt venialia? *n.* 4. & 5. *ibid.*

Sacrificium.

Quid & quotuplex? *S. d.* 5. *ser.* 1. *sect.* 1. per totum, *p.* 109.

Quando Christus Missæ Sacrificium instituit? S. *d.* 5. *ser.* 1. *sect.* 4. *n.* 1. *p.* 114.

Sacrilegium.

An sit, furari in Ecclesia rem non sacram? S. *d.* 6. *ser.* 6. *sect.* 1. *n.* 30. *p.* 209.

Contra castitatem occultè factum in Ecclesia. *n.* 31. *p.* 209.

Sacrum.

Vide *verb. Missa.*

Satisfactio Sacramentalis.

S. *d.* 6. *ser.* 9. *p.* 239.

Quæ conditiones ad condignam satisfactionem pro condigna temporali peccatis remissis debita pœna requirantur? S. *d.* 6. *ser.* 9. *sect.* 2. *p.* 245.

Ex parte pœnitentis, ut sit viator. *n.* 1. *p.* 245. Ut sit in statu gratiæ. *ibid.* Satisfacit tamen præcepto implens pœnitentiam in peccato mortali; nec præterea peccat mortaliter. *ibid.* Imò de condigno satisfacit ex opere operato satisfactione Sacramentali, quàmvis non ex opere operantis. *ibid.* Peccat tamen taliter satisfaciens. *ibid.*

Ex parte operis requiritur, ut opus sit pœnale, honestum, & aliquomodo liberum. *n.* 2. *p.* 245. Opera pœnalia: jejunium, eleemosyna, & oratio. *n.* 2. & 3. *ibid.*

An possit quis pro alio aut per alium satisfacere pro peccatis? *n.* 7. & 8. *p.* 247.

De satisfactione per suffragia, vide *verb. Indulgentia.*

Scandalum.

Quod est contemnendum? *S. d.* 5. *ser.* 11. *sect.* 4. *n.* 3. *p.* 114.

Schisma, Schismaticus.

S. *d.* 7. *ser.* 4. *sect.* 1. à *n.* 6. ad 10. *p.* 323.

Scrupulosus.

Regula est Theologorum, scrupulosos nō obligari peccata mortalia dicere nisi ea quæ parati sunt jurare fuisse mortalia, & ea non esse confessa. S. *d.* 6. *ser.* 1. *sect.* 3. *n.* 10.

officio? *ser.* 3. *sect.* 1. *n.* 2. *p.* 709.

Suspensio ab officio generaliter lata, privat Ordinis & jurisdictionis usu. *n.* 4. *p.* 710.

Suspensus ab Ordine non potest sacramentaliter absolvere. *n.* 5. *p.* 710.

Simpliciter ab Ordine suspensus, est privatus omni actu majoris & minoris Ordinis. *n.* 5. *ibid* Non tamen suspensio ab Ordine prohibet actũ jurisdictionis, nisi talis sit cui necessariò annectatur actus Ordinis. *ibid.* Quapropter possunt eligere. *ibid.*

Suspensus ab omni Ordine, utrùm possit licitè exercere Superiorem Ordinem? *n.* 6. *p.* 711.

Quidquid sit, suspensus ab Ordine inferiori exercens actum Ordinis superioris, nõ incurrit irregularitatem, quàmvis peccet. *ibid.*

Suspensus ab Ordine superiori, non eô ipsô prohibetur exercere actum Ordinis inferioris. *ibid.*

Suspensus simpliciter, etiam inferioris Ordinis exercens actum, incurrit irregularitatem. *sect.* 2. *n.* 10. *p.* 712. nisi excusetur ratione necessitatis vel scandali: & quomodo peccat? *ibid.*

Sive simpliciter sive à majori Ordine suspensus benedicat aquam, ceras aut fructus &c. incurrit irregularitatem. *ibid.*

Suspensio ab Ordine Pontificali, nõ prohibet actus jurisdictionis Episcopalis. *n.* 7. *p.* 711.

Suspensio à jurisdictione solùm privat actibûs jurisdictionis; quales sunt imponere censuras, absolvere ab illis, conferre beneficia, judicare &c. *n.* 8. *p.* 711. Unde Parochus suspensus à jurisdictione, non potest administrare Viaticum, quàmvis possit communionem sacram petentibus causâ devotionis, dare. *ibid.*

Suspensio à Divinis hunc effectum habet, quòd à Divinis suspensus nequeat officia Divina persolvere ex Officio; benè tamen ùt privata persona, seu ùt laicus. *n.* 9. *p.* 712.

Suspensus ab Officio non ab Ordine, exercens actum à quo est suspensus, non incurrit irregularitatem, sed puniendus est ad arbitrium Judicis. *n.* 11. *p.* 712.

Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, celebrãdo in ea, præter mortale quod committit, incurrit irregularitatem, audiendo verò Sacrum peccat, sed irregularitatem non incurrit: neq; incurrit eam celebrans extra Ecclesiam in Oratorio non in perpetuum destinato ab Episcopo pro celebratione Missarum. *n.* 12. *p.* 713.

Suspensus à collatione Sacramentorum, ea ministrando incurrit irregularitatem; secùs recipiendo. *ibid.*

Actus suspenso prohibiti, ab eo exerciti, qui validi? *n.* 13. *p.* 713.

Cum nullo suspenso prohibetur communicatio Fidelibus non suspensis. *n.* 14. *p.* 713. Quando tamen cõmunicando peccent. *ibid.* & *n.* 15. *p.* 714.

Quales sint effectus suspensionis à beneficio? Suspensus à beneficio tenetur satisfacere suo Officio, sive per se sive per alium: & si recuset, potest compelli usq; ad privationem beneficii. *C. d.* 3. *ser.* 3. *sect.* 3. *n.* 1. *p.* 714. Et si se ingerat beneficii interdictæ administrationi, ipso Jure privatur beneficiò. *n.* 2. *ibid.* Non incurrit tamen irregularitatem; quàmvis mortaliter peccet recipiendo, & ad restitutionem ante sententiam Judicis obligetur. *n.* 3. *ibid.*

Utrùm possit suspensus à beneficio, fructus quatenùs necessarii sunt ad se & suos alendos, recipere? *n.* 4. *p.* 714.

Suspensus à beneficio an sit pariter suspẽsus

Nomine Parentis venit. S. *d.* 10. *fer.* 5. *fect.* 2. §. 11. *n.* 5. *p.* 532.

U. V.

Vxor.

An poſſit Maritum ex Religione revocare ad torum, cui licentiam dedit Religionem profitendi? *S. d.* 9. *fer.* 4. à *n.* 24. *p.* 425. ad *n.* 30.

Verecundia.

Verecundia habet magnam partem remiſſionis. *S. d.* 6. *fer.* 5. *fect. un. n.* 12. *p.* 200.

Major pœna tollitur per verecundiam cum contritione, quam per ſolam contritionem. *n.* 18. *p.* 202.

Veſtes.

Quibûs debent uti Sacerdotes in Miſſa? *S. d.* 5. *fer.* 7. à *n.* 24. *p.* 156. ad *n.* 27.

Quando una pro alia deſervit, neceſſe non eſt ut iterùm benedicatur. *n.* 27. *p.* 157.

Quando amittunt benedictionem? *ibid.* Vide *verb. Paramenta.*

Viaticum.

In articulo mortis exiſtenti poteſt Regularis dare Viaticum. *S. d.* 4. *fer.* 4. à *n.* 13. ad *n.* 20. *p.* 83. etiam invito Parochô. *n.* 14. *p.* 84.

Vide *verb. Euchariſtia.*

Vicarius Generalis.

Seu Officialis, venit nomine Ordinarii. *S. d.* 10. *fer.* 3. *fect.* 3. *n.* 5. *p.* 481.

Officium Vicarii Generalis morte Epiſcopi expirat. *S. d.* 7. *fer.* 1. *fect.* 5. *n.* 4. *p.* 309.

Vicarius Generalis nequit diſpenſare in impedimentis etiam ſolùm impedientibus, niſi ei hanc facultatem concedat Epiſcopus. *S. d.* 10. *fer.* 6. *fect.* 2. *n.* 12. *p.* 537.

Vicarius Generalis nequit validè ferre ſententiam cenſuræ, ſi Epiſcopus ejus excommunicatus ſit excommunicatione majori. *C. d.* 1. *fer.* 2. *fect.* 2. *n.* 6. *p.* 583. Aut in captivitate detentus. *n.* 9. *p.* 584.

Vinum.

In defectu vini, uvæ maturæ poſſunt cōprimi, & in vino extracto celebrari poteſt. *S. d.* 4. *fer.* 1. *fect.* 2. *n.* 11. *p.* 54.

Viſitatio, Viſitator.

De viſitatione Eccleſiarum. *S. d.* 6. *fer.* 10. *fect.* 3. *n.* 34. *p.* 285.

Viſitator Regularis tempore ſuæ Viſitationis poteſt inſtituere devotionem 40. horarum, & cum Fratribus ſuis lucrari indulgentiam plenariam. *S. d.* 6. *fer.* 10. *fect.* 2. *n.* 26. §. 13. *p.* 264.

Monaſteria in quibus tantùm 4. Religioſi habitant, non poſſunt viſitari ab Epiſcopis. *C. d.* 1. *fer.* 3. *fect.* 3. §. 4. *n.* 9. *p.* 604.

Votum.

Votum non obligat cum notabili damno proximi. *S. d.* 10. *fer.* 1. *fect.* 3. *n.* 14. *p.* 454.

Propter vinculum charitatis ſuſpendendum eſt votum Religionis. *n.* 16. *p.* 455.

Vota ſimplicia poſt in Societate facta, non diſſolvunt Matrimonium conſummatum. *S. d.* 10. *fer.* 4. *n.* 15. *p.* 487.

In quo votum ſimplex cum ſolemni convenit & differt? *S. d.* 10. *fer.* 5. *fect.* 2. §. 2. *n.* 1. *p.* 496.

Qui profeſſionem præſtitit in manibus ſimplicis Sacerdotis, aut Prælati non habētis licentiam ſive poteſtatem profeſſandi, poteſt validè tam in foro interno quàm externo contrahere Matrimonium. *n.* 1. & 2. *p.* 496.

Votum ſolemnitatis eſt duplex. *n.* 3. *p.* 496. Utrumq; dirimit Matrimonium. *n.* 4. *ibid.*

X.

Xenodochium.

FINIS.



ERRATA.

ERRATA,				CORRIGE.
Pag.	6. *n.* 6. lineâ 2.	aut uno intenſo,	*adde*	actu.
Pag.	159. *n.* 33. *l.* 1.	*pæſentibus,*	*lege,*	præſentibus.
Pag.	215. *n.* 10. *l.* 6.	*juvadus,*	*lege,*	juvandus.
Pag.	287. *n.* 42. *l.* 6.	*indulgent,*	*lege,*	indigent.
Pag.	331. *n.* 42. *l.* 13.	*pronominatus,*	*lege,*	prænominatus.
Pag.	431. *l.* 28.	*conſequentur,*	*lege,*	conſequenter.
Pag.	443. *n.* 57. *l.* 2.	etiamſi *Miſſæ,*	*lege,*	etiamſi Miſſa.
Pag.	495. *n.* 9. *l.* 4.	*contrahenium,*	*lege,*	contrahentium.
Pag.	680. *n.* 2, *l.* 3.	*Iudicis,*	*lege,*	Indicis.
Pag.	709. *n.* 2. *l.* 3.	*acceſſorum,*	*lege,*	acceſſorium.

Si quæ in hoc Opere Idearum Theologiæ Moralis *deſiderantur adhuc: reperiuntur in libro cui Titulus,* Statera Peccatorum: Juris, & Juſtitiæ.





EXCERPTUM
Ex Constitutione BENEDICTI XIII.
Incipiente Pretiosus in conspectu Domini.
Anno Incarnationis Dominicæ 1727. 1mo *Kalendas Iunij Pontificatus IV.*

§ 32. FAmulis verò commorantibus in obsequiis Prædicatorum ut Fratres ejusdem quævis Sacramenta etiam in Paschate, & in mortis articulo ministrare, eorumq; cadavera, cúm obierint, in ipsorum cæmeterijs sepelire, inconsulto prorsus, ac etiam renuente Parocho, pariformiter concedimus, ac elargimur juxta literas Innocentij IV. *qui DEVM tota mente diligitis*, Anni 1244. confirmatas ab Alexandro IV. in Mari Magno à Gregorio XI. in Bulla similiter Incipien: *Qui DEVM &c.* Et à Nicolao V. in Bulla Incip. *Justis & honestis &c.* Innocentij VIII. Incipien. Exponi nobis fecistis. Et hæc quidem omnia extendi volumus & mandamus ad eos, quos devotione, vel casu aliquo in Conventibus Ordinis infirmari sive etiam mori contingat; (a).

Privilegia famulorum & eorum qui infirmantur in Conventibus.

(a) Vide in Ideis nostris p. 84. n. 17. 18. & 19. pag. 86. n. 28.

§ 33. Insuper facultatem indultam Superioribus quibuscumq; etiam localibus Fratrum Prædicatorum benedicendi quæcunq; vestimenta ac paramenta Ecclesiastica in quibus non intervenit unctio à Bonifacio IX. In Constit: *Sacræ Religionis* ab Innocentio VIII. & à S. Pio in Brevi incipien. *Volentes iis.* Solenniter & juxta Ritum Ecclesiæ, atq; priùs à Catholico Episcopo benedicta reconciliandi pollutas Ecclesias, cæmeteria, aut Claustra à Clemente V. in Bulla edita 8. Martij 1307. & ab Innocentio VIII. per Bullam

Facultas Prælatorum benedicendi vestes Ecclesias &c.

Bullam *Benignitas*, & à Pio V. in Brevi edito 16 Junij 1569. eidem Ordini ejuſq; Superioribus prædictis motu & ſcientia & authoritate ſimilibus confirmamus, & innovamus, & reſpectivè declaramus prædictis Superioribus eſſe præterea permiſſum aqua, ut ſupra ab Epiſcopo benedicta, novas Eccleſias, nova cæmeteria, Capitula, Clauſtra & oratoria benedicere, & hæc omnia etiam de novò concedimus & elargimur: Hoc amplius quod ubi Diœceſanus Epiſcopus renueret aquam à ſe benedictam concedere, poſſint & debeant licitè & validè ijdem Fratres à quocunq; Cotholico Epiſcopo aquam in ejus Diœceſi benedictam ad prædicta præſtanda accipere & aſportare. (b).

(b) pag. 158. n. 29. & pag. 846. à n. 1. uſq;ad 10. explicatur.

Perſonæ Tertiariæ Sacramenta ſuſcipere; earumqué cadavera per ſolos Fratres Ordinis ſepeliri debent.

§ 56. Licet circa Sacramentorum ſuſceptionem & ſepulturam prædictæ Tertiariæ certis habitu, regula & ſtatutis, & expreſſo perpetuo virginalis aut vidualis caſtitatis voto, ſive collegialiter, ſive in privatis domibus, viventes ex recitatis alijsq; Apoſtolicis Conſtitutionibus earum Ordini per Sanctam Sedem directe conceſſis vel communicatis debeant gaudere Privilegijs omnibus Ordinis Prædicatorum cæterorumq; Ordinum, earum ſexui non repugnantibns, & plenò jure ſubeſſe Fratribus, & imprimis Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis: hisq; liceat authoritate Apoſtolica Tertiarijs illis quando petierint, etiam in die Paſchæ ſive Feſti Reſurrectionis Domini Noſtri JESU Chriſti & infra ejus Feſti Octavam, quàm etiam alijs diebus etiam in mortis articulo, Euchariſtiæ, & alia Sacramenta Eccleſiaſtica quæcunq; exhibere & miniſtrare etiam in domibus proprijs; necnon illorum cadavera ad eorundem Fratrum Eccleſias tumulanda deferre, etiam Parochialium Perſonarum earumdem Rectorum licentia deſuper minimè requiſita, & contradictione qualibet non obſtante; ne tamen deſuper Tertiarias & reſpectivè Fratres Ordinis Prædicatorum in debitè

tè

tè molestari contingat expressè declaramus & volumus Tertiarias prædictas de pœnitentia S. Dominici sive collegialiter, sive separatim in domibus ut prædictum est viventes cum expresso voto, à solis Fratribus prædicti Ordinis Prædicatorum contradictione qualibet & quacunq; consvetudine etiam immemorabili in contrarium non obstantibus, etiam in die S. Paschæ & in casu habitualis infirmitatis etiam pro effectu satisfaciendi præcepto de communione Paschali, & in casu mortalis infirmitatis, sive in mortis articulo S. Euchàristiam, extremam insuper unctionem absolute recipere posse & debere, earundemq; post mortem cadavera ad Fratrum Ecclesias tumulanda deferri posse ac debere, & quidem absq; interventu, licentia & requisitione Parochi nullâq; eidem solutâ quartâ; & sicuti volumus, quòd tàm Fratres quam Tertiariæ extra Conventus & respectivè Collegia & Domos obeuntes debeant Sacramentari & respectivè tumulari per Fratres, & in Ecclesijs illorum: itadisponimus & mandamus quoad Tertiarias prædictas. (c).

(c) Pag. 691. numerò 5.

Privilegia circa sepulturã extraneorum.

§. 68. Ea itidem Privilegia Fratribus Ordinis Prædicatorum indulta per Sacros Canones & Apostolicas Constitutiones, ut possint cadavera Laicorum & extraneorum quorumcunq; in suis Ecclesiis liberè tumulare, uberrimè confirmamus & innovamus: utq; quantùm in Domino possumus occurramus continuis molestijs, quas propter aliquorum sinistras interpretationes pati coguntur Fratres cum maximo Christi fidelium scandalo, & pietatis simulq; Divini cultûs detrimento, perpetuo volumus & sancimus, imprimis Fratrum Prædicatorum omnium eisq; inservientium, necnon quarumcunq; Personarum tertij Ordinis etiam extra Claustra, domos, hospitia & asceteria obeuntium: Laicorum quoq; extraneorum per accidens degentium & decedentium in Conventibus, hospitijs, domibus, & asceterijs prædictis, cadavera tumulanda

(d) Vide in nostris Ideis p. 85. num. 19.

da esse in dictis Ecclesijs Ordinis Diœcesani Loci, aut alterius cujuscunq; licentiâ minimè desuper requisitâ. (d.)

§ 69. Liberam prorsus præterea fore cuiq; Fidelium sive pro se ipso, sive pro suis Filijs & Filiabus Nepotibus & Neptibus, in puerili vel infantili ætate decedentibus electionem- sepulturæ in Ecclesijs & cemeterijs præfati Ordinis. De hac verò electione satis constare ubi in Ecclesia Ordinis, nulla in contrarium facta dispositione sepulchrum præexistat ; rursus ex Testamento codicillis vel alia morientis simplici etiam scriptura, item ex dicto autConfessarij aut duorum Testium etiam extra judicialiter deponentium de illius voluntate. Quòdsi Parochus velit illos judicialiter repetere suis sumptibus id facere teneatur. (e).

Libera extraneis sepulturæ electio.

(e) p. 691. n. 5.

§. 17. Itidem quoad Privilegia Mendicantium Ordini Predicatorum concessa prævia derogatione constitutionis à Gregorio XIII. *In tanta* editæ 1. Martij 1573. Innovamus Constitutiones S. Pij V. *Etsi mendicantium &c: Et ad hoc nos Deus &c.* Quatenus opus sit in his de novo disponimus & respectivè concedimus, atq; perpetuò observanda esse decernimus & mandamus, dummodò Concilij Tridentini, & dispositis in hac nostra peculiari Constitutione non sit contraria, ut etiam demandárunt Clemens VIII. in Constitut: *Injuncti* 5ta Octob. 1604. & Urbanus VIII. in Constit. *In plenitudinem*: 1625. Declarantes, quòd hæc restrictio contenta etiam in mox dictis literis Clementis & Urbani haud tollit Decreta Concilij Tridentini juxta interpretationem ipsis attributam in præcitatis literis S Pij V.

Confirmantur ampliores cōcessiones Pij V. & reducūtur ad terminos Concilij Tridentini juxta illius interpretationem ac ejusdem Constitutionis.

Quòd hæc Privilegia extendantur ad Carmelitas, vide in hoc libro Idearum pag: 365. num. 17. Quoad Canonicos Regulares, Monachos Sancti Benedicti, Cistercienses, &c. Carthusianos. &c. necnon Sancti Hieronymi Hispaniarum, Camaldulenses. &c. pag. 416. num. 41. (f). Plura in alio libro nostro hujus completivo, cui Titulus

(f) Insuper ad omnes Religiosos Mendicantes extenduntur per Bullā Leonis X. incipien: Dudum per nos accepto.

Statera Peccatorum Theologica, Juris & Justitiæ Civili Canonica.



B U L L A

Sanctiſſimi Domini PAULI Papæ III.
in qua
Diſtrictè præcipit Fratribus Mendicantibus Regni Poloniæ, ne coram locorum Ordinariis compareant in præjudiciũ ſuorum Privilegiorũ.
Ex Regeſtro Vaticano.

PAULUS EPISCOPUS
Servus Servorum DEI.

Dilectis Filiis univerſis, & ſingulis Fratribus omnium, & ſingulorum Ordinum Mendicántium per Regnum Poloniæ ac alia Dominia & Terras, temporali ditioni Cariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Sigiſmundi Poloniæ Regis Illuſtris ſubjecta conſtitutis, & eorum cuilibet, ſalutem &c.

I. NUper Nobis pro parte veſtra inter alia expoſito: quòd Venerabiles Fratres Archi-Epiſcop & Epi- Anno 1539 25. Junij.

ſcopi, ac dilecti Filii aliorum locorum Ordinarii, per Regnū Poloniæ, & alia Dominia & Terras temporali ditioni Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Sigiſmundi Poloniæ Regis Illuſtris ſubjecta, conſtituti, necnon Eorundem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ac aliorum Ordinariorum Officiales ſeu Vicarii in Spiritualibus Generales vos ſæpiùs contra privilegia vobis à Sede Apoſtolica conceſſa, & Juris diſpoſitionem, ratione delicti, ſive contractus, aut rei, de qua agitur, coram eis ad judicium trahebant, & in vos eam, quam non habebant, Juriſdictionem exercebant, vos etiam cenſuris Eccleſiaſticis illaqueando, ac aliàs diverſimodè injuſtè vexando, perturbando, & inquietando, in maximam veſtri confuſionem. Nos veſtris in ea parte, ſupplicationibus inclinati eoſdem Archiepiſopos Epiſcopos, ac Ordinarios, necnon Officiales & Vicarios, ac eorum ſingulos, * per alias noſtras in forma Brevis litteras requiſivimus, & hortati ſumus, eis nihilominùs in Virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis in eiſdem Privilegiis contentis diſtrictè præcipiendo mandantes: Quatenùs Vos & Domos Veſtras quaſcumq; quovis modo, contra Privilegia, & Jura Veſtra vexare, àut moleſtare, ſeu eam, quam non habent Superioritatem, & juriſdictionem in Vos exercere, aut ratione delicti, ſeu contractûs, aut rei, de qua agitur, ſeu ex quacunq; alia cauſá contra

* Conſt. 13

tra

tra Privilegiorum hujusmodi tenorem, Vos coram eis ad judicium trahere, seu trahi facere aut excommunicationis, seu aliis sentetiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis innodare præsumerent, sed Judicia ipsa per eos quibus id à dicta Sede concessum erat exerceri permitterent, prout in eisdem litteris pleniùs continetur.

II. Cùm autem acceperimus, aliquos ex Vobis aliquando per indirectum procurare, ut coram dictis Ordinariis vocentur, privatos vestros affectus publico interesse Vestri Ordinis anteponentes, Nos volentes inconvenientiis, quæ hinc oriri possent, occurrere: Vobis & Vestrûm Singulis, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis pœna districtiùs inhibemus, ne de cætero coram eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Ordinarijs, seu Officialibus, aut Vicariis, occasione præmissorum in præjudicium Privilegiorum Vestris Ordinibus respectivè concessorum quovis modo comparere præsumatis: inhibentes sub indignationis nostræ pœna Archiepiscopis Episcopis, Ordinariis, seu Officialibus, vel Vicariis præfatis, ne contra Vos præter, aut contra tenorem dictorum Privilegiorum procedere audeant, vel præsumant, irritum quoque & inane quidquid secùs super iis, à quoquàm quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari: non ob-

 stanti-

ſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunquè.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris Die 25. Junii 1539. Pontificatûs Noſtri Anno quinto.

Ex Bullarii Carmelitani parte ſecunda. Admodum R. P. Eliſei Monſignani ejuſdem Ordinis Procuratoris Generalis, fol. 84.



